UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali Benedictina Universitate Salisburgensi

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460518

urn:nbn:de:hbz:466:1-61781

Visual Library

Th. 4758.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bll. II
Zg

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Pro Aris et Focis
P. ROBERTI KONIG
Bened. Congr.
Primi Visitatoris Catholici

PRINCIPIA
JURIS CANONICI
EX
Libro I. & II. Decretalium
GREGORII IX. PONTIFICIS M.
ANTEHAC
In Alma & Archi-Episcopali Benedictina
Universitate Salisburgensi,
PRÆSIDE ET AUTHORE
Plurimùm Reverendo, Religiosissimo, ac Clarissimo Domino
P. ROBERTO KÖNIG,
Ord. S. Bened. Celeberrimi Monasterii Garstensis Superioris Austriæ Professo, Utriusque Juris Doctore, Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico, Inclytæ Civitatis Styrensis Parocho, Almæ Archi-Episcopalis Benedictinæ Universitatis Juvavensis SS. Canonum Professore emerito, & Rectore Magnifico
PUBLICI JURIS FACTA.
Quarta Vice
Nunc
INDICE LOCUPLETISSIMO AUCTA.
TOMUS I.
Editio Prioribus Correctior.
Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Regiæque Catholicæ Majestatis speciali

M. DCC. XXV.

Collegii S. J. Paderborn 1734

SALISBURGI,
Litteris & Impensis, JOANNIS JOSEPHI MAYR, Typographi & Bibliopolæ Aulico-Academici p. m. Viduæ, & Hæredum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P. ROBERTO KONIG

LUCAS CANONICI

APPROBATIO
S. FACULTATIS THEOLOGICÆ
Super Lib. 1. Decretal.

PRincipia hæc *Juris Canonici*, à Clarissimo Authore speciali studio congesta, magnóque Judiciô digesta; præterquam quod nec in Principio, nec in fine operis à solidissimis fidei Orthodoxæ Principiis, nec Canonicis SS. Pontificum statutis in ullo deflectant; etiam sunt optima Documenta, quibus Conformiter intricatæ quæstiones exactissimè, & æquissimo Jure enodantur, tanquam ad lydium lapidem probantur, & elimantur, digniſſima proinde, quæ ad Christianæ Reipublicæ emolumentum typis committantur.

Ita censet

P. HONORIUS AIGNER Professus Cremifanensis, SS. Theologiæ Doctor, ejusdémque Professor Ordinarius, & p. t. Decanus.

APPROBATIO
FACULTATIS JURIDICÆ
Super Lib. 1. Decretalium.

HÆc *Principia Juris Canonici*, Materias in Libro primo Decretalium comprehensas, ita competenter, solidè & ordinatè tractant, ut inde plurima scitu digna dici & dedici possint, hinc prælum & lucem publicam optimo Jure merentur. Ita censeo

Loco spectabilis Domini Decani

ANTONIUS HERMES Jurium Doctor, Celsissimi & Reverendissimi Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius, & Pandectarum Professor Ordinarius.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERIES TITULORUM.

Ex Libro I. Decretalium.

Tit.

1. De summa Trinitate, & fide Catholica.
2. De Constitutionibus.
3. De Rescriptis.
4. De Consuetudine.
5. De Postulatione Prælatorum.
6. De Electione, & Electi Potestate.
7. De Translatione Episcopi.
8. De Authoritate, & Usu Pallii.
9. De Renuntiatione.
10. De supplenda negligentia Prælatorum.
11. De Temporibus Ordinationum, & qualitate ordinandorum.
12. De Scrutinio in ordine faciendo.
13. De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.
14. De Ætate, & qualitate, & ordine Præficiendorum.
15. De sacra Unctione.
16. De Sacramentis non iterandis.
17. De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.
18. De servis non ordinandis & eorum manumissione.
19. De Obligatis ad Ratiocinia ordinandis, vel non.
20. De Corpore vitiatis ordinandis, vel non.

Tit.

21. De Bigamis non ordinandis.
22. De Clericis Peregrinis.
23. De Officio Archi-Diaconi.
24. De Officio Archi-Presbyteri.
25. De Officio Primicerii.
26. De Officio Sacristæ.
27. De Officio Custodis.
28. De Officio Vicarii.
29. De Officio, & Potestate Judicis delegati.
30. De Officio Legati.
31. De Officio Judicis ordinarii.
32. De Officio Judicis.
33. De Majoritate & obedientia.
34. De Treuga & Pace.
35. De Pactis.
36. De Transactionibus.
37. De Postulando.
38. De Procuratoribus.
39. De Syndico.
40. De his, quæ vi, metûsve causâ fiunt.
41. De in integrum Restitutione.
42. De alienatione Judicii mutandi causâ facta.
43. De Arbitris.

RESPONDENTE

F. BENEDICTO BEHAMTEIN,
Benedictino Garstenfi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO
S. FACULTATIS THEOLOGICÆ
Ad Librum II. Decretalium.

PRincipia hæc Juris Canonici in II. Lib. Decret. nullus inoffenso pede non decurret, cùm orthodoxæ Veritati, ac Christianæ Probitati per omnia consonent. Multiplici Eruditione facunda solidam omninò Doctrinam continent; intricatissimas Jurium controversias, quæ non sine magno ardore agitantur, eximia cum dexteritate dirimunt, gratissima claritate illustrant, suaviter occupant lectoris animum, nec dubium, quin literariæ Reipublicæ magnam adferent lucem, & utilitatem; digna hinc, ut sicut omnium oculis, ita & præli sudoribus committantur. ita censet.

P. MAURUS LIECHTENHAIMB,
Ord. S. Bened. Lib. & exempti Monasterii ad S. Lambertum Professus, SS. Theol. Doctor & Professor Ordinarius, p. t. Decanus.

APPROBATIO
FACULTATIS JURIDICÆ
Ad Lib. II. Decretalium.

IN parte hâc secundâ Principia Juris Canonici, in scientificum ordinem redacta, pulcherrimâ methodo proponuntur, ac omnes tituli per causas tam accurratè, támque ordinatè traduntur, ut media cum primis, ultima cum mediis, concatenata serie cohæreant, Dignissimus proinde Liber, qui detersa præli fuligine in lucem fumet, actum famam clarissimi Dñi Authoris, tum nomen Prænobilis, ac Doctissimi Domini Defendentis æternitati transcribat. Ita censet.

JOSEPHUS BERNARDUS GLETLE,
U. J. D. Celsissimi, & Reverendissimi Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius, Codicis, & Juris Publici Professor Ordinarius, ac p. t. Decanus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERIES TITULORUM
In Libro II. Decretalium.

Tit.

1. De Judiciis.
2. De foro competenti.
3. De libelli oblatione.
4. De mutuis petitionibus.
5. De litis contestatione.
6. Ut lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel sententiam definitivam
7. De Juramento Calumniæ.
8. De Dilationibus.
9. De feriis.
10. De ordine Cognitionum.
11. De plus petitionibus.
12. De Causa Possessionis, & proprietatis.
13. De Restitutione spoliatorum.
14. De Dolo & Contumaciâ.
15. De eo, qui mittitur in possessionem causâ rei servandæ.

Tit.

16. Ut lite pendente nil innovetur.
17. De sequestratione Possessionum, & fructuum.
18. De Confessis.
19. De Probationibus,
20. De Testibus, & Attestationibus.
21. De Testibus cogendis, vel non.
22. De fide instrumentorum.
23. De Præsumptionibus.
24. De Jurejurando.
25. De Exceptionibus.
26. De Præscriptionibus.
27. De sententiâ & re Judicatâ.
28. De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.
29. De Clericis Peregrinantibus.
30. De Confirmatione utili, & inutili.

RESPONDENTE

Prænobili Domino

ERNESTO FRIDERICO à SOMETING,

Austriaco Lincensi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PROOEMIUM.

De Jure Canonico in genere.

SUMMARIA.

1. Jus Canonicum quid nominis? 2. Quid rei?
3. Ejus partes.
4. An omnes partes sint authenticæ?
5. Origo Juris Canonici.
6. Jus Canonicum obligat omnes & solos Christianos.
7. An etiam S. Pontificem?
8. An Laicos?
9. An hæreticos quo ad impedimenta dirimentia matrimonii?
10. Quæ sit materia Juris Canonici?
11. Quæ forma? 12. Quis finis?
13. An Jus Canonicum obliget in conscientia?
14. Et sub discrimine vitæ?
15. Jus Civile supplet defectum Juris Canonici, & viciſſim.

§. I.

1 JUs Canonicum dicitur à Canone: Canon autem græcè, latinè regula nuncupatur, *cap.* 1. *dist.* 3. & quidem per antonomasiam regula seu constitutio Ecclesiastica *in Summa d. dist.* 3.

§. II.

2 *Definitur* Jus Canonicum, quòd sit Jus ex SS. Canonibus, id est, regulis Ecclesiasticis collectum, dirigens actiones hominum Christianorum ad finem æternæ beatitudinis.

§. III.

3 *Dividitur* Jus Canonicum in sex Partes.

Prima est DECRETUM, quod Gratianus Benedictinus Bononiensis S. Felicis tempore Eugenii III. circa annum 1151. ex Pontificum & Conciliorum decretis, Imperatorum legibus, SS. Patrum, aliorumque scriptis concinnavit; & quia aliquando ad conciliandos textus contrarios suam etiam sententiam adjecit, nomen, *Concordia discordantium Canonum*, promeruit.

Secunda pars sunt DECRETALES, quas circa annum 1230. jussu & auctoritate Gregorii IX. S. Raymundus Dominicanus, ejusdem Pontificis Capellanus, & Pœnitentiarius ex variis constitutionibus & Epistolis Pontificum præcedentium, ipsiúsque Gregorii in quinque Libros congessit, resecatis superfluis. *proœm. Decretal. ℣. sanè.* Quò fit, ut in Decretalium contexu sæpiùs invenias verba: *& infra:* quibus docemur, omissam esse epistolarum Pontificalium narrationem, & eâ succisâ ad resolutionem epistolæ vel rescripti perveniri.

Tertia pars appellatur LIBER SEXTUS, vel absolutè SEXTUS, scil. Decretalium: quia ad præcedentes quinque libros Decretalium quasi complementum à Bonifacio VIII. anno 1298. est superadditus: continet enim casus quosdam emergentes in Libris Gregorianis non comprehensos.

Quarta pars sunt CLEMENTINÆ, quas Clemens V. ex constitutionibus partim ante, partim in, partim post Concilium Viennense à se latis compilavit, eóque rebus humanis exempto Joannes XXII. ejusdem Successor anno 1329. complevit, publicavit, & Apostolicâ authoritate pro Judiciis & Scholis roboravit, ut patet ex *præfat. Clementinar.*

Quinta & Sexta pars complectitur EXTRAVAGANTES Joannis XXII. & EXTRAVAGANTES COMMUNES, id est, aliorum diversorum Pontificum; quæ inde sic dictæ, quod antea extra Corpus Juris Canonici quasi incertâ sede vagarentur, & licet postea in ordinem librorum juris redactæ sint, tamen primævum nomen etiamnum retinent.

4 *Quæstionis* est, an omnes hæ partes sint authenticæ, ita ut habeant authoritatem decisivam in schola & in foro? R. non esse dubium, quin posteriores quinque partes plenam Juris Canonici authoritatem obtineant, cùm ipsos SS. Pontifices authores habeant. At verò primæ Partis, nempe *Decreti* alia est ratio: cùm enim privato studio à Gratiano collectum sit, neque ab ullo Pontifice hactenus quo ad totam suam latitudinem approbatum fuerit, eâ nempè fide, ut omnia in eo contenta haberent vim legis, ideò singula capitula ad primævam auctoritatem revocari debent; ad Pontificiam, quæ ex SS. Pontificum, & Oecumenicorum Conciliorum decretis; ad Imperatoriam, quæ ex Imperatorum Legibus & rescriptis allegantur. Sententiæ verò SS. Patrum Decreto insertæ, quamvis singularibus sint opinionibus præferendæ per *c. 5. de Const.* vim tamen legis minimè habent, nisi fortè per S. Pontificem sint canonizatæ: quia quantùm ad materias disputabiles SS. Patres solùm privatorum Doctorum loco censentur. Confer post alios P. Engl *in Proœm. Decretal. num. 5.*

§. IV.

5 *Causa efficiens* Juris Canonici est vel primaria seu universalis, vel secundaria seu particularis.

Primaria est ipse DEUS, à quo cuncta procedunt, & qui promulgat jura per Romanos Pontifices, & Imperatores. *c. 1. dist. 8. c. fin. causâ 16. q. 3.* Panorm. *in Proœm. Decretal. n. 18.* Et inde fortè est, quòd Jus Canonicum passim Jus Divinum dicatur, ut *in c. 2. de Translat. Episc. c. 2. de Privilegiis in 6. &c.* Quo sensu aliqui etiam interpretantur *c. 30. de Jurejurando. c. 4. de Censib. in 6.* & Trid. *sess. 25. de Reform. c. 20.* Sed perperam, prout alibi demonstrabitur.

Secundaria sunt Pontifices & Concilia. *c. 2. §. porro. dist. 3.* ubi habetur, quòd *Canonum alii sunt decreta Pontificum, alii statuta Conciliorum*, atque ex his fermè totum Corpus Juris Canonici, quo utimur, compositum esse, docent inscriptiones singulorum capitulorum.

§. V.

Subjectum Juris Canonici sunt soli & omnes Christiani: Soli enim & omnes Canonum statutis subjiciuntur, *c. 1. & ibi* Gloss. Panorm. aliique Interpp. *de Constit.* 6

Dicitur I. *soli Christiani*: ad excludendos Judæos & Gentiles nondum baptizatos, qui constitutionibus Ecclesiasticis non ligantur; & propterea si Judæi matrimonium contrahant in gradibus lege canonicâ tantum prohibitis, ad fidem conversi non separantur, *c. 8. de Divortiis.* & eorum proles legitima est *c. fin. Qui filii sint legitimi.* Ratio est: quia hi, cùm careant baptismate, sunt extra Ecclesiam, ejusque jurisdictionem, saltem quantùm attinet ad obligationem & observationem Canonum; quod non frustra addo: quoniam multi non improbabiliter judicant, Infideles subjici jurisdictioni Ecclesiasticæ ex capite delicti, ut nimirùm puniri possint propter transgressionem legis naturalis arg. *c. 15. de Judæis. c. 4. de Raptorib. c. 12. de Usuris* & docet prolixè Fagn. in *d. c. 1. de Constit. num. 67.*

Dicitur II. *Et omnes Christiani:* intellige sine discrimine sexûs, statûs, & conditionis, adeóque mas & fœmina: servus & liber: Princeps & subditus: Clericus & Laicus: Catholicus & Hæreticus. Ratio est: quia, cùm 8

om-

omnes fideles Jurisdictioni & potestati Pontificis subjecti sint. *c.* 4. *de Majorit. & obed. extrav.* 1. *eod. inter comm.* omnes etiam Jure Canon. obligabuntur: quicunque enim potestati subjecti sunt, subduntur quoque legi, quam fert illa potestas. *c.* 2. *de Majorit. & obed. l. un. ff. Si quis jus dicenti.* S. Th. 1. 2. *q.* 96. *a.* 5. Sed

7 *Dubitatur* I. An Jus Canonicum liget etiam S. Pontificem? Zosimus Papa videtur affirmare, cùm in *c.* 7. *causâ* 25. *q.* 1. dissertim asserat: *contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest authoritas.* Attamen expediti juris est, S. Pontificem Juri Canonico alligatum non esse. *c.* 16. ℣. *his ita causâ* 25. *q.* 1. Ita scilicet, ut *vi coactivâ* non teneatur ad Canonum observantiam: cùm nullum habeat superiorem, à quo cogi possit, & cum quo non eâdem, vel majori potestate fungatur. *c.* 20 *de Elect.* quamvis teneatur quoad *vim directivam*, ex quadam decentia & honestate naturali: quatenus nimirùm conveniens est, ut Legislator subditis exemplo præeat *d.* ℣. *his ita* & Caput se reliquis membris conformet per *c.* 2. *dist.* 8. Hinc est, quòd S. Pontifex pro loco & tempore in omnibus Canonibus juris positivi dispensare possit, licet à Concilio Generali conditi essent, quia est supra Concilium *c.* 4. & 20. *de Elect. c.* 2. *de Translat. Episc. c.* 4. *de Concess. prabend.* S. Th. *d. a.* 5. *ad* 3. Ad *cit. c.* 7. *causa* 25. *q.* 1. ℟. cum Gloss. *ibid.* textum illum procedere in statutis pertinentibus ad fidem Catholicam, vel jus naturale aut Divinum continentibus, hæc enim S. Pontifex æquè, ac alii observare debet, quia, cùm à DEO procedant, sunt supra Pontificem, quamvis ab Eo populo proposita, ac declarata.

8 *Dubitatur* II. quatenus & in quibus Jus Canonicum Laicos obliget? ℟. obligare *in iis tantùm*, in quibus Laici subsunt potestati, videlicet in causis Ecclesiasticis & rebus spiritualibus, ut colligitur ex *d. c.* 1. *de Constit.* ibi: *& nemo in actionibus & judiciis Ecclesiasticis &c.* Secùs in causis & rebus sæcularibus, in quibus Laici Canonum statutis nequaquam subjiciuntur, *arg. c.* 8. *dist.* 10. *c.* 7. *de Appellat. c.* 7. *Qui filii sint leg.* nisi in terris Ecclesiæ habitent, adeóque Ecclesiæ subditi sint etiam quoad temporalia, ut insinuatur *in d. c.* 7. *§. f. de Appellat.* Ex quo ulteriùs.

Deduco I. in rebus spiritualibus, & quæ tangunt conscientiam, quales sunt matrimonia, vota, juramenta, usuræ, concubinatus, præscriptiones cum mala fide, &c. explosò Jure Civili standum esse Juri Canonico in utroque foro etiam in terris Imperii. *cap.* 1. *dist.* 9. & passim *dist.* 10. & 96. Gail. *l.* 2. *Obser.* 141. *num.* 5.

Deduco II. Leges Civiles disponentes de personis & rebus Ecclesiasticis esse invalidas, quamvis favorem, vel commodum Ecclesiæ aut personarum Ecclesiasticarum respiciant, *c.* 1. *dist.* 96. *d. c.* 1. & *c.* 10. *de Constit.* Panorm. *ibid. n.* 4. Qui tamèn hanc doctrinam variis modis limitat, præcipuè *primò*: nisi lex civilis contineat merum favorem, aut sit merè privilegiativa per *c.* 61. *de R. I. in* 6. Talis autem esse censetur, si disponat de rebus aut personis Ecclesiasticis nihil ipsis præcipiendo, aut prohibendo; cujus exemplum extat in *auth. quas actiones, C. de SS. Ecclesiis* ubi contra Ecclesiam Romanam centenaria, contra alias quadragenaria tantùm præscriptio admittitur. *Secundò*: nisi Lex civilis expresè recipiatur, & approbetur à SS. Canonibus, ut patet ex *Tit. de Reb. Eccles. alienand. vel non.* in quo videtur aliquo modo recepta & canonizata *Lex jubemus. C. de SS. Ecclesiis. Tertiò*: nisi Lex civilis disponat generaliter non exprimendo personas aut res Ecclesiasticas: tunc enim talis lex in casibus de Jure Canonico dubiis, aut non decisis observanda est

etiam in foro Ecclesiastico circa Clericos, eorúmque res per text. *in c.* 1. *de N. O. N.* modò hujusmodi lex non sit singulariter præjudicialis, qualis esset, si contineret purum incommodum sine commodo, ut notat Panorm. *l. cit. num.* 13.

Deduco III. si circa rem seu materiam profanam & adiaphoram, neque continentem rationem peccati, uti circa solemnitates judiciorum, testamentorum, contractuum &c. aliud Jus Canonicum, aliud Civile statuat, quodlibet in suo foro servandum esse: Canonicum in foro Ecclesiastico, Civile in foro sæculari. *c.* 2. *de Arbitr. in* 6. & *ibi* Gloss. Panorm. *ubi supra n.* 19. Ita quidem ut in causis Clericorum temporalibus coram Judice Ecclesiastico tractandis, stetur Juri Canonico *c.* 9. *de Foro compet.* coram Judice verò sæculari institutis, ut si Clericus actor conveniat reum Laicum, tenendum sit Jus Civile: quia actor sequitur forum rei, ejusque leges. Barb. *in eod. c.* 9. *n.* 5. Undè verba illa *in d. c.* 9. *Si Clerici contra aliquos causas habuerint, ipsas Jure Canon. decidatis:* explicanda sunt, ut sit sensus: *Si Clerici contra aliquos similiter Clericos &c.*

9 *Dubitatur* III. an quoque Canones de impedimentis matrimonii, maximè dirimentibus Hæreticos obligent & constringant? Sunt, qui negent. Ego cum P. Gobat *in Experiment. Theolog. tr.* 9. *casu* 1. *sect.* 1. *n.* 41. *& seqq.* Pronior sum in sententiam affirmativam: tum quia generalis, & recepta Classicorum sententia est, hæreticos teneri legibus Ecclesiasticis, cùm æquè ac Catholici subsint Ecclesiæ arg. *c.* 5. *dist.* 45. tum quia Congregatio Cardinalium in Trid. *c.* 1. *sess.* 24. *de Reform. Matrim. n.* 10. *§. Congregatio Concilii.* expressè declaravit, Matrimonia nulla esse, quæ Hæretici coram suo Prædicante celebrant in locis, ubi Tridentinum est promulgatum. Atqui non apparet ratio, cur à Canonibus impedimenta statuentibus eximantur Hæretici: aut cur Pontifex non omnia eorum matrimonia cum impedimento juxta Canones dirimente contracta habeat pro invalidis, si ea nulla pronuntiat, quæ coram Prædicante in locis prædictis celebrata fuêre. Ergo. Accedit Praxis Belgii, de qua testatur Lessius *in Actuario lib.* 2. *V. Præscriptio. casu* 1.

§. VI.

10 *Objectum* seu *materia* Juris Canonici sunt actiones Christianorum dirigibiles & regulabiles per normas Ecclesiasticas ad rectam vitam, & beatitudinem supernaturalem, circa hujusmodi enim actiones Jus Canonicum occupatur. Nec obstat, quòd sæpè etiam disponat de rebus, quæ merè exteriores sunt, & temporales, veluti de contractibus, judiciis, ultimis voluntatibus &c. quia hæc & similia omnia tractat & attingit sub dicta ratione supernaturali, & ut faciliùs finem suum assequatur, quemadmodum in progressu satis patebit. Vid. Suarez *lib.* 4. *de LL. c.* 1. *n.* 7. *&* 8. *&* 6. 8. *n.* 4.

§. VII.

11 *Forma* Juris Canonici alia est intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca stat in regulatione seu directione actionum Christiani hominis ad finem æternæ beatitudinis. Extrinseca consistit in dispositione & serie Titulorum, quæ in Decretalibus Gregorianis, Sexto Decretalium, Clementinis & Extravagantibus ferè eadem est, nisi quòd in Decretalibus numero plures, & subjectâ materiâ auctiores Tituli, quàm in aliis ponantur. Decretum autem Gratiani farraginem quandam multarum sententiarum, decretorum, & dictorum Patrum ordinatâ serie comprehendit.

§. VIII.

12 *Finis* Juris Canonici est æterna felicitas, quâ subditos intendit dignos reddere. Zoës. *in procem. Decretal. n.* 2. & colligitur aperte

tè ex *c.* 1. *de Pactis. cap.* 2. *eod. in* 6. *c.* 2. *de Constit. in* 6. alisque congestis à Miranda *in Manual. Prælat. Regul. tom.* 2. *q.* 26. *a.* 2. *concl.* 3. ubi ex eo infert differentiam Juris Canonici à Jure Civili, quòd hujus finis solùm sit dirigere in bonum publicum, & honestum non curando de salute animæ per *c.* 1. *dist.* 4.

§. IX.

Effectus Juris Canonici primus, formalis, & intrinsecus est obligatio ad sui observantiam. Ubi

13 *Quær.* I. An Jus Canonicum in foro tam interno, quàm externo, & sub reatu peccati observari debeat? Affirmo, nisi aut in falsa præsumptione fundetur, aut meram pœnam contineat *c.* 6. *dist.* 50. *c.* 5. *causâ* 25. *q.* 1. Panorm. *in d. c.* 1. *de Constit. num.* 9. ubi rationem addit: quia ex quo lex justa est, authoritate DEI est edita, & ipse DEUS videtur edidisse per suos Ministros. *c.* 1. *dist.* 8. ac ideò impossibile est, ut transgressio Canonis seu legis Ecclesiasticæ careat culpâ, cùm simul etiam sit transgressio Legis Divinæ; quod ipsum expressit Apostol. *ad Rom.* 13. *qui potestati,* (intellige humanæ præsertim Ecclesiasticæ) *resistit, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Adde, quæ *infra ad Tit. de Constit. sub num.* 23. dicentur.

14 *Quær.* II. An Jus Canonicum servandum sit in quibuscúnque circumstantiis & specialiter, quando urget periculum vitæ? Affirmant Joan. Andr. Hostiensis, Panormit. & alii ex Canonistis apud Azor. *p.* 1. *l.* 1. *c.* 11. *q.* 1. Moventur *Primò:* quia potiùs moriendum est, quàm peccatum committendum *arg. c.* 8. *&* 10. *causa* 32. *q.* 4. violare autem Jus Canonicum est peccatum, ut dictum. *Secundò:* quia communicatio cum excommunicato tantum prohibetur Jure Canonico: & tamen ad vitandum mortis periculum non licet communicare cum excommunicato, *c.* 5. *de his, quæ vi metúsve causâ.*

Sed verius est, Jus Canonicum *per se loquendo* non obligare, quando ex observatione ejus imminet mannifestum, vel probabile periculum mortis, aut alterius gravis incommodi, puta morbi, infamiæ, aut jacturæ magnæ bonorum. S. Thom. *quodlib.* 11. *a.* 9. Ratio est: quia cùm Jus Canonicum ceu lex debeat esse de re possibili non solùm physicè, sed etiam moraliter, id est, dere, quæ non sit valdè difficilis etiam spectata consuetudine patriæ. *c.* 2. *dist.* 4. non video, quî communiter sub ejus dispositionem, & obligationem cadere possit periculum mortis, aut alterius gravis incommodi? Deinde probatur inductione factâ à præcepto de jejunio, quod non obligat cum periculo mortis aut gravis ægritudinis *c.* 2. *de Observ. jejun.* à præcepto de audiendo Sacro, quod non ligat, si immineat damnum rerum temporalium, vel si quis non habeat vestes statui suo convenientes, ut docent Moralistæ: à præcepto de non communicando cum excommunicato: si quis enim sit in extrema necessitate, licitè potest ab excommunicatis cibum quærere, eúmque illis extremè indigentibus vicissim suppeditare. *c.* 31. *de Sentent. excomm.* Plura adducit Azor. *d. q.* 1.

Dixi tamen: *per se loquendo:* quòd si enim periclitetur causa fidei aut Religionis, vel grave scandalum pusillorum timeatur, per accidens Jus Canonicum obligat etiam sub discrimine vitæ. Unde oportet mori potiùs, quàm die veneris carnes comedere, si ex comestione earum vel scandalum inter Catholicos oriretur, vel inter Hæreticos contemptus Ecclesiæ & authoritatis Pontificiæ: tum quia bonum commune & Religionis præferendum est privato atque etiam propriæ vitæ: tum quia in ejusmodi casibus transgredi constitutionem Ecclesiæ esset vel deficere in con-

fessione fidei tempore debito, vel cooperari ad aliquid intrinsecè malum.

Non obstant fundamenta oppositæ sententiæ. Non *primum*: concedo enim, quòd non liceat peccare ad evitandam mortem, aliúdve grave damnum; nego autem in tali casu & imminente periculo Jus Canonicum obligare, ac proinde peccatum esse, tunc contra illud facere: nam necessitas facit licitum, quòd aliàs non est licitum in lege *c. 4. de R. I.* Non *secundum*: quia *dict. c. 5. de his, quæ vi metúsve causa.* intelligendum est de eo, qui ex metu cum excommunicato communicat vel in crimine ipso, propter quod excommunicatus est: vel in contemptum Clavium seu disciplinæ Ecclesiasticæ: vel cum gravi scandalo aliorum præsertim pusillorum. Barb. *in collect. super cit. c. 5. n. 4.*

Alter effectus Juris Canonici est obligatio ad scientiam, arg. *l. 9. C. de LL. & l. 12. C. de Juris & facti ignor.* Ratio est, quia quod publicè propositum est, ignorare non licet. *c. 1. de Postulat.* Et hinc alleganti ignorantiam onus probandi incumbit. *c. f. §. alioquin. qui matrim. accusare.*

§. X.

Affine Juri Canonico est Jus Civile, ita 15
quidem, ut quod in uno desideratur, ex altero rectè petatur per text. in *cap. 1. de N. O. N.* ubi Lucius III. sic loquitur: *Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Ex quo nata est hæc apud Canonistas Regula, quòd ubi Jus Canonicum in re aliqua profana deficit, ibi recurrendum sit ad Jus Civile, & econtra, supplendi, vel interpretandi alterius causâ. Quæ tamen Regula ita limitanda, ut suscipiatur, ubi Jus Civile favorabile est: at si damnosum esset personis vel rebus Ecclesiasticis, etiam in dubio tanquam Ecclesiæ libertati adversans SS. Canones non probant. *per c. 10. de Constit. c. 1. de Consuetud. c. 1. de Jurejurando in 6.*

Atque his de Jure Canonico præliminariter recensitis & perspectis annuente DEO, ad explicationem Decretalium descendo.

LIBER I.
DECRETALIUM.
Gregorii IX. Pontificis M.
TITULUS I.
De Summa Trinitate & Fide Catholica.

SUMMARIA.

1. *Fides Catholica quid?* 2. *Est donum DEI.*
3. *An infideles cogi possint ad suscipiendam fidem Catholicam?*
4. *Credenda est SS. Trinitas, & quidquid à DEO revelatur per scripturam, traditiones, aut definitiones Ecclesiæ.*
5. *Requisita fidei Catholicæ.* 6. *Ejusdem finis.*
7. *Professio externa fidei quando sit necessaria de Jure Divino?*
8. *Aut de Jure humano?*
9. *An provisus de Beneficio curato, vel Canonicatu fructus lucretur, si per ignorantiam omittat professionem fidei?*
10. *An scienter omittens teneatur restituere fructus ante omnem sententiam?*
11. *Qualiter superiores Regularium, & promovendi ad Doctorales gradus fidem profiteri teneantur?*
12. *Contraria fidei Catholicæ.*

CUm fons & norma Juris Canonici sit Fides Catholica, & quæ ejus primarium objectum est, summa TRINITAS, rectè hæc rubrica præmittitur.

§. I

1 *Definitur* autem Fides Catholica, quòd sit *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. ad Hebræos.* 11.

§. II.

2 *Causa efficiens* Fidei Catholicæ est ipse DEUS: Fidem enim donum Divinum esse attestatur Apostol. *ad Ephes.* 2. dicens: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est.* S. Th. 2. 2. *q.* 6. *a.* 1. & 2. ubi refellit contraria.

§. III.

Subjectum Fidei Catholicæ est Catholicus Viator: non enim est in Paganis, Judæis vel Hæreticis. Trident. *sess.* 6. *de Justificat. c.* 15. neque manet in Beatis aut damnatis. Certa & communis cum S. Th. 2. 2. *quæst.* 6. *a.* 1. & 2.

3 Illud hìc quæri potest, an infideles non baptizati sint compellendi ad fidem Catholicam suscipiendam? Existimaveris cum Scoto, Gabriele, & aliis compellendos esse. Siquidem Lucæ 14. ℣. 23. præcipitur: *exi in vias & sepes & compelle intrare.* Deinde in *L. f. §.* 3. *C. de Paganis* jubentur confiscari bona Paganorum nolentium baptizari. & in *l.* 12. *C. de Judæis.* coguntur Cœlicolæ eisdem pœnis ac Hæretici fidem recipere. Ad hæc, infideles post factam sufficientem Evangelii propositionem ex lege naturali & Divina credere tenentur; Ergo Principes tam Ecclesiastici, quàm sæculares, qui custodes sunt & ultores Legis Divinæ, possunt, imò debent infideles cogere ad fidem suscipiendam. Sed opinioni huic apertè obloquuntur textus in *cap.* 5. *dist.* 45. *in c.* 33. *causâ* 23. *q.* 1. *in c.* 9. *de Judæis.* & D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 8. ex ea ratione, quia credere est voluntatis: & ad fidem solâ Dei gratiâ vocamur. Neque urgent argumenta

menta in contrarium adducta: nam *Lucæ* 14. Christus Ecclesiæ solùm facultatem dedit, ut infideles nondum baptizatos compellat intrare in Ecclesiam, non vi armatâ aut violentâ compulsione, sed vehementiâ argumentorum, miraculorum, aliorúmque motivorum, quæ mentem flectant. Quòdsi allegata verba Lucæ etiam de vi armata sint intelligenda, dico, Christum tantùmloqui de violenta compulsione infidelium baptizatorum, scilicet hæreticorum & schismaticorum, qui ratione baptismi pertinent ad jurisdictionem Ecclesiæ, & compelli possunt, ut redeant ad unitatem Corporis Christi, *c.* 4. *de Apostat. cap.* 13. *de Hæreticis in* 6. Ad *citt. Leges* & rationem propositam respondeo, infideles ad suscipiendam fidem sub pœnis cogi nec potuisse, nec posse à Principibus: quia his in infideles vel nulla est potestas, vel certè tantùm temporalis, & ad finem naturalem ordinata: susceptio autem fidei non est merè juris naturalis, sed supernaturalis, & ad finem supernaturalem pertinet, Gonzal. *in d. c.* 9. *de Judæis num.* 8.

§. IV.

4 *Materia* seu *objectum* Fidei Catholicæ est quidquid divinitùs Viatoribus obscurè revelatum est: immediatè, vel mediatè: Scripturâ, Traditione. Trident. *sess.* 4. *in decreto de Canon. script.* vel etiam testificatione, declaratione, seu definitione Ecclesiæ: quia enim Ecclesia *DEI vivi columna est, & firmamentum veritatis.* 1. *ad Timoth.* 3. & juxta Christi promissionem *Matth.* 16. *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* consequens est, quæcunque Ecclesia per SS. Pontifices & Concilia generalia tanquam ad fidem vel mores spectantia Christiano populo decernit ac proponit, firma, infallibilia, ac Divinâ fide credenda esse prout decisum est in *c.* 1. & 7. *dist.* 19. *c.* 9. *c.* 14. & *passim causâ* 24. *q.* 1. *c.* 3. *de Baptismo.* Primum autem locum inter omnia fidei mysteria sibi vendicat Omnipotens & ineffabilis DEUS, unus in essentia, & Trinus in Personis: PATER, FILIUS, & SPIRITUS S. *c.* 1. *h. t.* Unde S. Augustin. *lib.* 4. *de Civit. DEI. c.* 20. docet, *primum & maximum fidei officium esse, ut credatur in verum DEUM.*

§. V.

Forma Fidei Catholicæ stat in requisitis. 5
Requiritur autem I. ut sit una: nec enim potest alia esse apud Græcos, alia apud Armenos, alia apud Latinos *c.* 18. *causâ* 24. *q.* 1. II. ut sit firma & constans seclusâ omni hæsitatione, dubitatione, vel formidine de opposito *c.* 1. *ibi: firmiter h. t.* III. ut sit certa & infallibilis, ob certum & infallibile DEI de re 8
aliqua testimonium, seu dictum; quô differt à fide humana. IV. ut sit obscura, nim. ob obscuritatem rei revelatæ & creditæ, quæ non proponitur, ut in se est, sed solùm creditur firmiter sic esse, sicut revelatur & proponitur, juxta notissimum illud D. Augustin. *tr.* 40. *in Joan. Quid est fides, nisi credere, quod non vides.*

§. VI.

Finis Fidei Catholicæ est æviterna felicitas: etenim fides est fundamentum ac basis totius spei, ac salutis nostræ: nam *credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia requirentibus se remunerator est. Ad Hebræos* 11. 6

§. VII. 9

Effectus Fidei Catholicæ exponunt Theologi cum S. Th. 2. 2. *q.* 7. Quibus accenseri potest, & ad nostrum institutum pertinet professio externa fidei, quæ aliquando Jure Divino, aliquando verò tantùm de Jure humano est necessaria. 7

Jure Divino tenetur quilibet fidelis periculo quovis non obstante exteriùs fidem profiteri, quoties ita exigit honor DEI & Religionis, aut proximi salus. *Lucæ* 9. ℣. 26. *Matth.* 10. ℣. 32.

℣. 32. *Ad Rom.* 10. ℣. 10. S. Th. 2. 2. *q.* 3. *a.* 2. Hinc, si interrogatus de fide taceas, & inde alii credant te fidem non habere, vel certè propter tuum silentium in fide nutent, aut infideles fidem contemnant, peccas mortaliter contra fidei præceptum. Planè exterius negare fidem sive expressè, sive interpretativè, nimirum verbo, signo vel facto aliam falsam sectam simulando, etiamsi quis fidem veram illibatam in corde retineat, est intrinsecè malum & nunquam penitus licitum, juxta Christi comminationem. *Matth.* 10. ℣. 33. *qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Laym. *in Theol. moral. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 9.

8 *Ex jure humano* videlicet Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 12. *tenentur provisi, de Beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario seu Officiali orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in R. Ecclesia obedientia se permansuros spondere, ac jurare. Provisi autem de Canonicatibus & Dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus non solùm coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in Capitulo idem facere tenentur: alioquin* (ut idem Concilium decernit) *prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Circa quam Ordinationem.

9 *Dubitatur* I. anne fructus lucrifaciat Canonicus vel Parochus, qui per ignorantiam aut oblivionem ultra duos menses prædictam fidei professionem intermisit? Videtur, quòd non. Nam in foro externo hujusmodi ignorantia vel oblivio, cùm sit ignorantia Canonis seu legis, non relevat per *c.* 13. *de R. I. in* 6. In foro conscientiæ autem justa esse non potest: cùm quisque id nôsse debeat, quod ad usum, statum & vitæ conditionem communi jure spectat arg. *ſ. 7. ff. de Leg. Aquil.* Sed firmiore fundamento nititur sententia negativa: etenim juxta recitatum textum Tridentini ℣. *alioquin* illi solùm fructus suos non faciunt, qui scienter omittunt professionem fidei, cùm ad eam tenerentur; ignorans autem non tenetur ad observantiam præcepti. Neque officit argumentum contrarium: nam ultrò concedo, excusationem Juris adeò clari in foro externo non fore admittendam, nisi legitimè probetur; Secus in foro interno, de quo hic sermo. Et quamvis etiam in hoc foro quilibet nôsse deberet omnia, quæ ad suum statum & vitæ conditionem pertinent, posito tamen, quòd aliquis planè invincibiliter ignoret, manifestum est, quòd sicut talis à delicto, ita quoque à debito, aut pœna excusetur. Layman. *l. c. num.* 7.

Dubitatur II. an qui omisit professionem 10
fidei intrà duos menses, teneatur ad fructuum restitutionem etiam ante sententiam? Negat Sanchez *in Præcept. Decal. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 10. quia Lex pœnalis (qualis est prædicta Trident. constitutio) non obligat ante sententiam, etiamsi pœnam ipso jure irroget per *c.* 19. *de Hæretic. in* 6. Deinde, quòd ipsum Trid. ubi vult obligare ad restitutionem ante sententiam, illud clarè exprimat adjectâ clausulâ: *aliâ etiam declaratione non secutâ*, ut videre est *in sess.* 23. *de Reform c.* 1. ℣. *Si quis autem.* Sed probabilius est, omittentem professionem fidei etiam ante sententiam Judicis teneri ad restitutionem fructuum post duos menses perceptorum, tanquam rei alienæ, & quam nunquam suam fecit: Trident. enim hos fructus non aliter vult suos fieri jure perceptionis, quàm sub conditione emissæ priùs professionis fidei, ut statim patebit probè expendenti textum allegatum. Recipio tamen sententiam Sanchezii quo ad fructus ante duos menses perceptos, & quos Parochus v.g. jam fecit suos: quia istis Trident. non privat: & gravius est aliquem obligare ad restitutionem

rei suæ, sive quæ jam semel propria fuit, quàm rei simpliciter alienæ, ad cujus restitutionem ipsa natura obligat. Vid. Garc. *de Benef. p. 3. q. 3. n. 35.* Ad argumenta allata, & quidem ad *primum* respondeo, constitutionem Trident. non esse pœnalem, sed conventionalem: exigit enim à provisis de supradictis Beneficiis intra duos menses professionem fidei, ceu conditionem, sub qua fructus suos faciant, quem admodum contrahentes nonnunquam conditiones apponunt, sub quibus & non aliter velint transire dominium rei in alterum. Ad *secundum* dico, clausulam: *aliâ etiam declaratione non secutâ*, in nostro casu ex ipsa rei natura subintelligi; taciti autem & expressi idem est judicium per *l. 3. ff. de Reb. cred. & l. 4. ff. de Pactis.*

11 Porrò Decreto Trident. de quo hactenus, Pius IV. in Bulla: *Injunctum nobis*, addidit, ut eadem professio fidei fieri debeat ab omnibus Superioribus Regularium; quæ tamen Bulla in quibusdam Religionibus vel nunquam recepta, vel usu contrario abolita est, ut notat Diana *p. 3. tr. 78.* Insuper Pius V. in Bulla *In sacrosancta* decernit, ut ad hanc fidei professionem teneantur omnes Doctores, Magistri, Regentes, & alii cujuscunque artis aut facultatis Professores tam Clerici, quàm Laici. Ubi etiam continetur excommunicatio latæ sententiæ, & privatio omnium Beneficiorum in eos, qui aliquem ad ejusmodi gradum vel cathedram sine prævia fidei professione promovent. Laym. *d. c. 9. num. 7.*

§. VIII.

12 *Contraria* Fidei Catholicæ est infidelitas, nempe judaismus, paganismus, & hæresis. Trid. *sess. 6. de Justif. cap. 15.* ubi asserit, *fidem infidelitate amitti.* Haud igitur accesserim Durando, qui contendit fidem permanere in Hæreticis, & in iis, qui alicui fidei articulo scienter dissentiunt.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

SUMMARIA.

1. *Constitutionis etymologia.* 2. *Synonymia.*
3. *Homonymia.* 4. *Definitio.* 5. *Et Divisio.*
6. *Leges Ecclesiasticas generales ferre possunt S. Pontifex & Concilia Oecumenia.*
7. *Particulares verò Cardinales, & ibi de Authoritate Eorundem Declarationum.*
8. *Item Episcopi, aliiq; Prælati; Concilia particularia & Capitula Ecclesiarum Cathedralium.*
9. *Leges Civiles generales condere possunt Summi Principes & quidem in Imperio Imperator; particulares autem alii Principes inferiores & communitates.*
10. *An Legislator subjiciatur suæ Legi?*
11. *An Clerici legibus sæcularibus?*
12. *An Laici legibus Ecclesiastici?*
13. *An legibus obstringantur usu rationis carentes?*
14. *Quando pueri incipiant obligari legibus maximè pœnalibus?*
15. *An Peregrini obligentur statutis suæ patriæ: aut loci transitûs?*
16. *An Religiosos tum exemptos, tum non exemptos ligent statuta Diœcesana?*
17. *Quæ Leges præcipi, prohiberi, puniri aut permitti possunt?*
18. *An actus interni & occulti cadant sub legem?*
19. *Lex non obligat, nisi publicè promulgata.*
20. *Ubi leges præsertim Pontificiæ promulgandæ, & an statim post promulgationem obligent?*
21. *An Valor Legis dependeat ab acceptatione populi?*
22. *Leges necessariò ordinantur ad bonum commune.*
23. *Lex humana obligat in conscientia, nisi sit fundata in præsumptione facti, aut purè pœnalis.*
24. *Ad incurrendam pœnam Legis regulariter requiritur sententia.*
25. *An & quatenùs transgressorem Legis excuset ignorantia.*
26. *Si Lex actum prohibeat, censetur irritare.*
27. *De interpretatione authentica, usuali, & doctrinali.*
28. *Abrogatio Legis quid sit, à quo, & qualiter fieri debeat?*
29. *Lex posterior contraria regulariter abrogat priorem, etsi de ea mentionem non faciat.*
30. *Derogatio quid?*
31. *Dispensatio quid: & quis in Lege dispensare possit?*
32. *Cum quibus dispensari possit, & an quis secum ipso?*
33. *An S. Pontifex possit dispensare in jure Divino?*
34. *Dispensatio debet fieri cum cognitione causæ.*

Prin-

PRincipia generaliora, è quibus Jus Canonicum coalescit, sunt Constitutiones, Rescripta, & Consuetudines.

§. I.

1 Constitutio à constituendo, id est, simul statuendo dicitur: vel quia Princeps non solus, sed cum suis Consiliariis constitutiones condere solet. arg. *l.* 8. *C. de LL.* vel quia constitutio debet esse communis, ac pro pluribus lata juxta *c.* 2. *dist.* 4.

§. II.

2 Synonyma Constitutionis vulgò esse censentur: Lex, Jus scriptum, Sanctio, statutum, præceptum, edictum, decretum, mandatum, canon, regula, norma &c. Dixi autem, *vulgò* pro synonymis haberi: siquidem inter hæc manifestæ occurrunt differentiæ, quas passim apud Authores legere est.

§. III.

3 Sumitur Constitutio vel strictè & propriè, vel latè. Strictè ac propriè sumpta est jus, quod vel S. Pontifex, vel Imperator, vel Rex, vel alius supremus Princeps constituit per *c.* 4. *dist.* 2. Latè verò accipitur pro omni jure humano scripto, quod à quocunque sive à Principe, sive ab inferiore potestate legislativâ prædito conditum est. Et ita hìc usurpatur: nam sub hac rubrica tractatur non tantùm de statutis Principum, sed etiam inferiorum, ut patet ex *c.* 6. 8. 9. *& aliis h. t.*

§. IV.

4 *Definitur* Constitutio, quòd sit ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata. S. Th. 1. 2. *q.* 90. *a.* 4.

§. V.

5 *Dividitur* Constitutio variè. I. in Ecclesiasticam & Civilem. Ista descendit à potestate Ecclesiastica, & *canon* indigitatur *in Summa dist.* 3. Hæc à potestate sæculari, & jus forense, seu Civile vocatur *in cit. sum. dist.* 3.

II. Dividitur Constitutio in generalem & particularem. Generalis est illa, quæ lata est à Summo Principe, puta Pontifice, Imperatore vel Rege. Particularis verò, quæ ab inferioribus Prælatis vel Principibus non superiorem recognoscentibus statuitur, & communiter *statutum* nuncupatur.

III. Dividitur Constitutio in præceptivam, & pœnalem. Præceptiva est, quâ aliquid absolutè & simpliciter præcipitur, aut prohibetur. Pœnalis, quâ transgressori pœna aut mulctâ injungitur; & si eâ pœnâ capitis imponatur, propriâ phrasi *sanctio* dicitur. *l.* 41. *ff. de Pœnis.* Est autem lex pœnalis alia purè pœnalis, aliamixta. Purè pœnalis est, cùm in ea solius pœnæ fit mentio, & legislator solùm intendit obligare ad pœnam, non etiam ad culpam, ut si ita statuat: quicunque feram cœperit, vel lignum in hac sylva cæciderit, vel arma portaverit, &c. 300. aureis mulctabitur. Quò etiam extra materiam votorum pertinent plurimæ Constitutiones & Regulæ SS. Religionum & Ordinum, ut de Regula Dominicanorum habet S. Th. 2. 2. *q.* 186. *a.* 9. *ad* 1. & de Regula Sanctiss. P. Benedicti probabiliter docet Ant. Perez. *in Prolog. Reg. divis. 5. n.* 122. Constitutio mixta est, quæ habet duo membra, quorum primo aliquid jubetur, vel prohibetur, altero verò transgressoribus pœna imponitur, ut si legislator ita caveat: nemo subditorum arma vendat hostibus Imperii; qui contra fecerit, ejus bona confiscabuntur. Et huc communiter revocantur Leges de solvendis tributis, gabellis & vectigalibus; si modò latæ sint ab habente legitimam potestatem, ex justa causa, & secundùm rectam quantitatem ac proportionem. Covar. & Laym. quos refert & sequitur P. Engl. *ad h. t. n.* 46.

Cæterum quæ constitutiones seu leges purè pœnales sint, quæ mixtæ, ex verbis legis & consuetudine, quæ optima legum interpres est, desumi debet. *Suarez de LL. lib.* 5. *c.* 4 *n.* 8.

IV. Dividitur constitutio in favorabilem & odiosam. Hujus divisionis notitia utilis & necessaria est, ut sciamus, quænam lex amplam, quæ strictam patiatur interpretationem juxta *c. odia 15. de R. J. in 6.* Est autem crebriore Doctorum calculo comprobata sententia, quòd constitutio censeatur favorabilis vel odiosa ex primario & principali fine Legislatoris; favorabilis, si principaliter facta sit in favorem alicujus, licet in damnum, aut odium alterius redundet: odiosa, si principaliter tendat in alicujus odium, & pœnam, quamvis cedat in alterius favorem. Sanchez de *Matrim. l. 1. disp. 1. n. 4.* ubi hanc doctrinam exemplis illustrat. §. VI.

Causa efficiens Constitutionis seu legis est is, qui curam communitatis habet: quia lex ad bonum commune ordinatur; ordinare autem aliquid ad bonum commune ad illum spectat, qui curam & vices communitatis gerit, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 90. a. 3. ad 3. Unde promptum est colligere, quinam constitutiones tum Ecclesiasticas, tum Civiles ferre possint. Nam

6 I. S. Pontifex leges Ecclesiasticas constituere potest pro tota Ecclesia, *c. 6. de Majorit. & obed. extravag. 1, eod. inter comm. c. 13. de Judiciis.* Et hanc potestatem immediatè à Christo accepit per verba illa *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum &c. & Joan. ult. Pasce oves meas. c. 2. dist. 22.* neque in ejus potestatis usu à Conciliis, vel Cardinalium consensu dependet. *c. 17. causâ 9. q. 3.*

Controversum est, an S. Pontifex etiam possit condere constitutiones civiles seu politicas per totam Ecclesiam obligantes? R. extra proprium territorium temporale non posse: quia potestas politica, ordinaria & directa, ac jurisdictio tam legislativa, quàm dominativa est penes Principes sæculares exclusivè ad Papam, ut ipsimet Pontifices liquidè profitentur *in c. 8. dist. 10, c. 6. & 10. dist. 96. d. c. 13. de Judiciis. & c. 13. Qui filii sint legit.* Sic tamen, ut, quando de peccato agitur, totiusque Ecclesiæ bono, possit S. Pontifex legi civili derogare ac Principes coërcere &c. & ita indirectè, extraordinariè & veluti casualiter temporalem potestatem, tanquam medium spirituale necessarium in totam Ecclesiam exercere. *c. 34. de Elect. d. c. 13. de Judic. c. 5. & fin. de Præscript. c. 6. de Votis. d. extravag. 1. de Major. & obed. inter Com.* & constat experpetua Ecclesiæ praxi.

II. Concilia Generalia & Oecumenica authoritate Pontificiâ congregata possunt quidem similiter ferre constitutiones Ecclesiasticas universales, non tamen ligantes universam Ecclesiam, quoadusque Pontifex assensum præbeat, easque confirmet. *dist. 17. per tot. c. 4. de Elect.* neque ullibi reperitur illis tam ampla potestas concessa, sed potius omnia Concilia Generalia à Pontifice suorum Decretorum confirmationem petere consueviſſe.

III. Cardinales sancire possunt leges, quæ 7
obligent Ecclesias suorum Titulorum. *c. 11. de Major. & obed.* Panorm. *in c. 24. de Elect.* non autem universales, quæ obligent totam Ecclesiam arg. *clem. 2. de Elect.* Idque procedere etiam Sede Papali vacante, convincitur ex *c. 3. eod. in 6.* ubi præcipitur, ut Cardinales mortuo S. Pontifice post 10. dies exactos quàm primùm omni conatu & solicitudine Ecclesiæ pastorem eligant, & se nequaquam de alio negotio intromittant, nisi urgens necessitas incidat, ob quam Ecclesiam ab imminenti periculo defendi necesse sit.

De Declarationibus Cardinalium Congregationis Concilii Tridentini disceptatur, an legis universalis authoritatem obtineant? Eas tantùm doctrinales esse, aut ad summum facere jus privatum & particulare inter partes consulentes contendunt plures Theologi, eò quòd non soleant promulgari, cùm tamen promulgatio sit de essentia legis. Nihilominus

nus magis est, ut censeam, prædictas Declarationes etiam ante promulgationem solennem habere vim decisivam, seu legis universalis: etenim quæ potestas olim permissa fuit Jurisconsultis, ut possent de jure respondere, eorumque responsa authoritatem legis haberent à quibus nulli Judicum recedere liceret. §. 8. *J. de J. N. G. & C.* eadem Congregationi Cardinalium videtur concessa à Sixto V. in Bulla: *Im mensa æterni Dei. §. Deo autem Patri.* & à Gregorio XIV. per litteras in forma Brevis; prout luculenter probat Faghan. *in c. quoniam. n.* 81. *& seqq. h. t.* Neque obstat fundamentum Adversariorum: quia solennitas promulgationis exigitur quidem in novæ legis editione, non verò in declaratione legis antiquæ: cùm enim legis declaratio non faciat novum jus, sed tantùm manifestet; & derogat, quod prius erat, sufficit promulgatio legis declaratæ, cui declaratio intimè inest per text. & Bart. *in L. hæredes. §. 1. ff. Qui testam. fac. poss.* & consequenter vis Declarationum S. Congregationis ex eo non impedietur, quòd promulgatæ non fuerint.

Rectè tamen advertit P. Engl in *Proœm. Decretal. n.* 16. tria esse necessaria, ut Declarationes Cardinalium fidem & vim legis mereantur, videl. I. ut fiant consulto S. Pontifice, & hoc ipsum in iis exprimatur: ita constituit Sixtus V. in d. Bulla: *In mensa æterni Dei.* adjectâ clausulâ: *Nobis tamen consultis.* II. ut Cardinales Concilii decretum solùm interpretentur, nec id amplient, seu restringant, vel in eo dispensent, nisi ex speciali Pontificis mandato; quòd ipsi declarationi inserendum est: ita præscripserunt Pius V. & Gregorius XIII. III. ut tales Declarationes exhibeantur in forma authentica cum sigillo solito Congregationis & suscriptione Eminentiss. Cardinalis Præfecti & Secretarii, quod necessarium tot subornatis Declarationibus à veris distinguendis: ita cavit Urbanus VIII. referente Barb. *J. E. V. Lib. 1. c. 4. n. 83.*

IV. Constitutiones Ecclesiasticas, seu statuta condere possunt Legati Sedis Apostol. pro tota provincia suæ Legationis, *c. fin. & ibi* Panorm. de *Offic. Legati.* Patriarchæ, Primates, Archi-Episcopi & Episcopi, sed quilibet pro sua particulari Diœcesi. *c. 2. de Majorit. & obed. c. 2. h. t. in* 6. junctis *c. 9. de Offic. Ordinarii. & c. 4. §. 6. 7. & 8. causâ* 9. *q.* 3. Item Abbates, aliiq; Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem pro sua quasi Diœcesi arg. *c. 6. §. Abbas verò de Statu Monachor.* Deinde Concilia Nationalia pro Natione, Provincialia pro Provincia, & Diœcesana pro Diœcesi correspondente, ut constat ex *c. 5. dist.* 17. *& totâ dist.* 18. Denique Capitula Ecclesiarum Cathedralium; nempe vacante Sede etiam pro tota Diœcesi per *c.* 11. *c.* 14. *& ibi* Panorm. *n.* 24. *de Majorit. & obed.* Episcopo autem vivente de iis duntaxat, quæ spectant ad ordinem, & bonum regimen ipsius Capituli arg. *c. 6. &* 8 *h. t. c.* 14. *de Cleric. non resid.* Neque hoc casu requiritur consensus Episcopi, nisi talia statuta cederent in ejus vel Ecclesiæ præjudicium, aut fierent circa negotia valde ardua. Text. & Panorm. *in d. c. 6. h. t.* & *c. 9. de Consuet.* 8

Planè illud in editione omnium constitutionum particularium, seu statutorum Ecclesiasticorum observandum est, ne fiant contra Canones & jus comune ex toto vel ex parte arg. *c.* 16. *de Majorit. & obed. & clem.* 2. *de Elect.* Præterea ne ferantur circa causas graviores & Sedi Apostol. reservatas, ut sunt illæ, quæ pertinent v. g. ad fidei declarationem & promulgationem, vel ad statum universalis Ecclesiæ, vel ad Privilegia & consuetudines universales vel ad Episcopatus dividendos, aut uniendos, & similia. Glos. *in c.* 2. *de Major. & obed.* Semper enim tenenda est debita subordinatio ad S. Pontificem: neque in generali concessione intelliguntur venire illa, quæ in specie non essent verisimiliter concedenda *c. f. de Offic.*

Vicar. in 6. & ideo neque in generali conceſſione condendi leges veniunt cauſæ graviores.

9 Porro Leges Civiles generales condere poſſunt in Democratia univerſus populus, in Ariſtocratia optimates, in Monarchia ſummus Princeps; & quidem in Romano noſtro Imperio Imperator per *l. 1. ff. de Conſtit. Princ.* Qui tamen hodie leges totum Imperium obligantes aliter ferre non poteſt, quàm de ſuffragio & conſenſu Statuum. *Receſſ. Imperii de Anno* 1576. *§.* aber doch daß Sie. & *de Anno* 1599. *§.* damit dann hinfüran. Et inde forte eſt, quòd hodiernæ conſtitutiones appellentur *Receſſus* non *Imperatoris*, ſed *Imperii*. Particulares, Locales, ſeu Provinciales leges vi ſuperioritatis territorialis ferre poſſunt Electores, Principes, & alii Imperii ſtatus tam Eccleſiaſtici, quàm Sæculares, easque etiam Juri communi contrarias, ſiquidem vulgata regula eſt, quòd quilibet Princeps in ſuo territorio tantùm poſſit, quantùm Imperator in Imperio; quæ tamen ſolùm procedit in juribus communicatis, non verò in reſervatis. Gail. *de Pace publ. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 10. Eckolt *ad ff. de Legib. §.* 8. An autem etiam Collegiis ſeu Univerſitatibus Magiſtrorum aut Profeſſorum artium vel ſcientiarum liberalium poteſtas ſtatuta intra limites ſuæ facultatis ponendi competat? Negat Suarez *lib.* 4. *de LL. c.* 6. *n.* 13. Affirmat probabiliùs Panorm. *in c.* 7. *n.* 7. *h. t.* eò quòd jurisdictionem aliquam ſibi à publica poteſtate commiſſam habeant arg. *l. ult. C. de Jurisd. omn. jud. auth. habita. C. Ne filius pro patre.*

§. VII.

Subjectum Conſtitutionis ſeu Legis ſunt ſubditi, quibus præſcribitur, & qui habent rationis uſum. Suarez *lib.* 3. *de LL. c.* 31. *n.* 4.

Dicitur I. *Subditi*: illi enim duntaxat legibus ſubjiciuntur, qui jurisdictioni & imperio ſtatuentium ſubduntur *c.* 16. *de Majorit. & Obed.* Ex quo

Sequitur I. Legislatorem non tantùm non 10
teneri vi legum ſuarum coactivâ, ſed ne directivâ quidem per ſe ac directè: quia nemo ſe ipſo inferior, ſibiq; ſubditus eſt: & ut dicitur *in l.* 51. *ff. de Recept. qui arbitrium. neq; imperare ſibi, neq; ſe prohibere quis quam poteſt*: Dixi: *per ſe & directè.* indirectè ſiquidem ex quadam decentia & honeſtate naturali Legislator iis conſtitutionibus ſuis obligatur, quarum obſervatio & uſus æquè ipſum ac ſubditos decet per *c.* 6. ℣. *cum igitur h. t.* Ratio eſt: quia quamvis nemo poſſit ſibi ipſi obedire, & ſubditus eſſe, ratio tamen naturalis præſcribit, ut quas leges quis condit, eas obſervet, ne illas non obſervando ſuſpectas, duras, & odioſas reddat ipſis ſubditis: *tum enim jura ſua Legislator ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reverentiam præbet*, ait Iſidorus relatus *in c.* 2. *diſt.* 9. atque hoc modo accipiendi ſunt textus *in L.* 4. *C. de LL. l.* 23. *ff. de Legat.* 3. & *§. f. J. Quib. mod. teſtam. infirm.* in quibus Princeps ſe legibus ſuis alligatum fatetur.

Sequitur II. Clericos non teneri vi legum 11
ſæcularium coactivâ, neque directiva directè & per ſe, ſed tantùm indirectè. Ratio eſt: quia vis obligandi Clericos ad ſervandas leges ſæculares non provenit ab ipſis Legibus, ſive à jurisdictione & poteſtate coërcitiva ſæculari, à quâ Clerici omnimodè exempti ſunt *c.* 10. *h. t. c.* 30. *de Jurejur. c* 4. *de Cenſib. in* 6. ſed tum à jure naturæ, quatenus æquum eſt, ut Clerici tanquam membra ſeu partes alicujus Reip. ad conſervandam publicam tranquillitatem & pacem ſe conforment Legibus communibus Reip. tum à Jure Canonico in defectu Canonum generaliter recipiente & approbante conſtitutiones ſæculares juxta *c.* 1. *de N O. N.* & *c.* 28. *de Priv.* Atqui hoc eſt indirectè tantùm obligari, & non quo ad vim coactivam, ſed ſolummodo directivam. Ergo. Verùm hæc doctrina, ut locum habeat, moderanda eſt:

nam

nam si constitutiones sæculares repugnent SS. Canonibus, vel de rebus ac personis Ecclesiasticis sive mandando sive prohibendo disponant; aut libertati Ecclesiasticæ, vel Clericorum statui adversentur, nec indirectè quidem Clericos obligare possunt, sed irritæ sunt & nullius momenti *c.7. & 10. h.t.* & ibi prolixè Panorm. aliique Interpp. Confer etiam, quæ supra in *Proœm. n.7.* diximus.

12 Sequitur III. Laicos non teneri constitutionibus Ecclesiasticis in causis & rebus profanis. *c.8. dist.10. c.7. Qui filii sint legit.* nisi Prælatis Ecclesiæ subditi sint etiam quo ad temporalia arg. *c.7. §. f. de Appellat.* In causis autem Ecclesiasticis, & rebus spiritualibus Laicos æquè ac Clericos obligari: in his enim, ut in *c.4. de Majorat. & Obed.* dicitur: *omnes Principes terræ & cæteros homines Episcopis obedire, beatus Petrus præcipiebat.* Excipiuntur infideles Judæi & Pagani, ipsique etiam Cathecumeni: cùm enim sint extra Ecclesiam, eô ipso quòd careant baptismate, quod est fundamentum subjectionis ad Ecclesiasticam jurisdictionem, consequens est, eos constitutionibus Ecclesiasticis obligari non posse juxta illud 1. *ad Corinth. 5. Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Aliud est de hæreticis, qui cùm fidem, & baptismum Christi susceperint, Ecclesiæ membra & subditi facti sunt, ideoque ad obedientiam & observationem Ecclesiasticarum constitutionum non minùs, quàm Catholici tenentur, pœnisque ac censuris compelli possunt, ut colligitur ex *c.5. dist.45.*

Dicitur II. *quibus præscribitur*: nam si constitutio nominatim imponatur Clericis, eà non tenentur Laici: & si lex feratur pro certa parte communitatis v. g. pro sola plebe, reliquam partem, puta Nobiles & Illustres, non obligat.

13 Dicitur III. *& qui habent rationis usum*, quia lex est rationalis regula humanorum actuum; ergo ubi non est capacitas rationis & humanorum actuum, ibi non est subjectum legis. Ideoque infantes & perpetuò amentes Legibus haud obligantur. Unde

Infertur I. Religiosos, aut Moniales non incurrere excommunicationem, qui infantes diversi sexûs nondum ratione utentes in Monasteria admittunt, cùm introducentes non videantur rei majoris culpæ, quàm qui introducuntur. Ego tamen id quidem ex posito principio consequi, & verum esse puto, nisi fortè id ipsum justa de causa specialiter prohibeatur, quemadmodum Trid. *sess.25. de Regular. c.5.* Sanctimonialibus prohibere videtur hisce verbis: *ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscunq; generis, conditionis, sexûs, vel ætatis fuerit.*

Infertur II. non peccare eos, qui infantibus aut perpetuò amentibus in die jejunii carnes ad comedendum porrigunt: quia non cooperantur rei, seu actioni comedentibus prohibitæ seu illicitæ. Nec quis autumet, hinc sequi, etiam non peccare, qui carnes porrigunt ebriis, vel ignorantibus esse diem jejunii, cùm & isti non peccent comedendo: dispar enim est ratio: quia infantes & amentes simpliciter sunt exempti ab obligatione legum; ebrii verò & ignorantes, etsi per accidens excusentur pro illo tempore & statu, per se tamen subditi sunt legibus, & consequenter licet ipsi non peccent carnes in die jejunii comedendo, peccant tamen, qui eos ad comedendum alliciunt, vel impellunt, quia cooperantur actioni alteri prohibitæ. Idem per se loquendo dicendum foret de amentibus ad tempus: cùm tamen amentiæ morbus gravissimus sit, ideo licet eis per accidens carnes dare, tanquam cibos ad morbi curationem magis aptos.

Infertur III. pueros, quàm primùm usum 14
rationis adepti sunt, dolique capaces fiunt (quod fermè accidere consuevit post completum septennium. *l.18. C. de Jure delib.*) subjici

&

& obligari legibus, nisi forte specialiter excipiantur arg. *c.* 12. *de Pœnit. & Remiss.* Ratio est: quia quemadmodum usus rationis eos facit capaces culpæ, ita & facit capaces debiti & obligationis per legem, cùm hæc necessariò supponatur ad culpam. Imò multi sunt, qui velint hanc doctrinam procedere etiam in censuris à jure latis, ita ut post septennium pueri, si doli capaces sint, etiam censuram Ecclesiasticam incurrant v. g. excommunicationem, si percutiant Clericum. *c. fin. de Sentent. excom.* irregularitatem, si aliquem occidant juxta *Clem. un. de Homicid.* Alii tamen cùm Sà apud Laym. *de LL. c.* 10. *n.* 5. probabiliter defendunt, censuram nunquam incurri ante annum ætatis decimum, cùm scilicet impubes pubertati proximus esse incipit, eò quòd etiam in foro Civili pueri non soleant puniri ob delicta, quæ in ætate proxima infantiæ commiserunt, sicut constat ex §. 18. *J. de Oblig. qua ex del.* & *l.* 111. *ff. de R. J.* Addo, etiam pubertati proximus, cùm in Legibus aut Sacris Canonibus pœnæ gravissimæ, puta excommunicationis, prohibitionis sepulturæ, ingressûs in Ecclesiam &c. decernuntur, non censeri comprehensos arg. *c.* 1. *de Delictis puer.* ubi Pontifex ait, quòd peccata in pueris, scilicet impuberibus, non ita, ut in majoribus natu, id est, puberibus punienda videantur; quin potiùs ut *in d. c. fin. de Sentent. excom.* dicitur: *propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor est mansuetudine temperandus.* Superstunt circa propositam supra & hactenus expositam Regulam duæ quæstiones non indignæ, quibus immoremur.

Quær. enim I. an & quibus Legibus obligentur Peregrini?

15 ℟. I. Peregrini non obligantur legibus suæ patriæ, dum extra illam existunt. Ratio est: quia sicut agentia naturalia non agunt extra Sphæram suæ activitatis, ùt loquuntur Philosophi, ita neque Principes sive Ecclesiastici, sive sæculares, qui sunt quasi agentia moralia, possunt extendere suam jurisdictionem ultra proprium teritorium, sed activitas jurisdictionis cujuscunque Principis in ferendis constitutionibus limitatur ad proprium cujusque territorium, ceu Sphæram. Hinc regula illa sumpta ex *l. ult. ff. de Jurisdict.* & allegata *in c.* 2. *h. t. in* 6. quòd extra territorium jus dicenti impunè non pareatur. Vid. *Sanchez lib.* 3 *de Matrim. disp.* 18. *n.* 19. *& seqq.* ubi ex hoc asserto plures notabiles illationes deducit.

Planè illud non est necesse, ut transgressor semper physicè existat intra territorium, sed potest committere in legem territorii etiam extra illud positus, si nempe alibi facit, ut in territorio ponatur actus prohibitus, vel non ponatur actus præceptus: censetur enim tunc delinquere in territorio ipso: quia ibi dicitur quis delinquere, ubi non facit, quod facere deberet, aut è contrario facit, quòd non deberet per *l.* 121. *ff. d. R. J.* Hinc si quis corpore quidem existens extra Diœcesin occidat hominem intra Diœcesin existentem, censetur peccare in Diœcesi, ideoque censuram, si quæ in ea lata est contra homicidas, incurrere. Similiter beneficiatus aliquis, licet extra Diœcesin commoretur, incurrit censuram à proprio Episcopo latam contra residentes, quia omissio residentiæ consummatur in Diœcesi arg. *c.* 11. *de Cleric. non resid.*

℟. II Peregrini obligantur ad servandas leges juris communis in loco, ubi defacto sunt, receptas, etsi illæ in patria non serventur Layman *de LL. c.* 52. *num.* 3. qui hanc sententiam dicit communem. Ratio est: quia jus commune quantum est de se, ubique & omnes obligat. Neque eximit peregrinos ab obligatione ejus contraria consuetudo patriæ, quâ jus commune abrogatum fuit: cùm enim consuetudo hæc odiosa sit, utpotè contra jus commune, non debet ad alia loca extendi, sed restringi præcisè ad locum illum, in quo viget, in-

instar privilegii vel statuti cujusdam Localis per text. *d. c. 2. h. t. in 6.* Dissentit Sanchez *d. disp.* 18. *n.* 7. ad cujus fundamenta solidè respondet P. Engl *h. t. n.* 28. *& 2. seqq.*

℟. III. Peregrini fermè semper etiam obligantur legibus particularibus loci, non tantùm si sedem ibi fixerint, sed etsi transeant tantùm. Zoës. *h. t. n.* 33. Ratio est: quia non satis provisum videretur rectæ gubernationi Reip. si peregrini non tenerentur servare leges locorum, per quæ transeunt: sic enim incolæ facilè turbarentur, & spernendi leges occasionem sumerent. Quare cùm hoc grave sit incommodum, ipsarúmque legum fini repugnans, consequens est, peregrinos debere se conformare statutis locorum transitûs. Et quamvis de cætero ob brevem moram hospitii alienigenæ forum loci, per quem transeunt, non sortiantur, nec simpliciter ac in omnibus subjiciantur jurisdictioni Magistratûs illius loci *l. 19. §. proinde ff. de Judiciis.* quo ad legem tamen & obligationem eidem subduntur, idque vel ob generalem consuetudinem, quæ sine dubio jurisdictionem in peregrinos dare potest, juxta *c. 4. de Arbitris* & inde satis constat, quòd statuta transgredi deprehensi passim puniri soleant; vel ob tacitam prorogationem, quæ censetur fieri & agnosci à peregrinis eò ipso, quòd sciant, non aliter transitum à Magistratu concedi, quàm si se subjecerint legibus loci arg. *l. 1. ff. de Judiciis.*

16 *Quær.* II. utrum constitutiones diœcesales Episcoporum obligent etiam Regulares?

℟. I. Religiosos non exemptos obligari constitutionibus diœcesalibus. Ratio est: quia licèt à lege diœcesana favore Religionis ipso jure omnia Monasteria sint exempta. *cap. 8. causâ 10. q. 3. c. 5. causâ 18. q. 2.* nisi tamen speciali Privilegio sint munita, subsunt Episcopo quo ad legem jurisdictionis *c. 1. & 19. d. causâ 18. q. 2.* cùm ergo præcipere, seu constitutiones ferre utique pertineat ad legem jurisdictionis, rectè concluditur Religiosos non esse solutos à præceptis & constitutionibus diœcesalibus. Unde etiam S. Th. apud Suarez *d. LL. lib. 4. c. 20. n. 6.* asserit, Monachum, quamvis teneatur ad obediendum Abbati plus quàm Episcopo in illis, quæ ad statum Regulæ pertinent; in iis tamen, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, magis teneri Episcopo obtemperare, quàm Abbati, eò quòd in his Episcopus sit superior Abbatis. Cæterùm quid sint & quomodo distinguantur lex diœcesana & lex jurisdictionis, de quibus paulò ante memininus, dicemus alibi, interim vide text. & Gloss. *in c. 18. de offic. Ordinar.*

℟. II. Religiosos exemptos per se, & directè non obligari constitutionibus diœcesalibus. Ratio est: quia eò ipso, quòd à jurisdictione Episcoporum exempti sint, etiam à constitutionibus eorundem exempti erunt, cùm primus actus jurisdictionis sit, constitutiones ferre. Deinde constitutio Episcopi extra diœcesin suam non ligat. *c. 2. h. t. in 6.* atqui loca exempta in ordine ad jurisdictionem Episcopi, à quo exempta sunt, æquiparantur locis extra Diœcesin, ut communiter docent DD. cum Gloss. in *c. 7. de Offic. Ordinar. in 6. & in c. 1. de Privilegiis eod. lib.* Ergò dicendum, constitutionibus Episcoporum exempta Monasteria non obligari, nisi paucis casibus in jure specialiter expressis, qualis est v. g. observatio censurarum, nec non dierum festorum, quos Episcopus in diœcesi sua servandos præcipit, qui juxta Trid. *sess. 25. de Regul. c. 12.* etiam à Regularibus quantumvis exemptis observari debent. De reliquis casibus, quibus Religiosi exempti subjiciuntur Episcopis eorumque statutis, agit Barb. *de Potest. Episc. alleg. 105.*

Dixi: *per se & directè*, scil. ratione jurisdictionis & obedientiæ Religiosos exemptos non teneri constitutionibus Episcopalibus: quam indirectè & jure naturæ ad eas servandas ob-

obligantur, non quidem quo ad vim coactivam seu quo ad pœnam, cùm propter exemptionem cogi aut puniri nequeant, sed quo ad vim directivam seu quo ad culpam, maximè quando spectant ad communem observantiam & devotionem totius populi & cleri, nec adversantur statui Religiosorum. Ratio est: quia Religiosi, quamvis exempti, sunt pars communitatis, ergo propter uniformitatem tenentur se conformare suo toti, cùm turpis sit omnis pars, quæ à toto discordat per *c.* 2. *dist.* 8. Dissentit Suarez *d. c.* 20. *n.* 10. & post alios Diana *p.* 1. *tr.* 10. *resol.* 11. quia putant Religiosos exemptos secluso scandalo non peccare violando constitutiones Episcoporum.

§. VIII.

17 *Materia* seu *objectum* constitutionis sunt actiones humanæ, quæ præcipi, prohiberi, puniri, aut permitti possunt.. Colligitur e *l.* 7. *ff. de LL.*

Præcipi autem possunt omes actiones possibiles, honestæ. *Possibiles:* nemo enim ad impossibile obligari potest. *c.* 6. *de R. I. in* 6. *l.* 185. *ff. eod. Honestæ:* nempe non solùm justitiæ, sed cujuscunque virtutis; imò etiam ex natura sua indifferentes: quia sunt actiones humanæ, quæ possunt utiles esse bono communi, & quatenus per legem diriguntur ad finem honestum, participant quoquè aliquam honestatem. Bonacin. *de LL. disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 5. *n.* 4. Interim, cum lex debeat esse accommodata fragilitati humanæ. *c.* 2. *dist.* 4. ideo actus virtuosi valdè ardui & difficiles absolutè & omnibus præcipi non possunt, ut sunt actus consiliorum Evangelicorum, paupertas, castitas perpetua &c. quæ Ecclesia illis duntaxat imponit, qui per professionem Religionis aut susceptionem SS. Ordinum sponte se ad illorum observantiam obligârunt. P. Engl *h. t. num.* 9.

Prohiberi possunt omnes actiones non tantùm naturâ suâ malæ, aut indifferentes, sed etiam honestæ, in quantum bono publico vel certo fini sunt inconvenientes. Suarez *l.* 3. *de LL. c.* 12. *n.* 19. Sic enim licèt judicia sæcularia exercere res bona sit, prohibentur tamen diebus festivis aut in Ecclesiis fieri *c. f. de Feriis. c.* 1. *&* 5. *de Immunit. Eccles.* Quoniam autem lex humana fertur communitati, in qua major est numerus imperfectorum, ideo fermè non nisi graviora delicta prohiberi solent, à quibus scilicet moraliter possibile sit majorem saltem partem abstinere, præsertim quæ scandalum vel damnum spirituale aut temporale afferre possent; alia verò minora dissimulantur. S. Th. 1. 2. *q.* 96. *a.* 2.

Puniri possunt & debent delicta non tantùm Theologica, sed etiam Juridica, aut Politica, contra quamcunque Reip. justam ordinationem commissa. Ubi obiter adverto, quòd conatus opere non secuto ex communi sententia non ordinariâ, sed arbitrariâ & mitiori pœnâ puniendus sit per *l.* 1. *ff. de Extraord. crim. l.* 6. *&* 19. *pr. ff. ad Leg. Corn. de falsi.* Excipiuntur gravissima quædam crimina, quæ etiam effectu non secuto pœnâ ordinariâ coërcentur. Sic enim Lex Cornelia de Sicariis eos etiam ultricæ ferro persequitur, qui hominis occidendi causâ cum telo ambulant. *§.* 5. *J. de Public. Judiciis.* Similiter eum, qui venenum malum paravit, non minùs castigat, quàm qui propinavit *l.* 1. *§.* 1. *l.* 3. *pr. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Lege Pompeja tenetur qui venenum emit, ut Patri daret, quamvis dare non potuerit. *l.* 1. *in f. ff. ad Leg. Pomp. de parricid.* Qui hominem innocentem perdere destinavit, pœnâ talionis plectitur, licèt detecto consilio calumniam perficere non potuerit. *l.* 7. *& ult. C. de Calumn.* In crimine læsæ majestatis voluntas eâdem severitate, quâ effectus ipse in pœna est *l.* 5. *pr. C. ad Leg. Jul. Majest.* Plura exempla vide *totâ dist.* 1. *de Penit.* Ratio est: quia conatus in vitio est, esse-

effectus in casu, & hoc tantò verius est, ubi conatus in actum proximum micuit.

Permitti possunt non tantum honesta & licita, sed quandoque etiam illicita & inhonesta, ut per ea tanquam minus mala permissa evitetur majus malum, non quidem approbando minus malum, sed dissimulando ejus pœnam *c. 1. dist.* 13. Hæc satis explorata sunt.

18 Celebris & à multis agitata controversia est, an & quomodo actus interni, & occulti sub legem humanam cadant? Pro cujus resolutione.

Dico I. Actus merè interni & per se occulti, qui scil. in solo animo, & cogitatione mentis consistunt, non cadunt sub legem humanam, & per se ac directè præcipi, puniri, aut prohiberi non possunt. Ita communis contra Gloss. *in clem. 1. §. verum. & eo ipso. de Hæret.* Ratio est: quia humana potestas de iis tantùm potest leges facere, de quibus potest judicare. S. Th. 1. 2. *q.* 91. *a.* 4. atqui de actibus merè internis & suapte naturâ latentibus potestas humana judicare nequit per textus 1. *Reg. c.* 16. ibi: *homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* & 1. *Corinth. c.* 4. ibi: *nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus; qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.* Quibus consonat tritissima Regula *l.* 18. *ff. de Pœnis.* quòd pœnam cogitationis nemo patiatur. Ergo. Taceo, quòd actus merè interni bono communi, ad quod lex seu constitutio unicè collimat, vix nocere possint, aut prodesse, ut patebit consideranti.

Dico II. Si actus internus colligetur cum externo, vel ad ipsius valorem & moralem substantiam requiratur, tunc lege humanâ saltem indirectè præcipi, prohiberi, aut puniri potest. Et ita præcipitur attentio in oratione vocali, intentio in administratione, vel receptione Sacramenti, consensus aut voluntas in contractu, &c. Textus & DD. *in c. 9. de Celebr. Miss.* Ratio est: quia hujusmodi actus etiam interni pertinent vel ad humanam & politicam gubernationem, vel ad Religiosum cultum DEO debitum; quis enim inficiabitur obesse Reip. contractus fictos & fraudulentos? aut ad cultum Religiosum DEO debitum pertinere, veras orationes fundere & non fictas? Sacramentorum confectionem veram esse & non irrisoriam? Ergo hoc ipso, quòd ob rectam gubernationem præcipi possint similes actus externi, simul præcipi potest indirectè & inconsequentiam actus internus, qui cum his actibus externis connectitur, & sine quo hi nequeunt subsistere: Atque hoc modo intelligi & explicari debet *clem. 1. §. verum de Hæret.* ubi excommunicantur illi, qui ex odio, favore, vel avaritia inquisitionem contra Hæreticos omittunt. Item *clem. 1. de Statu Monach.* ubi excommunicantur Monachi ad Curias Principum sæcularium accedentes animo accusandi Prælatum.

Dico III. actus externus, quamvis occultus, & clam aliis factus directè sub legem humanam cadit, & præcipi, prohiberi, imò etiam puniri potest, ejusmodi saltem pœnis, quæ executionem aliquam externam, aut ulteriorem sententiam non requirunt, quales sunt censuræ Ecclesiasticæ; ideóque qui clam hæresin profitetur exteriùs, aut in locis, ubi Bulla Cœnæ recepta est, legit libros Hæreticos, excommunicationem incurret. P. Engl *h. t. sub n.* 14. Ratio est: quia actus externus per se est sensibilis ac cognoscibilis ab homine. Et licèt fortè per accidens sit occultus, ita ut in foro externo probari, & per particularem sententiam in forma judicii latam puniri nequeat arg. *c.* 20. *§. Spontaneæ. causâ* 2. *q.* 5. eatenùs tamen cognitioni & judicio humano subjacet, ut judicari & puniri possit per sententiam generalem latam in forma legis, ac consequenter præcipi aut prohiberi, ut constat ex Trident. *sess.* 24. *de Reform. matr. c.* 1. ubi

habetur, matrimonium clandestinum (quod est actus externus per accidens occultus) semper ab Ecclesia prohibitum fuisse, etsi non semper invalidum.

§. IX.

Forma Constitutionis desumitur à requisitis, quæ potissimum duo sunt.

19 *Primum* est publica & solennis promulgatio sive scripto, sive per præconem, sive alio idoneo modo facta: sine hac enim lex seu constitutio vim obligandi non consequitur. *c. 3. §. leges dist. 4. l. 9. C. de LL. & novel. 66. c. 1.* Ratio est: quia constitutio est commune quoddam præceptum & communis Regula vivendi toti communitati præscripta. Ergo debet omnibus patefieri, & non singulis, sed toti communitati intimari & publicari, quod fit per publicam propositionem seu promulgationem. Ex quo

Deduces I. ad Legis obligationem non requiri, ut singulis intimetur & denuntietur, sed sufficere, si publicè promulgetur, ita ut ad aures singulorum successu temporis pervenire possit. *c. 1. de Postulat. Prælat.* Bonac. *d. q. 1. puncto 4. n. 6.*

Deduces II. non esse de necessitate promulgationis, ut fiat scripto, prout supponitur in *c. 7. causâ 25. q. 2.* & est communis apud Suarez *l. de LL. c. 11. n. 9.* Unde quòd *in c. 3. dist. 1.* Lex dicitur constitutio scripta est denominatio à forma extrinseca, vel ab accidente communi, seu ab eo, quod frequentius fit.

Deduces III. neque privatum, neque communitatem obligari lege humanâ, nisi fuerit publicè promulgata, licet & ad hujus & illius notitiam privatim pervenerit. Menoch. *lib. 2. de arbitr. Jud. casu 185. n. 22.* ubi etiam exinde infert, eum, qui Consilio Principis, vel cœtui Senatorio interfuit, in quo lex de pretio mercium, aut valore monetæ minuendo est condita, posse ante promulgationem publicam citra injustitiam merces, aut monetam juxta valorem, & pretium currens distrahere; cujus ratio est: quia ex una parte lege non obligatur nondum promulgata: ex altera, quia privata illa scientia communem valorem & pretium non minuit. Dissentit Medina *de Restit. q. 35.*

Difficultas est: quibus in locis leges humanæ, præsertim Pontificiæ promulgari debeant; & à quo tempore post promulgationem actu obligent? R. &

Dico I. Lex Imperialis, ut habeat vim obligandi, promulgari debet in singulis provinciis Imperio subjectis, neque obligat ante lapsum duorum mensium à facta publicatione: *Novell. 66. c. 1.* quæ licet loquatur de Legibus testamentariis, communiter tamen à DD. ad omnes leges extenditur, ut notat Suarez *lib. 3. de LL. c. 16. n. 10.* Cujus extensionis ratio non est solùm paritas rationis, ut putat Vasquez *1. 2. disp. 156. c. 2. n. 9.* Sed præcipuè verba ipsius rubricæ, aut tituli, qui præponitur illi Novellæ: sunt enim generalia pro omnibus legibus & sic habent: *Ut facta novæ constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant.* & ideò ostendunt, quod etiam verba textûs sint extendenda ad omnes leges, etsi videantur strictiùs loqui, & solùm exprimant ea, quæ pertinent ad testamenta: nam receptum apud Juristas dogma est, quòd quando rubrica perfectum sensum reddit, habeat authoritatem textûs in his, in quibus nigro seu textui non repugnat.

Dico II. etiam constitutiones Pontificiæ, maximè irritatoriæ & revocatoriæ, si pro pluribus Provinciis & Episcopatibus latæ sint, ut obligent, probabilius indigent promulgatione in singulis Provinciis, & spatio duorum mensium, nisi aliter in ipsis determinetur. *Prima pars* deducitur ex *c. 13. de Pœnitent. & Remiss.* ubi expressum est, constitutionem, quâ inibi Meddicis sub pœna remotionis ab ingressu Ecclesiæ præcipitur, ut ad infirmos vocati

ante

ante omnia eos inducant ad confessionem &c. non priùs obligare, quàm fuerit à Prælatis locorum promulgata. Et licet hæc constitutio specialis sit, ex rationis tamen identitate ad alias extendenda erit arg. *l.* 12. *&* 13. *ff. de LL.* sicut ob eandem causam *d. Novel.* 66. ad omnes leges Imperatorias ab Adversariis communiter extenditur. *Secunda pars* colligitur ex Bulla Pii IV. de Anno 1564. quæ incipit: *Sicut ad sacrorum.* & ad calcem Tridentini impressa est; ubi propositâ quæstione, ex quo tempore cæperint obligare decreta Tridentini ad reformationem & jus positivum spectantia? respondet: quia *jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis & justum visum est, prædicta decreta à Calendis Maii proximè prateriti omnes obligare cæpisse.* Quibus verbis S. Pontifex expressè jus commune, id est, Civile approbat, recipit, & tempus pro obligatione legum sancitum justum & æquum esse, etiam in constitutionibus Ecclesiasticis agnoscit. Et certè si æquum & justum est, ut constitutiones Imperiales non obligent Provincias, nisi post bimestre à promulgatione facta in Provinciis, quia, cùm vastum sit imperium, à primâ die promulgationis in Curia Imperatoris factæ notitia legis in subditos divulgari non posset; æquissimum id erit in constitutionibus Ecclesiasticis, cùm Ecclesia latiùs longè, quàm Imperium pateat: neque credibile est, statim Germanis, Gallis, Indis, aliisque transalpinis posse innotescere legem, quæ in campo Floræ & ad valvas Vaticani Romæ pependerit. Vid. Molin. *de J. & J. disp.* 395. qui etiam removet contraria.

Planè in statutis Episcoporum, aliorumque inferiorum Prælatorum non requiritur talis promulgatio, nec lapsus duorum mensium, sed nisi tempus adjiciatur, juxta naturam Legis statim obligant à promulgatione facta v. g. in Ecclesia Matrice: cùm dispositio *d. Novell.* 66. neque in constitutionibus inferiorum Principum locum habeat, utpotè quorum jurisdictio angustior est, prout notat Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 3. *q.* 2.

Alterum requisitum est acceptatio populi: 2 Pt. *Leges enim*, ut habetur *in c.* 3. *dist.* 4. *instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium comprobantur.* Num verò etiam valor & efficacia legis ab hac acceptatione dependeat? oppositæ sunt DD. sententiæ; quas ope distinctionis puto posse concordari. Proinde

Pt. I. Omnis constitutio sive Ecclesiastica sive Civilis per se vim obligandi habet independenter ab acceptatione populi seu communitatis, adeò, ut si legislator velit uti plenitudine potestatis, possit cogere subditos ad legem recipiendam. Ita omnes. Ratio est: quia si liberum foret subditis dissentire, & constitutiones conditas non acceptare, sed respuere, cessaret obedientiæ vinculum, & consequenter non essent subditi, eò ipso quòd voluntate, non necessitate parêrent.

Pt. II. Constitutio humana ordinariè non obligat ante acceptationem, quòd eâ tacitâ conditione ad populum ferri censeatur, si & in quantum ab ipso fuerit acceptata. Panorm. Felin. & Canonistæ plerique in *c.* 1. *de Treuga & pace. Prob.* 1. ex Jure Can. per *c.* 6. *de Clericis conjug.* ubi Innocentius III. interrogatus, an filius Sacerdotis græci licitè in Latina Ecclesia promoveri possit? respondit posse, nec obstare legitimis natalibus conjugium, adjunctâ hâc causâ: *Nos igitur attendentes, quòd orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, &c. mandamus, si aliud impedimentum canonicum non obsistat, ad confirmationem & consecrationem ejusdem procedat.* Ubi pondera, solam causam, quæ Græcos à voto continentiæ excusat, eam à Pontifice poni, quod legem non *admiserint*, id est, re-

teperint. Supponit ergo potuisse non recipi, & non receptam non obligâsse. Quòd si procedit in lege tam gravi, tanti momenti, tantæ honestatis, & ubique locorum recepta, quantò magis obtinebit in legibus longè minoris momenti & necessitatis? *Probatur* 2. ex Jure Civili per *l.* 32. *ff. de LL.* Ubi Julianus: *Ipsæ leges nullâ alia ex causa nos tenent, quam quòd Judicio populi receptæ sint.* Quid clariùs pro nostra sententia dici posset? Neque dicas, Julianum loqui de statu Democratico, quo potestas leges ferendi fuit adhuc penes populum, quæ modo lege regiâ in Principem translata est, juxta *l.* 1. *ff. de Constit. Princip.* Julianus enim, ut ex textu patet, loquitur de statu, quo hæc scripserat, sed tempore, quo hæc scripserat, jam erat exauctoratus populus, totâque potestas in Principes translata: vixit enim temporibus Adriani & Antonini Pii, ut colligitur ex *l.* 2. *in fin. ff. de Orig. Jur.*

§. X.

122 *Finis* Constitutionis seu Legis est bonum commune, *c.* 2. *dist.* 4. Ratio est: quia cùm lex sit commune præceptum & communis Reip. sponsio *l.* 1. *ff. de LL.* ut in bonum commune ceu scopum collimet, oportet; alioquin tyrannica erit potius, quàm justa & Principe digna S. Th. 1. 2. *q.* 90. *a.* 2. ubi exinde rectè concludit cessante ratione boni communis cessare etiam legem, & carere vi obligandi.

§. XI.

123 *Effectus* formalis & intrinsecus constitutionis seu legis est obligatio ad ejus observantiam. *l.* 2. *ff. l.* 3. *C. de LL.* Hæc autem obligatio duplex est: una ad culpam sive in conscientia, quæ dicitur vis directiva; altera ad pœnam, quæ nuncupatur vis coactiva. Pro cujus pleniore intellectu.

Dico I. Non modò lex Ecclesiastica, sed etiam Civilis potest obligare in conscientia & ad culpam gravem vel levem pro materiæ quantitate. Ita communis, & videtur quibusdam de fide. Ratio est: quia subditi tenentur etiam in conscientia obedire suis superioribus justa præcipientibus, idque ex præcepto Divino & naturali: nam, ut ait Apost. *ad Rom.* 13. *qui potestati* (scil. humanæ) *resistit, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et hinc descendit famosum illud DD. procardicon: *lex justa in foro externo est etiam justa in foro interno.*

Excipitur I. lex fundata in falsa præsumptione facti alicujus particularis Panorm. *in c.* 8. *n.* 18. *de immunit. Eccles.* Ratio est: quia si lex fundetur in præsumptione facti, deficiente veritate, tollitur omninò fundamentum legis, adeóque necesse est, ut ejus quoque cesset obligatio, neque enim est intentio legislatoris, ut obliget contra veritatem; quod confirmant exempla & textus *in c.* 13. *§. quodsi non de Restit. spoliat. in c.* 44. *de Sent. excomm. princ. Instit. de Liter. oblig.* Aliud est, si lex fundetur in præsumptione alicujus periculi, quod communiter solet occurere: talis enim obligat in conscientia, quamvis periculum in aliquo particulari casu reipsâ cesset. Salas *de LL. disp.* 10. *sect.* 4. quia leges attendunt ad ea, quæ frequentius accidunt. *l.* 3 4. 5. *&* 6. *ff. de Legib.* & id satis est, ut generaliter obligent, nam, ut vulgò dicitur: cessante fine legis in aliquo particulari, non cessat obligatio legis.

Excipitur II. Lex purè pœnalis: quæ nimirùm ex voluntate legislatoris non tam obligationem ad rem præceptam, quàm pœnam infligendam continet; hæc enim non obligat in conscientia ad actum, de quo primò disponit. S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a.* 9. *ad* 1. *&* 2. Ratio est: quia lex non obligat ultra intentionem legislatoris.

III. Navar. *in Man. c.* 23. *n.* 55. & alii apud Bonacin. *de LL. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 2. *n.* 3. excipiunt universùm leges præsertim Ci-

vi-

vilet, quibus pœna temporalis, quantumvis gravis contra transgressores adjecta est, eàsque in conscientia non obligare volunt, nisi legislator exprimat, vel scandalum, aut contemptus adsit. Fundamentum in eo collocant, quòd in odiosis, quantùm potest, semper sit facienda benignior interpretatio juxta *c. odia. 15. de R. I. in 6.* Deindè quòd legislator, maximè Laicus, dum legem fert, non multum curet de obligatione in conscientia; interdum etiam de ea nec cogitet: actus autem agentium non operentur ultra eorum intentionem arg. *l. 4. & 19. ff. de Reb. cred.* Sed displicet hæc exceptio: etenim pœna à Legislatore in legibus præceptivis, aut prohibitivis adjicitur non ad infirmandum, sed augendum robur legis, ut eò diligentiùs observetur; quod tantò verius est, si pœna adjecta sit gravis v.g. capitis, mutilationis, infamiæ, amissionis omnium bonorum, triremium, exilii perpetui, & hujusmodi: nam gravis pœna non nisi ob culpam gravem imponi solet. Ad argumenta contraria respondeo, locum non esse benigniori interpretationi, nisi verba legis sint dubia, ac ambigua; & satis esse, si legislator generaliter & confusè intendat per suas leges obligare, etiamsi non distinguat de obligatione ad culpam. Confer Bonac. *l. c.*

24 Dico II. Lex purè pœnalis, vel mixta, in quantum pœnalis est, plerúmque in conscientia non obligat ad pœnam ante sententiam Judicis saltem declaratoriam, licet pœnam latæ sententiæ seu ipso facto incurrendam imponat. Sotus *l. 1. de Just. q. 6.* Covar. *in Epitome p. 2. c. 6. §. 8. n. 10.* & colligitur ex *l. 29. ff. de Furesisci* & apertissimè ex *c. 19. §. fin. de Hæretic. in 6.* Ratio est: quia non videtur rationi consentaneum, ut reus sit sui ipsius accusator, & pœnæ suæ proprius ultor & executor.

Dixi: *plerúmque* Excipiuntur enim I. pœnæ latæ sententiæ, quæ consistunt in nuda passione, & nullam executionem externam hominis requirunt: uti sunt excommunicatio & aliæ censuræ; item irregularitates, impedimenta ad matrimonium contrahendum, privatio vocis activæ, aut passivæ ad electionem &c. hæ námque locum habent in conscientia etiam ante sententiam declaratoriam, eò ipso scilicet, quòd crimen talem pœnam ipso jure annexam habens committitur. Layman *tr. 4. de LL. c. 15. n. 5.*

II. Excipiuntur pœnæ conditionales, per quas jus quærendum & nondum plenè quæsitum impeditur: illæ enim obligant ante declarationem Judicis. Bonacin. *l. c. n. 24.* Et sic qui accepit beneficium parochiale, tenetur illud dimittere, nisi intra annum recipiat sacerdotium. *c. 14. de Elect. in 6.* Episcopus, qui intra 6. menses à confirmatione sua non consecratur, privatur episcopatu accepto. Trident. *sess. 23. de Reformat. cap. 2.* Beneficiatus non residens in sua Ecclesia pro rata absentiæ fructus non facit suos, nec tutâ conscientiâ illos retinere potest. Trident. *d. sess. 23. c. 1. &c.* Ratio est: quia hujusmodi pœnæ non tam pœnæ, quàm conditiones sunt, sub quibus aliquid conceditur, quarum defectu jus vel gratia concessa impeditur, aut deperditur.

Secundus effectus constitutionis seu legis 25
est obligatio ad scientiam. *l. 9. C. de Legib.* quæ etiam factâ promulgatione, & duobus ab ea mensibus lapsis præsumitur, ideóque allegans ignorantiam probare tenetur. *cap. 1. de Postulat Prælat. c. fin. §. super eo. Qui matrim. accus. poss.* ubi conjecturæ, quibus ignorantia probari possit, enumerantur.

Sed *quæres* quis, an, & quatenus ignorantia excuset transgressorem legis?

R. I. Ignorantia probabilis, seu invincibilis, quæ nimirum adhibitâ debitâ diligentiâ vinci non potuit, transgressorem legis non

tan-

tantùm à culpa, sed etiam à pœna statuta excusat. *c.* 2. *& ibi.* Panorm. *n.* 7. *h. t.* Ratio *primæ partis* est, quia ubi non est voluntarium, nulla est culpa, atqui ignorantia invincibilis tollit volutarium, ut hic supponitur ex Theologia; ergo. Ratio *secundæ partis* est: quia cessante culpâ tanquam causâ, cessare quoque debet effectus sive reatus pœnæ arg. *c.* 60. *de Appellat.* nec sine culpa est aliquis puniendus *c.* 23. *de R. I. in* 6. & pœnæ, quæ statuuntur per leges aut per decreta, solùm parantur adversus scientes. *l. fin. ff. de Decret. ab ord. faciend.*

Fallit tamen hæc responsio I. si actus seu delictum aliquod lege Divinâ, vel naturali, & humanâ simul prohibeatur; tunc enim sciens legem Divinam vel naturalem, quamvis humanam invincibiliter ignoret, non excusatur à culpa, & consequenter neque à pœna, saltem regulariter loquendo, ut paulò post dicam.

Fallit II. si transgressor sciat legem aliquid prohibentem, ignoret tamen pœnam ei annexam; talis enim regulariter loquendo per istam ignorantiam non tantùm à culpa non excusatur, sed nec à pœna: pœna enim sequitur culpam, & non infertur propter scientiam, sed propter culpam contra prohibitionem legis commissam. Latè Covar. *in c. alma mater. de sentent. excomm. p.* 1. *§.* 10. *num.* 9.

Dixi in utraque fallentia *regulariter loquendo*: siquidem excipiendæ sunt censuræ Ecclesiasticæ, de his enim est peculiaris ratio, ut non incurrantur, nisi habeatur de illis notitia, cùm imponantur propter contumaciam, & contemptum potestatis Clavium. *cap.* 41. *causâ* 11. *q.* 3. *c.* 26. *& ibi* Panorm. *n.* 3. *&* 4. *de Appellat.* qui tamen contemptus omninò deficit, legis notitiâ deficiente. *l.* 50. *ff. Locati* P. Engl. *de Sentent. excomm. n.* 10. *&* 11. Imò sunt, qui non solùm excipiunt censuras propriè dictas, nempe excommunicationem, suspensionem, & interdictum, sed etiam irregularitatem, aliásque inhabilitates, & pœnas spirituales, quando proveniunt ex delicto, & per modum pœnæ irrogantur, idque desumunt ex *c.* 2. *h. t. in* 6. hoc námque, cùm favorem animarum contineat, & generaliter de ignorantibus (quòd *sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis non ligentur*) loquatur, amplè videtur interpretandum esse, ut non tantùm intelligatur de censuris propriè dictis, sed generatim de omnibus sententiis, inhabilitatibus, ac pœnis spiritualibus, quando quidem per modum pœnæ irrogantur. Quod addo: quia quando irregularitas, aut aliæ inhabilitates in Jure Can. irrogantur non in detestationem vel pœnam delicti, sed alium ob finem vel causam, v. g. in bonum regimen & præcavendas fraudes, ab iis nulla ignorantia excusat; uti enim tunc culpam non requirunt, ita nec legis notitiam. Et tales sunt v. g. irregularitas orta ex bigamia, aut illegitimis natalibus, impedimenta ad contrahendum matrimonium &c. Vid. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 32. *n.* 7. *& aliquot seqq.*

Ex. II. ignorantia vincibilis seu improbabilis neque à culpa, neque à pœna excusat. Suarez *lib.* 5. *de LL. c.* 18. *n.* 8. ex communi sententia. Non à culpa: quia talis ignorantia est voluntaria & culpabilis ex se ipsa. Non à pœna; quia reatus pœnæ consequitur ad culpam.

Limita tamen I. ut ignorantia vincibilis, quæ excusat à peccato mortali, etiam excuset à pœna, si hæc sit gravis & solùm proportionata culpæ gravi, ut de censuris probatur ex *d. c.* 2. *h. t. in* 6. ubi indefinitè dicitur ignorantiam excusare ab omnibus sententiis quorumcúnque Ordinariorum, modò non sit crassa, vel supina, id est, talis, quæ ex lata culpa & summa negligentia procedat. Ratio est: quia pœna commensurari debet delicto: *c.* 2.

in

in fine de his quæ fiunt à majore parte Capit. ergo pœnæ graves, ut sunt censuræ, non videntur imponi ob solam culpam venialem. Eadem est ratio circa irregularitates ex delicto, & alias pœnas spirituales graviores, nisi aliud in jure exprimatur, prout exprimitur *in c. 19. de Homicid. c. fin. eod. in 6.*

Limita II. Ut ignorantia licèt crassa & supina excuset à pœna, si eam lex statuat in scienter, præsumptuosè aut temerè peccantes: tunc enim illi solùm delinquentes comprehenduntur, qui vel habent legis notitiam, vel illius ignorantiam, affectatam, quæ in jure comparatur scientiæ. Covar. *d. §. 10. n. 16. & 17.* Hinc maritus v. g. qui cum propria filia fornicando, affinitatem contraxit cum uxore sua, excusari poterit, ne debiti petitione privetur, si ignorabat quamvis crassè, suam filiam esse: quia hæc privatio petendi debitum est imposita scienter peccanti. *c. 1. de eo, qui cognovit. consang. uxor. suæ.* Dissentiunt Abulensis, Sotus & alii apud Sanchez *d. disp. 32. num. 44. & seqq.*

R. III. Nulla ignorantia legis irritantis impedit irritationem actûs, nisi fortè illius, qui irritatur in odium & pœnam agentium. Sanchez *de Matr. lib. 3. disp. 17. n. 9. & seqq.* Ratio est: quia ignorantia non supplet defectum alicujus requisiti substantialis, ut patet in matrimoniis, testamentis, & quibuscunque actibus legitimis, qui ipso jure nulli sunt, si materia, vel forma, aut alia pars essentialis à jure præscripta desit, utcúnque bona fides aut invincibilis ignorantia interveniat: actus enim sine sua substantia nunquam potest subsistere.

26 *Tertius* & specialis effectus constitutionis, seu legis irritantis est prohibere & irritare actum, factum contra legis præscriptum: nam regula juris est: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. c. 64. de R. I. in 6. & in l. 5. C. de LL.* signatè dicitur, *ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habeantur, licèt legislator fieri prohibuerit tantùm, neque specialiter dixerit, inutile debere esse, quod factum est.* Unde colligitur, omnia de jure prohibita, si fiant, esse simpliciter invalida, & sine effectu.

Nec refragatur *c. 16. de Regularib.* ubi disertè habetur: *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem;* ex quo plures inferunt, actus simpliciter prohibitos sine clausula irritante de jure civili quidem non valere juxta *d. l. 5. C. de Legib.* de jure verò Canonicô sustineri, nisi clausula irritans adjungatur. Laym. *de Legib. c. 16. n. 3.* Non enim videtur tam facilè differentia inter jus Canonicum & Civile admittenda. Hinc communis est sententia utroque jure inutilia, & pro infectis habenda esse, quæ simpliciter contra jus sunt; ea verò simpliciter contra jus esse, quæ ita à jure prohibita sunt, ut habeant perpetuam causam prohibitionis, sive ut sistatur in terminis prohibitoriis. Quænam autem ea sint, ex modo prohibendi imprimis apparere debet; nam si actus aliquo modo in ipsa lege prohibente sustineatur, non erit perpetua prohibitio. Secundò ex causa, seu ratione prohibitionis, quæ si annullationem actûs non exigat, non censebitur simpliciter prohibitus. Tertiò ex materia prohibita: nam si res aliàs antea in jure erat de genere permissorum, aut saltem jura tanquam actum validum admiserint, etsi illicitum, non censetur esse mens actum annullandi, nisi specialiter exprimatur. Videatur Panorm. *in d. c. 16. n. 11.*

§. XII.

Affinis Constitutioni, seu legi est ejusdem 27
interpretatio quæ juxta Gloss. *in l. 37. ff. de Legib.* triplex est: Authentica, Usualis, & Doctrinalis.

Authentica est, quæ fit per aliam legem latam ad declarandam priorem: unde si fiat, eandem authoritatem habet, quam lex ipsa.

c. fin. h. t. fieri autem solùm potest à Legislatore ipso, & ejus successore, vel superiore, non autem ab inferiore. *c. 31. de sentent. excomm. l. fin. C. de LL.* nisi superior potestatem legem suam interpretandi inferiori commiserit per §. 8. *Inst. de J. N. G. & C.* quemadmodum S. Pontifici data est potestas authenticè interpretandi jus Divinum per textus *in c. 23. de Testib. & in c. 18. de Jurejur.* S. Th. 2. 2. *q.* 2. *a.* 3. & Congregationi Cardinalium potestas declarandi Concilium Tridentinum, ut supra *n.* 9. notavimus.

Usualis interpretatio est, quæ per usum & consuetudinem est introducta; unde consuetudo optima legum interpres dicitur, & in effectu pro lege habetur, *l.* 37. *ff. de Legib.*

Doctrinalis est, quæ fit arte, & peritiâ Interpretum & Doctorum. Et hæc quamvis non inducat obligationem legis, habet tamen probabilitatem: cùm in quavis facultate standum sit judicio peritorum: imò si Doctores communiter omnes conveniant in explicatione legis, credendum illis omninò est, cùm saltem tanta consensio sufficienter declaret, quomodo lex fuerit acceptata & quomodo se habeat communis usus circa illius observationem, ut notat Suarez *lib. 6. de LL. c. 1. n. 5. & 6.*

Porrò hæc doctrinalis interpretatio alia est declarativa, alia extensiva, alia restrictiva.

Declarativa est, congrua obscurorum, æquivocorum, aut dubiorum verborum expositio; quæ qualiter fieri debeat, trademus *in lib. V. ad Tit. de verb. signific.*

Extensiva est, vel comprehensiva, seu inclusiva, vel purè extensiva.

Comprehensiva est, quando lex per interpretationem extenditur ad Personam, vel casum verbis quidem non expressum, mente tamen legislatoris comprehensum ob adæquatam rationis identitatem. Præsumitur autem extensio hæc esse de mente legislatoris præsertim I. in correlativis, II. in æquiparatis, III. in subordinatis; hinc de his dici soiet, quòd dispositum in uno censeatur dispositum in alio; idque procedit in lege tum favorabili, tum odiosa, tum in tum extra judicium: alioquin enim, vel lex esset frustratoria, & nullius momenti, vel contineret injustitiam, aut aliam absurditatem. Pirrhing *h. t. n.* 112. & 4. *seqq.* ubi hujus doctrinæ plura exempla affert.

Purè extensiva est, per quam ob paritatem, vel similitudinem rationis dispositio legis extenditur ad personam, vel casum neque verbis, neque mente legislatoris comprehensum. Et hæc nullam vim obligandi habet extra judicium, & in foro conscientiæ. Ratio est: quia lex non potest obligare ad id, quod non præcipit, vel prohibet: sed id, quod in lege, nec quoad verba, nec quoad mentem legislatoris continetur, lex non præcipit, aut prohibet, ergo non potest ad id obligare. Pirrhing *h. t. n.* 114. Rectè tamen adhibetur in ordine ad decisionem causarum forensium, cùm enim non potuerint omnes causæ legibus comprehendi, procedendum est à similibus ad similia hoc est, in occurrente casu non expresso, habente tamen similitudinem cum expresso, judicandum est ad normam expressi per *L.* 13. *ff. d. Legib.* Num autem Judices obligati sint ad judicandum secundùm hujusmodi similitudinem, non est certum, est tamen probabile *ex l.* 12. *ff. eod.* ibi: *Non possunt omnes articuli sigillatim, aut legibus, aut Senatus-consultis comprehendi, sed cùm in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui Jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet.* Haunold. *de J. & J. tr.* 1. *c.* 5. *contov.* 2. *n.* 284.

Denique interpretatio doctrinalis *restrictiva* est, cum interpretamur aliquem casum particularem propter suas circumstantias sub lege universaliter lata non contineri; unde *epikia* dicitur, id est, benigna interpretatio, seu 28

restric-

restrictio legis secundùm æquum & bonum. Videtur autem locus & usus esse epikiæ I. Si alioquin in casu particulari Lex evaderet iniqua, & præciperet aliquid illicitum; & ideo lex, quæ v.g. statuit universaliter esse reddenda deposita, non obligat pro eo casu, in quo furiosus repetit gladium ad occidendum innocentem. II. Si lex in casu particulari præciperet aliquid nimis arduum, & supra potestatem humanæ legis; & ideo lex Ecclesiastici jejunii omnibus Christianis adultis universaliter posita, non obligat in periculo mortis, vel gravis infirmitatis. III. Si prudenter creditur Legislatorem noluisse obligare per suam Legem in hoc vel illo casu, quamvis alioquin potuisset, & ipsemet ita declaret, si esset præsens, vel interrogaretur. Suarez *l.6.de LL. c.7. n.6.*

Excipiuntur Leges irritantes, quæ non recipiunt epikiam, seu interpretationem ex bono & æquo. Sic enim non valet matrimonium sine Parocho, aut testibus tempore pestis, vel in articulo mortis contractum, etsi ii interesse non potuerint. Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 17. n. 4.* Similiter in nullo casu, aut necessitate subsistunt testamenta, contractus, aliique actus facti sine solennitatibus & forma substantiali à legibus præscripta præterquam in casibus specialiter exceptis. Laym. *de Leg. c.19.n.2.* Ratio est: quia Leges irritantes non attendunt ad casus & rationes particulares, sed præcisè ad rationem communem, & pariformitatem actuum.

§. XIII.

Contraria Constitutionis, seu Legis sunt *Abrogatio, Derogatio, & Dispensatio*: eò quòd vim legis, aut omnino tollant, aut saltem imminuant.

28 *Abrogatio* est, totius legis cassatio, seu sublatio arg. *l. 102. ff. de V. S.*

Causa efficiens Abrogationis est abrogans. Potest autem legem abrogare Legislator, ejus Successor, vel utróque in jurisdictione superior: quia lex non obligat ultra voluntatem legislatoris, cui voluntas successoris æquivalet, superioris in jurisdictione prævalet. Inferior autem nequit legem superioris abrogare, nisi forte ex privilegio, aut præscripta consuetudine: cùm enim inferior non sit dominus voluntatis superioris, non potest eam reddere irritam sine ejusdem superioris consensu arg. *c. 4. dist. 21. c. 16. de Major. & Obed. & Clem. 2. de elect.* Confer præterea P. Engl *h.t. n.17. & 2. seqq.*

Illud controvertitur, an inferior possit abrogare legem propriam, si ea à Superiore sit confirmata? Negativè subscribit Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 17. n.30.* ubi absolutè negat Episcopum posse dispensare in constitutionibus suis, quando sunt confirmatæ auctoritate Pontificiâ: quòd ex ea confirmatione reputentur leges ipsius Pontificis. *arg. c. 22. de Prabend. in 6. & l. 1. §. 4. C. de V. J. E.* Sed potiùs arridet opinio Panorm. *in c. 8. n. 2. h. t.* qui distinguit, an statutum à superiore confirmatum concernat favorem publicum, vel aliorum, quàm statuentium: vel an respiciat principaliter favotem ipsorum statuentium? In priori casu negat, ab inferiore sine licentia superioris revocari posse, quia ex quo superior confirmavit, tale statutum videtur suum fecisse per *d. c. 22. de prabend. in 6. & l. 1. §. 5. C. de V. J. E.* Inferior autem legem superioris tollere nequit. *d. Clem. 2. de Elect.* In posteriori verò casu admittit hujusmodi statutum ab inferiore posse abrogari: quia est instar privilegii, quô quilibet potest non uti, juréque suo cedere, ut satis probatur ex *de. c. 8. h. t. c. 22. de prabend. & l. 19. C. de Testament.* Nisi confirmationi adjecta sit clausula: *ut si quidquam contra fiat, non valeat. c. 25. in fin. de Prabend.*

Materia seu Objectum Abrogationis est lex, quæ vel minùs utilis esse incipit, vel nimis

onerosa & difficilis, aut saltem talis, ut ex ejus sublatione major fructus speretur, quàm ex ejus conservatione. Quodsi mutatio temporum hominúmque faciat constitutionem injustam, impossibilem, vel prorsus inutilem, non habet locum abrogatio, sed per se desinit constitutio, ejúsque obligatio.

Forma Abrogationis consistit in sublatione seu cassatione totius legis, quæ fieri potest etiam sine scripto, solis verbis, aut signis, quæ exprimant sufficienter voluntatem abrogantis, ut notat Suarez *lib. 6. de Legib. c. 27. n. 1.* interdum etiam accidit per contrariam consuetudinem, de qua infra *in Tit. 4.* quamvis communiter fiat scriptò, & per aliam legem posteriùs latam & priori contrariam.

Finis Abrogationis est, bonum commune: sicut enim lex omnis debet ferri propter bonum commune, ita ex eodem motivo iterum debet aufferri. Et quia bonum publicum non solâ voluntate, sed ratione administratur, ideò ad licitam abrogationem legis non sufficit sola voluntas legislatoris nolentis legem ampliùs valere, sed requiritur justa aliqua & rationabilis causa *c. 8. de consang. & affinit. l. 2. ff. de Constit. Princ.* Facta tamen absque causa est valida: cùm vis ac obligatio legis à voluntate legislatoris omnimodè dependeat. Suarez *d. l. 6. c. 25. n. 10.*

29 *Effectus* Abrogationis est, quòd legem antea receptam totaliter, & simpliciter tollat; idque procedit non solùm, quando in posteriori expresè fit mentio legis prioris, eáque dicitur abrogari, aut revocari, & imposterum non esse servanda, aut nullam vim esse habitura; sed etiam quando expresè nulla fit mentio, modò lex posterior sit priori contraria & impossibilis observatu simul cum illa. *c. 1. & ibi* Gloss. *h. t. in 6. l. 28. ff. de Legib.* Ratio est: quia cùm Princeps & Legislator quilibet præsumatur nôsse leges suas, eò ipso quòd per legem posteriorem præcipit contrarium alteri, censetur priorem revocare, etsi non exprimat.

Limita tamen I. Ut per legem generalem non abrogentur statuta particularia, quæ sunt præter jus commune, nisi contineat clausulam abrogatoriam, aut revocationem: nam aliàs posterior præsumitur edita ex ignorantia prioris, cum Princeps ea, quæ sunt extra jus commune, nescire credatur. *c. 1. h. t. in 6. c.* Azor. *p. 1. l. 5. c. 16. q. 4.* Notanter autem dixi: *quæ sunt præter jus* commune: Si enim idem disponat, quod jus commune, constitutio aut lex quæ abrogat jus commune, etiam abrogat statuta illa particularia: quia nil aliud sunt, quàm ipsum jus commune specialiter propositum & intimatum in tali communitate Gloss. *d. c. 1. h. t. in 6.*

Limita II. Cum Bonacin. *de Legib. q. 1. puncto ult. §. 1. n. 1.* ut prior lex juramentô de non abrogando firmata omninò requirat expressam mentionem revocationis in Lege posteriori: magis enim inconveniens esset, quòd Legislator veniret contra suum juramentum, quàm quòd Lex posterior remaneret inutilis ob insufficientem expressionem legis prioris.

Limita III. Ut Lex prior sine expressa ejus revocatione non tollatur per posteriorem, si contineat clausulam derogatoriam legis contrariæ deinceps ferendæ arg. *c. 28. de Rescript. & l. 22. ff. de Legat. 3.* Panorm. *in c. 8. n. 3. h. t.* Ratio est: quia alioquin in lege priore clausula derogatoria ad posteriorem esset frustranea & nullum haberet effectum, si per legem posteriorem revocaretur perinde, ac si illam clausulam non haberet. Dissentit Sylvester *V. Lex n. 25.* & Alii.

Planè si lex posterior cum priore probabili aliquâ ratione conciliari possit, debet conciliari; jura enim juribus concordanda sunt; eorúmque correctio, quantùm fieri potest, vitanda. *c. 29. de Elect. in 6. l. 32. §. fin. C. de Apell.*

Appell. adeò, ut multi putent verba legis posterioris, in qua propriè est correctio, esse improprianda: Sanchez *l.1. de Matrim. disp.17. n.6.* idque admitti potest, quando impropriatio non est magna & aliena ab omni usu juris Suarez. *d. l. 6. c.27. n.11.*

30 *Derogatio* est sublatio Legis pro parte. arg. *l.102. ff. de V. S.* Nec differt ab *Abrogatione*, nisi quòd hæc totam, Derogatio verò partem legis aufferat; unde quæ diximus de Abrogatione, ad illam cum proportione applicanda sunt.

31 *Dispensatio* hîc accipitur pro relaxatione legis in particulari casu, vel persona, manente obligatione ejusdem pro reliqua communitate.

Causa efficiens Dispensationis est dispensans ubi dispiciendum, quis possit dispensare?

Dico I. In Lege sua dispensare potest quilibet Legislator, ejus successor, & utroque in jurisdictione superior: ab horum quippe arbitrio tota Legis obligatio pendet. Communis apud Azor. *p. 1. l. 5. c. 15. q. 1.* Et hac ratione certissimum est, S. Pontificem posse dispensare in toto Jure Canonico, imò & in Lege Apostolica humana: cùm in potestate Jurisdictionis non sit inferior Apostolis, & S. Petro, cujus est successor. Azor. *ubi supra q. 5.* Similiter Episcopus potest dispensare in Legibus Synodi Diœcesanæ, utpotè à se ipsomet latis; non tamen in statutis Concilii provincialis: quia hoc est Episcopo, & Archi-Episcopo superius. *c.4. causâ 9. q.3.* & leges ferre potest, quæ utrúmque obligant, *c.25. de accusat.* Sanchez *d. l.8. disp.17. n.36.*

Dico II. Inferior regulariter non potest dispensare in Lege superioris: quia inferior nequit relaxare jura superioris. *c.4. dist.41. c.16. de Major. & Obed. Clem. 2. de Elect.* Unde communiter inferunt Interpp. ad *c.15. de Temporib. Ordin.* edictum dispensationis esse prohibitorium, ita ut censeatur inferiori prohibita, nisi reperiatur peculiariter concessa.

Dixi: *Regulariter*: sunt enim casus, in quibus inferior in Lege Superioris potest dispensare: nempè

I. Si materia sit levis, aut frequenter occurrat. quia non est verisimile, Principem velle, ut in rebus parvi momenti, aut quæ ob frequentiam ad Jurisdictionem ordinariam necessariæ sunt, multoties ad ipsum recurratur: ideóque ut praxis docet, Episcopi rectè dispensant in jejuniis, festis, aliisque præceptis Ecclesiæ, quæ frequenter accidere consueverunt. Bonac. *de Legib. disp.1 q.2. punct.1. n.18.*

II. Si urgeat necessitas dispensandi, ac periculum in mora sit, & valdè difficilis ad superiorem recursus: neque enim præsumitur, Principem imposuisse rigorosam se accedendi obligationem, nisi aliter constet. Unde Sanchez *lib.2. disp.40. n.3.* admittit, quòd Episcopus possit dispensare in matrimonio bonâ fide contracto cum impedimento occulto, quando separatio fieri sine scandalo, & Papa vel propter inopiam, vel aliam rationabilem causam adiri nequit.

III. Si dubitetur, an casus dispensatione egeat, vel non: cùm enim hujusmodi dubia frequenter accidant, reputantur inter eos casus, qui frequenter occurrunt, & in quibus inferiori ex probabili interpretatione voluntatis superioris dispensatio permissa censetur. Salas. *de Legib. disp.20. sect.3. n.28.*

IV. Si habeatur privilegium, aut exstet consuetudo in certa aliqua materia. Sic vi consuetudinis Parochi dispensant in casibus frequentioribus, ut in jejuniis & festorum observationibus quo ad vacandum à quibusdam operibus. Haunold. *de F. & F. tr.1. c.6. n.312.*

V. Quotiescunque in Canone impersonaliter & indefinitè dicitur, dispensari posse, ut in *c.5. de Ætate & qualit. c.2. de eo, qui cognov. c.7. de Clerico excommun.* intelligitur

talis potestas Episcopis, & Episcopalem Jurisdictionem habentibus indulta: quia alioquin ejusmodi verba forent superflua, cùm nemini dubium sit, quòd S. Pontifex dispensare possit, & ideo non debeat exprimi. Gloss. & Panormit, *in c.* 12. *de pœnis.* Cæterum plures casus in Jure nominatim expressos, in quibus Episcopus dispensare potest, enumerat Haunold. *l. c. n.* 313.

32 *Subjectum* dispensationis est subditus, cum quo dispensatur; est enim dispensatio actus Jurisdictionis voluntariæ, & superioritatem ex parte dispensantis, subjectionem verò ex parte dispensati importat.

Dubium est, an superior vel is, qui ex commissione potestatem dispensandi habet, secum ipso dispensare possit? pro negativa, quam plures Canonistæ apud Sanchez *l.* 8. *de Matr. disp.* 3. *n.* 4. sustinent, facit, quòd nemo sibi ipsi jus dicere, & in se ipsum Jurisdictionem exercere valeat. *l.* 10. *ff. d. Jurisdict. l.* 17. *ff. de Judiciis.* Verumtamen affirmativam censeo probabiliorem cum Azor. *d. c.* 15. *q.* 6. & Sanchez *l. cit. n.* 6. *& seqq.* quia Jurisdictio voluntaria non requirit realem distinctionem, & alteritatem personarum, sed sufficit virtualis, secundùm quam una, & eadem persona ratione diversorum munerum, quæ exercet, est quasi duplex, in ea nempe materia in qua id specialiter non interdicitur, ut notat Panormit. *in c. ex literis* 3. *n.* 11. *&* 12. *de Prob. & in c. f. de Inst. n.* 5. Idque constat ex *l.* 3. *&* 4. *ff. de Adopt. l.* 2. *ff. de Officio prætor. l.* 2. *ff. de Offic. Præsid.* Regulæ autem in contrarium adductæ ordinariè solùm in causis & actibus Jurisdictionis contentiosæ, non verò voluntariæ procedunt.

Objectum, seu Materia dispensationis est Lex humana, quæ hoc ipso, quòd à libera voluntate hominum proveniat, ut ipsa voluntas mutabilis est, ideóque sub dispensationem cadere potest.

Disputatur, an S. Pontifex in Lege naturali 33
aut Divina dispensare possit? Affirmativam cum pluribus relatis probat Sanchez *d. l.* 8. *disp.* 6. *n.* 5. partim ex illo *Matth.* 16. *quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis:* partim quia S. Pontifex de facto dispensat in voto, juramento, aliisque non paucis, quæ tamen lex naturæ servanda esse docet. At huic opinioni vehementer obsistunt. *c.* 13. *§. opinioni de restit. spoliat. & c.* 4. *de usuris.* cùm enim ibi ipsemet S. Pontifex hanc potestatem in se non cognoscat, cur nos ei tribuamus: Neque officiunt argumenta contraria. *Non primum*, quia cum dispensare in Lege Divina, vel naturali, hoc est, in ipsis fundamentis vitæ, & honestatis humanæ, sit quid speciale, non potest generali illa concessione, quæ habetur *Matth.* 16 comprehendi: receptissimum enim est, quòd in generali concessione non veniant ea, quæ sunt speciali notâ digna. *c.* 4. *&* 5. *de procurat. in* 6. *c.* 8 1. *de R. J. in* 6. *Non secundum:* neque enim S. Pontifex in voto, & in juramento propriè & directè dispensat: siquidem non facit, ut liceat homini non implere promissionem DEO factam, & non relaxatam; sed authoritate DEI promissionem relaxat, quo ipso obligatio eam servandi per se corruit. P. Engl. *de Majorit. & Obed. n.* 8.

Forma dispensationis consistit in legitima 34
exemptione alicujus: vel aliquorum à Lege. Ut autem talis sit, necesse est, ut fiat ex justa causa puta necessitatis, utilitatis, aut pietatis. *c.* 6. *causâ* 1. *q.* 7. Trid. *Sess.* 25. *de Reform. c.* 18. S. Th. 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. alioquin erit illicita, &, si ab inferiore fiat in Lege superioris, etiam invalida, eò quòd superior non censeatur dare facultatem inferiori dispensandi in Lege sua sine justa causa. Laym. *de LL. tr.* 4. *c.* 22. *n.* 11. eóque teste Doctores omnes.

Finis, & Effectus dispensationis est liberatio dispensati à lege, quâ aliàs obligaretur.

Ti-

TITULUS III.

De Rescriptis.

SUMMARIA.

1. Rescripti homonymia. 2. Definitio.
3. Et divisio.
4. Quinam rescripta concedere?
5. Quinam impetrare possint?
6. Quanam per rescripta concedi valeant? & ibi latè descriptis moratoriis.
7. Qualiter rescripta expediantur.
8. Rescripti vis & Effectus.
9. Effectus rescripti gratiæ dependet à tempore datæ, rescripti Justitiæ à tem ore præsentatæ.
10. Regulæ interpretandi rescripta.
11. Quomodo vitientur rescripta ob-aut subreptionem?
12. Errore latinitatis. 13. Rasurâ.
14. Et abusu?

CONstitutiones excipiunt rescripta: quia inter eos, ad quos diriguntur, vim constitutionis habent. *c. 11. de Concess. præb.*

§. I

1 *Rescriptum* dupliciter sumitur. I. Latè, & tunc comprehendit etiam privilegia, dispensationes, beneficia, & similia alia, quæ emanant ne dum ad juris observantiam, sed etiam præter, vel contra jus. II. Strictè prout continet tantùm illa rescripta, quæ dantur à Principe secundùm jus, puta, vel ad juris dubii declarationem, vel ad debitam executionem. Panorm. *ad Rubr. h.t. n.* 2. prior significatio est hujus loci, in qua.

§. II.

2 *Definitur* rescriptum, quòd sit responsum Pontificis, vel Imperatoris, aut alterius Principis ad consultationem, relationem, vel supplicationem alicujus; & quidem scriptò datum, nam verbis solis Princeps aliquid concedens non intelligitur rescribere, ut & nomen indicat, & probatur per *l. 3. C. de diversis rescript.*

§. III.

3 *Dividitur* rescriptum dupliciter, nempe in species & in partes.

Species sunt I. Rescriptum gratiæ & justitiæ. Rescriptum gratiæ est, quod datur à Principe ad beneficia, dispensationes, privilegia, aliásque gratias obtinendas. Rescriptum justitiæ, quod datur, vel ad jus explicandum; vel ad jus dicendum, administrandámque justitiam inter partes. Præsumitur autem in dubio potius esse rescriptum justitiæ quàm gratiæ? & cum gratia sit facti, non juris, qui gratiam allegat, gratiam probare debet. *c. 2. de Schismaticis.* Honor. *h.t. num.* 2.

II. Rescriptum aliud est contra jus, quo aliquid contra juris regulas conceditur; sub quo veniunt dispensationes & privilegia. Aliud præter jus, circa ea, quæ jure non sunt decisa: ut cùm Pontifex rescripto suo mandat Ecclesiæ alicujus Prælato, quatenus Titio v.g. provideat de beneficio Ecclesiastico primùm vacaturo. Aliud denique secundùm jus, quô respondetur de jure consulentibus: ut si Princeps alicui per literas committat potestatem cognoscendi ac definiendi causam aliquam inter partes controversam, vel si respondeat ad dubia juris sibi proposita. Præsumitur autem in dubio potiùs rescriptum secundùm vel præter jus, quàm contra *l. 2. C. de diversis rescript. l. ult. C. de edendo.*

Partes rescripti sunt tres: narratio, supplicatio, quæ duæ partes impetrantem respiciunt, & conclusio, quæ concedentem spectat. Bald. *in c. 20. num. 24. h.t.* quam quidem ultimam partem practici vocant dispositivam, eò quòd ibi rescribens faciat dispositionem, mentémque declaret, an & cum quibus clausulis velit admittere, & consentire supplicantis petitioni. Rebuff. *in praxi benefic. Tit. de Sign gratian. 23. p. 1.*

§. IV.

§. IV.

Causa efficiens Rescripti est vel principalis vel minùs principalis.

4 *Principalis* sunt, qui rescribunt. Rescribunt autem propriè loquendo solùm summi Principes : in spiritualibus S. Pontifex ; in temporalibus Imperator, Reges, aliique superiorem non recognoscentes. Pirrhing *h. t. n* 6. Hinc legitimatio facta per rescriptum Principis sæcularis non extenditur ad munera, officia atque beneficia Ecclesiastica, quasi gratiatus per illud ad eandem sit habilitatus : potestas enim rescribentis ad sacra se non porrigit, sed tantùm ad sæcularia, & suæ jurisdictioni subjecta ; sicut viceversâ per legitimatorium rescriptum Pontificis extra terras Ecclesiæ, non intelligitur habilitatio facta ad officia, dignitates, & successiones profanas : etsi enim Pontifex quo ad spiritualia per totum orbem legitimare valeat, cùm circa spiritualia in ipso solo summa potestas residеat : quia tamen in terris Principum sæcularium non habet actu exercere jurisdictionem temporalem, ideò se non ingerit legitimando ad temporalia, nisi ex causis multùm arduis. *c. per venerabilem.* 13. *& ibi* Panorm. *n.* 29. *Qui filii sint legit.* Porrò inferiores Principes & Magistratus non tam dicuntur rescribere, quàm respondere, quamvis latâ acceptione etiam eorum concessiones pro rescriptis venditentur. Zoës. *h.* 1. *n.* 7.

5 *Causa minùs principalis* sunt, qui rescripta impetrant. Potest autem impetrare quilibet, nisi specialiter prohibeatur ; uti I. prohibetur hæreticus. *L.* 2. *C. de Summa Trinit.* II. Servus. *l.* 1. *C. de Precib. Imperat. offer.* nisi ex causis atrocissimis. *l.* 2. *ff. de his, qui sui, vel alieni jur. sunt.* III. Excommunicatus excommunicatione majori, qui si defacto obtineat rescriptum Pontificium sive gratiæ, sive justitiæ super alio, quàm excommunicationis vel appellationis articulo pro sui defensione, id ipso jure nullum est, sicut & omnis processus inde secutus *c.* 1. *& ibi* Layman. *h. t. in* 6. Unde consuetudo Curiæ Romanæ habet, ut rescriptis ad cautelam absolutio à censuris præmittatur in ordine ad eorum effectum consequendum. P. Engl *h. t. n.* 5. IV. Prohibetur rescripta impetrare alius pro alio saltèm ad lites, nisi ad hoc habeat mandatum speciale, aut sit conjuncta persona. *c.* 18. *§. sunt & alii h. t.* 6

Utrùm verò beneficium, dispensatio, privilegium aliáve rescripta gratiæ seclusô mandatô speciali per personam extraneam obtineri possint ? Ambigitur. Panorm. in *c.* 20. *de Elect. n.* 10. ait, ad petendam dispensationem in alterius gratiam requiri mandatum speciale. Sed communior & verior sententia est, beneficia omnia sive gratias, adeóque etiam dispensationes pro altera persona capaci absque ullo ejus mandato, eâque ignorante impetrari posse per *l.* 6. *C. de Precib. Imperat. offer.* in qua generaliter habetur : rescripta per quemcunque pro altero supplicantem impetrata valere. Ratio est : quia lex, quæ est contra permissionem Legis naturalis, non debet extendi nisi ad casus in jure expressos, sed textus *d. c.* 28. *§ sunt & alii*, quô ptohibetur, ne unus pro altero impetret rescriptum, est contra permissionem Legis naturalis, & tantùm loquitur de rescriptis justitiæ, ergo non extendendus ad rescripta gratiæ ; maximè cùm utrinque diversa sit ratio : lites enim sopitas resuscitare dominis ignorantibus est odiosum, favorabile autem alicui gratiam & beneficium procurare, etiam ignoranti, cùm per hoc nemini noceatur. Zoës. *h. t. n.* 16. Nec obstat *d. c.* 20. *de Elect.* quia ibi non fuit denegata dispensatio, eò quòd petita fuerit sine speciali mandato ejus, pro quo impetranda erat ; sed quia Capitulares Atchi-Diaconum illegitimè natum, sine interposita postulatione, eligere tentârunt,

&

& confirmationem illius petebant, quæ illis sicut & dispensatio in impedimento canonico electi denegata fuit, ne Papa approbare videretur vota & factum Capitularium. Pirrching *h. t. n.* 14.

§. V.

6 *Materia* seu *objectum* Rescripti sunt omnia illa, pro quibus supplicatur, & quæ vel ex officio aut secundùm jus alicui debentur, vel ex gratia concedi possunt, ac solent: non possunt autem, & non solent rescripto concedi, quæ sunt contra bonos mores aut jus tertii. *c.* 8. *& c. fin. h. t. in* 6. *l.* 43. *ff. de Vulg. & pupil. substit.* Quamobrem suspecta sunt rescripta, quibus graviter & enormiter pars adversa lædi posset, veluti prohibentia citationem partis, cognitionem causæ, vel continentia facultatem formandi processum ab executione. *c.* 2. *h. t.* Et in *l.* 7. *C. de Precib. Imperat. off.* allegata *in c.* 15. *causâ* 25. *q.* 2. generaliter statuitur, non valere rescripta Principis contra jus elicita, quando alium lædunt; secùs verò, si prosint petenti sine alterius damnio, ut quando reis supplicantibus gratia indulgetur.

Hic incidit quotidiana *quæstio*, an Principes possint concedere rescripta moratoria debitoribus, ne ad certum tempus creditoribus satisfacere teneantur? Negari enim non potest, quin per ea creditoribus aliquid præjudicii inferatur, cùm interim ab exactione crediti sui impediantur, quòd aliàs statim exigere potuissent. Nilominùs indubia & usu recepta sententia est, Principibus licere ad quinquennium usque rescripta moratoria dare per *l.* 2. *&* 4. *C. de Precib. Imp. offer. l. ult. C. Qui bonis cedere. poss.* Verùm iis tantùm debitoribus, qui probaverint, se non suâ culpa, vel factô, sed fortunæ invidiâ, vel aliorum injuriâ, aut malâ temporum conditione, puta bellô, incendiô, ruinâ, naufragiô, furtô, rapinâ &c. facultatibus lapsos, & ad inopiam redactos esse, ita ut solvere non possint, etsi vellent. Reichs-Abschid zu Augspurg de Anno 1548. *& Anno* 1577. *Tit.* von verdorbenen Kauff-Leuthen. Et certè his per moratoria succurri æquitati & Christianæ Charitati consentaneum est, quæ afflicto afflictionem addendam non esse inculcat. *l.* 28. *C. de Episcop. audient.* Nec conqueri possunt creditores: quia de sorte seu capitali nihil auffertur, sed tantùm solutio aliquantulum differtur; magnum autem damnum non est in mora modici temporis *l.* 21. *ff. de Judiciis.* Imò rescripta moratoria creditoribus quoque sunt utilia: indulgentur enim, ne debitores desperati bonis cedant, sed ut interim res suas locupletent, lapsâque dilatione solvere possint. Gregor. Tholos. *Syntagm. Juris Univers. l.* 22. *c.* 7. *n.* 4.

Cæterùm casus varii notandi veniunt, in quibus hujusmodi rescripta moratoria locum non habent, & sunt ferè sequentes. I. si contra æquè pauperem, vel pauperiorem, quàm est ipse debitor, impetrentur: ita enim unius egestati subveniendum est, ne alter æquè pauper ac pauperior supprimatur. II. Si creditores sint opifices, mercenarii, vel alii quibus ob laborem personæ debitor obligatus est, quique ex mercede operæ se suósque sustentant: cùm enim onus moræ difficulter ferre possint, gravandi non sunt. III. contra Ecclesiam, fiscum, vel pupillum. In Ecclesia summa ratio est, quæ pro Religione facit. *l.* 43. *in fine ff. de Relig. & sumpt. fun.* In Fisco suadet publica utilitas, quæ præferenda est privatæ. *l.* 3. *C. de Primipilo.* & expressa prohibitio in *l.* 3. *C. de Precib. Imp. offer.* expedit enim Reip. ut debita fiscalia tempestivè exsolvantur. *Novel.* 17. *c.* 7. *§.* 1. In pupillo exigit favor, & miseratio personæ, ætas & lubricum consilium, quibus subveniendum est arg. *l.* 1. *pr. ff. de Minorib.* IV. contra creditores futuros, eósque, qui post rescriptum contraxerunt: quia con-

cessionis tempore nec de iis cogitatum videri potest, arg. *l.* 28. §. 2. *ff. de Libertat. legat.* V. si de alimentis agatur, maximè futuris & pauperi debitis: quia dilationem non patiuntur. *l.* 2. *ff. de Feriis.* VI. si de dote tractetur sive solvenda sive repetenda, cujus causa semper & ubique præcipua est. *l.* 1. *ff. Soluto Matrim.* Reip. enim interest, mulieres dotes salvas habere. *l.* 2. *ff. de Jure dot.* VII. si in venditione re traditâ agatur ad prètium, ne emptor & rem habeat, & pretium retineat, quod cum bona fide pugnat, arg. *l.* 50. *ff. de Action. empti.* Quod multò magis procedit, si agatur de pretio rerum comestibilium in pleno foro, mereatúque venditarum: quoniam harum rerum solutio statim, & in promptu fieri debet, si non sit à parte data dilatio. *l.* 2. *ff. de Nundinis l.* 14. *ff. de R. J.* VIII. in pensionibus & locationibus rerum, quarum fructus conductor percipit, & quidem ex eadem causa, ne scil: iniquitas illa occurrat, ut rem & prètium conductor habeat. IX. in commodato, pignore, & precario, si finito usu, in quem conceduntur, vel solutâ pecuniâ debitâ, repetantur. *l.* 17. §. 3. *ff. Commodati. l.* 9. §. *omnis pecunia. ff. de Pignorat. Action. & l.* 1. *ff. de Precario.* Nulla siquidem juris patitur regula, ut domino rem suam apud alium sine causa existentem repetenti, ea vel quocunque prætextu denegetur. X. in Depositio: jura enim volunt, ut depositum illico & absque ulla mora deponenti debeat restitui non attentis, aut discussis exceptionibus, quæ restitutionem differre solent. *l. penult. ff. Depositi. l. si quis C. eod.* XI. Si quis debitor ex delicto sit constitutus. Nam malè meritus publicè, ut ad deterrenda maleficia aliis exemplo sit, etiam egestate laborare debet. *L.* 31. *in fine pr. ff. Depositi.* nec permittendum, ut sub prætextu privilegii, vel flagitiorum crescat authoritas, vel publica vacillet utilitas. *l.* 2. *in fin. C. de Privileg. Scholar.*

Denique alii adhuc casus sunt, in quibus rescripta moratoria locum non habent, qui maximam partem ad factum debitorum pertinent; veluti, si debitor jam semel antea idem beneficium impetraverit, tametsi eo usus non fuerit: si cum extero, & transeunte mercatore contraxerit: si cavere nullô modô velit: si denique in libello debitoris impetrantis nulla damni & calamitatis, quæ debitori ex casu improviso, & fortuito acciderit, mentio fiat, aut ea calamitas allegetur, quæ damnum ipsi ante decennium inflixerit. Verùm cùm hæc longiùs persequi instituti ratio non patiatur, Lectorem remitto ad Anton. Fabrum *in Cod. lib.* 1. *tit.* 9. *defin.* 20. *num.* 16. *& seqq.*

§. VI.

Forma Rescripti stat in legitima ejusdem expeditione; ad quam requiritur I. ut nomen Pontificis vel Imperatoris præponatur, & annûs incarnationis, item Pontificatûs (si sit rescriptum Pontificium) vel si sit Imperiale, dies, consul, & indictio, locúsque subjiciatur, alioquin rescriptum de falsitate suspectum redditur per *c.* 7. *h. t. c.* 6. *de Fide instrum. l.* 4. *C. de Diversis rescript.* II. ut observetur stylus usitatus. Est autem stylus Romanæ Curjæ, ut Pontifex in suis rescriptis Patriarchas, Archi-Episcopos & Episcopos *Fratres*; cæteros autem Reges, Principes, vel alios homines cujuscunque ordinis, *filios* appellet: & cum uni tantùm personæ rescribitur, nunquam sit usus pluralis numeri. Quæ si in aliquo rescripto neglecta sint, id falsum censebitur. *c.* 6. *de Crimine falsi.* III. Requiritur, ut rescripta gratiæ bullentur cum filo serico rubeo & croceo, rescripta verò justitiæ cum filo cannabis, in quo plumbum pendet. Unde *in d. c.* 6. *in fine.* dicitur ad deprehensionem falsi filum bullarum diligenter inspiciendum esse. IV. De jure communi Imperiale rescriptum debet scribi scripturâ pu-

pu-

pureâ, signarique ardore cocti muricis, & triti conchylii. *l. 6. C. de Divers. rescript.* Sed hæc forma in desuetudinem abiit, ut testatur Brunemann. *ad d. l. 6. n. 3.* V. quamvis ad impetrationem rescripti non requiratur citatio partis, contra quam impetratur, requiritur tamen præsentia partis quo ad rescripti impetrati approbationem, si ea necessaria sit; atque hæc approbatio aliàs dicitur *interminatio*, quæ nihil aliud est, quàm cognitio & disquisitio de veritate precum. Debent autem & literæ gratiæ, continentes dispensationes ab Ordinariis seu commissariis interminari, & examinari, num perita vera sint: in omni enim rescripto Pontificio subintelligitur clausula: *si preces veritate nitantur*: vel, *si ita est. c. 2. & 12 h. t.* imò rescripta Imperialia non aliter de jure valent, nisi dictam clausulam expressè contineant. per *l. fin. C. de Divers. rescript.* allegatam *in c. 16. §. universa. causâ. 25. q. 2.* Quando verò, & qualiter supplicans veritatem precum, & narratorum rescripti probare debeat, diligenter versat P. Engel *h. t. n. 8. 9. & 10.*

§. VII.

Finis Rescripti est, ut Principis jussio in casibus, quibus ipse præesse nequit ad conferendam gratiam vel justitiam administrandam, per commissarios, quibus hoc delegatum est, executionem sortiatur.

§. VIII.

8 *Effectus* Rescripti alius est generalis, alius specialis. *Generalis*, seu cuilibet rescripto communis effectus est, quod in negotiis & inter personas, in quibus & inter quas rescriptum conceditur, jus statuat, obligétque ad observationem omnes, ad quos dirigitur *c. 11. de Concess. præb. l. 2. C. de LL.* Nisi aliquid insolitum, à recta ratione alienum, vel contra publicam utilitatem mandetur: tunc enim rescripti executio suspendenda est, & nova declaratio, seu jussio petenda. *c. 5. & ibi* Laym. *h. t. c. 6. de Prabend.*

Dubium est, an rescriptum faciat jus commune, & non tantùm pro illis casibus & personis, pro quibus emanat, sed etiam pro aliis? Affirmo, si emanet ad declarationem juris dubii & obscuri. *cap. 1. §. Decretales. dist. 19. l. fin. §. 1. C. de Legib.* tale quippe rescriptum est instar interpretationis authenticæ, quæ, ut diximus, valet in vim legis. Nego, si inter partes de Jure privatò agatur, & rescriptum dirigatur solùm ad certas causas, personas, loca & tempus: tale enim illis duntaxat jus facit, pro quibus datur per *l. 2. & 3. C. de Legibus* nisi specialiter caveat Princeps, ut hujusmodi rescriptum generaliter, ubique & omnes obliget; quod velle creditur, si ejus jussu & authoritate importetur in Corpus Juris. Pirrhing *h. t. n. 3.* & deducitur ex *c. 19. de Sentent. & re jud. & l. fin. in pr. C. de LL.*

Effectus specialis rescripti variat pro varietate insertarum clausularum, quæ modò restringunt, modò ampliant, aut exponunt concessionem. Eas verò hic recensere & explanare, longius foret. Cumulârunt Martha, & Barbosa *in suis Tractatib. de Clausulis.* quos consule.

Quæritur: à quo tempore rescripta vim, 9
effectúmque suum sortiantur?

R. I. Rescripta gratiæ vim & effectum sortiri à tempore *datæ*, id est, à tempore quo à Cancellario, & aliis Abbreviatoribus sunt expedita. Gonzal *in c. 30. n. 15. h. t.* Unde duobus idem Beneficium persequentibus, is præferendus est, non qui prior rescriptum præsentavit, sed qui prior literas ad Beneficium impetravit. *c. 12. h. t. in 6. c. 7. de Prabend. in 6.*

Limita tamen, ut in concursu duorum

rescriptorum, quorum aliud est generale, aliud speciale, non attendatur tempus *datæ*; quia tunc generali derogatur per speciale, licèt de eo mentionem non faciat, & sive sit prius, sive posterius *c. 1. c. 14. §. quoniam, h. t. c. 14. & c. 38. de Præbend. in 6.* Neque obstat, *c. 12. de offic. deleg.* ubi rescriptum generale priùs de conferendo Archidiaconatu primò vacaturo derogat speciali posteriori de conferendo certo Archidiaconatu: ut enim Gloss. in *d. c. 12.* docet, ibi non concurrit rescriptum generale & speciale, sed utrumque est speciale; nam licèt priùs quo ad verba generale videatur, cùm tamen in certa specie verificari debeat, re & effectu speciale censetur arg. *l. 99. ff. de Legat. 1.*

R. II. Rescripta justitiæ vim & effectum sortiri à tempore *præsentatæ*, hoc est, à tempore, quo Judici vel parti oblata fuerunt, *c. 59. de Appellat.* & ibi DD. Unde si Prælatus, qui in rescripto justitiæ à S. Pontifice delegatus constitutus est, suæ Prælaturæ antepræsentatas litteras renuntiavit, is ulteriùs officium delegationis suscipere non poterit: quia tempore *præsentatæ* non est in dignitate; officium autem delegationis ab aliis recipi nequit, quam in dignitate, personatu, seu Cathedralis Ecclesiæ canonicatu constitutus. *c. 11. h. t. in 6.*

Limita iterum, ut si agatur de valore rescripti v.g. de habilitate, & inhabilitate impetrantis, de veritate aut falsitate precum, inspiciatur in quibusvis rescriptis temptus *datæ*, ita ut non sufficiat, impetrantem habilem, & narrata vera fuisse ante vel post impetrationem, si tempore *datæ* aliter se habuerunt. Quæ autem accidunt vel mutantur post *datam*, non vitiant rescriptum arg. *c. 19. h. t.* Panormit. *ad c. 7. n. 5.* & Gonzal. *ad c. 30. num. 19. eod.*

§. IX.

10 *Affinis* Rescripto est ejusdem interpretatio; sicut autem concessio Rescripti, ita quoque authentica ejusdem interpretatio ad superiorem rescribentem pertinet arg. *c. 31. de Sentent. excomm. L. 191. ff. de R. J.* Aliud dicendum de interpretatione doctrinali, quæ fieri potest à Jurisperitis juxta regulas sequentes.

Regula I. Rescriptum Principis reduci debet ad terminos juris communis, etiamsi oporteat id facere per impropriationem verborum. *c. causam quæ 18. & ibi* Fagnan. *num. 4. h. t.* Hinc literæ, in quibus conceditur retentio beneficiorum obtentorum, intelligendæ sunt de beneficiis canonicè obtentis, non autem de obtentis tantùm defacto. *c. 21. de Præbend. in 6.* jure enim communi non conceditur, ut quis beneficium absque institutione canonica obtineat. *c. 1. de Reg. Jur. in 6.*

Regula II. Rescripta contra jus vel statutum, aut consuetudinem specialem regulariter & per se loquendo strictè interpretanda sunt: tùm quia correctio jurium, quantùm fieri potest vitari debet. *c. 29. de Elect. in 6.* tùm quia bonum commune, quod à lege intenditur, meritò antefertur bono privato, quod à rescripto ordinariè respicitur. *auth. ret, quæ subjacent. C. Communia de Legatis.* Imò rescripta contra jus elicita, nisi faciant mentionem de jure contrario sub hac vel simili clausula: *non obstante quacunque constitutione &c. non obstantibus contrariis quibuscunque &c.* censenda sunt nulla. *l. 3. & 7. C. de Precib. Imperat. offer.* nisi enim Princeps expressè deroget legibus, oportet Judicem judicare secundùm jura præscripta. *L. fin. C. Si contra jus, vel utilitatem &c.*

Dixi autem supra: *regulariter & per se loquendo*: dantur enim casus, in quibus dispensationes & alia rescripta contra jus ampliationem recipiunt, quos vide apud Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 1. n. 5. & seqq.*

Re-

Regula III. Reſcripta in quantum tangunt jus tertii, & derogant juri ipſius jam quæſito, omnino reſtringi debent: quia conceſſiones Principis ita ſemper intelligendæ ſunt, ut nemini noceant. *l. 2. §. merito ff. ne quid in loco public. l. impuberi ff. de Adminiſtrat. tutor. c. 15. de Offic. deleg.* Hinc reſcripta juſtitiæ ad perſonas vel cauſas non expreſſas extendenda non ſunt: quia præjudicant ordinariæ poteſtati, præbéntque materiam litigandi. *c. 15. h. t.* Imò reſcriptum impetratum lite pendente in præjudicium litis, vel non factâ mentione litis cenſetur ſubreptitium. *c. 1. & fin. Ut lite pendente.* Reſcriptum obtentum contra ſententiam, quæ jam tranſiit in rem judicatam, niſi addatur clauſula: *non obſtante re judicatâ*: eſt inutile. *l. fin. C. Sententiam reſcindi non poſſe.* Reſcripta contra privilegia, ſi expreſsâ & ſpeciali clauſulâ derogatoriâ munita non ſint, nihil operantur. *c. 6. h. t.* & ſic de aliis.

Regula IV. Reſcripta, quæ non ſunt contra jus, nec vergunt in præjudicium tertii quo ad jus illi jam quæſitum, largiſſimè interpretari oportet, quantùm ſcil. patitur proprietas verborum, *c. olim. 16. de V. S. l. beneficium. ff. de Conſtit. Princip.* niſi ſint ambitioſa: ut ſunt reſcripta ad beneficia, in quibus fit ſtrictiſſima interpretatio ſecundùm Panorm. *in d. c. olim. n. 7. in fine,* & exempla habentur *in c. 4. & 6. de Præbendis 6.*

§. X.

11 *Contraria* Reſcripti ſunt modi, quibus vitiatur. Vitiatur autem I. obreptione, id eſt, falſi ſuggeſtione, & ſubreptione, id eſt, veri ſuppreſſione *c. 20. h. t.* Pro cujus pleniori notitia.

Dico I. Reſcriptum impetratum dolosâ ob-aut ſubreptione in totum vitiatur, nullúmque commodum precatori afferre poteſt, quamvis in eo diverſa proponantur. *d. c. 20. & ibi* Panorm. *n. 2.* Siquidem æquum eſt, ut mendax precator penitus careat impetratis, ne fraus ſua ei patrocinetur. *c. 15. h. t.* Hinc non ſuſtinetur reſcriptum poſterius, ſi in ſupplicatione non fiat mentio prioris, & de ejusdem omni conceptu notabili, formaliſatione ac circumſcriptione clauſulata. *c. 3. 12. 16. & 32. Eod.* Et licèt *c. 20. cit.* ſpecificè loquatur de reſcriptis juſtitiæ, à fortiori tamen locum ſibi vendicat in reſcriptis gratiæ, quia faciliùs vitiantur, ut ex communi docet Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 21. n. 2. & ſeqq.*

Dico II. Si ob-aut ſubreptio ex ſimplicitate, vel ignorantia proveniens non ſit cauſa conceſſionis, eò quòd Princeps expreſsâ veritate, & tacitâ falſitate nihilominùs reſcripſiſſet, non vitiatur reſcriptum, ſed valet ſaltem in forma communi *d. c. 20. & ibi* Fagnan. *n. 52.* Ratio eſt, tùm quia ſimplicitas ſupplicantis non meretur pœnam; tùm quia vitium, quod ſubeſt, non tollit voluntatem reſcribentis. Et hæc doctrina procedit non modò in reſcriptis juſtitiæ, ſed etiam in litteris beneficialibus per *c. 8. & 14. de Præbend. in 6.* & in privilegiis: quia privilegia & litteræ beneficiales in materia ob-aut ſubreptionis parificantur, ut tenet Panorm. in *d. c. 20. n. 5.*

Limita tamen, ut taciturnitas qualitatis, quæ de jure communi, ſtylô curiæ, vel conſuetudine exprimi debet, vitiet reſcriptum, etiamſi eâ expreſsâ Princeps nihilominùs conceſſiſſet. Sanchez *d. diſp. 21. n. 13.* quia jura hujusmodi qualitatis expreſſionem exigunt pro forma, quæ ad unguem obſervanda eſt etiam in minimis.

Dico III. Ob-aut ſubreptio, etſi per ignorantiam aut ſimplicitatem contigerit, vitiat tamen reſcriptum, ſi eſt cauſa conceſſionis, id eſt, ſi Princeps tacitâ falſitate, vel expreſsâ veritate nullô modô reſcripſiſſet. *d. c. 20. & ibi* Panorm. *n. 4.* Ratio eſt: quia deeſt voluntas concedentis, à qua dependet valor reſcripti. Ad cognoſcendum autem, quibus tacitis,

vel expressis Princeps verisimiliter gratiam concessisset, vel non concessisset, attendi debet communis stylus Principis, vel usus Cancellariæ, item probabilis conjectura, vel communis usus aliarum literarum, quas Principes concesserunt, vel concedere consueverunt; potissimùm verò an non gratia præjudicium inferat: quia contra hunc stylum, & usum, aut in præjudicium tertii Principes non præsumuntur aliquid concedere. Vid. latè Felin. *in d. c.* 20. *à n.* 8.

12 II. Vitiatur Rescriptum gravi, manifesto, & inexcusabili errore latinitatis: cùm enim transeat per manus multorum officialium, & non sit verisimile eos non vidisse, aut emendâsse falsam latinitatem, ideo præsumitur, hujusmodi rescriptum extra voluntatem, & Cancellariam Principis ab aliis fuisse falsificatum. *cap.* 11. *& ibi* Gloss. *h. t.* Hæc tamen præsumptio probabiliter est juris tantùm, non verò juris & de jure: cùm enim ista excludat probationem in contrarium de jure naturalem concessam, non est inducenda sine textu expresso; expressus autem textus ostendi nequit. Dissentit Fagnan. *in d. c.* 11. *n.* 3.

13 III. Rescriptum regulariter vitiatur & de falsitate suspectum redditur rasurâ factâ in loco substantiali, id est, in parte dispositiva, sive in conclusione. *c.* 5. *de Crimine falsi c.* 12. *in fine. de Privilegiis.* & ibi Gloss. *in V. rasura.* Dixi: *regulariter.* Exceptiones notabiles dabit P. Engel *h. t. n.* 15.

14 IV. Rescriptum vitiatur ejusdem abusu: abutentes enim privantur commodo rescripti, & ad expensas, quas propterea adversarios tulisse constiterit, condemnantur. *c. fin. h. t.* ubi modi rescriptis abutendi recensentur.

Cæterea rescriptorum vitia facilè ex dictis colliges.

TITULUS IV.

De Consuetudine.

SUMMARIA.

1. Consuetudinis homonymia. 2. Definitio.
3. Et divisio.
4. Actus, quibus consuetudo introducitur, debent, esse facti animo eam introducendi.
5. Voluntarii. 6. Notorii. 7. Frequentes.
8. Uniformes. 9. Et diuturni.
10. Non valet consuetudo contraria juri divino vel naturali; item Ecclesiæ, Religioni, aut bono publico
11. 12. 13. 14. 15. 16. Quædam consuetudines invalidæ recensentur.
17. Ad consuetudinem stabiliendam requiritur saltem generalis Legislatoris consensus.
18. Consuetudo obligat instar legis.
19. Consuetudo secundùm legem eandem interpretatur; consuetudo præter legem jus novum constituit: consuetudo contra legem eandem tollit.
20. De Ab- & derogatione Consuetudinis.

Visum est de Jure scripto, nempe Constitutionibus & Rescriptis: Sequitur de Jure non scripto, quo nomine Consuetudo indigitatur.

§. I.

Consuetudo dupliciter usurpatur. I. causaliter: pro frequentia actuum, & pro eo, quod in communi usu est; quo sensu propriè dicitur consuetudo facti, usus, mos, seu mores. 1
II. formaliter: pro ipso jure, quod ex diuturno usu & repetitis hujusmodi actibus oritur, & vocatur consuetudo juris. In hoc sensu hic accipitur, &

§. II.

Definitur Consuetudo ab Isidoro in *c.* 5. 2
dist. 1. quòd sit *jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex.* Verùm cum hæc definitio neque diuturnitatem, & tacitum populi consensum, potissima consuetudinis requisita, explicet, neque consuetudini contra legem conveniat, exactiùs alii ex §. 9. *J. de J. N. G. & C.* ex *l.* 32. *ff. d. LL.* definiunt Consuetudinem, quòd sit jus

jus diuturnis moribus, & tacito populi consensu introductum.

§. III.

3 *Dividitur* Consuetudo I. in Canonicam & Civilem: illa est, quæ locum habet in materia spirituali, seu Ecclesiastica, ut est consuetudo jejunandi, vel observandi aliquod festum; Civilis est, quæ versatur circa materiam merè temporalem, & propriam Laicorum.

II. Dividitur Consuetudo in Generalem, & Particularem. Generalis est, quæ in tota Republ. & à communitate Ecclesiastica, vel Civili generaliter recepta est; quo passim referuntur Consuetudines Feudales; Particularis est, quæ in certa solùm Reip. parte & à particulari solùm communitate v. g. Universitate, vel Civitate est approbata.

III. Dividitur Consuetudo in illam, quæ est secundùm legem, præter legem, & contra legem. Consuetudo secundùm legem est, quæ ei consonat, eamque præexistentem supponit; unde solùm est consuetudo facti, & continua legis observantia, nec jus novum constituit. Consuetudo præter legem est, quæ introducitur in ea materia, de qua lex scripta nihil disposuit. Denique Consuetudo contra legem est, quæ illam vel ex toto abrogat, vel ex parte eidem derogat; hinc communiter desuetudo nuncupatur. §. IV.

4 *Causa efficiens* Consuetudinis sunt mores sive actus, è quibus populi & communitatis alicujus consensus in consuetudinem deprehenditur. §. 9. *Inst. de J. N. G. & C. l.* 32. *in fine ff. de LL.* Unde

I. Hi actus debent esse frequentati animo introducendæ consuetudinis & obligationis, vel abrogandi legem antiquam. Gloss. *in c. frustra. dist.* 8. Ratio est: quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. *l.* 19. *ff. de Reb. cred.* ergo non inducunt consuetudinem, nisi ex parte populi adsit intentio inducendi illam. Et hâc ratione nulla oritur consuetudinis obligatio ex actibus, qui fiunt ex devotione, seu mera voluntate libera, aut ex gratia: veluti si populus sæpiùs certum obsequium vel Eleemosynam præstet alicui Ecclesiæ, aut domui pauperum; certas preces v. g ad pulsum angelicum persolvat, aquam benedictam in ingressu templi recipiat &c. Suarez *lib.* 7. *de LL. c.* 14. *n.* 6.

Porrò idem Suarez *c.* 15. subjungit plures, & pro praxi notabiles regulas, ex quibus conjici possit, consuetudinem cum animo obligandi introductam esse. *Prima* est, si materia consuetudinis ejusque obligatio bono publico sit valdè utilis. *Secunda*, si consuetudo longæva & difficilis servetur à majore parte populi; difficilia enim non solent à multis servari, nisi subsit obligatio. *Tertia*, si prudentes & timorati malè sentiant de violantibus consuetudinē, & populus inde scandalizetur. *Quarta*, si Prælati, aut Magistratus reprehendant aut puniant violatores. Extra has verò & similes circumstantias in dubio consuetudo habenda est potiùs pro voluntaria, & supererogatoria, quàm pro obligatoria & conscientiâ stringente; quia nemo facilè præsumitur velle obligari, cùm esse obligatū onerosum sit & grave.

II. Debent esse plenè liberi & voluntarii: 5
quia actus involuntarii consensum populi indicare non possunt. Ex quo

Sequitur I. non induci consuetudinem per actus metu extortos: quia tales actus facti ex solo timore, ita ut eo absente non fierent, non sunt, nec moraliter præsumi possunt, facti animo inducendi consuetudinem, sed potiùs animo evadendi malum, quod operanti per metum intentatur; ac proinde non sunt sufficiens indicium, ex quo colligi possit publicus consensus populi in consuetudinem Pirrhing *h. t. num.* 27.

Sequitur II. neque induci consuetudinem per actus ex ignorantia vel errore actos, sed debent procedere ex scientia, quod necdum

sit obligatio legis, ad hoc ut obligationem inducant; vel ex scientia legis latæ, ad hoc ut illam tollant. Panorm. *in c. ult. h. t. num.* 12. Ratio est: quia actus erronei sunt involuntarii: nihil enim tam contrarium est consensui, quàm error. *l.* 15. *ff. de Juris dict. l.* 116. §. 2. *ff. de R. J.* Unde si populus ex errore observaret per decennium aliquem diem festum vel jejunium, existimans se ad hoc obligari, non faceret consuetudinem juris: item si materialiter transgrederetur legem, quam nesciret exstare, non præscriberet contra legem. Haunold *de J. & J. tr.* 1. *proœm. c.* 3. *controv.* 3. *n.* 140.

Non obstat *l.* 39. *ff. de LL.* ubi dicitur: *quod non ratione introductum, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet:* sensus enim non est, quòd consuetudo per errorem inducta sit valida in sua materia, non verò sit extendenda ad casus similes; sed sensus est, quòd talis consuetudo durante errore obtineat, illo autem detecto non duret, neque det jus ad exercendos actus similes illis, qui antea ex consuetudine putativè legitima exercebantur.

6 III. Actus, quibus consuetudo introducitur, debent esse publici & notorii ipso facto, hoc est, non clam & in occulto, sed palam & publicè fieri, ita ut ex illis colligi possit tacitus populi, seu communitatis consensus. Non est tamen necessarium, quod aliqui volunt illos actus esse judiciales, sive in judicio contradictorio obtentos, & à judice approbatos: siquidem populus non minùs potest consensum suum declarare per actus extrajudiciales, quàm judiciales; quod & apparet ex *l.* 38. *ff. de Legib.* ubi Juris-Consultus separatim consuetudinem, aut rerum similiter judicatarum authoritatem in ambiguitatibus vim legis obtinere dicit. Neque moror *l.* 34 *ff. Eod.* quia consilii est, non verò necessitatis; adeóque tantum innuit, expeditissimum consuetudinis probandæ modum esse, dispicere, an etiam contradictorio aliquando judicio consuetudo firmata sit. Et hanc sententiam sequi Cameram Imperialem, testis est Gail. *l.* 2. *obser.* 31. *num.* 8.

IV. Hi actus debent esse ita frequentes, ut tacitum populi consensum arguere & manifestare possint. *l.* 1. *C. Quæ sit longa consuet. l.* 3. *C. de Ædific. privat.* Unde non facilè unus aut duo actus sufficiunt ad consuetudinem introducendam: & quia neque jus certum numerum actuum definivit, aut definire potuit, cùm diversissimæ circumstantiæ & occasiones modò magis, modò minùs actus afficiant, populi notitiam & consensum impediant vel promoveant, ideo communiter Judicis arbitrio relinquitur, ut statuat, an tot actus contigerint, ut populi consensus ex iis verosimiliter colligi possit. arg. *l.* 1. §. 2. *ff. de Jure deliber.* Cui sententiæ adstipulantur Gail. *d. obser.* 31. *n.* 7. Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 2. *casu* 81. *n.* 4. Nec refragatur *l.* 3. *C. de Episc. audient. &c.* 25. *caus.* 25. *q.* 2. ubi geminatio ejusdem criminis consuetudo dicitur; ibi enim sermo est, non de consuetudine juris inducente vel abrogante legem, sed de quadam consuetudine facti & assuefactione criminis, quæ sufficiat ad pœnam augendam, & ad veniam non facilè concedendam, non ad jus consuetudinarium constituendum; quemadmodùm ex exemplo de geminata cæde & aliis *in cit. textib.* positis satis liquet.

V. Actus debent esse uniformes: nam difformitas actuum omnem populi consensum evertit. Ubi tamen cautè procedendum, & bene distinguendum duxerim, quo tempore varietas actuum exstiterit: an sub initiis consuetudinis, an post aliquod tempus, an verò jam firmatâ consuetudine; nec enim ab initio statim omnes populi seu communitatis actus per omnia similes facilè esse possunt, nec firmatam jam consuetudinem unus aut alter

actus

actus abrogare valebit, sed illa difformitas maximè obest, quæ medio succrescentis consuetudinis tempore intervenit, ita ut tunc unico notorio actu contrario interrumpi & perimi consuetudinem necdum completam, aut præscriptam, DD. vulgò statuant cum Panorm. *in c. fin. n.* 19. *h. t.*

9 VI. Denique actus debent esse diuturni, *§. 9. J. de J. N. G. & C. l. 32. §. 1. l. 33. ff. de LL.* Quæ verò temporis diuturnitas ad inducendam consuetudinem requiratur? non una omnium est sententia. *Prima* requirit tempus immemoriale, seu centum annorum eò quòd consuetudo *longæva* dicatur *in l. 2. C. Quæ sit longa consuet.* longævum autem juxta *l. 23. C. de SS. Eccles.* 100. annos denotet. At hæc opinio hodie antiquata est: quia jura sæpius longi tantùm temporis mentionem faciunt, sicut *in Tit. C. quæ sit longa consuet.* *Secunda* requirit 10. annos inter præsentes, & 20. inter absentes, cùm hoc respectivè sit longum & diuturnum tempus ad consuetudinem à legibus requisitum arg. *cit. Rubr. C. quæ sit longa consuet.* Sed hæc distinctio quò ad membrum *inter absentes* reprobatur, quia populus, seu communitas, in qua consuetudo inducitur, semper præsens esse intelligitur, licèt aliqui ex illa absint. *Tertia* indistinctè requirit 10. annos tam de Jure Civili, quàm Canonico, cùm longum & diuturnum tempus isto spatio concludatur. Verùm hæc subsistere nequit, tum quia tempus longum, seu diuturnum etiam de 30. & 40 annis verificatur *l. 2 V. diu res alienas. C. de Præscript.* 30. *ann. l. 57. ff. de ritu nupt.* tum quia repugnat eodem tempore elici tacitum populi consensum in rebus magni momenti, quo in levioribus & nullius præjudicii, ut consideranti patescit. *Quarta* & communior sententia hoc quidem decennii tempus approbat ad stabiliendam consuetudinem contra, vel præter jus Civile, item præter jus Canonicum; contra jus Canonicum verò 40. annos exigit: quia ut consuetudo deroget juri Ecclesiastico, debet esse legitimè præscripta. *c. fin. h. t. c. 3. eod. in 6.* ergo tantùm temporis requiritur ad consuetudinem contra legem Canonicam, quantùm ad præscriptionem, & consequenter 40. anni. arg. *c. 4. 6. & 8. de Præscript.* At malè concludit hæc argumentatio: siquidem aliàs sequeretur, contra Jus Canonicum nec 40. annos sufficere, sed semper requiri 100. hoc enim tempus exigit præscriptio contra Romanam Ecclesiam & Jura Pontificia, quibus accensentur constitutiones Canonicæ. Ego in hac opinionum varietate cum Harprecht *ad §. 9. J. de J. N. G. & C. n.* 19. & plurimis ibid. laudatis existimo, determinationem temporis, quippe nullâ lege definiti, relinquendam esse judicis prudentis arbitrio, qui observabit, an tantùm temporis præterierit, quantùm sufficit, ut ex ejus lapsu possit rationabiliter præsumi consensus populi in consuetudinem. *arg. d. l. 1. §. 2. ff. de Jure deliber.*

§. V.

Subjectum consuetudinis est communitas, ejúsque membra, cives, & subditi, qui consuetudine obligantur. Quinam autem obligentur, facilè deducitur ex iis, quæ supra *in Tit. 2. §. 7.* de subjecto constitutionis, seu legis dicta sunt: quia quò ad hoc consuetudo legem imitatur per *§. 9. J. de J. N. G. & C.*

§. VI.

Materia, seu objectum consuetudinis est 10
idem, quod legis. Unde sicut non potest lex expressa statui de iis, quæ juri naturali, aut Divino adversantur, vel Ecclesiæ, Religioni, aut bono publico perniciosa sunt. *c. 2. dist. 4.* ita nec induci consuetudo, per *c. 5. dist. 1. c. 3. 5. & 8. dist. 8. c. fin. & ibi DD. h. t.* & hinc

Resolves I. Nulla consuetudine utcunque 11
immemoriali induci posse, ut usurarum exercitium sit licitum. *Clem. un. in fine print. de Usuris.* Covar. *lib. 3. Var. Resol. c. 1. n. 8.*

Ratio est: quia usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestatur. *c. 3. & 4. de Usuris.* & expressum est *Levit. c. 25. & Luc. c. 6.*

12 Resolves II. Corruptelam esse arithmeticam illam, & circularem bibendi consuetudinem. *c. 14. de Vita & honest. Cler.* ubi Innocentius Papa abolet abusum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales obligantur potatores, & ex combibonibus ille plus laudatur, qui plures inebriat, & calices exhaurit fœcundiores, prout & per Recess. Imperii sæpius, & in specie *Anno* 1500. *tit.* von zutrincken. sub mulcta pecuniaria, & postea *Anno* 1512. sub pœna corporali immoderata bibendi consuetudo reprobatur. Ratio est: quia alium provocare, & urgere usque ad ebrietatem, vel periculum ebrietatis est contra jus naturæ, & grave peccatum, ut cum communi docet Dicastillo *de virtut. Cardin. l. 1. D. 3. n. 148.*

13 Resolves III. Non valere consuetudinem contra immunitatem Ecclesiasticam, præsertim ut Clerici coram Judice laico conveniantur. Gloss. *in c. Clerici V. consuetudine de Judiciis.* Panorm. *in c. fin. h. t. n. 15.* Ratio est: quia Clericorum exemptio probabiliter est juris Divini. *c. quanquam 4. de Censib. in 6. Trid. sess. 25. de Reform. c. 20.* Et licet juris positivi tantùm foret, tamen consuetudo contraria non subsisteret, eò quòd generalis quoque consensus Pontificis desit, dum expressè resistit, & annullat omnem consuetudinem contrariam. *c. 3. h. t. d. c. Clerici de Judic. c. 49. de Sentent. excomm.* & quotannis in Bulla Cœnæ Domini *n. 15. 19. & in fine.* Neque refert, quòd S. Pontifex sciat, in multis locis contrarium practicari: nam multa, quæ per patientiam tolerantur (quia ut evitentur majora mala, impediri non possunt) non hoc ipso comprobantur, præsertim dum contraria protestatio singulis annis renovatur. *c. 6. dist. 4. c. 18. de Præbend.*

14 Resolves IV. Invalidam esse consuetudinem quâ Prælato bona Ecclesiastica liberè alienare liceat. Panorm. *in c. 5. de Reb. Eccles. non alien.* Glossa *in Clem. 2. V. consentiente in fine. Eod.* Ratio est: quia talis consuetudo non potest non cedere in grave detrimentum Ecclesiæ, nec apparet, quomodo hoc damnum compensari & res cohonestari possit.

Resolves V. Viribus destitui consuetudinem quâ filii & filiæ, quæ religionem ingrediuntur, hæreditate privantur. arg. *c. fin. causa 19. q. 3. & Novel. 123. c. 41.* Ratio est: quia hujusmodi consuetudo impediret, aut restringeret libertatem ingrediendi religionem contra Trid. *Sess. 25. de Regular. c. 16. 17. & 18.*

Resolves VI. Irritandam, quin etiam irritam esse consuetudinem, per quam sententia Ecclesiasticæ censuræ violatur. *c. 5. & ibi* Panorm. *n. 2. h. t.* Ratio assignatur in textu: quia non valet consuetudo, per quam nervus Ecclesiasticæ disciplinæ enervatur: esset enim irrationabilis, & Ecclesiæ, ac bono publico perniciosa, ideoque rejicienda per *c. 7. & ult. h. t.* atqui censura Ecclesiastica est veluti nervus Ecclesiasticæ disciplinæ: nam sicuti corporis membra nervis continentur, ut officiis suis ritè fungi possint, ita fideles in officio continentur censuris Ecclesiasticis, earúmque metu. Aliæ complures reprobatæ consuetudines in *c. 1. 3. 4. 7. 9. & 10. h. t. in c. 1. & 2. Eod. in 6. in l. 9. ff. ad Leg. Rhodiam de jactu.* & passim occurrunt, quas suis locis explanabimus. 18

§. VII.

Forma consuetudinis desumitur à Legislatoris tacito consensu: siquidem in eo essentialiter differunt lex & consuetudo, quòd in illa expressus, in hac tacitus Legislatoris consensus interveniat. Pirrhing. *h. t. n. 15.* & verò extra statum Democraticum præter consensum populi necessariò ad introducendam consuetudinem concurrit Principis, seu Superioris consensus: nam sine hoc nullum jus constitui potest. Suarez *lib. 7. de LL. c. 13.* 19

Qui

Quæritur autem, qualis consensus ex parte Legislatoris requiratur? est enim hic consensus alius personalis, alius legalis, juridicus, seu realis. Personalis dicitur, qui immediatè & personaliter datur à legislatore sciente consuetudinem, eámque vel expressè, vel tacitè approbante. Legalis, seu generalis, qui per Legem, seu jus datur, & exprimitur à Legislatore generaliter statuente, ut valida sit consuetudo certis conditionibus affecta, prout exprimitur in utroque jure, videlicet, *in c. fin. h. t. l. 32. & seqq. ff. de Legib. l. ult. C. Quæ sit longa consuet.*

R. Cum Suarez *d. c. 13. n. 6.* & communioriDD. ad inducendam consuetudinem consensum personalem, adeóque, & scientiam Legislatoris non requiri, sed sufficere consensum legalem, seu juridicum. Ratio est: quia jura paulò ante allegata plus non exigunt, quàm ut consuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta, neque de personali consensu mentionem faciunt. Deinde Princeps speciales locorum consuetudines ut plurimum ignorare præsumitur. arg. *c. 1. de Constit. in 6.* quæ causa foret, ut rarò vel nunquam consuetudo induceretur. Ad hæc, consensus juridicus non videtur minoris efficaciæ, quàm personalis, cùm taciti & expressi fermè sit eadem conditio & natura.

§. VIII.

18 *Finis* Consuetudinis est bonum commune, id est, publica communitatis salus, pax, & tranquillitas: ut enim leges, ita quoque rationabiles consuetudines observari, publicè expedit.

§. IX.

19 *Effectus* consuetudinis est vel generalis, vel specialis. *Generalis* seu omni consuetudini communis effectus idem est, qui legis, ita ut perinde obliget ad scientiam & obedientiam, aut pœnam, per *l. 32. §. 1. ff. d. LL.* ubi dicitur: *inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur*, & per *l. 33. ff. eod.* ubi habetur: *diuturna consuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet.* Ex quo

Infertur I. Delegatum cum clausula, ut secundùm jus judicet, posse & debere causam terminare secundùm laudabilem loci consuetudinem, cùm æquè juris species sit, atque jus scriptum Panorm. *in c. cùm nobis. n. 6. de Elect.* & colligitur *ex princ. Inst. de Offic. Judicis, & c. 3. de eo, qui mitt. in possess.*

Infertur II. Sententiam de facto latam contra consuetudinem non minùs, quàm latam contra expressam Legem ipso jure nullam esse, adeò ut lapsu 10 dierum non transeat in rem judicatam, nec ad appellationis auxilium pervenire necesse sit, arg. *l. 19. ff. de Appellat. l. 2. & 5. C. Quando prov. non est necess.* & teste Gail. 1. *Observ.* 127. *n.* 8. hæc opinio in Camera recepta est.

Infertur III. Consuetudinem ad instar Legis rectè ad similes casus quandoque extendi posse. Zasius *ad l. 32. ff. de LL. n. 4. &* 8. idque tunc, quando est identitas rationis, & unus casus alterum, quasi involvit, per *l. 1. C. Quæ sit longa consuetudo:* ibi namque dicitur, ut præses provinciæ probatis iis, quæ in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causâ cognitâ statuat. Ubi particulæ *in eodem genere* moralem identitatem denotant, & ejusdem generis actus. Ex præcisa similitudine rationis autem consuetudo extensionem haud recipit: quia est quodammodò stricti juris, & tantùm habet de vi & efficacia, quantùm de usu & actu, adeoque ultra id, quod actum est, non porrigitur. Pirrhing. *h. t. n.* 51. ampliùs & hoc tradit Mascardus *de Probat. vol. 1. concl.* 423. *n.* 13. quòd consuetudo neque de persona ad personam, neque de loco ad locum extendatur.

Effectus specialis. Consuetudinis pro ejusdem diversitate variat. Nam *effectus* præcipuus consuetudinis secundùm legem est, quòd

legem certam observando confirmet, ac in usu retineat. *c.* 3. *dist.* 4. incertam verò & dubiam interpretetur & declaret, quippe optima legum interpres. *c.* 8. *h. t. l.* 37. *ff. de Leg.* Unde Socinus *consil* 209. dicit, quòd sequi debeamus intellectum legis à consuetudine approbatum etiam verba impropriando; & Baldus *in c.* 1. *de Constit. lib.* 6. *col.* 4. asserit, quòd omnis dispositio potiùs recipiat interpretationem à jure consuetudinario, quàm communi. Imò juxta Panorm. *in c.* 1. *de Judiciis.* consuetudo interpretatur etiam jus Divinum, non quidem addendo aliquid, vel minuendo de ipso, ut potest contingere in interpretatione legis humanæ, sed solùm indicando mentem Legislatoris, ut patet in multis traditionibus, & generalibus consuetudinibus totius Ecclesiæ circa usum Sacramentorum, quæ sufficienter Christi institutionem declarant. Suarez *lib.* 7. *de LL. c.* 17. *n.* 6.

Effectus consuetudinis præter legem est, quòd jus novum constituat, & in materia lege non præcepta obligationem inducat, idem enim operatur consuetudo in casu à lege prætermisso, quod lex in casu scripto *arg. d. l.* 32. *&* 33. *ff. de LL.* & cùm lex deficit, consuetudo pro lege suscipitur. *c.* 5. *dist.* 1.

Effectus Consuetudinis contra legem est, quòd legem humanam ex toto, vel ex parte abroget, sive sit Civilis. *d. l.* 32 *ff. de LL.* sive Canonica. *c. ult. h. t. & ibi* DD. communiter. Ratio est: quia consuetudinis & legis eadem est auctoritas, ergo quemadmodum lex posterior abolet priorem contrariam *l.* 26. *&* 2. *seqq. ff. de LL.* ita & consuetudo revocat legem anteriorem; modò talis consuetudo sit rationabilis & præscripta. Quo sensu textus in *c.* 2. *dist.* 11. *& l.* 2. *C. Quæ sit longa consuetudo,* aliáque jura in speciem contraria intelligenda sunt: nempe quòd loquantur de consuetudine, aut irrationabili, aut non legitimè præscripta. Ex his

Deduces I. Etiam in Sacramentalibus & aliis ad Sacramentorum substantiam non pertinentibus contra jus commune consuetudinem introduci posse, v. g. ut secundæ nuptiæ benedicantur, ut unâ vel trinâ mersione Baptismus conferatur &c. Colligitur *ex c.* 80. *dist.* 4. *de Consecrat. c.* 1. *de Cognat. Spirit. Clem.* 3. *de Ætat. & qualit. & Ord. præficiend.*

Deduces II. Legem quoque infirmantem, seu irritantem, puta, quæ formam, seu solennitatem substantialem actibus præscribit, vel certas personas ad contrahendum, eligendum &c. inhabiles reddit, per consuetudinem abrogari posse: cùm per legem de novo statutam id fieri queat, & in utraque sufficiens causa occurrere possit, quæ hujusmodi abrogationem honestet. Et ideò etiam impedimenta jure humano matrimonium dirimentia per generalem consuetudinem inscio S. Pontifice tolli, aut introduci posse, contra communiorem DD. satis probabiliter docet Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 4. Nec obstat, quòd Innocentius III. *in c.* 5. *de Consang. & affinit.* consultus respondeat, ne infra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, non obstante consuetudine, quæ dicenda sit potiùs corruptela: quia loquitur vel de consuetudine, nec dum perfecta, & aliquorum tantùm, qui eam contra Canones introducere præsumebant; vel de consuetudine tunc temporis & in illis circumstantiis irrationabili, quam proinde meritò reprobat, non tamè prohibet, quin ex justa superveniente causâ de novo introducatur, ut patebit ex statim dicendis.

Deduco III. Etiam leges humanas abrogantes, prohibentes, & re- aut improbantes consuetudinem contrariam tam in præteritum, quàm in futurum posse abrogari per consuetudinem supervenientem, quando contingit res ita mutari, ut ex prudenti judicio illud rationabile, & communi bono consentaneum vi-

videatur, quod aliàs, quando lex statuta est propter alias circumstantias inconveniens apparebat: non enim Legislator talem casum comprehendisse censetur. arg. *l.* 30. *ff. Mandat.* & alioquin lex posterior potest abrogare priorem, etsi in ea reprobetur Panorm. *in c. fin. h. t. n.* 24. *& in c.* 2. *n.* 8. *de Probat.*

Deduco IV. Leges item pœnales mixtas consuetudine tolli posse: idque vel simpliciter, vel secundùm quid, scil. quò ad pœnam tantùm relicta obligatione ad culpam, vel quò ad culpam tantùm relictô debitô ad pœnam: quia pœna & culpa lege positiva separari possunt, & aliàs communis regula est, idem juris esse de parte ad partem, quod de toto ad totum arg. *c.* 28. *§. item cùm totum. de Offic. deleg. & l.* 76. *ff. de R. V.* Excipiuntur singulariter pœnæ illæ, quæ suaptè naturâ, & quasi intrinsecè propriam culpam præsupponunt, cujusmodi sunt censuræ Ecclesiasticæ, quæ nonnisi propter inobedientiam, ac contumaciam infliguntur, & ita culpæ inseparabiliter sunt annexæ. Layman *tr.* 4. *de LL. c.* 14. *n.* 12.

Cæterùm, ut consuetudo hosce effectus fortiatur, probatam esse oportet: nam licèt propriè dictum jus sit, quod aliàs supponitur. *l.* 2. *ff. de Juris & facti ignor.* quia tamen facti esse dicitur *in c.* 1. *de Constit. in* 6. quatenus nìm. ex factis dependet, ideò ab allegante, cui juxtà communem regulam onus probandi incumbit, probanda est. *l.* 1. *V. probatis his. C. Quæ sit longa consuet.* nisi fortè jam priùs fuerit notoria, vel à Jure scripto confirmata: quo casu probatione opus non haberet. Zoës. *ad ff. de LL. n.* 84. *Primò* autem idoneè probatur consuetudo per duos, vel tres testes omni exceptione majores. arg. *l.* 12. *ff. de Testib. Secundò* per literas publicas, sive acta, instrumenta & alia similia documenta publicè conscripta super iis, quæ in judicio geruntur. *arg. c.* 11. *de Probat. l.* 15. *C. de Fide instrum.*

§. X.

Contraria Consuetudinis sed ejusdem ab- 20
aut derogatio, quæ dupliciter fieri possunt.

I. Per legem posteriorem. *c.* 1. *de Constit. in* 6. *c.* 9. *h. t.* Ratio est: quia lex prior potest abrogari, aut derogari per aliam legem: ergo & consuetudo, quæ pro lege suscipitur, & legem imitatur. Dummodò *primò* lex habeat omnimodam contrarietatem & repugnantiam cum consuetudine: correctio enim Juris, consequenter & consuetudinis legitimè præscriptæ, vitanda est, quò ad fieri potest. *l.* 32. *C. de Appellat.* Dummodò *secundò* Legislator sit conscius consuetudinis: siquidem ut abroget consuetudinem, debet habere voluntatem abrogandi, quam habere nequit, si consuetudinem ignoraverit, cùm voluntas non feratur in incognitum. Bonacina *de LL. disp.* 1. *q.* 1. *puncto ult. §.* 3. *n.* 38. cum quo ex his

Inferes I. Consuetudinem generalem abrogari per legem contrariam etiamsi nullam clausulam derogatoriam expressè contineat. Panorm. *in c. fin. n.* 24. *h. t.* Ratio est: quia Princeps censetur nôsse consuetudinem universalem, eáque cognitâ contrarium disponere, & consuetudinem antecedentem revocare (vel universim, si lex quoque sit generalis, vel in certo saltem loco, si particularis) quemadmodum abrogat legem priorem per posteriorem quamvis de illa mentionem non faciat, *d. c.* 1. *de Constit. in* 6.

Inferes II. Per legem universalem non abrogari consuetudines speciales locorum, nisi eorum mentio fiat, aut saltem addatur clausula derogatoria cujuscunque consuetudinis contrariæ. Ratio est: quia Princeps censetur ignorare consuetudines speciales. *d. c.* 1. *de Constit. in* 6. & consequenter non censetur eas velle obrogare. Imo ad abrogandam consuetudinem immemorialem non sufficit clausula generalis derogatoria consuetudinis

particularis, sed debet specificè exprimi: consuetudo enim immemorialis, id est, cujus initium nescitur, habet vim privilegii à Principe concessi. *c. 36. de V. S.* cui non derogatur clausulâ generali: sicut nec præscriptio immemorialis excluditur exclusâ præscriptione generaliter. *arg. l. 3. §. 4. ff. de aqua quotid. & æstiva.* Mascard. *de Probat. conclus.* 1352. *n.* 45. Covar. 3. *Variar. Resol. c.* 13. *n.* 5.

Inferes III. Nec consuetudinem particularem abrogari per legem particularem, & pro loco ejus consuetudinis à Principe universali latam, nisi consuetudinis mentio fiat: quia adhuc censeri potest, Principem talem consuetudinem nescire. Aliud dicendum est, si lex feratur à Principe, seu legislatore particulari: quia talis consuetudinem particularem nôsse præsumitur, adeóque velle eam abolere latâ lege contrariâ. Quapropter per legem Episcopi abrogatur consuetudo ipsius Episcopatûs, per statutum oppidi, consuetudo oppidi, & sic de cæteris. Suarez *l. 7. de LL. c.* 30. *n.* 6. 7. & 8.

II Consuetudo abrogatur per aliam consuetudinem contrariam: generalis per generalem: particularis per particularem: quia, ut sæpe dictum, consuetudo legis effectum habet.

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

SUMMARIA.

1. *Postulationis Homonymia.* 2. *Definitio.*
3. *Et divisio.* 4 *Quinam postulare possint.*
5. *Quot vota postulantium sint necessaria, ut postulatio admittatur.*
6. *Ad quem spectet admissio postulationis.*
7. *Quinam debeant & possint postulari.*
8. *Indultum transeundi ad alium Episcopatum quid operetur.*
9. *Postulatio quibus verbis fieri debeat.*
10. *Quomodo petenda admissio postulationis.*
11. *Postulantibus an liceat variare.*
12. *Postulatio solennis admissa habet vim electionis.*

POsitis principiis Juris Canonici, agendum est de ejusdem Ministris & Executoribus, id est, Prælatis Ecclesiæ; qui assumuntur postulatione, electione, & translatione.

§. I.

Postulatio duas habet significationes. *Prima est*, quâ denotat querelam vel petitionem factam contra aliquem in judicio per *l. 1. ff. de Postulando. Secunda est*, quâ significat petitionem illorum, qui petunt in Prælatum personam, quæ propter defectum eligi non potest. In hac significatione hic accipitur, & 1

§. II.

Definitur postulatio, quòd sit petitio gratiæ superiori facta de promovendo aliquem ad Prælaturam, ad quam de jure communi propter defectum, vel impedimentum aliquod eligi, seu promoveri non poterat. Panorm. *ad Rubric. h. t. n.* 1. & deducitur *ex c.* 20. *& 23. de Elect.* 2

Dicitur: *gratia petitio.* Ad distinctionem electionis: hæc enim juxta Gloss. *in c. un. h. t. in* 6. innititur juri, adeò ut legitimè facta ex justitia à Superiore confirmari debeat, & electus sine injuria rejici non possit. *c. 3. de Elect.* Postulatio verò innititur gratiæ dispensationis, quam pro postulato postulantes à superiore petunt, & ideò negari potest, nec injuria fiet postulato, si rejiciatur, cùm denegare gratiam sit in potestate superioris. *c. 3. & 5. h. t.* Nonnunquam tamen tenetur superior dispensare cum postulato, & si nolit, compelli potest, maximè cùm vertitur causa communis. arg. *c. 25. & 28. dist. 50.* Panorm. *c. 3. h. t. n.* 14. 3 4 5 6

§. III.

Dividitur postulatio in solennem & simplicem. Solennis dicitur, quæ recta ad superiorem instituitur, ut in impedimento Canonico postulati dispenset, ut si à S. Pontifice postuletur minor 30. annis ad Episcopatum. *Simplex* est, cùm nulla dispensatio petitur, nullúmque intervenit impedimentum, sed solum 7

requi-

requiritur consensus superioris ad postulati promotionem necessarius. v. g. consensus proprii Abbatis, si Religiosus assumatur ad Prælaturam alterius Monasterii. *c.27. & 36. de Elect.* cùm autem hic consensus non involvat gratiam dispensationis, sed tantummodò conditionem apponat, quam Canones exigunt, posset talis simpliciter dici electus; quamvis ejus electio quodammodò postulatio dicatur, quia ipse electioni de se factæ nequit consentire absque sui superioris licentia. *c. 5. causâ* 18. *q.2. & ibi* Gloss. notab.

§. IV.

Causa efficiens Postulationis sunt vota postulantium, & auctoritas, seu licentia superioris, postulationem admittentis. *c. 4. §. cæterùm & c. 6. h.t.* Ubi

6 *Quær. I.* Quinam postulare possint: R. omnes, qui possunt eligere. *c. 1. in fin. c.4. h.t.* Hostiens. *in summa n.9.* Hinc qui diuturnæ consuetudinis præscriptione jus eligendi acquisivit, hôc ipsò acquisivit etiam jus postulandi, etsi ob defectum occasionis actum postulationis nunquam exercuerit. Licèt enim præscriptio, quippe stricti Juris juxta Panorm. *in c. 18. de Præscript.* non extendatur de casu ad casum, nec plùs aliquis præscribat, quàm possideat. *c.3. de R.J. in 6.* Fallit tamen hæc regula in iis, quæ necessariò connexa sunt, ut sunt electio & postulatio: hæc enim est quasi pars electionis per *c.30. de Elect.* & facit *c. cùm in tua. de Decimis.* Panorm. *in d. c 4. n.4. h.t.*

6 *Quær. II.* Quot vota requirantur, ut postulatio à superiore sit admittenda? R. si Postulatio concurrat cum electione alterius partis hoc est, si alii postulent, alii eligant, non debet admitti postulatio, nisi numerus postulantium sit duplo major, quàm eligentium v. g. ex 30. Electoribus debent concurrere 20. ad postulationem: aliàs præfertur electio etiam à parte minore factâ, modò unam tertiam superet, & sit de idoneo *c.40. & ibi* latè Panormit. *n.7. & 14. de Elect.* Quodsi verò postulatio fiat à majore parte Capituli, nullâ electione concurrente, an possit talis postulatio admitti per superiorem invitâ parte minore? controversum est. Ego affirmativæ non immeritò calculum adjicio: quia ordinariè ad gesta Capituli plus non requiritur, quàm ut major ac sanior illius pars consentiat per *c. 1. de his, quæ fiunt à maior. parte Capit. & l. 19. ff. ad municipalem.* Neque obstat textus *c. 3. h. t.* quia ibi postulatio Cardinalis non ideo repulsa est quòd à majore tantùm parte facta sit, sed quia facta est contra majorem Ecclesiæ universalis utilitatem, ut litera exprimit.

Quær. III. à quo superiore debeat peti, & 6 fieri admissio postulationis?

R. I. In postulationi solenni regulariter ad eum pertinet postulationis admissio, ad quem spectat electi confirmatio: quia admissio postulationis habet vim confirmationis, ut dicemus, & probatur ex *c.2. h.t.* Unde si quis postuletur ad Episcopatum, ejus admissio ad Papam pertinet: quia causæ Episcoporum, cùm de gravioribus sint, ipsi soli reservantur. *c. 4. de Officio Legati. c.59. in fin. de Appellat. c.3. de Baptism.* cum similib. Ad alias verò inferiores Ecclesias, aut dignitates etiam Episcopi aut similes personæ Ecclesiasticæ, ad quas confirmatio spectat, postulationem admittere possunt; dummodò tamen in defectu postulati dispensare possint: qui enim nequit dispensare, nequit etiam postulationem admittere, cùm ibi requiratur dispensatio. Vid. Panorm. *in c. ult. n.10. h. t.*

R. II. In postulatione simplici licentia consentiendi (ubi persona per se consentire nequit) & transeundi petenda est à superiore, cui postulatus immediatè subest. Sic si eligatur servus, à suo Domino. *c. 1. dist. 54.* Si libertus à Patrono *c. 5. eàd. dist.* Si Clericus à suo Ordinario *c. 2. causâ* 21. *q. 2.* Si religiosus privatus, à suo Superiore. *c.27. de Elect. in 6.*

Si

Si Abbas, ab Episcopo, vel si exemptus fuerit, à S. Pontifice, aut ejus Legato de latere postulandus erit. *c. 36. & ibi* Gloss. *de Elect. in 6.*

§. V.

7 *Objectum* postulationis solennis est persona vocata ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam, ad quam ob defectum Canonicum Jure eligi non potest. arg. *c. 4. & ult. h. t.* Talis autem defectus sit, necesse est, ut Superior in eo possit & soleat dispensare Pirrhing *h. t. n. 5.* Unde

Colliges I. Postulari non posse, qui ob animi, aut corporis vitium eligi nequeunt. *c. 40. de Elect.* veluti omnino illiterati. *c. 22. Eod.* temerè violantes interdictum. *c. 1. h. t.* falsarii. *c. 7. de crimine falsi.* Simoniaci *c. 12. in fine & 59. de Elect.* aliique criminosi & moribus infames per *c. 34. dist. 50. c. ult. de tempor. ordinat. c. 87. de R. J. in 6.* Item bigami, & spurii, sive ex damnato coitu nati. arg. *c. 10. ℣. persona de Renunt.* corpore viciati per *c. 21. de Elect. & c. 6. de corpore viciat.* aut aliâ indispensabili irregularitate, seu impedimento laborantes. Quòdsi tales scienter postulentur, postulantes eâ vice ipso jure privantur facultate postulandi, & eligendi. *c. 1. & 2. h. t. c. 40. de Elect.* Cujus ratio est: quia ita de eligentibus scienter indignum statuitur *in c. 7. § fin. de Elect.* Laym. *add. c. 1. h. t. n. 5.*

Colliges II. Postulari non posse, qui ab ipso jure postulari prohibentur: ut sub gravibus pœnis prohibentur postulari minores 27. annis ad Ecclesias Cathedrales; nec non Religiosi ex Ordine Mendicantium ad Ecclesias Cathedralibus inferiores Vid. *extravag. un. h. t. inter communes.*

Colliges III. Postulari posse & debere, qui vel patiuntur defectum in natalibus; ut illegitimè nati. *c. 20. de Elect.* vel ordinis; ut si ad Prælaturam petatur laicus, vel in Ordinibus minoribus constitutus. *c. 10. dist. 61. c. 22. de Elect.* vel ætatis: ut is, qui nondum complevit annum trigesimum, ad Episcopatum requisitum, *c. 7. & 10. de elect.* vel professionis in religione: ut Novitius, vel alius nunquàm expressè professus. *c. 13. & 27. de Elect. c. 28. Eod. in 6.*

Colliges IV. Solenniter quoque ad alias Ecclesias postulandos esse, qui vinculo spiritualis matrimonii Ecclesiis suis sunt adstricti: ut sunt Episcopi, Archi-Episcopi, aliique Prælati in eodem ordine Episcopo superiores, non modò consecrati, sed etiam confirmati tantum. *c. ult. h. t.* Solùm electi vero eligi debent, cùm absque ullius dispensatione vel licentiâ priori electioni de se factæ, imò & acceptatæ renuntiare possint. *c. 26. de Elect. in 6.* & matrimonium spirituale cum Ecclesia ante confirmationem nondum sit perfectè contractum, sed veluti inchoatum. *c. fin. de Translat. Episcopi,* Panorm. *in c. ult. n. 7. h. t.*

Dubium est, an Episcopus unius Ecclesiæ habens privilegium, seu licentiam à Papa transeundi ad aliam Ecclesiam debeat postulari, vel eligi? dixeris eligendum esse: siquidem concessâ licentiâ liberè ad aliam Ecclesiam transeundi non obstante vinculo conjugii spiritualis, videtur sublatum impedimentũ, adeóque nulla hujus dispensatio necessaria. Sed crebriore Doctorum calculo comprobata opinio est, talem Episcopum debere postulari, & non eligi per text. *d. c. ult. de Translat. Episcopi* tenétque Panorm. *ibid. n. 18.* Ratio est: quia talis licentia non dissolvit vinculum Matrimonii spiritualis cum Ecclesia, cujus causâ aliàs Episcopus postulandus est; ideóque non tollit impedimentum ex toto, sed solùm ex aliqua parte, seu quò ad aliquos ipsius effectas: nempe, quòd Episcopus ita privilegiatus possit statim consentire postulationi de se factæ, quod alioquin non liceret juxta *c. 16. §. denique de elect. in 6.* & consequenter idem jus acquirat, quod per consensum in electione, ita

ita ut postulantes nequeant ampliùs variare, & S. Pontifex vi dati privilegii eum confirmare teneatur. Ex quibus patet responsio ad argumentum contrarium, quod tunc rectè concluderet, si hujusmodi indultum auferret totum impedimentum, & vinculum, quô Episcopus Ecclesiæ alligatur.

Objectum Postulationis simplicis seu non solennis est persona, ad cujus promotionem non requiritur Superioris in defectu seu impedimento Canonico dispensatio, sed solùm consensus seu licentia ejus, cui persona ad dignitatem Ecclesiasticam vocata proximè subjecta, aut obligata est; ut Servus, Libertus, Religiosus &c.

§. VI.

Forma Postulationis stat in modo postulandi; qui sicut in electione triplex est: vel per inspirationem aut quasi inspirationem divinam, vel per compromissum, vel per scrutinium: quia electio & postulatio in jure æquiparantur. Panorm. *in c. quia propter de Elect. n.* 9. Sed de his *Tit. sequenti.* Hic

9 *Quær.* I. Quæ verborum forma in postulatione solenni, & votis edendis servanda sit?

℟. I. Si certum sit aliquem esse postulandum, non debet quis uti verbo: *eligo*, neque è converso verbo: *postulo*, si constet eum esse eligendum, aliàs uterque actus foret irritus. *c.* 4. *& ult. h. t.* & notat Gloss. *in c. un. V. eligat h. t. in* 6. Ratio est: quia qui taliter eligit, aut postulat, quod potuit, noluit, & quod voluit, non potuit adimplere: vox enim illud non significat, adeóque nihil aget per *l. in ambiguo.* 3. *ff. de rebus dubiis.*

℟. II Minimè valere electiones, aut postulationes sub his formis factas: *eligo postulando: postulo eligendo:* aut, *eligo postulandum: postulo eligendum. d. c. un. h. t. in* 6. Ratio est: quia hæ formulæ inter se continent repugnantiam: qui enim eligit, dicit eum, quem eligit, nullum habere defectum; qui verò postulat, defectum agnoscit, & fatetur. Zoël. *h. t. n.* 8. Singulariter tamen ex benignitate Canonum ob favorem & utilitatem Ecclesiæ receptum est; ut si probabilis facti (non juris. *c.* 13. *de R. J. in* 6.) ignorantia vel dubitatio intervenerit, utrùm quis vel postulandus, vel eligendus sit, valeat formula hæc: *eligo & postulo, prout melius de jure valere potest.* quo casu sic electus vel postulatus, quando consentit, tenetur viam electionis, vel postulationis eligere, & in ea, quam elegit, permanere. *d. c. un. & ibi* Gloss. P. Engl *h. t. n.* 7.

Quær. II. Quomodo petenda sit admissio 10
postulationis?

℟. I. Cùm postulatio soli gratiæ innitatur, nullâ actione juris admitti petitur, sed officium superioris simpliciter imploratur; quod semper solet fieri, ubi actio deficit. *c.* 2. *de Offic. Judicis.* Pirrching *h. t. n.* 2.

℟. II. In litteris postulationis exprimendi sunt omnes defectus postulati, qui electionem impedierunt: alioquin admissio illius foret nulla; & taliter postulantes scienter æquè privantur pro ea vice jure eligendi & postulandi, ac illi, qui scienter indignum postulant arg. *c.* 20. *de Elect. & c.* 1. *&* 2. *de Filiis Presbyter. in* 6. Cujus ratio est; quia in admissione postulationis debet intervenire dispensatio circa omnes defectus impedientes: atqui dispensatus in uno defectu, non est dispensatus in alio, qui in dispensatione non exprimitur: cùm dispensatio, utpote juris communis relaxatio, strictè interpretanda sit. *c. odia de R. J. in* 6. Vid. addit. ad Panorm. *in c. fin. h. t.*

§. VII.

Finis Postulationis est urgens necessitas, atque Ecclesiæ viduatæ utilitas, cui per postulationem electionis locò providetur. *c.* 4. *h. t.* Necessitas: si nullus in capitulo vel collegio sit, cui vacans prælatura tutò committi possit per *c.* 13. *dist.* 61. Utilitas verò, si postulati pietas, doctrina, prudentia, aliæque insigne-

signes qualitates eum prælaturæ præfici persuadeant. *c.* 1. & 3. *h. t.* Pirrhing *n.* 39.

§. VIII.

Effectus alius est postulationis Superiori præsentatæ, alius à Superiore admissæ.

11 *Effectus* Postulationis præsentatæ est, quòd ab ea postulantes sine consensu Superioris, cui præsentatio facta est, recedere, & alium eligere, vel postulare nequeant. *c.* 4. *& ibi* Interp. *h. t.* Et hoc non ideò, quasi per illam præsentationem postulato jus aliquod acquiratur, sed ne Superiori illudatur, aut ejus judicium à postulantium arbitrio dependere videatur, uti exprimitur *in d. c.* 4. *ad fin.* & facit *Clem. un. de Renunt.* ubi dicitur, illusionem & variationem in personis Ecclesiasticis maximè esse vitandam.

Ex quo à contrario sensu rectè infertur, antequam postulatio præsentetur Superiori, postulantes posse variare invito postulato; imò & nuntium, seu procuratorem revocare, antequam postulationem reipsa præsentârint, modò revocatio ad ipsum perveniat. *arg. c.* 33. *de Rescript. c.* 13. *de Procuratorib.* Atque in hoc est notabilis differentia inter electionem & postulationem, quòd in illa mox publicato scrutinio omnis variatio excludatur. *c.* 58. *de Elect.* in postulatione autem admittatur etiam postea, modò superiori nondum sit præsentata. Ratio diversitatis est: quia electio innititur juri, postulatio verò gratiæ. Et certè nec postulatus, nec superior de tali revocatione conqueri potest. Non postulatus: quia per postulationem nullum jus ei acquiritur, cùm sit inhabilis, nisi dispensetur. Non Superior: quia nemo gratiari aut dispensationem pro alio petere cogitur.

12 *Effectus* Postulationis admissæ est, quòd habeat vim electionis, & confirmationis, detque postulato jus, ac si fuisset electus & confirmatus, ita ut non indigeat aliâ confirmatione, vel electione, per *c.* 2. & 4. *h. t.* Quod ideò constitutum, & stylo Curiæ Romanæ receptum est, ut evitetur circuitus, ne iteratò cum Ecclesiarum dispendio adeundus sit is, qui simul & licentium dare, & electionem confirmare potest. Rectè tamen observat noster Panormit. *ad c.* 1. *n.* 34 *h. t.* hoc procedere duntaxat in postulatione solenni, non in postulatione non solenni, quando v. g. petitur licentia ab Abbate, ut assumi possit in Episcopum Religiosus ipsi subditus: tunc enim habitâ licentiâ sequi debet nova electio, & electionis confirmatio: quia Abbas non habet potestatem providendi Ecclesiæ Cathedrali.

TITULUS VI.

De Electione & Electi potestate.

SUMMARIA.

1. Electionis homonymia. 2. Et definitio. 3. Eligendi jus pertinet ad Capitulares. 4. Non nunquam etiam ad extraneos Clericos.

5. Non verò Laicos.

6. Nemo seipsum. 7. Vel successorem sibi eligere potest.

8. Ex Capitularibus suffragio carent impuberes. 9. Sacris ordinibus non initiati. 10. Nondum Professi. 11. Mendicantes transeuntes ad Ordinem non Mendicantium.

12. Censurati. 13. Non item irregulares. 14. Religiosi proprietarii. 15. Qui postulant minorem 27. annis ad Episcopatum, &c.

16. Qui tribus mensibus negligunt eligere novum Prælatum. 17. usque 20. qui eliguntur per abusum sæcularis potestatis. 21. Qui non observant formam electionis. 22. Et qui indignum promovent.

23. Ad electionem omnes vocandi sunt. 24. Qui debent. 25. Volunt. 26. Et possunt commodè interesse.

27. Ab-

27. *Absens legitimè impeditus votum dare potest per procuratorem, non scripto.*
28. *In eligendo præcipuè considerantur natales.* 29. *Genus.* 30. *Ætas.* 31. *Ordo.* 32. *Usque* 37. *Professio.* 37. *Scientia.* 38. *Fides.* 39. *Usque* 48. *Et morum probitas.*
48. *Eligendus est dignior.* 49. *Valet tamen electio digni omisso digniore.*
50. *Quis dignior dicatur?*
51. *Usque* 60. *De præparatoriis electionis.*
60. *Quotuplex sit modus eligendi.*
61. *Forma scrutinii.*
62. *Ad scrutinium requiritur Capitularium Congregatio.*
63. *Scrutatorum constitutio.* 64. *Usque* 70. *Votorum exquisitio.* 70. *Publicatio.* 71. & 72. *Collatio.*
73. *Electio communis.*
74. *Electio fieri debet de die.*
75. *Compromissum ad electionem à quibus.* 76. *In quos.*
77. *Et quomodo fieri possit?*
78. *Compromissarii ad eligendum dati possunt etiam postulare.*
79. *Et unum ex seipsis eligere.*
80. *Compromissum an revocari valeat?*
81. *Inspiratio vel quasi quomodo fiat?*
82. *De præsentatione electionis.*
83. *Quomodo electioni assensus præstari debeat?*
84. 85. *Quando electus teneatur consentire electioni?*
86. *Quando?* 87. 88. *Et à quo petenda.* 89. *Item quomodo concedenda sit confirmatio electionis?*
90. *De Episcoporum consecratione.* 91. *Et Abbatum benedictione.*
92. *Effectus electionis.* 93. *Confirmationis.* 94. *Consecrationis & Benedictionis.*

§. I.

1 *Electio*, prout denotat delectum personarum ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas, sumitur vel latè, vel strictè. Latè accepta quamvis vocationem, aut institutionem ad beneficium, ideoque etiam Postulationem, Præsentationem, Nominationem, ac Collationem complectitur: quia in his omnibus eligenda est persona beneficio idonea. Strictè verò seu propriè usurpatur pro vocatione ad Prælaturam vacantem per vota canonicè factâ. Et hæc acceptio est hujus loci, in qua.

§. II.

2 *Definitur* Electio, quòd sit personæ idoneæ ad Prælaturam Ecclesiæ vacantis canonicè facta vocatio, Colligitur ex *c.* 7. & 42. *h. t.*

§. III.

3 *Causa efficiens* Electionis sunt vota Eligentium. Eligere autem regulariter possunt, & ad electionem vocari debent soli, & omnes Capitulares Ecclesiæ vacantis, nisi speciali jure inhabilitati, aut ob censuram, vel culpam eligendi potestate privati sint. *c.* 1. & *ibi* Panorm. *h. t.* Quod ut prolixiùs intelligatur.

4 Dico I. Regulariter solos Capitulares Ecclesiæ vacantis eligere posse: nonnunquam enim electio etiam aliis Clericis extraneis competit; nempe I. ex privilegio S. Pontificis *c.* 8. *de consuet.* II. ex consuetudine, aut præscriptione quadragenaria. *c.* 3. *de Causa possess. & propriet.* III. ex fundatione, scil. si Patronus Ecclesiasticus aut sibi, aut alii Prælato, vel Capitulo in Ecclesia fundata jus eligendi reservet, prout reservare potest arg. *c.* 23. *de Jure patronat.* & *c.* 4. *de Condit. appos.* IV. ex pacto & unanimi consensu Electorum sede vacante, vel pro ea vice compromittentium, vel aliquem Clericum extraneum ad coëligendum admittentium. *c.* 8. *c.* 40. *h. t.*

Num autem Religioso, vel Canonico ad Prælaturam alterius Monasterii, vel Ecclesiæ translato pacto & consensu Capituli in Ecclesia, à qua translatus est, jus suffragii electivi reservari & concedi possit? ambigitur. Dixeris posse: cùm tale jus suffragii cuique etiam alteri personæ Ecclesiasticæ communicari valeat. *d. c.* 40. *h. t.* Verùm contrarium apertè decisum est *in c.* 47. *Eod.* Ubi hujusmodi concessio frivola dicitur, puta, si fiat vel in perpetuum, & ad dies vitæ: quia tunc per eam eidem

daretur jus duplex, Monachatûs aut Canonicatûs contra *c. fin. de Religios. domib. c. 1. de Privileg. in 6. & c. 37. causâ 16. q. 1.* vel sede nondum vacante: tunc námque præseferret tractatum futuræ electionis, qui reprobatur *in c. 36. h. t.* Secus est, si Religioso, aut Canonico translato jus eligendi concedatur sede vacante, & pro una tantùm vice: talis siquidem concessio subsistit, cùm per eam non daretur Capitularis communio in duobus Monasteriis, vel Ecclesiis, sed ut loquitur Panorm. *in d. c. 47. n. 3.* solùm fieret, ut pro utilitate Ecclesiæ haberentur plura judicia in actu electionis; in quem sensum intelligi debet, & potest oppositum *c. 40. h. t.* Hæc doctrina notetur: etenim, ut monet Joan. Andr. *ad Marg. hujus cap.* relatus, experientiâ constat, sæpissimè Monachos vocatos ad alia Monasteria hac de re dubitare.

5 Planè Sæculares jus eligendi, quippe spirituale nec pacto nec fundatione, nec quâcunque do natione consequi possunt. *cap. 51. h. t.* Quin imò nec consuetudine, aut præscriptione etiam immemorali, cùm Laici spiritualia possidere nequeant, sine possessione autem non procedat ulla præscriptio. *c. 7. de Præscript. c. 3. de R. J. in 6.* & textus est *in c. 56. h. t.* Quòd vero Sæculares privilegio Apostolico ad ritè eligendum, quemadmodum ad jus patronatûs, & alia jura spiritualia qualificari possint, tradit P. Engl *h. t. n. 4.* & olim factum fuisse perhibet *c. 13. 18. 22. & 23. dist. 63.*

Dico II. Omnes Capitulares Ecclesiæ vacantis eligere posse, nisi speciali jure inhabilitati, vel ob censuram, aut culpam eligendi potestate privati sint.

6 *Ob inhabilitatem* I. Nemo potest eligere seipsum, etsi in aliquo collegio unus solus supersit, in quo tunc universitatis jus adeòque etiam jus eligendi remaneat: tum quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio personalis *c. fin. de Instit. c. 26. de Jure patron. c. 3. de excessib. Prælat.* tum ne ambiendi dignitates detur occasio contra textus in *c. 9. causâ 8. q. 1. c. 17. h. t. l. 1. ff. ad leg. Jul. de ambitu.* Vid. Gonzal. *in cap. 33. h. t. num. 4. & seq.*

II. Prælatus antecessor non potest sibi eligere successorem. *c. 3. 4. & 5. causâ 8. q. 1.* Ratio est, ne in Beneficiis Ecclesiasticis introducatur successio quasi hæreditaria, quam magnoperè detestantur SS. Canones *cap. 7. causâ 8. q. 1. c. 7. & 11. de Filiis Presbyt. c. 17. de Jure patronat.* Accedit, quòd Prælatus non censeatur esse de collegio, nec veniat appellatione collegii, utpote ejusdem Caput. Glossa notab. *in Clem. ut ii. 2. de Ætat. & qualitat.* Panormit. *in cap. 1. n. 6. h. t.* Verùm cùm Successoris electio nec juri naturali, nec Divino, quo ad aliquas saltem personas, & casus adversetur, authoritate S. Pontificis alicui Prælato concedi poterit per *cap. 17. causâ. 7. q. 1.*

III. Ab electione arcentur impuberes, hoc est, minores 14. annis, si sint masculi; vel 12. annis, si sint fœminæ: quia carent discretione & judicio necessario in discernenda cujusque qualitate & conditione, *cap. 32. h. t. in 6.* Nec refert, malitia ætatem suppleat, nec ne, cùm canon non distinguat. Zoës. *h. t. n. 3.*

IV. Submoventur omnes tum Canonici, tum Religiosi, qui sacro saltem Subdiaconatûs ordine non sunt initiati: quoniam tam in *d. Clem. 2. de Ætat. & qualit.* quàm in Trid. *sess. 22. de Reformat. c. 4.* generaliter statuitur, ut *quicunque in Cathedrali, vel Collegiata, sæculari, vel Regulari Ecclesia divinis mancipatus officiis in Subdiaconatûs ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat.* Atque ita teste Mirandâ *in Manuali Prælator. Regular. tom. 2. q. 23.*

q. 23. a. 5. concl. 5. observatur in communi praxi in omnibus Ecclesiis sæcularibus & regularibus.

10 V. Eligere prohibentur, qui in Ecclesiis Regularibus, vel Monasteriis non sunt tacitè, vel expressè professi, ut Novitii. *d. cap. 32. §. in Ecclesiis & c. 43. h. t. in 6.* Ratio est: quòd, cum actu membra Religionis seu Monasterii non sint, non conveniat, ut Caput constituant.

11 VI. Prohibentur Professi etiam in Sacris constituti Mendicantes, qui ad non Mendicantium ordinem transierunt, tametsi Apostolicâ authoritate transierint, aut hoc ab aliis Capitularibus sibi liberè concederetur: *Clement. 1. de Regularibus.*

12 *Ob Censuram* eligere non possunt. I. Excommunicati excommunicatione majori *c. 14. & 39. h. t.* Minor excommunicatio, cùm non exercitio officii, sed tantùm Sacramentorum susceptione privet, haud obstat electioni activæ. *c. fin. de Clerico excommunicato &c.* II. Suspensi ab officio & multò magis beneficio & officio simul. *cap. 16. in fin. h. t.* non autem suspensi à beneficio tantùm: quia suspensio à beneficio duntaxat privat à percipiendis fructibus: eligere verò non est fructus beneficii, sed potiùs actus officii vel jurisdictionis. Gloss. apud Barb. *J. F. U. lib. 1. c. 19. n. 59.* III. Interdicti interdicto personali, quod importat suspensionem, *d. cap. 16. h. t.* Interdictum locale non impedit electionem, eò quòd solùm prohibeat administrationem quorundam Sacramentorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ, de quibus non est electio. Imò hodie post extravagantem Martini V. *ad evitanda.* excommunicati, suspensi, & interdicti, nisi sint denuntiati, aut notorii Clericorum percussores, ad eligendum probabiliter admitti possunt: cùm enim Ecclesia eos in officiis toleret, & cum iis etiam in spiritualibus communicare permittat, acta quoque eorum erunt toleranda & valida, ne frustranea sit communicatio. Zoës. *h. t. num.* 10.

An etiam quicunque irregulares eligere 13
prohibeantur? in utramque partem disputatur. Layman. *in qq. Can. de Prælat. elect.* affirmat arg. *c. 18. §. is verò de Sentent. excomm. in 6.* Barb. *cit. cap. 19. n. 65.* cum aliis negat; quem ego sequor, & tu consule.

Ob culpam jus eligendi amittunt. I. Qui scienter in loco interdicto celebrant, nisi id privilegio, aut jure iis sit concessum. *d. c. 18. §. is verò de Sentent. excomm. in 6.*

II. Religiosi proprietarii, qui nempe Su- 14
periore suô invitô peculium retinent: hi enim biennio activâ & passivâ voce carent. Trid. *sess. 25. de Regularib. c. 2.*

III. Jure eligendi excidunt, qui scienter 15
postulant minorem 27. annis ad Prælaturam Cathedralem: aut Religiosos quorumcunque Ordinum Mendicantium ad Prælaturas alterius Ordinis Cathedralibus inferiores; non tamen nisi ista vice. *extravag. un. de Postul. Prælat.* Item qui attentant innovare postulationem ob vitium personæ cassatam. *cap. 2. de Postul. Prælat.* aut recipiunt postulatum ad Ecclesiam tanquam institutum, vel administratorem ante admissionem postulationis à Superiore factam. *c. 23. & ibi* DD. *h. t.*

IV. Eligendi potestatem pro ea vice de- 16
perdunt, qui in Ecclesia Cathedrali, vel Regulari, justo impedimento cessante, tribus mensibus à die habitæ notitiæ de vacatione novum Prælatum eligere neglexerunt, eaque potestas ipso jure devolvitur ad Superiorem, cujus aliàs est electionis confirmatio *cap. 41. h. t.* ubi monitum additur, ut is, *ad quem fuerit devoluta potestas, DEUM præ oculis habens non differat ultra tres menses* (à die devolutionis numerandos) *cum consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem*

dem Ecclesia, vel alterius, si dignus non reperiatur in illa, canonicè ordinare: si canonicam voluerit effugere ultionem. Quodsi electio intra trimestre facta effectum non habuerit, puta, quia electus aut eam acceptare noluit, vel mortuus est, conceditur novum integrum trimestre pro celebranda electione, dummodo non fraudulenter egerint in præmissis. *c.* 26. *h. t. in* 6.

17 V. Ab officiis & beneficiis per sententiam Judicis ad triennium suspenduntur, & ipso facto jure eligendi pro illa vice privantur, qui scienter & spontè eligunt per abusum sæcularis potestatis, id est, petunt, vel admittunt Laicos, v. g. Principem, vel ejus Commissarios, qui se cum authoritate ingerant electioni, & eligentium libertatem impediant. *c.* 43. *h. t.* Ubi etiam consentiens electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis inhabilitatur ipso jure ad quamcunque dignitatem Ecclesiasticam, donec cum eo dispensetur: & electio hujusmodi irrita declaratur. Quod adeò verum est, ut nec consuetudo in contrarium valeat. *cap.* 56. *Eod.* Hinc

18 Infero I. Si Capitulares eligentes per ignorantiam, vel per vim & metum gravem admittant dictum abusum sæcularis potestatis, Principe v. g. territorii, aut aliis potentibus Laicis contra eorum voluntatem se intrudentibus, nec ipsos Capitulares potestate eligendi esse privatos, vel privandos, nec electionem esse irritam, sed validam, quo ad suffragia nimirum Capitularium, non autem Laicorum, modò non obstante tali violentiâ liberè à Capitularibus ex parte eorum facta sit electio. Ratio est, tum quia hoc casu locum habet *Regula* 37. *in* 6. quòd utile per inutile non vitietur: tum quia ubi deest dolus, ibi non intelligitur delictum, ubi verò non est delictum, neque pœna infligenda est per *l.* 22. *C. de Pœnis.* Attamen consultum est tali casu, ut Capitulares protestentur, non valitura Laicorum suffragia; ne si protestatio facta non sit, & postea forsan judicetur, violentiam aut metum gravem non fuisse, ipsi Capitulares censeantur voluntariè cessisse, ideóque dictam pœnam incurisse. Fagnanus in *c. Massana.* 56. *h. t. n.* 11.

Infero II. Dicta tantùm procedere, quando Laici cum auctoritate se ingerunt electioni, vel ad coëligendum admittuntur; secus, si ob alium finem Ecclesiæ utilem, ut quando admittitur Laicus tanquam tabellio ad scribendum electionis processum: vel jurisperitus ad Capitulares electores minùs peritos instruendos in forma electionis &c. *c. vocata.* 27. *§. principibus. dist.* 63. Fagnan. *in cap. quisquis. n.* 19. *h. t.*

Infero III. Subsistere consuetudinem, quæ in aliquibus locis invaluit, ut nempe electio novi Prælati tam celebranda, quàm celebrata Principi vel Patrono Laico intimari, ejusdémque desuper consensus peti debeat per *c.* 51. *in fin. h. t.* si modò per eam nihil derogetur Ecclesiasticæ libertati, & Princeps, vel Patronus Laicus consensum super electione celebranda, vel celebrata à se postulatum non deneget, nisi canonicum adsit impedimentum. P. Engl. *h. t. num.* 4. & alii *ibidem* laudati.

IV. Jure eligendi pro illa vice privantur, qui in eligendo non observârunt formam à SS. Canonibus statutam. Quæ tamen privatio per sententiam Judicis Superioris declarari debet. *c.* 42. *& ibi* Panorm. *h. t.*

V. A Beneficiis Ecclesiasticis per triennium suspenduntur, & primâ postea occurrente, non autem omni futura electione privantur, qui scienter Episcopum eligunt indignum, seu incapacem, maximè ob de-

fe-

fectum natalium, scientiæ & morum. *cap. 7. §. fin. & cap. 25. h. t. cap. 7. & 37. Eod. in 6.* Notanter verò dixi: *qui scienter eligunt indignum*: nam si appareat, per ignorantiam indignum electum esse, cassatâ eâ electione iterum proceditur ad secundam; quo modo textum *in cap. fin. de Filiis Presbyt.* exponit Gonzal. *in d. c. 7. §. fin. n. 8.*

Porrò, si omnes Capitulares indignum eligant, vel aliter potestate eligendi privati sint, factâ publicatione pro ea vice facultas eligendi devolvitur ad Superiorem; & quidem in Ecclesiis Cathedralibus (præterquàm in casu negligentiæ) immediatè ad S. Pontificem, in aliis verò inferioribus, & in casu negligentiæ non ad Papam, sed ad proximum Superiorem, ad quem spectat electum confirmare. *c. 18. h. t. in 6.* Quòdsi aliqui tantùm Capitulares eligendi jure exciderint, eligendi potestas residet penès reliquos, etiam unicum duntaxat: quia universitas remanet in uno. arg. *c. un. Ne sede vacante, in 6. & l. 7. §. 2. ff. Quod cujusque univers.*

23 Dico III. Ad electionem faciendam vocandos esse omnes, *qui debent & volunt, & possunt commodè interesse.* Text. *in c. quia propter* 42. *hoc. tit.* Equidem si vel unus è vocandis spernatur, & non vocetur, eo prosequente contemptum, electio, licèt à majore Capituli parte facta aut etiam confirmata sit, irritanda est, cùm plùs in talibus consueverit contemptus unius obesse, quàm multorum contradictio in præsenti *c. 36. h. t.* Nisi confirmatio facta sit ex certa scientia per habentem potestatem supplendi electionis defectus: vel contemptus, & non vocatus pacis studio aliorum electioni accedat, ratamque habeat, quòd facere potest, etiam ex postfacto. *c. 28. hoc titulo. & ibi* DD.

Quando omnes & singuli interesse habentes legitimè citati non comparent instante termino præfixo, nec se excusant, non immeritò quæritur, an præsentes ad electionem absque eorum contemptu procedere valeant? Quidam distinguunt, & si præsentes plures sint, quàm absentes, concedunt; secùs verò negant, putántque absentes usque ad finem termini de jure statuti exspectandos esse: quia quod à majori parte Capituli fit, pro eodem habetur, ac si à toto Capitulo factum fuisset, sed non quod fit à parte minore. *c. 1. de his, quæ fiunt à majori parte capit.* Verùm cùm mora in electionibus periculosa sit *cap. 18. h. t.* & absentes cum intimatione termini ritè citati ad assignatum terminum comparere teneantur, existimo, eos per præsentes non debere exspectari, tametsi plures sint absentes, quàm præsentes. Cœpola *cautela* 79. ubi ait: etiam unum electorem absentibus vocatis ad certam diem & horam, illis non comparentibus, posse legitimè eligere, & ita se vidisse judicari refert. Idque maximè procedet, si major pars per minorem vocata dicat, se nolle eligere, vel electioni interesse per *c. 19. ¥. item cùm post. h. t.* aut si in litteris citatoriis expressum fuerit, quòd absentium contumaciâ non obstante ad electionis negotium procedatur: hæc enim cominatio designat citationem peremptoriam. *l. 71. ff. de Jud.* Tholosan. *tr. de Elect. c. 14. num. 1. & 15.*

Sed modò, quinam ad electionem vocandi sint, expendamus. Et verò juxta citat. text. *c. quia propter.* vocandi sunt, *qui debent*, id est, qui defacto jus eligendi habent, vel saltem sunt in quasi possessione juris eligendi per *c. 55. h. t.* Si inhabiles, vel aliàs privati jure eligendi vocati non sint, non possunt agere de contemptu. *c. 18. h. t.* Quæ doctrina obtinet, quamvis prius discussum non 24

sit,

sit, an non citati inhabiles, aut privati sint, dummodo postea convinci possint. Gonzal. *in d. c.* 18. *n.* 11. Panorm. *in c.* 50. *n.* 13. *h. t. &*

25 *volunt:* quia cùm cuilibet juri suo renuntiare concessum sit, nemo invitus electioni interesse cogitur, aut cogi potest; nisi vel statuto aut consuetudine particulari aliud introductum fuerit, vel certè ob specialem aliquam causam Ecclesiæ viduatæ interfit, ut omnes ad electionem accedant. P. Pirrhing. *h. t. n.* 126.

26 *Et possunt commodè interesse.* Unde non sine ratione communiùs nostris placuit, absentes sive intra sive extra provinciam, in qua electio celebranda est, morentur, vocandos esse modò non sint ita remoti, ut juxta prudentis viri arbitrium consideratis locorum, & temporis circumstantiis, variisque periculis impendentibus acciri, & exspectari nequeant; tunc námque, ne diu & cum gravi damno Ecclesia vacet, necesse non est, ut vocentur per *c.* 18. *&* 28. *h. t.* Nisi fortè alicubi obstet consuetudo: sicut enim consuetudine introduci potest, ut absentes omninò non vocentur teste Panorm. *in c.* 35. *h. t.* ita defacto consuetudo pluribus locis obtinuit, ut omnes, qui necdum in provincia, sed in toto aliquo regno & Imperio sunt, licèt remotissimi, nuntio vel litteris destinatis citari debeant, si in mora non sit speciale periculum, & intra trimestre ad eligendum à SS. Canonibus præfinitum advenire possint, ut proinde hac in re non tam dispositio juris communis, quàm usus cujusvis Ecclesiæ attendendus videatur. Vivianus *ad d. c.* 35.

27 Cæterùm absentibus, qui sunt in loco, unde ad electionem vocari debent, & ex justa causa, juramento, si opus fuerit, comprobatâ, impediuntur, quo minùs compareant, votum salvum manet: quod explicare possunt, non quidem scriptò (cùm secretò & sigillatim in ipso, non ante scrutinium exprimendum sit) sed per alium de collegio, qui vocem activam habeat, unum aut plures, quibus vices suas in solidum demandent. Text. in *c. quia propter* §. *illud autem. h. t. & in cap.* 46. *Eod. in* 6. 29 Procuratorem extraneum Capitulares inviti recipere non tenentur, etsi nullus de Capitulo absentis Procurator esse vellet. *cit. c.* 46. §. *fin.* Neque plures admittere possunt, nisi absens singulis in solidum potestatem eligendi commiserit, ita ut unus sine altero eligere queat. Et hoc casu is reliquis præfertur, qui præoccupavit; aut si omnes simul concurrant, ne in diversos vota dirigant, unus tantùm & ille admittitur, quem Capitulum, sive major ipsius pars elegit, vel si Capitulares desiderant, ille, qui primus in literis procurationis 30 nominatus fuerit. *d. c.* 46. *in pr.* Ubi etiam disertè statuitur, procuratorem non posse alium suo, & alium Principalis nomine eligere, nisi speciale mandatum habeat de certa persona eligenda, tum enim in illam ejus, & in alium suo nomine licitè poterit consentire. Confer. Azor. *Instit. moral. p.* 2. *l.* 6. *c.* 14. *q.* 7.

§. IV.

Objectum Electionis est persona eligibilis; in qua octo principaliter considerantur, nempe *natales, genus, ætas, ordo, professio, literarum scientia, integritas fidei & morum probitas.*

Natales: quia illegitimi absque dispensa- 31 tione Pontificis ad Prælaturas promoveri nequeunt. *c. innotuit.* 20. *h. t.* eâque dispensatione attento jure communi Religiosi quoque defectu natalium laborantes indigent; per solennem enim professionem in Religione approbata defectus ille quidem purgatur quo ad ordines sacros suscipiendos, non verò quo ad dignitates & Prælaturas. *c.* 1. *& ibi* DD. *de Filiis Presbyt.* Dixi: *attento jure communi:* nam afferuntur quædam privilegia, quorum virtute etiam aliqui Prælati regulares cum illegitimis sibi subditis dispensare possunt ad quasvis dignitates in ordine, secus extra

Or-

Ordinem. Vid. Miranda *in Man. Prælat. Regul. q.* 1. *a* 1. *&* 2.

29 *Genus:* siquidem de iis, qui nati sunt ex genere maculato circa fidem, hoc est, ex hæreticis ac horum receptatoribus, defensoribus, & fautoribus descendunt, *in c.* 2. *§. hæretici & c.* 15. *de Hæreticis in* 6 constitutum est, ne usque ad secundam generationem, seu lineam paternam, & primam materna ad ullum beneficium Ecclesiasticum, seu officium publicum admittantur, nisi eorundem parentes emendati, & Ecclesiæ ante mortem reconciliati sint. Notat verò P. Engel *h. t. n.* 25. hanc constitutionem non obtinere in Germania, ubi zizania tritico impunè miscentur.

30 *Ætas;* quæ non eadem ad quavis Prælaturas in eligendo desideratur. Ad Pontificatum jure scripto quidem nulla ætas determinata legitur, etsi jus naturale prohibeat, ne quis in totius Ecclesiæ Pastorem assumatur, qui & ætate, & judicio maturus non sit; unde decens est, ne saltem minor 30. annis eligatur. Azor. *Instit. Moral. p.* 2. *l.* 6. *c.* 5. *q.* 15. Ad Episcopatum, Archi-Episcopatum, &c. 30. anni completi *c.* 7. *h. t.* & ad alias dignitates minores, v. g. Abbatias, Præposituras, &c. quibus cura animarum annexa est, 25. anni inchoati requiruntur. *d. c.* 7. *§. inferiora.* Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 12. Circa Abbatias & præfecturas monialium Trid. *Sess.* 25. *de Regularib. c.* 7. statuit, ut nulla eligatur, quæ sit minor 40. annis & non ad minùs 8. annis in Monasterio post expressam professionem laudabiliter vixerit. Si talis in loco non habeatur, & aliunde assumere non sit commodum, ex iis, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & 5. annis post professionem rectè vixerint, una eligi poterit, si ita videatur Episcopo, vel Superiori.

31 *Ordo:* nemo enim ad Episcopatum, vel Archi-Episcopatum promoveri debet, nisi qui ut minimum in sacro ordine subdiaconatûs priùs sex mensibus fuerit. *c.* 9. *de Ætate & qualit.* Imò cùm novissimè Bulla Gregorii XIV. quæ incipit: *Onus Apostolicæ servitutis,* exigat sacros Ordines antea 6. mensium spatiô susceptos, adeóque plurali utatur numerô, infert Barb. in *Collect. ad d. c.* 2. *Trident. n.* 2. omnibus sacris ordinibus oportere initiatum esse eligendum in Episcopum, vel Archi-Episcopum. in Episcopum, inquam, vel Archi-Episcopum: quia ad aliàs prælaturas inferiores v. g. ad Abbatias Regulares, non requiritur, ut eligendus actu sacrum Ordinem, seu Ordines habeat, modò intra annum numerandum à die adeptæ possessionis Sacerdotium suscipere possit, & defacto suscipiat. *d. c.* 7. §. *inferiora h. t. c.* 14. *&* 35. *Eod. in* 6.

32 *Professio:* Quia in Prælatum Regularem eligi non potest, qui antea eundem Ordinem professus non est, & quidem expressè, nisi Papa dispensèt: cùm in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit. *c.* 49. *h. t. c.* 28. *& ibi* Glossa *Eod. in* 6. Trid. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 21.

33 Dixi I. *Qui antea eundem Ordinem professus non est:* non enim potest quis simul profiteri & in Abbatem, seu Prælatum regularem eligi, eò quòd talis potiùs amore dignitatis, quàm religionis, suæque salutis professionem emittere censeatur *c.* 37. *h. t.* Quodsi idipsum in pactum deducatur, & religionem profiteatur cum hac conditione, ut Abbas fiat, simoniæ crimen est juxta *c. fin. de pactis.* adeóque electio ipso jure irrita.

Num autem in Abbatem assumi possit, qui paulò antè professus est? exploratum non est; sed ordinariè non posse concludo ex *c. officii* 38. *h. t.* ubi habetur, quòd in Abbatem eligi nequeat, nisi instructus in regula monachali, qualis non censetur, qui paulò ante edidit professionem. Accedit, quòd minùs decere videatur, aliquem fieri magistrum, qui vix disci-

discipulus fuit. Quodsi tamen necessitas, vel evidens utilitas Monasterii ita postularet, posset talis neo-professus saltem in extraordinario casu percepta priùs ab ipso purgatione, quòd nullus dolus, vel ambitio interceserit, ad Abbatiam admitti, modò in Regula sit competenter instructus. Vid. Text. & Gloss. in *d. c. Officii.*

34 Dixi II. *Et quidem expresè:* nam licèt tacitè professus activè eligere non prohibeatur, eligi tamen ad regimen Ecclesiæ Regularis nequit, & si defacto eligatur, electio ipso jure nulla est, nisi Ecclesia illa Regularis sit simul Cathedralis: in tali enim in Episcopum etiam Novitius, vel Clericus sæcularis assumi potest ob excellentiam dignitatis Episcopalis. Text. & Vivianus *in c. nullus* 28 *h. t. in* 6. *& Clem.* 1. *Eod.*

35 Dixi III. *Nisi Papa dispenset:* etenim minimè repugnat, quin Pontifex de absoluta sua potestate interdum Religiosos alterius Ordinis præficere, vel ex urgenti, & publica causa Prælaturas Regulares, & Monasteria Clericis sæcularibus in commendam etiam perpetuam dare possit; id quod alioquin non tantùm contra citatos Canones, & Concilium Trident. sed & Concordata Germaniæ est, quæ Monasteriis in Germania liberum jus eligendi relinquunt. P. Engel *h. t. n.* 22. Gonzalez *in c.* 13. *n.* 6. *h. t.*

36 Huc pertinet, quod eligi debeat, qui est de gremio vacantis Ecclesiæ: quia in *c. nullus* 13. *dist.* 61. apertè statuitur, ut nullus Clericis invitis detur Episcopus de aliena Ecclesia, adeóque nec Religiosis invitis Abbas de alieno Monasterio. Verùm cùm id principaliter in favorem Capitularium cedat, ideò huic juri renuntiare, & de alia Ecclesia, vel Monasterio (ejusdem videl. Ordinis *d. Clem.* 1. *h. t.*) aliquem eligere permittuntur, maximè si è collegio nemo idoneus reperiatur, vel extraneus ob singulares virtutes & qualitates præ cæteris Ecclesiæ profuturus existimetur. per *c.* 21. *h. t.* Quòdsi verò idoneus adest, convenit, ut potiùs ex ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii gremio aliquis, quàm extraneus, etsi cæteroquin dignior: item cæteris paribus oriundus potiùs, quàm non oriundus: indigena seu diœcesanus potiùs, quam alienigena præficiatur per ea, quæ tradit Azor. *Instit. Moral. lib.* 6. *c.* 4. *q.* 25. & facit Text. *in c.* 4. *circa fin. de Postul. Prælat.*

Literarum scientia à Prælaturis excludit, dejicítque illiteratos: quia sacris apti non sunt officiis. *c. illiteratos* 1. *& seqq. dist.* 36. *c.* 7. 17. 29. *&* 53. *h. t.* Requirit autem Trident. *Sess.* 22. *de Reform. c.* 2. in eligendo ad Ecclesiã Cathedralem, ut antea in Universitate studiorum Magister sive Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel jure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicujus Academiæ, vel Superiorum, si Regularis sit, testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quin imò multi contendunt, ad Episcopatum plerúmque non satis idoneum censeri posse, nisi qui tam Theologiæ, quàm SS. Canonum peritiâ imbutus est, arg. *c. omnes* 6. *dist.* 38. At in plerisque Provinciis ab hoc jure usus recessit: sæpiùs enim videmus eligi, & à S. Pontifice confirmari Imperatorum, & Principum magnorum filios literarum expertes, si aliunde hunc defectum suppleant, suâ potentiâ defendendo & protegendo Ecclesiam. Hi tamen sub gravi peccato tenentur assumere & constituere administratores Episcopatûs, vel saltem officiales & Vicarios generales, viros eruditos & omnigenâ scientiâ conspicuos.

Integritas fidei in eligendo exigit, ut non tantùm alienus ab Ecclesia Catholica, sed etiam neophytus, hoc est, recenter conversus non sit juxta illud Pauli 1. *ad Timoth.* 3. *oportet Episcopum non esse neophytum: & Canonem Apostolorum* 79. ibi: *qui ex vita gentili advenerit, & baptizatus est, aut ex conversatione prava, eum, justum non est, prætinui*

tinus promoveri in Episcopum: injurium enim est, eum, qui non priùs specimen, & documentum de se præbuerit, aliorum Doctorem existere, nisi alicubi dono divinæ gratiæ hoc fiat. sicut in D. Ambrosio ab infante in Episcopum nominato contingit. Relinquitur autem arbitrio Superioris (cujus est confirmare electum) conjicere ex moribus & pietate conversi, intra quantum tempus noviter conversus inter veteranos Christi milites, & ad prælaturas eligibilis censeri possit. P. Engel *h. t. c.* 26.

39 *Morum probitas:* Unde I. à Prælaturis arcentur ambitiosi, & qui eligi affectant. *c. nullus* 118. *causa* 1. *q.* 1. *c.* 9. 10. 11. & 19. *causa* 8. *q.* 1. *c.* 46. *h. t.* junctâ *l. un. ff. Ad leg. Jul. de Ambitu & l. un. C. Eod.* ubi pœna 100. aureorum cum infamia irrogatur his, qui honores, sacerdotia, & magistratus ambiunt. Ex quibus verò præsumatur ambitus, vide Panormit. *in c. fin. de Transl. Episcop. n.* 12.

40 II. Submoventur simoniaci, hoc est, à quibus, aut pro quibus pecunia, vel quid simile datum, seu promissum fuit, ut eligerentur. *c.* 3. *causa* 1. *q.* 7. *c.* 59. *h. t. c.* 27. *de Simonia. extravag.* 2. *Eod. inter comm.*

Et hæc prohibitio adeò procedit I. ut si de facto aliquid fuerit datum, electio subsecuta ipso jure sit irrita. *d. extravag.* 2. si verò tantùm promissum fuerit, electio quidem non ipso jure sit irrita, sed irritanda à Superiore, *d. c.* 27. *de Simon.* II. Ut electio simoniacè procurata irrita, vel irritanda sit, etsi simonia per alium ignorante eligendo intervenerit. *d. c.* 27. imò etsi ipso renuente intervenerit teste Azor. *Instit. Moral. p.* 3. *lib.* 12. *c.* 7. *q.* 1. Excipitur: nisi pretium in fraudem eligendi daretur, aut promitteretur, tunc enim electio ob hoc non vitiaretur. *d. c.* 27. III. Ut si electus ipse simoniam commiserit, vel alius eo sciente, & approbante, Episcopus cum eo dispensare nequeat, sed solus Pontifex. *d. c.* 27. IV. Ut nec per novam electionem consequi possit illud beneficium, dignitatem, vel prælaturam, ad quam per simoniam quis fuit electus, nisi per interpositam personam priùs purgetur simoniæ vitium. Quod addo: quia si irritatâ simoniacâ electione eligatur alius, isque resignet, vel moriatur, tum nil obstat, saltem illum, qui ob simoniam sine culpa sua repulsus est, denuò eligi. *d. c.* 59. *h. t.* & facit *c.* 7. *de Filiis Presbyt.* Multò minùs simoniacè electus eligi prohibetur ad aliam Ecclesiam, vel dignitatem, cùm in ordine ad alia beneficia nihil in jure statutum reperiatur; quamvis, si electus ipse simoniam commiserit, necesse sit, ut per Papam ab excommunicatione (in quam ipse cum mediatoribus juxta *d. extravag.* 2. *de Simon.* incidit) absolvatur, & de crimine pœnitentiam egerit, priusquam ad aliud beneficium, & Ecclesiam promoveatur. Conf. Azor. *cit. c.* 7.

III. Ob notam cupiditatis, & tanquam criminosi ineligibiles sunt, qui absque dispensatione Papæ tempore electionis habent plures dignitates, vel beneficia curata. *c.* 54. & *ibi* Glossa & Vivianus. *h. t.* 41

IV. Quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserit contra canonicam libertatem, electionis commodo caret, & ineligibilis fit, nec absque dispensatione ad aliquam valet eligi dignitatẽ. Textus *in c. quisquis* 43. & *ibi* Panormit. *h. t.* 42

V. Intrusi, qui nimirum auctoritate propriâ, absque canonica institutione aut titulo prælaturam, vel aliud beneficium occupant, detinent, aut administrant saltem ad eandem prælaturam, seu beneficium inhabiles censentur, ut pluribus probat Lessius *de J. & J. l.* 2. *c.* 34. *n.* 123. Azor. *Inst. mor. p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *q.* 27. 43

VI. Eligi ad prælaturas nequeunt infames infamiâ sive juris, sive facti. Infames infamiâ juris, per legem scilicet, aut Judicis sententiam inflictâ: quia cùm infamia hæc ipso jure pri- 44

vet dignitatibus acquisitis per *l. un. C. de infamib.* multò magis repellet ab acquirendis. Infames verò infamiâ facti, seu criminosi: tum quia juxta vulgatam regulam infamibus portæ dignitatum non patent. *c.* 87. *de R. J. in* 6. *l.* 2. *C. de Dignitatib.* tum quia *in c.* 7. *§. inferiora h. t.* & in Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 12. nominatim quoque cautum est, ut nullus deinceps ad dignitates quasvis, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. annum attigerit, & morum integritate commendetur. Interim tamen non quælibet crimina, præsertim occulta, inegibilem reddunt committentem, sed notoria duntaxat, & quæ in jure vocantur digna depositione, ut sunt hæresis, schisma, apostasia, incæstus, adulterium, sodomia, sacrilegium, simonia, perjurium, falsificatio literarum Apostolicarum, veneficium, usura, & his similia, de quibus prolixè Azor. *cit. l.* 6. *c.* 7. *q.* 3. *& c.* 14 *q.* 10. Pirrh. *h. t. n.* 94. *& seqq.*

45 VII. Ab electione passiva cohibentur innodati censuris Ecclesiasticis: nempe *excommunicati* excommunicatione tam majore, *c.* 7. *de Clerico excommunicato.* quàm minore. *c. fin. & ibi* Glossa *eod.*. Electio tamen facta ab irretito excommunicatione minori, mero jure non est irrita, sed irritanda per text. in *d. c. fin.* ibi: *est electio irritanda. Suspensi* sive ab Officio *d. c. fin.* sive à Beneficio *c.* 8. junctâ Glossa *V. suspensus de Ætate & qualitate.* Ne suspensio reddatur eluloria, si privatus officiô, aut beneficiô id per electionem denuò obtineret. *Interdicti* personaliter, quippe qui similes sunt suspensis ab officiô. arg. *c.* 16. *h. t.* Comprehendit autem hæc prohibitio omnes excommunicatos, suspensos, & interdictos, etiam toleratos, & non denuntiatos; neque enim extravagans Martini V. *Ad evitanda.* ipsis suffragatur, cùm per hanc Pontifex illis directè favere non intendat, ut docet Suarez *de Censur. disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 26.

VIII. Ad prælaturas inhabiles sunt universim omnes irregulares, sive ex delicto, sive ex alio quocunque defectu; prælatura namque sicut & aliud beneficium datur propter officiũ. *c. ult. de Rescript. in* 6. irregularis autem est inhabilis ad officium, & consequenter etiam ad beneficium per *d. c. fin. de Clerico excomm.*

IX. Juxta *c.* 12. *h. t.* qui semel est electus & ob vitium personæ repulsus, nequit iterum eligi, nec ad eandem, nec ad aliam prælaturam: quia tale vitium electi personam quodammodo fugillat, eámque sequitur, ut lepra leprosum *c. citò* 16. *causâ* 1. *q.* 1. Refert tamen, sitne quis repulsus ob vitium animi, seu crimen, idque vel jure probatum, vel præsumptum: an verò ob vitium corporis. v. g. morbum, aut defectum ætatis, natalium, vel ob alium defectũ non culpabilem? Priore casu, & si crimen verè probatum sit, repulsus ab omni deinceps prælatura excluditur, nisi fortè se emendârit, idque probaverit; alioquin enim semel malus semper præsumitur malus. *c.* 8. *de R. J. in* 6. secùs est, si crimen illud solùm fuerit præsumptum, siquidem ob id repulsus ad eandem, vel aliam Ecclesiam denuo electus admittitur, modò se purgare possit ab illo crimine præsumpto per *c.* 38. *in fin. h. t.* Casu posteriore, si constet vitium illud, vel defectum sublatum esse, repulsam passum eligi posse, dubitare non finit textus *in c.* 21. *h. t.* Panorm. Gonzal. & alii *ad d. c.* 12. Laym. *in qq. Can. de Prælat. elect. c.* 6. *q.* 61.

Reliquas dotes & qualitates, quæ in eligendo desiderantur, facilè colliges ex iis, quæ diximus *Tit. Præced. §.* 5. & quæ infra dicemus *in Tit. XI. §.* 4. & *in Tit. XIV. per tot.*

Cæterùm ex ipsis eligibilibus sub gravi reatu eligendus est non tantùm dignus, sed dignior; ita enim SS. Can. *in c.* 5. *dist.* 61. *in c.* 19. *dist.* 63. *in c.* 45. *causâ* 1. *q.* 1. *in c.* 15. *causâ* 8. *q.* 1. ita Trid. *sess.* 6. *de Reform. c.* 1. & *sess.* 24. *de Reform. c.* 1. ita post alios D. Th.

Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. & ipsa justitia distributiva evincunt, ut taceam, quòd ex more multarum Ecclesiarum Capitulares juratô promittant, se digniorem electuros. Undè patet, vix defendendam esse eorum opinionem, qui cum Viviano *in c. 21. h. t.* assertum ajunt, salvâ conscientiâ eligi posse dignum, omisso digniore.

49 Utut autem dignior eligendus sit, de digno tamen facta electio valet in utróque foro, tam interno, quàm externo, & consequenter qui præterito notabiliter digniore ad prælaturam electus est, tutâ conscientia eam acceptare, & retinere potest. *c. 19. ℣. illius & ibi* Gloss. *h. t.* Covarruv. *ad Reg. peccatum p. 2. §. 7. n. 3.* Ratio est: tum quia electus non debet se reputare meliorem aliis, hoc enim esset superbum & præsumptuosum; tum quia aliàs certè omnes electiones versarentur in discrimine, & infinitis litibus locus foret, si ea sola de causa everti possent, quòd dignior non sit electus.

50 At quis hìc dignior censebitur? eum dixerim, qui perspectis omnibus qualitatibus ad Ecclesiam gubernandam, vel munus aliquod cæteris habilior est, non autem, qui sanctior & doctior, ut declarat D. Th. *in 2. 2. q. 185. a. 3. & quodlib. 6. art. 9.* Hinc teste Azor. *d. p. 2. l. 6. c. 15. q. 3.* sola quandoque stirpis nobilitas, & potentia constituit aliquem digniorem, ita ut nobilior, vel potentior præferri possit ignobiliori, etsi doctiori & sanctiori, præsertim in locis, ubi Ecclesia protectore indiget, qui eam ab hæreticis, schismaticis, aliisque Christiani nominis hostibus tueatur: tunc namque Ecclesiæ utilior est potentia, quàm doctrina. Imò si nobilis & potens sit æquè doctus, & bonus, eò ipsô dignior habetur in Ecclesiis sæcularibus: in Ecclesiis sæcularibus inquam: quia in Regularibus, seu Monasteriis, Benedictinis saltem, cùm non sit præponendus ingenuus ex servitio convertenti, ùt ait SS. P. Benedictus *c. 2. Reg.* nec nobilis ignobili præponi debet, nisi alia rationabilis causa existat, prout *ibidem* dicitur.

§. V.

Forma stat in processu electionis, qui tres partes continet. *Prima* versatur circa ea, quæ electionem præeedunt: *Secunda* circa ea, quæ in ipsa electione contingunt: *Tertia* circa ea, quæ electionem sequuntur.

*

Quæ electionem præcedunt, ita se habent.

I. Priusquam perveniatur ad electionem, §1
oportet prælaturam vacare per mortem, amotionem, translationem, vel resignationem prioris Prælati. Quod adeò verum est, ut licet desperetur de reconvalescentia Prælati ægrotantis, de futura tamen electione definitoriè aliquid tractare, & pro ea aliquod tempus præfigere, aut absentes in hunc finem convocare, Collegium minimè possit. *c. 36. h. t.* Quin imò

II. Si Ecclesiam per obitum vacare contigerit, §2
quamvis Capitularibus protinùs competat potestas eligendi *c. 3. causâ 8. q. 1.* non tamen convenit, ut ante defuncti Prælati sepulturam, & tertium depositionis diem ad alterius electionem procedatur, nisi urgeat necessitas, vel consuetudine aliud obtentum sit. Text. & Glossa *in c. nullus 7. dist. 79. & ind. c. 36. h. t.*

III. Post diem tertium depositionis in Ec- §3
clesiis cathedralibus à Decano, aut seniore convocatur Capitulum, in quo à præsentibus assignatur dies & locus ad futuram electionem. arg. *c. si fortè 9. dist. 69.* ac per civitatem, & diœcesim preces publicæ, ac privatæ indicuntur, pro bono pastore à DEO impetrando. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 1.* In regularibus verò Ecclesiis ab Ordinariis loci cum consensu Principis terræ terminus præfigi solet, sicut quotidie experimur.

54 IV. Constituta dies & locus per literas, vel proprium nuntium, nec non per publicum proclama, aut cridam valvis Ecclesiæ & curiæ capitularis affixam absentibus notificatur, & qui de jure vocandi sunt, ad electionem vocantur adjectâ ex more clausulâ: si tali die aliqui non adfuerint, præsentes nihilominùs processuros, non obstante eorum absentia, ipsis non exspectatis, nec ulteriùs vocatis, etsi fortè terminus electionis ex certa causa prorogaretur. Et hæc clausula valde utilis est: licèt enim in hoc casu una citatio sufficiat, arg. *c. si quis* 12. *dist.* 18. *c. consuluit* 24. *de Offic. delegati. & ibi* Hostiens. tutius tamen est, ejusmodi cautelam, & clausulam attexere.

55 V. Ipsa die electionis Electores publico campanæ sono convocati, antequam electionis locum ingrediantur, debent audire Missam de S. Spiritu, & sub ea omnes sacri Synaxi refici, post eam verò clara voce recitare Antiphonam: *Veni S. Spiritus.* Ita statuit Concilium Basil. *Sess.* 12. *de Elect. & confirm. Episc. & Prælat.* idque passim & meritò receptum est: à DEI namque invocatione rerum omnium capienda sunt primordia. *c. in nomine* 1. *dist.* 23. *l.* 2. *§. nos itaque C. de V. I. E.* Quodsi tamen de facto hæc sacrificii oblatio, sacra communio, & Antiphona omittantur, ex communi Canonistarum sententia propterea electio non vitiatur, nisi fortè aliter in aliqua Ecclesia sæculari, vel regulari caveatur cum clausula irritationis. Conzal. *in c.* 14. *h. t. n.* 9.

56 VI. Sacro finito per plebanum, vel alium quendam Sacerdotem è cancellis, vel per publicum notarium ante foras Ecclesiæ, seu capituli, aut loci, ubi electio celebratur, reproducitur proclama, & denuò omnes, quotquot volunt, possunt, & tenentur mox futuræ electioni interesse, maximè verò absentes interpellantur.

VII. Electoribus in loco ad electionem deputato congregatis refertur reproductionem ritè factam esse, simúlque per attestationes, instrumenta publica, vel testes docetur, quòd absentes, qui vocari debuerunt, & potuerunt, legitimè citati, & vocati fuerint; eáque relatione percepta, ut aliorum absentiâ non obstante præsentes ad electionem procedere possint, per Superioris Commissarium, si quis electioni, ut subinde fieri solet, interfit, vel per Præsidem scrutinii, absentium contumaciâ per unum nomine totius Capituli accusatâ, in contumaciam absentium decernitur.

Sed hic enascitur *quæstio*: an is, qui post- §
quam in contumaciam absentium decretum fuit, supervenit adhuc admitti debeat? Et cum in S. Pontificis electione tardè veniens admittatur. *c.* 3. ℣. *hoc sacro in fin. h. t. in* 6. haud crediderim, ab electione inferioris cujusdam Prælati tardiùs occurrentem repelli posse; modò res adhuc sit integra, & electio necdum celebrata fuerit, nam si aliquis post electionem veniret, amplius audiendus non esset per *d. c.* 3.

VIII. Aliquis nomine totius Capituli pro- §
testatur, nolle se quenquam ad electionem admittere, aut ejus suffragium valere, qui de jure ad eligendum est inhabilis; quæ protestatio efficit, ut tali modo protestantes cum omnibus tutò possint eligere per *c.* 50. *h. t.* Quod tunc procedit, si inhabiles, vel propter scandalum, vel propter potentiam eorundem expelli nequeant; secùs est, si expelli possint. Panormit. *in d. c.* 50. *n.* 13.

IX. Si quis adsit potestate præditus, ut Le- §
gatus, vel Nuntius Apost. absolvit omnes Capitulares ab excomunicatione, & aliis censuris in ordine ad effectum electionis Canonicæ.

X. Tandem tractatus interdum præmittitur, in quo aliquæ personæ palam nominantur præ reliquis idoneæ ad Prælaturam, item capitulariter deliberatur, quam eligendi formam & modum eligentes observare velint.

Ad

* * *

60 Ad ea, quæ in ipsa electione contingunt, pertinent modus eligendi, qui triplex: nempe per *scrutinium*: per *compromissum*: & per *inspirationem*, vel *quasi*. Alio modo facta electio non valet, & eligentes contrafacientes eligendi potestate pro ea vice privandi sunt *c. quia propter* 42. *h. t.*

61 Per *Scrutinium* fieri dicitur electio, cùm præsentibus omnibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, assumuntur tres de collegio fide digni, qui secretò & sigillatim vota cunctorum exquirant, & in scriptis redacta mox publicent, eúmque denuntient, in quem pars numero major & sanior convenit. Text. *in d. c. quia propter* 42. qui uno quasi fasciculo complectitur, quæ ad scrutinium pertinent.

62 I. Igitur oportet Eligentes in Ecclesia, Capitulo, Choro, sacristia, vel alio conclavi publico & honesto esse collegialiter, seu capitulariter congregatos: electio enim in latibulis, & locis clandestinis celebrata reprobatur *in d. c. quia propter in fin.* neque sufficit consensus singulariter præstitus, puta, si quilibet eligentium in suis ædibus suffragium daret. *c.* 55. *h. t.* Certus autem locus non est de substantia electionis per *c.* 14. & 28. *h. t.* Fagn. *in cit. c. quia propter n.* 69. In loco tamen interdicto fieri non debet. *c.* 1. *de Postul. Prælat.* præcipuè Rom. Pontificis *c.* 3. *§. porrò h. t. in* 6.

63 II. Tres Scrutatores fide digni de collegio assumendi sunt: nec pauciores, vel plures: nec alii, qui non sint de collegio; idque substantiale esse, cum communi docet Fagn. *l. cit. n.* 43. & *seqq.* contra Vincent. Trancred. & Innocent. Quod literæ *d. c. quia propter.* consonat, quæ dicit: *assumantur tres de collegio*: subjunctâ clausulâ: *aliter electio facta non valet.* A qua proinde recedendum non erit, præsertim cùm in dubio semper, quod tutius est, sequendum sit. *l.* 10. *in fine ff. de Rebus dubiis l.* 192. *ff. de R. I. c.* 12. & 18. *de Homicid.* In quibusdam tamen Ecclesiis Germaniæ præsertim regularibus consuetudinem invaluisse, ut Capitulum communi consensu alios viros idoneos, & plures, vel pauciores ad scrutinium faciendum adhibere possit; testis est P. Engel *h. t. n.* 34. & alii.

III. Instita debet ipsum scrutinium, seu exquisitio suffragiorũ; quæ his requisitis constat 64

Primum est, ut ante cœptum scrutinium, Scrutatores præstito juramento, quòd fideliter agere, & vota secreta servare velint, ab Electoribus juramentum recipiant, aut singulos adjurent de digniore eligendo, & electione sine fraude celebranda. Quod usu quidem practico firmatum, sed nullo jure decisum reperies. Vid. Laym. *in qq. Can. de Prælat. elect. q* 72. & 73.

Secundum, ut Scrutatores, si sint de collegio, omnium primò â se invicem vota exquirant, videl. duo à tertio; & successivè ab aliis secundùm prærogativam, ac dignitatis gradum. Ratio est: ne Scrutatores aliorum votorum conscii sua ex illis vota instruere, & interdum pro arbitratu alicujus electionem ratam reddere, vel infirmare possint. Panorm. *in c. quia propter* 42. *n.* 9. *h. t.* 65

Quid verò, si aliqui è Capitularibus in civitate, vel in claustro essent infirmi, & procuratorem nollent, vel non possent deputare, an & quomodo tunc eorum vota exquirenda sint? Tholosanus *de Elect. c.* 16. *n.* 7. censet, quòd Scrutatores scrutatis eorum votis, qui præsentes sunt in loco, infirmos accedere, & ab ipsis quoque vota recipere teneantur, nullóque actu extraneo interposito reversi ad locũ capitularem cũ cæteris publicare debeant. Et ita in facti contingentia hic Salisb. observari vidim[9]. 66

Tertium requisitum est, ut vota singulorum secretè & sigillatim exquirantur, hoc est, non in communi, sed seorsim ab aliis Capitularibus, & unus post alium; idque ob eam 67

ratio-

rationem, ut quisque liberiùs votum suum possit exprimere, exemplô testium, qui propterea secretò & seorsim ab aliis examinandi sunt. *c.* 52. *de Testib.* Panormit. *ubi supra. n.* 14. *&* 15.

68 *Quartum* est, ut electores diligenter examinentur, quam personam tanquàm maximè idoneam, & qua ratione ac zelô eligant, ut inde liceat collationem zeli ad zelum, & meriti ad meritum instituere, atque appareat, quæ vota sint saniora. Et hoc aliter fieri nequit, nisi vota oretenus dentur, & tam nomina, quàm personæ eligentium Præsidi & scrutatoribus innotescant. Fagn. *in c. quia propter h. t. n.* 49. Verùm hæc scrutandi forma non ubique servatur, sed passim receptum est, ut eligentes vota scripta in urnam vel in calicem ante scrutatores positum conjiciant, adeò ut ipsos quoque Serutatores lateat, cui singuli sua vota dederint. Layman. *d. q.* 73. Quin imò, cùm Trident. *sess.* 25. *de Regularib. c.* 6. districtè præcipiat, ut electiones Regularium ita fiant per vota secreta, ut singulorum eligentium nomina non publicentur, ideò sunt, qui cum Lud. Miranda *in Manuali Prælat. Regul. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 15. *Concl.* 2. putent, priorem modum, viva scil. voce eligendi, quoad Religiosos sublatum, & semper posteriori utendum esse; de quo tamen non immeritò dubitaveris, cùm Trid. *d. sess.* 25. *c.* 7. subjungat, & decernat, ut præsidens electioni Abbatissarum vota singularum audiat, & recipiat.

69 *Quintum*, ut vota electorum à Scrutatoribus, Notario, vel Testibus in scriptis redigantur per *d. c. quia propter.* ibi: *in scriptis redacta.* Pirrhing *h. t. n* 67.

IV. Exquisitis, & debitè receptis singulorum suffragiis, ea mox, unóque contextu in communi publicanda sunt; alioquin non solùm is, qui se electum putat, verùm etiam quivis alius de Capitulo apud eum, ad quem jus confirmandi spectat, agere potest, ut publicentur, omni obstaculô appellationis remotô per *d. c. quia propter* 42. *c. publicato* 58. *& ibi* Gloss. *in V. compellantur. h. t.* Rodriq. *tom.* 2. *Regul. qq. q.* 51. *a.* 14. Vota autem in communi publicari dicuntur, quando ab uno Scrutatore, vel cui specialiter potestas data est, integer eorum numerus publicè Congregationi denuntiatur, non explicando, quot ex ipsis in unam, vel aliam personam consenserint, sed tantùm proferendo numerum personarum, quæ votum tulerunt, v. g. dicendo: *vota, quæ à Dominis Capitularibus exquisivimus, sunt universim* 20. 30. *&c.* Suarez apud P. Wagnereck *in sæpe d. c. quia propter, ad V. mox publicent.* Quamvis in nonnullis locis exprimi soleat, in quas personas, & quot in singulas vota directa sint.

Effectus hujus publicationis is est, quòd electores post illam censeantur perfuncti officiô suô, ideoque votum variare ampliùs non possint. *d. c.* 58. *h. t.* Nisi facta collatione vota ita dispersa reperiantur, ut nemo ex electis absolutè majora habeat; tum enim, cùm nulli sit acquisitum jus ad prælaturam, & in ipso effectu scrutinium fuerit nullum, necessariò vel ad novum scrutinium redeundum est, vel in aliquos communi consensu compromittendum. Quòd verò P. Engel *h. t. n.* 40. P. Pirrhing *n.* 176. & alii statuant, in tali casu Electores mutatâ sententiâ posse accedere ad numerum ejus, qui suffragia plura, sed non sufficientia nactus est, quæ electio dicitur per *accessum*; id quidem in electione S. Pontificis juxta *c.* 6. *ubi* Panorm. *n.* 8. *h. t.* ac Monialium, seu Abbatissæ juxta *c.* 43. *§. sanè. Eod. in* 6. locum habet, & in aliis quoque theoricè defendi potest, in praxi tamen non suaserim, præsertim si electio à Sede Apostolica confirmanda sit, cùm constet à Curia Romana electionem per accessum frequenter non admitti.

V.

71 V. Post scrutinium publicatum sequitur collatio, scilicet numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum. Collatio numeri ad numerum nempe eligentium facienda est, ut inde appareat, an & quis à majore parte Capituli electus sit. Ubi de jure non sufficit, habere majora vota comparatione minoris partis, sed requiruntur majora respectu totius Capituli, puta, ut ex 30. v. g. Electoribus ad minus 16. stent pro electo; alioquin rata non erit electio. *c.* 48. *c.* 50. *c.* 55. *h. t.* Zeli ad zelum collatio fieri debet, id est, debet examinari, quô zelô, & quibus ex motivis Capitulares hunc potiùs, quàm alium nominârint, ut constet quis à saniore Capituli parte sit electus: etenim, ut electio vim habeat, exigitur copulativè, ut & major, & sanior pars præsentis & legitimè congregati collegii in eundem consenserit. *c.* 57. *& ibi* Panorm. *n.* 13. *h. t.* Tandem collatio meriti ad meritum, quæ ipsum electum respicit, instituatur, necesse est, ut eluceścat, an idoneus sit, vel uter à duobus electis dignior, ac magis sit idoneus. *d. cap.* 57. *h. t.* Tholosan. *d. c.* 16. *n.* 15.

72 Verùm sunt casus aliqui, in quibus collatione zeli ad zelum, & meriti ad meritum opus non est, sed duntaxat numeri ad numerum; veluti *primò* in electione S. Pontificis, siquidem *in c. licet. 6. h. t.* disertè decernitur: *ut ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium electus fuerit, & receptus. Secundò* in electione Abbatissarum, ut ad concordiam faciliùs deveniatur, quod institutâ collatione zeli ad zelum, & meriti ad meritum ob sexum ad querimonias proclivem admodùm difficile foret *c.* 43. *in fine h. t. in* 6. Immò *tertiò* etiam in virorum quibusdam Ecclesiis præcipuè Ordinum Regularium non alia collatio fit, quàm numeri ad numerum, cùm ob perspectam probitatem eligentium, eorumque juramentum dubitare non liceat, eum, qui à majore parte electus est, verè dignum esse. Etsi tales eligendi formæ, in quibus non omnes conditiones in sæpe *cit. cap. quia propter.* 42 *h. t.* præscriptæ servantur, plerumque Apostol. privilegiis munitæ sint, ut tradit Laym. *de Prælat. elect. q.* 76. per *Clem.* 1. *§. demùm. de V. S. Quarìo* quoties duæ partes Eligentium (eorum videlicet, qui adesse poterant, debebant, & volebant) in unum consentiunt, non requiri collationem zeli ad zelum, ac meriti ad meritum, convincitur *ex c.* 9. *h. t. in* 6. ubi dicitur, quòd contra electum à duplo majori parte, vel contra ejus Electores nil à reliqua parte possit opponi quod votum extenuet, licet opponi possit, quod votum annullet. Vid. Gloss. *in d. c.* 9. *in V. si quando.*

73 VI. Si facta collatione appareat, vel omnes, vel majorem, & saniorem partem in unum, eumque dignum convenisse, confestim, nulloque actu extraneo interveniente proceditur ad capitularem, seu communem electionem, hoc est, à Præsidente, aut qui primam vocem habet, vel ab alio ad hoc deputato, palam per verba numeri singularis vice omnium, accepta priùs ab iisdem facultate, nomen & persona electi Collegio publicatur simili modo: *Ego N. meo, & eligentium mihiq; consentientium nomine, invocatâ gratiâ S. Spiritûs, in Episcopum, vel Abbatem hujus Ecclesiæ eligo, & electum coram vobis pronuntio N. in nomine Patris. &c.* Text. & DD. *in c.* 21. *h. t. in* 6. *& in c.* 4. *de Sent. & Re judicat.* Tametsi verò sufficiat, quòd hæc publicatio in Capitulo coram Capitularibus fiat, & electio populo non occultetur, tutum tamen est, teste Panorm. in *c. quia propter. n.* 16. *h. t.* & in pluribus Ecclesiis consuetum, ut etiam populo per unum de Capitulo, vel per extraneum solenniter denuntietur.

74 VII. Denique, ut per scrutinium ritè cele-

bretur electio, necessariò de die fieri debet, adeò ut si de die cœpta in vesperum protrahatur, & cum solis luce absolvi nequeat, proximè sequenti die peragenda sit, extra casum necessitatis. Quod addo: quia cum necessitas non subjaceat legi, per *c. 2. de Observ. jejun.* ideò urgente gravi causâ, ut si instet ultima dies mensis tertii, ideoque peritura sit potestas eligendi, & ad superiorem devolvenda; vel immineat periculum intrusionis laicæ potestatis, etiam de nocte finiri & celebrari potest electio, adhibitis tamen tribus ad minimum luminaribus, ne clandestina dici possit, & fraus aut error contingat in dandis vel conscribendis suffragiis. Layman. *de Prælat. elect. q. 34* Barb. *J. E. U. l. 1. c. 19. n 167. & seqq.*

75 Per *compromissum* fit electio, cùm *eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium* (Capitularium) *Ecclesia viduata provideant de Pastore.* Textus in *d. c. quia propter. 42. h. t.* Circa quem

Noto I. non subsistere compromissum nisi fiat unanimi, & expresso consensu omnium, qui jus eligendi habent; eò quòd nemo invitus jure, & voce suâ sit privandus: & quod omnes tangit, debeat ab omnibus approbari per jura vulgata; quibus consentit recitatus textus: ibi: *qui vice omnium, &c.* Zoës. *h. t. n. 74.*

76 Noto II. In solos Clericos, aut Religiosos compromitti posse: hujusmodi enim actus spiritualis eligendi in Laicos transferri nequit arg *c. 51. & 56. h. t. c. 2. de Judiciis.* In extraneos tamen, id est, in eos, qui non sunt de corpore collegii, & non tantùm in plures, sed etiam in unum v. g. Episcopum compromissum ritè fieri, apertè probatur ex *c. 8. & 21. V. post hæc h. t.* Neque cum Nazone dixeris modò *citata jura* fuisse correcta per *d. c. quia propter in V. aliquibus viris.* quod cùm sit pluralis numeri, duorum saltem concursum requirit. Nam ne jura corrigantur, numerum pluralem in singularem resolvere oportet arg. *c. ut privilegia. 24. circa fin.* ubi Panorm. *de Privilegiis.*

Noto III. compromissum hoc ad electionem dupliciter fieri posse: nimirum simpliciter seu absolutè, ità ut compromissarii possint eligere quemcunque idoneum, sive sit, sive non sit de gremio vacantis Ecclesiæ, ut *in c. 33. & 52. h. t.* Vel limitatè, seu cum conditione & restrictione: v. g. ut eligatur unus à Capitularibus, aut qui non sit ex compromissariis; quas limitationes ponit Laym. *de Prælat. elect. q. 85.* vel ut is eligi debeat, in quem scrutatis omnium votis major & sanior pars Capituli consenserit; qui modus dicitur forma compromissi limitati, seu determinati, & partim ex compromisso, partim ex scrutinio constat. *c. cùm dilectus. 32. h. t. c. cùm expediat. 29. Eod. in 6.* Sed

Dubitatur I. an compromissariis, quibus simpliciter potestas eligendi data est, etiam potestas postulandi data censeatur? Communis atque vera sententia affirmat: tum quia recepta apud DD. regula est, quòd qui potest eligere, etiam possit postulare; tum quia *in c. 30. h. t.* traditur, quòd postulatio Episcopi facta à tribus ex quinque compromissariis approbata fuerit. Quibus accedit ratio quòd sub electione etiam postulatio intelligatur, ut diximus *n. 1. h. t.* & satis apparet ex publicis cridis, per quas absentes citantur: semper enim de electione, nunquam verò de postulatione fit mentio, licèt frequenter postulatio subsequatur. Ergò &c.

Dubitatur II. possintne Compromissarii aliquem ex se ipsis eligere, si id in compromisso expresè concessum non sit? Negat Glos. *in c. cùm in jure. 33. h. t.* Verùm mihi potiùs arridet sententia affirmativa: quia nemini officium suum debet esse damnosum. *c. cùm non deceat. 30. h. t. in 6.* esset autem damnosum compromissariis, & sæpè quoque ipsi

ipsi Ecclesiæ, si jure electionis passivæ per compromissum privarentur. Et quidem omnino putaverim, compromissarium ab aliis electum consentiendo suffragiorum majorem numerum complere, & ità electionem de se ipso corroborare posse, eò quòd compromissarius tali casu se principaliter non eligat, sed accessoriè tantùm coëligat, adeoque electio ortum non habeat ab electo, sed ab aliis. Facit Textus *in d. c. cùm in jure.* 33. *h. t.* Ubi tamen Panorm. *n.* 6. & Vivianus *n.* 4. in tantum restringit, si compromissarii, prout possunt & solent, palam eligant, ut quisque audiat & sciat votum alterius; secus, si secretò, aut per scrutinium privatum procedant, tunc enim cùm quis nesciat, se ab aliis electum esse, donec suffragia publicata sint, sine ambitionis nota aliis consentire, atque ita electionem de se perficere haud posset.

80 *Dubitatur* III. an compromissum semel communi consensu factum revocari queat? Quod nego per text. *in c. in causis.* 30. *h. t.* Nisi vel I. compromissariis certum tempus ad finiendam electionem præfixum fuerit; tunc enim eò transactò, si non fuerit electio peracta, per se exspirat compromissum. Vel II. nisi alia conditio apposita defecerit, v. g. si consilium aliorum, quod requiri debuit, non sit requisitum; quando enim mandatario, adeoque etiam compromissario forma seu conditio præscribitur, censetur substantialis, quâ non observatâ actus corruat. Gloss. *in Clem.* 1. *V. cohibentes. de Jure patronatûs.* Vel III. nisi revocatio fiat re adhuc integra, hoc est, antequàm in negotio compromissi ad substantialia processum sit; quia compromissum æquiparatur mandato; & consequenter sicut mandatum procuratorium ante litis contestationem, etsi citationes & exceptiones fori declinatoriæ antecesserint, revocare licet, non autem post litis contestationem per *l.* 16. *ff. de Procuratorib.* ita etiam compromissum revocare licebit, licet v. g. jam missa de Spiritu S. aliæque solennitates præparatoriæ electionis præmissæ sint, modò compromissarii nondum processerint ad substantialia electionis, incipiendo scil. defacto tractare, aut nominare aliquem ad Prælaturam. Vid. Pirrhing *h. t. num.* 220. *& seqq.*

Per *inspirationem* fit electio, cùm electo- 81
res nulla præcedente consultatione, quasi Divino impulsu excitati, simul omnes in unum repente consentiunt, ac simul unum nominant, ac eligunt. *d. c. quia propter* 42. *v. nisi h. t.* Refert autem, an manifestè per revelationem, aut miraculum constet, vel solùm ratione unionis & concordiæ verisimiliter præsumatur, Deum talis electionis authorem esse? Si priùs, electio tanquàm per *veram inspirationem* facta, legi aut formæ *d. c. quia propter.* non subjacet, nec alia confirmatione indiget. arg. *c.* 8. *§. econtrà. dist.* 61. Si posterius, electio per *quasi inspirationem* facta dicitur, & confirmationem superioris requirit, cùm non sit simpliciter à Deo, sed quasi, id est, creditur esse à Deo. De his plura Barb. *ad c. quia propter. n.* 31. Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 2. *q.* 23. *a.* 42. & alii.

***

Et hæc de iis, quæ præcedunt, & comitantur electionem: Quæ factam sequuntur, præcipue sunt electionis *præsentatio; confirmatio,* & *consecratio* aut *benedictio.*

Præsentatio electionis necessariò intra octi- 82
duum, vel quò citiùs considerată loci distantiâ potest, electo fieri, & ab eodem consensus requiri debet; alioquin Electores quo ad se à processûs prosecutione totaliter excluduntur, & ab omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, totô trienniô ex tunc inchoando suspensi sunt. Text. *in c.* 6. *&* 16. *§. cæterùm. h. t. in* 6. Ubi

Quares I. quo modo electioni assensum 83

præstare oporteat? *R.* cum distinctione: num ante, vel post electionem consensus requiratur? Si ante electionem, ad vitandam notam ambitionis non licet saltem directè consentite, sed debet responderi juxta aliquos: *nolo, quòd me eligatis, & ita rogo*; vel secundùm alios: *non intendo Dei vocationi resistere*; vel *optarem dignus fieri, cui tantum honoris conferatur*; vel: *ago gratias, quòd me talem judicetis, cui dignitas hæc conveniat*, aut verbis similibus, quibus indirectè suam voluntatem declaret. Si autem post electionem factam consensus petatur, etsi deceat, ut electus non protinus consentiat, ne videatur ambitiosus, non tamen damnandus est, licèt mox consentiat, maximè si vereatur, ne pernicioſus se ingerat; quo casu dicere poterit: *charitas me consentire cogit*. Equidem Glossa *in c. cùm post petitam 46. h. t.* ait, si electus dissentiat, quòd non sit eligendus; at intelligo in casu, quo patet, eum nolle acceptare electionem, vel dignitatem, secus, si pro honestate duntaxat urbanis verbis (quæ non censentur inducere renuntiationem) dicat, se nolle consentire. Quinimo quamvis electus dissenserit revera ab initio, & seriò renuerit electioni de se factæ, mutatâ voluntate potest eam acceptare, quamdiu Electores in priore voluntate manent.

84 *Quæres* II. intra quod tempus electus teneatur consentire electioni præsentatæ? Indubitati juris est, electum intra mensem, à die præsentationis sibi factæ numerandum, consensum suum exprimere debere, aliàs eò ipso omni jure per electionem acquisito privatus est *d. c. 6. h. t. in 6*. Ubi tamen excipitur: nisi conditio personæ electæ excuset, quemadmodum excusat Religiosum, ut qui sine obtentâ priùs licentiâ Superioris, eáque speciali (quia generalis non sufficit juxta *Clem. 8. h. t.*) electioni de se factæ extra cœnobium suum consentire nequit. *c. 27. h. t. in 6*. Unde *in extrav. 2. h. t. inter Comm.* constitutum est, ut Religiosus electus intra tempus pro superioris præsentia, vel absentia moderandum 87
vel per se, vel per alium licentiam consentiendi impetret, eaque impetratâ ex eo tempore adhuc mensem habeat ad deliberandum, vellitne electionem acceptare, vel non? siquidem tempus impedito non currit per *c. 5. de Concess. prabend.*

Computantur autem pro mense tot dies, 8
quot habet mensis ille, in quo fuit electio præsentata, & si jam dies aliqui de mense sint elapsi, supplentur de diebus mensis subsequentis: v. g. si in Majo præsentetur electio, pro mense 31. dies; si verò in Februario, 28. tantum electo ad consentiendum conceduntur arg. *c. 2. de Supplenda negl. Prælat.* Quod idem dicendum videtur de tribus mensibus ad eligendum, & de aliis tribus ad confirmationem petendam electo de jure concessis, ut notat Glosl. *in d. c. 6. V. mensem h. t in 6*.

Porrò acceptatâ electione, si electus præsens est, processionaliter sub pulsu campanarum in Ecclesiam deduci, & ibi post *Te Deum laudamus* solenniter decantatum in Episcopali cathedra inthronizari solet. In quibusdam etiam locis è suggestu populo adstanti electio publicatur. Greg. Tholos. *de Elect. c. 16. num. 18*.

Ad *confirmationem* electionis ritè obtinen- 8
dam quatuor concurrant, necesse est. I. enim 8
requiritur, ut petatur intra trimestre à die dati consensûs; alioquin justo impedimento cessante electus præsumitur juri ex electione quæsito renuntiâsse, eóque defacto privatur. *d. c. 6. h. t. in 6*. Limitatur: nisi electionis confirmatio immediatè ad Sedem Apostolicam pertineat; quo casu intra mensem à die consensûs computandum, electus iter Romam arripere, & ex tunc, ut primum commodè potest, consideratâ locorum distantiâ, jubetur personaliter comparere, aut si ex justa causa sit im-

impeditus, procuratorem de omnibus sufficienter instructum mittere. *c.* 16. *h. t. in* 6.

87 II. Requiritur, ut confirmatio petatur, & conferatur gradatim, hoc est, à proximo superiore, puta confirmatio Abbatis (nisi exemptus fuerit) ab Episcopo Diœcesano arg. *c.* 1. *de Supplenda negl. Prælat.* Episcopi ab Archi-Episcopo per *c.* 22. *h. t.* Archi-Episcopi à Patriarcha. *c. quia. dist.* 63. Patriarchæ à Pontifice. *c. scriptum.* 40. *h. t.* Nisi hujusmodi confirmatio peculiariter Sedi Apostolicæ reservata fuerit; prout constitutum est per Concordata Germaniæ inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III. Imperatorem inita, ut Episcoporum Germaniæ, sicut & aliorum Prælatorum eidem Sedi Apostolicæ subjectorum confirmatio immediatè ad Papam pertineat, adeò quidem, ut quamvis aliàs Legatus de latere, si in provincia sit, possit non tantùm talium Prælatorum v. g. Abbatum, sed etiam Episcoporum exemtorum electiones confirmare, juxta text. *in c.* 36. *h. t. in* 6. Germaniæ tamen Episcopi, & Prælati Apostolicæ Sedi subjecti sine speciali mandato à nullo Legato de latere, ne dum ab aliis Legatis, sed à solo Pontifice confirmari debeant, utpote quorum confirmationem Papa per illa specialia concordata reservâsse videtur P. Engl. *h. t. num.* 50. ubi monet, hac in re stylum, & usum Curiæ Romanæ consulendum esse.

88 Scrupulò non caret, an Capitulum sede vacante possit Abbatem, vel alium inferiorem Prælatum canonicè electum confirmare? Existimaveris non posse, eò quòd confirmatio sit quodammodo collatio, cùm per eam electo conferatur jurisdictio, & potestas administrandi. *c.* 15. *h. t.* ergò sicut Capitulum sede vacante non potest alia beneficia minora conferre. *cap.* 2. *No sede vacante aliq. innov.* ita nec electo per confirmationem potest dignitatem & jurisdictionem v. g. abbatialem unàcum administratione concedere. Sed communis & in praxi passim recepta sententia affirmat per *c. cùm olim.* 14. *de Majorit. & obed.* ubi S. Pontifex electionem Abbatis pro confirmatione obtinenda jubet præsentari Capitulo, eò quòd Sedes Episcopalis pro tempore vacaret. Quem textum contrariæ sententiæ Authores sine sufficienti fundamento interpretantur, quòd loquatur & procedat de gratia speciali illius diœcesis Monachis facta, non de jure. Neque urget argumentum contrarium; siquidem non omne illud, quod habet speciem collationis Capitulo interdictum est, sed illæ duntaxat collationes prohibentur, quæ sunt alienatio, & non necessaria donatio rei ad Episcopatum spectantis; confirmatio autem est purus actus jurisdictionis, nullo modo donatio, aut libera alienatio; quia etiam ipse Episcopus, si viveret, non ex gratia, vel liberalitate, sed ex necessitate nolens volens electum confirmare deberet. Proinde confirmatio in hoc æquiparatur institutioni, quam propter eandem rationem à Capitulo sede vacante fieri posse, textus est *in c.* 1. *de Institut. in* 6. Vid. Panorm. *in d. c. cùm olim.*

III. Requiritur, ut electi confirmationem 89
præcedat vocatio volentium contradicere, & quidem nominatim facienda, si aliquis coëlectus adsit, vel alius contradictor; sin nullus talis adsit, edictum generale ad valvas Ecclesiæ affigendum est, in quo peremptoriè ad diem definitum citantur, si qui velint, se electioni factæ opponere. Alias hac vocatione neglecta confirmatio est ipso jure irrita. *c. fin. h. t. in* 6. Vallens. §. 7. *n.* 6.

IV. Requiritur, ut superior, antequam electum confirmet, inquirat inprimis de ejus qualitatibus, præcipuè circa ætatem, morum honestatem, & scientiam. *c.* 2. *dist.* 23. *c.* 3. 19. & 44. *h. t.* Trident. *sess.* 22. *de Reform. c.* 2. *sess.* 24. *de Reform. c.* 1. Deinde de forma & processu electionis, an in ea omnia

observata sint, quo ad modum eligendi, quo ad scrutinium, scrutatores, tempus, &c. quæ constare possunt ex instrumento, seu, ut alii nuncupant, ex decreto electionis, Superiori unàcum humili petitione confirmationis transmisso; cui, si à Notario publico in electionis actu adhibito ritè confectum, &, ut moris est à singulis Capitularibus manu propriâ subscriptum, communique Capituli sigillo munitum sit, plena fides habetur, ut latè docet Panorm. *ad c. 20. h. t. num.* 14. Formulam verò hujus decreti exhibet Bartol. Hegler. *in Directorio pract. ad election. p. 2. cap. 7.*

Tempus, intra quod Superior, cui jus confirmandi competit, electo confirmationem impertiri tenetur, à jure quidem definitum non est. Rebuff. *in praxi Benef. tit. de devol. n. 6.* quia tamen Ecclesiæ interest, ut quàm primùm potest, fiat, cùm electus interea administrare nequeat, ideò si confirmatio absque causa legitima diu differatur, potest à Superiore confirmantis peti, ut is terminum, intra quem confirmatio fieri debeat, constituat, quo elapsô ipsemet confirmabit. arg. *c. 13. §. excessus. de Offic. Jud. Ord.*

90 Confirmationem Episcopi sequitur *consecratio.* Statuit autem Trident. *sess. 23. de Reform. c. 2.* ut *Ecclesiis Cathedralibus, seu superioribus, quocunque nomine, ac titulô præfecti, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses* (numerandos à die confirmationis) *non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipsô jure sint privati*: nisi legitimum adsit impedimentum, aut urgens necessitas ulteriorem prorogationem petat, ut notat Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 30. q. 1.*

91 In Abbatibus & aliis Prælatis Episcopo inferioribus locò consecrationis est *benedictio*, quam si Episcopus tertiò cum humilitate rogatus impendere malitiosè & absque causæ prætextu recuset, tum Abbati interim liberum est, omnia ad suum officium pertinentia, etiam munia Ordinis exercere, donec Episcopus depositâ duritie benedicat. *cap. 1.* & ibi Gloss. *de Supplenda negl. Prælat.*

§. VI.

Finis Electionis est, ut per eam Ecclesiæ viduatæ provideatur de Capite, Pastore, seu prælato idoneo.

§. VII.

Effectus Electionis tum publicatæ, tum confirmatæ, tum consummatæ insignes & varii se offerunt.

Electionis publicatæ effectus *primus* est, 91 quòd electo jus ad prælaturam tribuat, ità ut eo invito Electores ab electione recedere nequeant, licèt nec dum consenserit. *c. 6. §. electus. h. t. in 6.* Diversum obtinet in postulatione, cùm enim postulatus per eam nec jus ad rem, nec in re acquirat, ideò etiam publicato scrutinio variare, & postulationem revocare possunt, saltem quamdiu Superiori pro admissione præsentata non fuit, ut dictum *tit. præcedent. num.* 11.

Secundus est, quòd electus prælaturam citra ambitionis notam acceptare, & confirmationem petere, seque contra eos, qui sine legitima causa obsistunt, tueri queat. *d. c. 6. h. t. in 6.*

Tertius, quòd Superior petitam confirmationem, si non adsit justum impedimentum, denegare nequeat, ob jus namque electo ad prælaturam ex electione quæsitum ex justitia debita est. *c. 3. h. t. c. fin. Eod. in 6.*

Quartus, quòd electio in concordia, id est, nullo sese opponente facta electis exemptis, & extra Italiam constitutis ante oblatam confirmationem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, exceptâ alienatione, omnem administrationem conferat, & consequenter, quæ in-

interim ab iis gesta sunt, tanquam valida sustineantur, licèt fortè confirmatio postea nõ subsequatur. *c.* 44. *& ibi* Pirrhing. *n.* 300. *h. t.* Plerumque tamen isti quoque electi hac facultate uti non solent, sed donec confirmentur, Capitulum, vel œconomus deputatus administrat. P. Wagnereck. *ad d. c.* 44. Certè alii non exempti, aut exempti, sed non ultramontani, vel in discordia electi, per electionem sine confirmatione nullum omninò administrationem nanciscuntur, & si defacto vel per se, vel per alium, sive in totum, sive in partem, sub quocunque colore, & prætextu administraverint, eò ipsò privantur jure quæsito ex electione. *c.* 9. *&* 17. *h. t. c.* 5. *Eod. in* 6. & imposterum redduntur ineligibiles arg. *c.* 12. *h. t.* Quin imò juxta *extrav.* 1. *h. t. inter Comm.* ut electi ad Episcopatus, aliásve prælaturas Sedi Apostolicæ immediatè subjectas, impunè ad commissas sibi Ecclesias accedant, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipiant, non solum desideratur confirmatio, verùm etiam, ut ipsas litteras confirmationis obtinuerint, ediderintque ac exhibuerint coram Capitulo. Rectè verò P. Engl. *h. t. num.* 51. contra Passer. advertit, generali hac constitutione extravagante non corrigi *cit. c.* 44. nec comprehendi Prælatos exemptos valde remotos, & in concordia electos.

In electione Monialium speciale est, quòd electa à majori parte in dissidio, videlicet repugnante parte minore, etiam ante confirmationem suscipere possit administrationem bonorum, dummodò de rebus Monasterii nîl penitùs alienet, nec aliquam in Monialem recipiat quoquo modo. *c.* 43. §. *sanè. & si verò. h. t. in* 6.

Quintus effectus est, quòd electus Episcopus ante confirmationem nullo modo pro Episcopo habeatur, nec absolutè Episcopus, sed tantum electus nuncupetur per *c.* 33. *de Testib. & c.* 8. *de his, quæ fiunt à Prælat.* Hinc licèt S. Pontifex, dùm rescribit Episcopis, *fratres*, alios *verò filios* salutet, dum tamen rescribit Episcopo electo, filium, non fratrem appellat per *c.* 9. *h. t.* juncto *c. quàm gravi.* 6. *de Crimine falsi.* Et Glossa. *in Clement.* 1. *de Pœnis.* docet, illam clementinam, quâ puniuntur, qui in Episcopos violentas manus injecerunt, non complecti Episcopos electos.

Ad *effectus electionis confirmatæ* spectat. I. 93
quòd electo conferat plenum jus, scilicet jus in re, ita ut ipse sine Superioris consensu ampliùs renuntiare non possit, ut infra dicetur. II. quòd matrimonium per electionem inchoatum, inter electum & Ecclesiam mediante confirmatione ratum faciat. III. quòd Prælatus confirmatus tanquam verus Ecclesiæ suæ pastor eorum, quæ jurisdictionis sunt (ut sunt v. g. judicare, punire, absolvere, dispensare, visitare, gratias, privilegia & beneficia conferre, electos confirmare, investire, juramenta & homagia à subditis accipere &c.) atque temporalium plenam potestatem & administrationem acquirat, ut textus est expressus *in c. nôsti.* 9. *& c. transmissam.* 15. *h. t.* Notanter dixi: *eorum quæ jurisdictionis sunt:* quia ea, quæ sunt Ordinis, v g. Clericos ordinare, degradare, chrisma conficere, confirmare, altaria consecrare, dare solennem benedictionem, &c. non per confirmationem, sed per consecrationem obtinentur. IV. quòd Episcopis electis & confirmatis, etsi non dum consecratis competat privilegium *cap. quia periculosum.* 4. *de Sentent. excomm. in* 6. quòd nempè generali statuto, vel sententiâ interdicti, vel suspensionis non comprehendantur, nisi eorum fiat expressa mentio. Item illud de eligendo confessario juxta *cap. fin. de Pœnit. & Remiss.* & de usu altaris viatici juxta *cap. ult. de Privil. in* 6. atque alia his similia.

Effectus electionis consecratione consum- 94
matæ est imprimis, quòd matrimonium inter Epi-

Episcopum electum, & Ecclesiam perficiat, & consummet. per *c. fin. de Translat. Episc.* Deinde, quòd tribuat plenitudinem Episcopalis officii, ità ut Episcopus consecratus non tantùm ea, quæ jurisdictionis sunt, sed & ea, quæ sunt Ordinis, hoc est, quæ jure Divino & Ecclesiastico Ordini Episcopali annectuntur, exercere possit. *d. c. transmissam.* 15. *h. t.* Excipitur Archi-Episcopus, qui etsi consecratus, attamen ante susceptum pallium se Archi-Episcopum nuncupare nequit, nec exercere ea, quæ ei ut Archi-Episcopo competunt, sive Ordinis sint, sive jurisdictionis, puta majoris, ut concilium provinciale indicere, aut provinciam visitare &c. *c. quod sicut* 28. §. *super eo. ℣. præterea. h. t.*

Planè sicut Episcopo per confirmationem datur quidem potestas exercendi ea, quæ sunt jurisdictionis, non quæ sunt Ordinis, donec consecratus sit; ita etiam Abbati electo per confirmationem confertur quidem potestas jurisdictionis, non autem Ordinis, sed hæc primùm confertur per benedictionem, ubi usus habet, ut abbates benedicantur. Quòd addo: quia ubi id usus non habet, cùm ibi confirmatio benedictionis vim & firmamentum contineat, ideo per solam consummationem inibi omnis non tantùm jurisdictionis, sed etiam Ordinis potestas Abbati confertur, modò sacerdos ordinatus sit. arg. *c. alienationes. causâ* 12. *q.* 2. *& ibi* Glossa *in V. conferandus. in fine.* Pirrhing *h. t. num.* 402.

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

SUMMARIA.

1. *Translationis homonymia.* 2. *Et definitio.*
3. *Quo jure prohibeatur translatio Episcoporum?*
4. *Quis transferat Episcopos?* 5. *Et alios Prælatos inferiores.*
6. *Quis, & an etiam invitus transferri possit?*
7. *Ad translationem requiritur licentia superioris.*
8. *Justa causa,* 9. *Et gradatio.*
10. *Effectus translationis.* 11. *Quando incipiat vacare beneficium translati Episcopi?* 12. *Aut alterius Beneficiati?*
13. *Quid requiratur ad translationem Ecclesiæ de loco ad locum?*

§. I.

TRanslatio, si specificè sumatur, juxta *Rubricam* de solo Episcopo intelligitur; 1
genericè autem accepta etiam in aliis Prælatis, ac quibusvis Beneficiatis locum habet. *c.* 37. *causâ* 7. *q.* 1. *c.* 7. *de Consuet. c.* 5. *de Rer. permut.* Et hoc posteriori sensu.

§. II.

Definitur Translatio, quòd sit personæ Ec- 2
clesiasticæ ab una Ecclesia ad aliam auctoritate Superioris ex legitima causa facta transpositio, seu commutatio. Ità DD. communiter.

§. III.

Causa efficiens Translationis duplex est, remota & proxima. Remota est jus permittens & approbans Translationem ex justa causa factam, regulariter enim est prohibita. *c.* 19. 34. *& passim causâ* 7. *q.* 1.

Controversia est, quanam lege translatio Episcoporum sit prohibita: an Ecclesiasticâ, vel Divinâ? Negotium facessit *c.* 2. *&* 3. *h. t.* ubi dicitur, conjugium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam suam non humana, sed Divina potiùs potestate dissolvi: & fortiùs esse hoc spirituale vinculum, quàm carnale; at dissolutio matrimonii carnalis, præcipuè consummati, jure Divino est prohibita, Matth. *c.* 19. ergò & dissolutio Matrimonii spiritualis per translationem, ut arguit Fagn. *c. quanto* 3. *h t. n.* 2. Nihilominus verius videtur, translationem Episcoporum propriè ac strictè loquendo non immediatè ex Divina constitutione, sed Ecclesiastica solum lege seu traditione esse prohibitam: quia Christus nihil determinatè præcepit, aut tradidit de officio Episcoporum perpetuo ac insolubili, sed id Ecclesiæ,

fiæ, & suo in terris Vicario disponendum reliquit, cùm quandoque ad bonum Ecclesiæ universalis regimen necessarium sit sedium mutationes fieri. *c.* 35. *causâ* 7. *q.* 1. Et certè non ita facilè sicut passim videmus, permitterentur Episcoporum translationes, si Divino jure forent prohibitæ. Nec refragantur *c.* 2. *&* 3. *h. t.* cùm enim dicitur conjugium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam non humanâ, sed divinâ potiùs auctoritate dissolvi; id intelligendum est remotè & originaliter, quatenus scil. summi Pontifices supremam suam potestatem (per quam solam translatio Episcoporum fieri potest, ut dicemus) non ab hominibus, sed ad Deo acceperunt Matth. 16. Joan. *ult.* non verò accipi debet, quasi immediatè ex Divina institutione sit insolubile. Laym. *in d. c.* 2. *n.* 9. Quod *ex d. c.* 2. opponitur, fortiùs esse spirituale vinculum, quàm carnale verum est ratione durationis: quia matrimonium carnale morte solvitur *ad Roman.* 7. spirituale autem non tollitur per mortem ob impressum characterem indelebilem, ita ut Episcopus resuscitatus teneatur redire ad propriam Ecclesiam. Zoës. *h. t. n.* 2.

Causa efficiens proxima Translationis est Superior Ecclesiasticus, per quem fit translatio. Ut autem scias, per quem fieri possit, & debeat.

4 Dico I. Episcopos, aliósque Prælatos iis Superiores, puta Archi-Episcopos, Primates, Patriarchas, & Cardinales transferre pertinet ad solum S. Pontificem, *c.* 1. 2. *&* 4. *h. t.* ita ut neque Patriarchis, aut Archi-Episcopis, tametsi ad eos confirmatio electi Episcopi spectaret, arg. *d. c.* 1. *&* *c.* 34. *causâ* 7. *q.* 1. neque Legatis à latere competat illa potestas transferendi, nisi speciale desuper mandatum habeant. *c.* 3. *&* 4. *de Officio Legati.* Ratio est, quòd translatio Episcoporum, etiam confirmatorum tantùm, sit una ex causis majoribus, quæ specialiter soli S. Pontifici sunt reservatæ. Text. & Panorm. in *d. c.* 1. *h. t.* Ratio autem rationis est: quia inter Episcopum & Ecclesiam intercedit verum & perfectum matrimonium spirituale, quod initiatur in Electione, ratificatur in confirmatione: atque consummatur in Consecratione. *d. c.* 4. *eod.*

5 Dico II. Abbates, aliique Prælati, & Beneficiati Episcopis inferiores ad alias Ecclesias transferri possunt à proximo suo Superiore, videlicet ab Episcopo, si v. g. Abbas non sit exemptus *c.* 37. *causâ* 7. *q.* 1. *c.* 8. *causâ* 18. *q.* 2. sin autem exemptus sit, & immediatè Sedi Apostolicæ subjectus, transferri debebit vel à S. Pontifice, vel ab ejusdem Legato de Latere in provincia existente; quamvis enim Legatus de Latere Episcopos transferre nequeat, secundùm priùs dicta, potest tamen transferre alios Prælatos inferiores etiam exemptos. *c.* 36. *de Elect. in* 6. Ratio est, quia translationem inferiorum Prælatorum aut Beneficiatorum, ut causam graviorem, Romana Sedes sibi non reservavit, sicut translationem Episcoporum, aliorúmque iis superiorum; Ratio autem rationis, & discriminis ea datur, quòd inter illos & inter Ecclesiam non ita propriè matrimonium spirituale contrahi censeatur, licèt in latiori sensu Ecclesiarum sponsi dicantur. *c.* 4. *causâ* 21. *q.* 2.

Porrò si Ecclesia, à qua aliquis transfertur, non sit subjecta jurisdictioni ejusdem Superioris, cui subjecta est Ecclesia, ad quam transfertur, tunc requiritur consensus Episcoporum utriusque Ecclesiæ *c.* 4. *de Renunt. c. fin. de Cleric. peregr.* Pirrhing. *h. t. n.* 10.

Connexa *quæstio est*: an Capitulum Sede Episcopali vacante Abbatem, vel alium Beneficiatum inferiorem transferre, eique licentiam ad aliam Ecclesiam, vel Diœcesim transeundi dare possit? Negativam tenet Glossa *in c. cùm olim de Maj. & Obed.* eò quòd hæc translatio, seu licentiæ concessio sit quasi alienatio & donatio personæ: cùm

ergo Capitulum res Ecclesiæ alienare nequeat *cap.* 42. *causâ* 18. *q.* 2. multò minùs poterit alienare personam : majoris namque personæ, quàm res æstimantur. *c.* 24. *causâ.* 12. *q.* 1. Sed affirmativa communis est, à qua neque ego discedo : quia hæc licentiæ concessio est purus actus jurisdictionis ; quæ autem jurisdictionis sunt, à Capitulo sede vacante fieri possunt per *c.* 3. *de Supplenda negl. Prælat. in* 6. Neque alienationem personæ, nisi impropriè dixeris : si enim vera esset alienatio, etiam ab Episcopo, vel Abbate fieri non posset sine solennitatibus ad alienationem requisitis, quod tamen liquidò falsum est *per c. si Religiosus. de Elect. in* 6. Accedit diversitatis ratio : nam in locum Abbatis vel alterius Clerici Ecclesiam & beneficium suum deserentis protinùs potest substitui alius, & ordinariè per hoc Diœcesis aut Ecclesia non damnificatur ; quod non est in alienatione rerum, quæ communiter est perniciosa, nec potest haberi alia similis, quæ priori alienatæ substituatur.

§. IV.

6 *Objectum* Translationis est persona, quæ transfertur ab una Ecclesia ad aliam. Transferri autem possunt Cardinales. *c.* 3. *de Postulat.* Archi-Episcopi. *c.* 4. *Eod.* Episcopi *per Rubr. & text. h. t.* Abbates. *c.* 7. *de Consuet.* Præpositi *per c.* 22. *de Elect.* & denique Beneficiatus quilibet. *c.* 5. *de Rer. permut.*

Dubitari nonnihil potest, an quis etiam invitus transferri queat ? Affirmo, si id necessitas, vel communis aliqua Ecclesiæ utilitas exigat. *c. pen. & ult. causâ* 9. *q.* 3. quia plurimorum in Ecclesia utilitas unius voluntati & commoditati præferenda est *c.* 35. *causâ* 7. *q.* 1. Nego, si ejusmodi causa non subsit, per *c.* 39. *eâd. q.* 1. quia jus suum sine culpa vel causa publica nemini est auferendum. Cæterùm licèt Barb. *J. E U. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 33. existimet, translationem invîti etiam inferioris à solo S. Pontifice, non verò ab Episcopis fieri posse ; cùm tamen id nullibi reperiatur S. Pontifici reservatum, neque alicui juris fundamento inniti videatur, puto prædictam translationem etiam Episcopis respectu suorum subditorum permissam esse ; præsertim quia causam & utilitatem publicam, ex qua fit translatio, non solùm S. Pontifex, sed etiam Episcopi in suis subditis promovere possunt, ac debent.

§. V.

Forma Translationis desumitur à requisi- 7
tis, quæ tria

I. Requiritur consensus, & licentia superioris : propriâ enim auctoritate se ab una Ecclesia ad aliam transferre haud licet, nec impunè est, siquidem, si Episcopus consecratus vel etiam tantùm confirmatus id attentet, & propria auctoritate ad alium Episcopatum transeat, utroque sententiâ Judicis privari ; debet, tum in pœnam commissi adulterii spiritualis, quatenus dimissâ priori Ecclesiâ, tanquam uxore legitimâ, ad aliam transiit. *c.* 11. *causâ* 7. *q.* 1. tum etiam quia præsumitur priorem ex superbia despexisse, & posteriorem avaritiâ vel ambitione ductus concupivisse. *c.* 31. *d. q.* 1. *c.* 3. *& ibi* Panorm. *n.* 5. *h. t.* Quodsi Prælati, aliique Beneficiati Episcopis inferiores sine Superioris sui indulto ad aliam Ecclesiam suâ relictâ migrent, communione privandi sunt : donec ad priorem redeant ; & si interim in eorum locum alii substituti sint, tam diu vacare debent ab officio & beneficio, quod in priori Ecclesia habebant, quàm diu substituti vivent. *c.* 43. *d. causâ* 7. *q.* 1. absolutè tamen & simpliciter priori beneficio non privantur, cùm tam grave delictum ex parte ipsorum non censeatur, utpote non ita fortiter suis Ecclesiis alligatorum ; nisi Episcopo regressum imperanti omninò inobedientes forent : tunc enim non tantùm possunt & debent ab offi-

cio

cio deponi, sed nec aliquando spem restitutionis habere. *c.* 24. *cit. causâ* 7. *q.* 1. Specialiter quoque pœna privationis statuitur in illos, qui mediante permutatione ab uno beneficio ad aliud propriâ auctoritate transeunt. *c.* 7. *de Rer. permut.* Cujus specialitatis ratio est periculum simoniæ, quæ in beneficiorum permutatione propter spiritualium & temporalium permixtionem facilè intervenire potest.

8 II. Ad canonicam Translationem requiritur justa causa, quæ generatim duplex est: utilitas Ecclesiæ, & urgens necessitas. *c.* 34. 35. 37. & 39. *causâ* 7. *q.* 1. Causa utilitatis subesse censetur, si quis in Ecclesia, ad quam transfertur, plus profuturus verisimiliter existimetur, vel si translationem suadeat bonum pacis, & concordiæ, arg. *d. c.* 34. Urgens necessitas tunc subesse creditur, si quis ob hostiles persecutiones, vel aliam similem causam in propria Ecclesia tutò subsistere nequeat; quo casu alteri vacanti præponi solet, donec necessitas cesset: ea autem cessante ad priorem Ecclesiam restituitur, & quasi jure postliminii reverti potest, imò tenetur, nisi dimissionem legitimam impetret. *c.* 42. & 44. *cit. causâ* 7. *q.* 1.

9 III. Requiritur, ut translatio fiat à minore ad majorem dignitatem: quia exinde faciliùs speratur major Ecclesiæ utilitas, quàm si translatio fieret à majori dignitate ad minorem, v. g. ab Archi-Episcopali ad Episcopalem, quod non facile conceditur. *c.* 1. *h. t.* Hinc si quis licentiam impetret transeundi ad majorem dignitatem, non poterit vi illius transire ad parem vel minorem: quia tale indultum, utpote contra jus, est strictæ interpretationis, ac propterea ad literam servandum. Text. & Panorm. *in c. fin. h. t.*

§. VI.

Finis Translationis est, ut Ecclesiæ necessitati, & utilitati personis dignis rectè succurratur.

§. VII.

Effectus Translationes est I. quòd per illam 10
spirituale matrimonium inter Episcopum transferendum, & priorem Ecclesiam contractum dissolvatur, isque ab ea omninò liberetur. *cap.* 4. *§. fin. de Postulat. c.* 2. *h. t.* Ratio est, ne alioquin translatus existat sponsus duarum Ecclesiarum.

II. Quòd translatus in posteriori Ecclesia eandem potestatem consequatur, perinde, ac si per electionem, vel alium modum legitimum eam obtinuisset. *d. c.* 2.

III. Quòd per translationem incipiat vacare prior dignitas, aut beneficium translati, & is omne jus amittat in Ecclesia, à qua discedit. *c.* 3. *causâ* 21. *q.* 2. Verùm hìc

Quæritur, quando & an etiam ante adeptam possessionem alterius prior dignitas, vel beneficium vacet?

R. I. Episcopi translati prior Episcopatus 11
vacat ipso jure, quàm primùm S. Pontifex translationem ratificat, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, & ante acquisitam possessionem posterioris Ecclesiæ, ad quam est translatus, ita ut abstinere teneatur à prioris jurisdictionis exercitio (utpote transeunte in Capitulum tanquam sede vacante) mox à tempore, quô in translationis notitiam pervenit etiam ex testimonio v. g. Secretarii Collegii Cardinalium P. Engl. *h. t. n.* 5. Ratio est: quia ex tunc Episcopus jam est spirituali matrimonio copulatus posteriori Ecclesiæ, ac in illa plenum jus acquirit; ne ergo spirituale adulterium committat, & sponsus existat duarum Ecclesiarum, à priori omninò solutus esse debet, nihilque juris in illa retinere, arg. *c.* 2. *h. t.*

R. II. Si alii Prælati & Beneficiati Episco- 12
pis inferiores transferantur, priora eorum beneficia ordinariè non vacant ante obtentam posterioris possessionem: *c.* 7. *§. cùm verò & ibi* Gloss. *de Elect.* Ratio est: quia in his

cessat ratio priùs allegata, cùm inter illos & Ecclesiam non contrahatur matrimonium spirituale. Unde etiam in translatione Episcopi, si præter Episcopatum habeat alia beneficia annexa, illa probabiliter non amittet ante actualem possessionem posterioris Ecclesiæ: cùm respectu illorum non contraxerit spirituale matrimonium, consequenter per eorundem retentionem non committat spirituale adulterium. Nisi forsan ista beneficia omninò necessariam connexionem habeant cum priori Episcopatu; quo casu tanquam accessorium sequerentur suum principale, & vacarent vacante priore Episcopatu, scil. immediatè post translationem à S. Pontifice perfectam, etiam ante actualem possessionem.

Planè hæc omnia non aliter procedunt, quàm si quis utilitatis causâ transferatur: si enim translatio fiat causâ necessitatis, veluti ob gravem persecutionem, aut infestationem hostium, tunc non solvitur conjugium spirituale, & prior Ecclesia non vacat, sed translatus retinet jus ad aliam quasi in pendenti & sub conditione, si nimirum ab hostibus liberetur, *ut supra num.* 8. notavimus.

§. VIII.

Hactenus de Translatione personarum Ecclesiasticarum. Huic *affinis* est translatio Ecclesiarum de uno loco ad alium. Unde

13 I. Ad hoc, ut transferatur Ecclesia cathedralis, requiritur auctoritas & consensus S. Pontificis. Gonzal. *in c.* 1. *h. t. num.* 11. Ratio est: quia similes mutationes Ecclesiarum Cathedralium sunt ex causis majoribus, & S. Pontifici reservatis non minùs, quàm translationes Episcoporum per *d. c.* 1. *h. t.* in illis verbis (*translationes Episcoporum, & mutationes sedium*)

II. Ad hoc, ut fiat translatio Monasterii, vel alterius inferioris Ecclesiæ, requiritur, & sufficit consensus Episcopi & Capituli. *c.* 41. *causâ* 16. *q.* 7. Ratio est: quia Monasteriorum seu inferiorum Ecclesiarum mutatio non est ex causis majoribus, exemplo translationis suorum Præpositorum. Nihilominus tamen censetur esse quædam species alienationis, teste Tuscho *lit. T. concl.* 363. *n.* 1. ac consequenter saltem juris solennitates ad alienationem aliàs requisitas exigit, nimirum consensum Episcopi & Capituli: præsertim, quia ordinariè subest periculum, ne Ecclesiæ vel subditis graviter præjudicetur.

Limita tamen I. in Ecclesiis & Monasteriis Mendicantium; quæ de loco ad locum transferri nequeunt absque speciali Sedis Apostol. licentia expressam mentionem faciente de prohibitione contenta *in c. un. de Excess. Prælat. in* 6. eò quòd ex eorundem translatione faciliùs oriantur scandala, querelæ, & gravamina subditorum, maximè si posteriori loco viciniores sint alii Religiosi Mendicantes.

Limita II. ut aliarum Ecclesiarum translatio facienda sit intra eandem Diœcesim: nam terminos Diœcesis mutare est de reservatis Summo Pontifici: sicut enim Episcopus Diœcesim non habet ex se, vel à suo inferiore, ita nec potest auctoritate suâ vel inferioris illam minuere, dismembrare, aut aliâ ratione mutare. Barb. *de Offic. & potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 50. *num.* 5.

Limita III. ut quamvis privilegia non maneant penes Ecclesiam antiquam, sed ad novam transferantur (nisi forsan præcisè ad locum antiquum ratione specialis devotionis, peregrinationis, seu Religionis fuissent restricta) tamen in priori loco ad ministeria Ecclesiæ debeat dimitti Presbyter. *d. c.* 41. *& ibi* Gloss. *causâ* 16. *q.* 7. modò id arbitrio Episcopi congruè fieri possit, ut insinuat Tuschus *d. concl.* 363. *num.* 2.

III. Etiam in hac locali translatione requiritur causa legitima, quarum tres referuntur *in c.* 36. *dist.* 1. *de Consecr. Prima, cùm necessitas persecutorum locorum gravaverit.*

St-

Secunda, cùm difficultas locorum fuerit. Tertia, cùm malorum societate gravantur. Quibus addi potest aëris magna intemperies. Glossa *in d. c.* 36. vel alia notabilis melioratio. *cit. c.* 41. *causâ* 16. *q.* 7. Quæ omnes reduci possunt ad duas *supra n.* 8. nominatas, scil. utilitatis & necessitatis.

TITULUS VIII.

De Auctoritate & usu Pallii.

SUMMARIA.

1. Quid sit Pallium?
2. Pallium hodiè confert solus S. Pontifex.
3. Quibus competat usus pallii?
4. 5. 6. 7. Quando & quo loco pallio uti liceat?
8. Usus Pallii est privilegium personale.
9. Quando peti debeat?
10. 11. Materia & figura pallii.
12. Et seqq. Archi-Episcopus, qua possit, qua non sine pallio?

POstulati, electi, vel translati interdum jus habent gestandi insigne suæ dignitatis, quod hic Pallium nuncupatur.

§. I.

1 *Definitur* autem Pallium, quòd sit singulare aliquod ornamentum à Corpore D. Petri desumptum, dignitatem & plenitudinem pastoralis officii specialiter designans. Colligitur *ex c.* 4. *in f. de Elect. c.* 3. *h. t.* Dicitur: *à Corpore D. Petri desumptum:* quia super altare D. Petro dedicatum benedici, indeque à petente, vel alio ejus nomine recipi solet, prout exponit Gloss. *in d. c.* 4. *V. corp. assumuntur.*

§. II.

2 *Causa effic.* Pallii is dici potest, qui confert. Confert autem hodie solus S. Pontifex: quia ab eo, tanquam à supremo Hieracha, & omnis plenitudo potestatis Ecclesiasticæ (quæ per pallii traditionem tribuitur) promanat. Gonzal. *in c.* 1. *n.* 8. *h. t.* Olim vero ex privilegio Papæ etiam quatuor principales Patriarchæ: Constantionopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Jerosolymitanus, postquam id à S. Pontifice acceperant, præstito priùs eidem fidelitatis & obedientiæ juramento, suis suffraganeis dare potuerunt. Text. & Panorm. *in c.* 23. *de Privilegiis.*

§. III.

3 *Subjectum* Pallii sunt personæ, quibus pallii usus competit. Et licet ordinariè tantùm Archi-Episcopis, aliisque superioribus Prælatis, ut S. Pontifici, principalibus quatuor Patriarchis, & Primatibus competat juxta *c.* 3. *& 4. h. t. c.* 1. *& 2. dist.* 100. Nihilominus etiam Episcopis nonnunquam ex speciali privilegio conceditur, ut patet ex *c.* 15. *de Præsumpt.* & legimus concessum esse Episcopo Ostiensi propè Romam, qui Papam consecrat; Episcopo Papiensi in Longobardia; Episcopo Lucensi in Thuscia; item Bambergensi in Germania, & quinque Ecclesiensi in Hungaria. Azor. *Inst. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 34. *q.* 3.

4 Quô ad usum verò Pallii Innocentius III *in c.* 4. *h. t.* his verbis rescribit: *Sanè solus R. Pontifex in Missarum solemniis pallio semper utitur & ubique. Alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus.* Cujus hanc rationem decisivam reddit: *quoniam Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis, quæ per pallium significatur: alii verò vocati sunt in partem solicitudinis,* atque plenitudinem pastoralis officii, non respectu omnium fidelium, & in toto orbe, sed in certo solumodo genere & loco participant. Ubi

5 *Quares* I. Quinam sint illi dies, quibus Archi-Episcopus, aliique pallio uti possint? R. quamvis in jure non satis determinentur, congruenter tamen illos enumerat Glossa *in d. c.* 4. *h. t. arg. c. fin. de Feriis.* ubi principaliora festa nominatim adducuntur; quibus meritò addit Ecclesiarum Dedicationes, Ordinationes Clericorum, & Consecrationes

Episcoporum, tanquam actus & solennitates præcipuas. De reliquo attendendum erit ad speciales locorum consuetudines, & præsertim ad tenorem privilegiorum, uti notatur *in c. fin. h. t.*

6 *Quæres* II. num Archi-Episcopus, vel alius in Ecclesia exempta suæ Provinciæ, aut diœcesis palliô uti possit? Ita putat Panormit. *in c. 1. n. 7. h. t.* & nonnulli alii, eò quòd in *Clem. 2. de Privilegiis.* Archi-Episcopis & Episcopis generaliter in quibusvis locis exemptis suæ Provinciæ aut Diœcesis concedatur celebratio in Pontificalibus, quorum appellatione pallium continetur. Ego tamen in puncto Juris sine difficultate non ausim affirmare, cùm *in d. c. 4. h. t.* usus pallii in iis tantùm Ecclesiis permittatur, in *quibus jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt.* Neque ex eo, quòd Archi-Episcopo vel Episcopo per privilegium concedatur alicubi usus pontificalium, eò ipsò quoque concessus intelligitur usus pallii: strictior enim est usus pallii, quàm Pontificalium, ut *arg. c. extuarum. 5. h. t.* docet Faganus *in c. quia nos 6. n. 8. Eod.* & alia est ratio pallii, alia reliquorum pontificalium, ac sæpe unum sine altero competit; ita namque pontificalibus uti licet etiam extra provinciâ, saltem cum Episcopi illius loci licentia, non item pallio. Præterea celebrare in pontificalibus censetur esse præcisè actus quidam honoris, etiam ab exemptis Archi-Episcopo vel Episcopo deferendus; usus pallii verò simul actus officii, utpote pastoralis officii solicitudinem denotans, quæ se ad exemptos non extendit. Accedit, quòd privilegium Archi-Episcopo & Episcopo in Ecclesiis exemptis concedens celebrationem in pontificalibus sit strictè interpretandum, neque extendendum ad alios actus officii, aut jurisdictionis, per quos personis exemptis facilè præjudicium, aut gravamen inferri posset, sicut expressè *in d. Clem. 2. de Privil.* cavetur, ut ibidem nec ordinare, nec causas audire, nec delinquentes punire, aut quid simile permissum sit.

Quæres III. Utrum nullo prorsus casu extra provinciam pallio uti liceat? R. unicum in jure casum reperiri, quo ex speciali S. Pontificis gratia conceditur Archi-Episcopo usus pallii extra provinciam, si nempe necessitate aliquâ præpeditus ad Ecclesiam sibi concreditam accedere nequiverit pro consecrandis suis suffraganeis, vel Clericis ordinandis, atque propterea ad alienam Ecclesiam declinare contigerit: dummodò tamen is, ad quem Ecclesia pertinet, id permittat. Text. *in c. 5. h. t.* Excepto hoc casu extra provinciam pallio uti nunquam licet. Sed neque in provincia sua, nisi in Missarum solenniis. *c. 6. & 8. dist.* 100. imò ne quidem in Missarum solenniis semper pallio uti licet, sed tantùm in Ecclesia, è qua, si contingat eum, cui jus pallii competit, processionaliter, vel alio modo egredi, pallium deponere debet, etiam cæteroquin sacris vestibus indutus. *c. 1. h. t.* sicut & tunc uti nequit, si celebrat sub tentorio, aut in aliqua privata domo, teste Honorio. *h. t. in 6.* 7

Quæres IV. Sitne usus pallii privilegium personale, an reale? Respondent communiter DD. absolutè pallium esse privilegium tantùm personale, eò quòd alteri commodari nequeat, neque in personam transeat, sed cum eo quisque sepeliri debeat. *c. 2. h. t.* Mihi videtur necessariò jus petendi pallium discernendum esse ab ipso pallio, seu usu ejus. Jus petendi pallium à Sede Apostol. loco seu dignitati Archi-Episcopali concessum est ex generali gratia, & ad quemlibet successorem in illa dignitate transit, consequenter privilegiis realibus, non verò personalibus accenseri debet. Ipsum autem pallium, seu usus pallii quamvis detur intuitu dignitatis, illámque in persona designet, & insuper ad certum locum seu provinciam restringatur, non tamen 8

dignitati, sed personæ solummodò conceditur, ita ut alteri cedi nequeat; ideóque sub hac acceptione est privilegium merè personale. Pirrhing. *h. t. num.* 19. & 20.

9 Cæterùm is, cui jus pallii datum, id per se, vel per alium cessante justo impedimento intra tres menses à die consecrationis, vel si jam ante consecratus fuit, à die confirmationis, instanter petere debet, alioquin commissâ dignitate privabitur *c.* 1. & 2. *dist.* 100. Panormit. *in c.* 4. *h. t. n.* 8. Consueta verò aliàs pallii traditio per cujuscunque criminis seu defectûs objectionem impediri vel retardari non potest, nisi objiciens præmisso calumniæ juramento intra bimestre probationes legitimas exhibere paratus sit. *Extravag. un. h. t. inter Comm.*

§. IV.

10 *Materia* Pallii, ex qua conficitur, est lana candida, ut refert, & rationem reddit Clemens II. *in Epistola ad Joan. Salern. Episcopum*, quem, cùm illi pallium traderet, ita allocutus fuit: *in quo, quia de vellere ovis est, intellige Te ovium pastorem.*

§. V.

11 *Formam* Pallii describit Panormit. *ad Rubricam h. t.* quòd sit vestis candida ex lana alba contexta, in coronæ seu circuli modum, pectus & humeros circumdans, ac quatuor nigris, vel purpureis crucibus distincta, anteriore parte non nihil dependens. Quæ omnia moralibus mysteriis plena sunt, ut tradit idem Panorm. *l. c. num.* 5.

§. VI.

12 *Effectus* Pallii est *primò*, quòd tribuat Archi-Episcopalis nominis appellationem: etenim electus ad Archi-Episcopatum, tametsi confirmatus, vel consecratus sit, Archi-Episcopum tamen se nominare non potest ante pallium acceptum. *c.* 3. & *ibi* Barb. *num.* 2. & 3. *h. t.*

13 *Alter* effectus est, quòd per pallii traditionem conferatur auctoritas, seu plenitudo pastoralis officii. *d. c.* 3. *h. t.* nam licèt Archi-Episcopus post confirmationem, & consecrationem habeat potestatem jurisdictionis & ordinis in aptitudine. *c.* 11. & 15. *de Elect.* antequam tamen pallium recipiat, non habet in actu, nec ea exercere potest, quæ sunt propria muneris Archi-Episcopalis, cujusmodi sunt visitare provinciam, convocare concilium provinciale, conficere chrisma, dedicare Basilicas, consecrare Episcopos, benedicere Abbates, ordinare Clericos, & alia, quæ in Pontificalibus inter Missarum solennia peragi debent. *c.* 28. *§. super eo. de Electione.* Ex quo

14 Infertur I. Archi-Episcopum ante obtentum pallium posse exercere actus Ordinis minus principales, & quos stolâ tantùm indutus peragere solet, sicut est benedictio calicis, paramentorum, cœmeterii &c. P. Engl *h. t. num.* 5. Ratio est: quia similes actus non videtur facere ex plenitudine officii pastoralis, seu tanquam Archi-Episcopus, sed præcisè tanquam præditus simplici potestate pontificali, pallium autem requiritur ad dignitatem Archi-Episcopalem, aut plenitudinem pastoralis officii.

15 Infertur II. Archi-Episcopum ab alio Episcopo, extra suam provinciam invitatum posse ante receptum pallium etiam actus principales Ordinis exercere, modò sit confirmatus & consecratus. Layman *in c.* 1. *h. t. n.* 4. Ratio est: quia etsi pallium accepisset, eo tamen extra provinciam suam uti non posset, sicut diximus; ideóque extra provinciam non exercet similes actus tanquam Archi-Episcopus, sed tanquam alius simplex Episcopus consecratus.

16 Infertur III. Archi-Episcopo similiter ante receptum pallium, imò & ante consecrationem, suppositâ tamen confirmatione, permissum esse, exercere quoscunque actus jurisdi-

dictionis, Episcopis aliàs competentes, modò non sint Archi-Episcopales, seu soli Archi-Episcopo qua tali proprii. Sic potest causas audire, delegare, judices creare, censurare, dispensare, Prælatos electos confirmare, &c. quô ad hæc enim & similia recipit potestatem per ipsum actum confirmationis; *c.* 15. *de Elect. c.* 1. *& ibi.* Panormit. *n.* 9. *de Translatione Episcop.* Hinc ulterius

17 Infertur IV. Archi-Episcopum confirmatũ posse alteri Episcopo delegare, & committere majores actus ordinis, quos ipse ante consecrationem, & obtentum pallium nequit exercere. *c.* 11. *de Elect.* Ratio est: quia delegare est actus jurisdictionis Episcopis quoque communis, neque ab Archi-Episcopo quâ tali procedens, sed quà simplici Episcopo jurisdictionem mediante confirmatione habente.

18 Utrúm verò Archi-Episcopus, si acceptum semel pallium perdat, vel id incendio comburatur, licitè possit absque pallio actus proprios dignitatis Archi-Episcopalis exercere, sicut priùs cum pallio? affirmat Barb. *J. E. V. L.* 1. *c.* 7. *n.* 124. Negat Venerus apud Dian. *Moral. Resol. p.* 3. *tr.* 6. *Resol.* 37. *in fine.* Ego distinguo inter actus jurisdictionis, & ordinis: illos Archi-Episcopus videtur amisso pallio posse exercere, non istos, nisi sit moralis necessitas, & utilitas Ecclesiæ Ordinationem v. g. Clericorum exigat. Ratio discriminis est: quia obtentâ semel facultate exequendi, actus jurisdictionis aliàs sine pallio, Ordinis verò cum pallio, ceu singulari ornatu extrinseco exercentur, ac proinde in his licitè omitti nequit, si commodè haberi possit, quamvis ad validitatem nihil faciat.

TITULUS IX.

De Renuntiatione.

SUMMARIA.

1. Renuntiationis homonymia. 2. Definitio. 3. Et divisio.

4. Renuntiare potest quilibet beneficiatus. 5. Etiam minorennis. 6. Et irâ, infirmitate, aliâve passione affectus. 7. Imo quandoque invitus renuntiare cogitur.

8. Renuntiatio etiam per procuratorem fieri potest.

9. Cui, seu coram quo fieri debeat renuntiatio?

10. Quæ beneficia per renuntiationem dimitti possint?

11. Renuntiatio beneficii spontanea. 12. Expressa, 13. Cum Superioris consensu, 14. 15. Ac ex justa causa facta esse, 16. Et publicari debet.

17. Causa renuntiationis est commodum Ecclesiæ vel salus propria renuntiantis.

18. Enumerantur effectus renuntiationis.

ATque hæc de modis, quibus Prælati Ecclesiæ assumuntur. Nunc videamus de *Renuntiatione*, quâ Prælaturas acquisitas iterum amittunt.

§. I.

Renuntiatio duobus modis sumitur: scilicet in communi, prout respicit quamcunque rem, & jus, cui renuntiari potest: & in particulari, prout respicit solùm beneficia, vel præbendas, & dignitates Ecclesiasticas. Ita hic accipitur, &

§. II.

Definitur Renuntiatio, quòd sit spontanea beneficii Ecclesiastici dimissio. P. Engl. *h. t. n.* 1.

§. III.

Dividitur Renuntiatio communiter in expressam & tacitam. Expressa est, quæ fit verbis accomodis, & voluntatem apertè declarantibus. Tacitam appellant, quæ ex facto aliquo colligitur vacationem seu resignationem beneficii aut ex natura sua, aut saltem ex dispositione juris annexam habente. Sic censetur renuntiare beneficio, qui religionem solenniter profitetur. *c. beneficium* 4. *de Regul. in* 6. vel uxorem ducit. *c.* 1. *&* 3. *de Cleric. conjug.* aut beneficium cum priore incompatibile suscipit. *c. de multa* 28. *de Præbend. extravag. execrabilis Eod.* vel Parochialis Ecclesiæ possessionem nactus intra annum sacerdos non ordinatur. *c.* 14. *de Elect. in* 6. & generaliter quotiescunque aliquid fa-

facit, propter quod ipso jure vacat beneficium, ut suis locis deducetur. At cùm in istis casibus contra invitum quoque ab ipso jure privatio beneficii inducatur, ideo in latiori solum significatione renuntiatio dici potest, quatenùs scilicet etiam in invitum cadit, & legitimam beneficii privationem inducit. Tunc autem propriè dicitur tacita reunntiatio, quando jura non inducunt vacationem, sed solùm ex facto beneficiati præsumunt voluntatem dimittendi beneficium, quæ præsumptio per contrariam protestationem elidi potest, veluti si beneficiatus expressè dicat, se non intendere per talem actum beneficium dimittere. Atque in hoc distinguitur à privatione legitima, contra quam similis protestatio nihil operatur, cùm jura privationem inducentia nemo possit infringere. *l. nemo potest 55. ff. de Legat. 1.* Exemplum verò propriè dictæ renuntiationis tacitæ exstat. *in c. transmissa 3. h. t.* ubi Clericus propter repetitionem bonorum, quæ Ecclesiæ suæ donaverat, præsumitur, voluisse illam Ecclesiam dimittere. Similiter *in c. ex ore 3. de his, quæ fiunt à majore parte Capit.* litigans super quadam præpositura ex eo, quòd collitiganti suo reverentiam aliàs præposito debitam exhibuerit, juri suo renuntiâsse putatur.

Renuntiatio expressa rursus *subdividitur* in puram & conditionalem. Pura est, quæ fit simpliciter, id est, absque omni pactione, conditione, modo, restrictione, vel reservatione, eáque, ut notat Layman *lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 17. n. 6.* propriè dicta renuntiatio seu resignatio est. Conditionalis dicitur, quæ fit sub certa conditione, modo, aut pacto. Qualis est I. quæ fit in favorem certæ personæ, ut illi & non alteri beneficium dimissum conferatur. II. Quæ fit cum reservatione certæ pensionis, seu certæ partis fructuum sine aliquo respectu personæ, v. g. ut annuatim certam pecuniam ex resignato beneficio recipere liceat. III. Quæ fit ex causa permutationis, ut si duo Beneficiati sua beneficia resignent, eâ conditione, ut uni alterius beneficium conferatur à Superiore. Pirrhing. *h. t. num. 11.*

§. IV.

Causa efficiens Renuntiationis est renuntians. Licet autem universim omnibus, qui beneficia possident, renuntiare, causâ justâ & legitimâ præsuppositâ: nam sicuti Ecclesiæ prodest beneficiatos, qui Ecclesiæ utiles sunt, eam pro libitu deserere non posse, ita etiam proficuum & necessarium est, ut iis, qui beneficiis ampliùs apti non sunt, hisque cum fructu ulterius præesse nequeunt, ea liberè resignare, & alios, qui Ecclesiæ plùs commodi & utilitatis allaturi sperantur, admittere possint; quod quàm maximè procedit in dignitatibus, cùm ab eorum, qui talia beneficia obtinent, habilitate & officio salus Ecclesiæ plurimùm dependeat. Unde etiam S. Pontificem, quando se insufficientem agnoscit ad regendam Ecclesiam, & Pontificatûs onera supportanda, liberè cedere & renuntiare posse, constituit Cœlestinus V. moxque ipse resignavit. Ejus statutum Bonifacius VIII. in Papatu Successor refert, & probat *in c. 1. h. t. in 6.* 4

Dubitatur I. Possitne Clericus minorennis beneficio suo renuntiare? communi DD. calculo receptum est, minorem 25. annis majorem tamen annis 14. posse renuntiare beneficio, etiam absque ullo consensu Curatoris: quia in causis spiritualibus, ac Ecclesiasticis & in his, quæ pendent ab eis, talis Clericus pro majorenni habetur. *c. ult de Judiciis in 6.* Glos. & Pano mit *in c. ex part. 14. de Restit. spoliat.* Quòd verò aliqui cum Acursio *in l. 7. ff. de Minoribus.* & Carninale *in d. c. ex parte* ob hanc causam minori læso in renuntiatione beneficii restitutionem in integrum simpliciter denegent, displicet; cùm 5

enim pro minoribus magnò favore sit adinventum, ut in beneficiis majores censeantur, hoc adversùs illorum utilitatem iniquè converti non debet. *c.* 61. *de R. J. in* 6. *l. quod favore* 6. *Cod. de Leg.* Imò veriùs dixerim, Clerico minori restitutionem hanc concedendam esse, licèt beneficium ab eo resignatum jam alteri collatum sit, eò quòd jura passim, & indistinctè velint minores læsos restitui, nusquam excepta læsione, quæ circa beneficium contingit. Covar. *lib.* 1. *V. R. c.* 5. *n.* 3. Molina *de J. & J. disp.* 573. *v. utrum autem.* Neque obstat *l. quod si minor.* 24. *§.* 2. *ff. de Minoribus.* ubi non succurritur minori, nisi re integra: procedit namque in casu, ubi agitur de lucro captando, nempe de acquirenda hæreditate repudiata; secus est, ubi agitur de damno vitando, & restituenda re semel à minore pleno jure possessa, uti hac in quæstione, per textus *in l.* 9. *princ. & l.* 13. *§. interdum ff. de Minorib.*

6 *Dubitatur* II. Num Clericus affectus irâ, tristitia, lætitiâ, vel dolore infirmitatis beneficium resignare valeat ita, ut resignatio rata sit, & firma? Sunt, qui negativam probant arg. *c.* 1. *causâ* 17. *q.* 2. ubi absolutè annullatur renuntiatio facta in infirmitate, & passione corporis. Sed cùm ex justa causa coram legitimo Superiore renuntiare sit de genere permissorum, & regulariter omnibus ratione præditis concessum, puto cum Tholosano *Inst. rei benefic. c.* 31. *n.* 8. *& seqq.* similes affectus validitatem renuntiationis non impedire, modò tam intensi non sint, ut animum, aut rationem sustulisse videantur; quod in calore iræ cundiæ faciliùs accidit, consequenter si sopitâ iracundiâ renuntiatio protinus revocetur, non subsistit arg. *l. quid quid* 48. *ff. de R. J.* In dubio inter alia ad id quoque attendendum erit, utrùm nulla ratio intervenerit, quæ etiam sanum ad talem renuntiationem probabiliter impulisset; tunc enim aliis circumstantiis concurrentibus, verbis scilicet & factis prudentibus, præsumi potest, sibi satis præsens fuisse, quamvis renuntiatio cæteroquin in dubio potiùs nulla, quàm valida censeatur. Neque adversatur *d. c.* 1. *causâ* 17. *q.* 2. nam ibi renuntiatio non annullatur ob causam infirmitatis, sed quia facta est in manu solius Advocati Ecclesiæ, qui potestatem admittendi renuntiationem non habuit, ut benè *ibid.* advertit Glossa, ac ex ipso textu manifestum est.

Hoc tamen circa resignationem infirmorum ex Regula Cancellariæ, quæ inscribitur: *De viginti.* vel: *De infirmis resignantibus.* 8 notandum est, *quòd si quis in infirmitate constitutus resignârit aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit, aut illius commendæ cesserit, sive ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra* 20. *dies, à die per ipsum resignantem præstandi consensûs computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis authoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi* 9 *sit nulla, ipsúmque beneficium nihilominùs per obitum censeatur vacare.* De qua Regula exactè P. Engl. *ad tit. de Præbend. n.* 29. *& seq.* Azor. *Instit. mor. p.* 2. *l.* 7. *c.* 28. *per tot.*

Dubitatur III. Anne invitus possit ad renuntiationem cogi? quod nego, si desit; affirmo, si subsit justa causa. Ita enim ille qui plures Parochiales, aut unam cathedralem, & aliam Parochialem Ecclesiam obtinet, cogitur omninò unâ tantùm Parochiali, vel solâ cathedrali retentâ reliquas intra 6. menses dimittere: alioquin tam Parochiales, quàm beneficia omnia obtenta ipso jure vacare censentur; ac tanquam vacantia liberè aliis idoneis conferuntur; nec ipse antea illa obtinens tutâ conscientiâ fructus post dictum tempus retinet, nisi speciali privilegio muniatur. Tri-

dent.

dent. *sess.* 24. *de Reform. c.* 17. Similiter Prælatus, qui valdè negligens, vel decoctor, aut aliter vitiosus invenitur, compelli potest, ut renuntiet, aut si nolit renuntiare, etiam absque strepitu judiciario deponi poterit. *c.* 7. ℣. *ordinentur c.* 8. ℣. *si verò de Statu Monach.* Sanè propter senium, vel infirmitatem, licèt incurabilem, non facilè invitus ad renuntiationem adigi debet, sed coadjutor ei dandus est, eò quòd tutiùs sit, ut Ecclesia sub umbra senis gubernetur, quàm ut alteri novæ, incognitæque personæ gubernanda committatur. Text. *in c.* 1. *h. t.*

8 Illud non interest, an qui renuntiant, per se renuntient, an per procuratorem speciale ad id mandatum habentem: nam constat, valere renuntiationem sive dignitatis sive beneficii per ipsum factam, etiamsi priùs revocata fuerit, ipso tamen & Superiore, in cujus manibus facta est renuntiatio, ignorante, nisi per malitiam ipsorum, vel aliorum revocatio fuerit occulta. *Clem. un. h. t.* Vid. Azor. *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 7. *c.* 22. *q.* 14.

§. V.

9 *Subjectum* hujus renuntiationis dici potest Superior, cui resignatur beneficium. Ubi refert, an purè resignetur, vel sub conditione? Si purè? renuntiatio facienda est immediato Superiori, ad quem aliàs pertinet institutio & destitutio, licèt is sit Episcopo inferior: nam admissio renuntiationis aliam distinctam potestatem non requirit, arg. *c.* 4. *& ult. h. t.* Panormit. *in c.* 8. *n.* 6. *Eod.* Si sub conditione, interest, utrùm beneficium dimittatur in favorem certæ personæ, vel cum reservatione pensionis, aut fructuum, vel ex causa permutationis? Primo & secundo casu renuntiatio fieri debet S. Pontifici, nec ab alio admitti potest: quia quæ fit in favorem tertii, præsefert quandam speciem hæreditariæ successionis, quam SS. Canones execrantur in beneficiis Ecclesiasticis *c.* 7. *&* 11. *de Filiis presbyt.* quæ verò fit cum reservatione pensionis aut fructuum, simoniam sapit, cùm in effectu beneficium quasi pro fructibus permutetur. P. Engel *h. t. n.* 10. Tertio casu renuntiatio etiam ab Episcopo, aliisque Prælatis Episcopali jurisdictione præditis ob causam recipi valet, ut colligitur ex *c. un. de Rerum permut. & Clem. un. Eod.*

§. VI.

Objectum Renuntiationis est beneficium, 10
quod resignatur, Potest autem regulariter omne beneficium resignari arg. *c.* 16. *&* 23. *de Regularib.* ubi generaliter deciditur, quemlibet renuntiare posse ei, quod pro se noscitur introductum.

Excipitur I. beneficium, cujus titulo & jure aliquis ad SS. Ordines promotus est, juxta Trident. *sess.* 21. *de Reform. c.* 2. ubi statuitur, ut resignatio beneficii, ad cujus titulum 11
quis ordinatus est, non admittatur, nisi constito, quòd aliunde vivere commodè possit. II. Beneficium patronatum, quod saltem in favorem seu gratiam alterius dimitti nequit citra Patroni consensum: hujus enim interest, ne fortè insensus in beneficio instituatur. Attamen renuntiatio inconsulto Patrono facta non est ipso jure invalida, sed rescindenda, si contradixerit. Layman. *in Theol. moral. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *n.* 12. III. Excipitur beneficium electivum, quòd similiter in favorem seu gratiam alterius resignari non potest inconsultis, imò non consentientibus omnibus, qui jus eligendi habent; nisi fortè non tam ob causam & favorem alterius, quàm ob necessitatem, vel utilitatem resignatio fiat: Quo casu sufficit majoris partis consensus. Pirrhing *h. t. n.* 13. IV. Excipitur beneficium unitum Monasterio Religiosorum, vel Collegio Clericorum, aut Seminario Adolescentum; cujus resignatio, etsi fiat coram ipsomet S. Pontifice, nullius momenti est, si fiat in favorem alterius non facta mentione de unione. Colligitur ex

Trid. *sess. 21. de Reform. c. 5. & sess. 23. c. 18.* V. Excipitur beneficium reservatum Sedi Apostolicæ, quòd quamvis absolutè dimitti non prohibeatur, non tantùm coram S. Pontifice, sed quovis Ordinario loci, in favorem tamen alterius, aut etiam causâ permutationis coram alio, quàm Papa resignari, nequit juxta constitutionem Innocentii VIII. quam recitat Azor *d. l. 7. c. 25. q. 9.* VI. Excipitur beneficium litigiosum, cujus (sicut & cujusvis rei litigiosæ) alienatio lite pendente fieri nequit. arg. *tit. Ut lite pendente.* Notat tamen Pirrhing *h. t. n.* 14. valere resignationem, si beneficium litigiosum Adversario collitiganti renuntietur, aut cedatur.

§. VII.

Forma Renuntiationis non uno, sed pluribus requisitis absolvitur.

11 *Primum* est, ut spontè & libera voluntate fiat: siquidem si dolo, metu, aut fraude extorta sit renuntiatio, per officium Judicis, aut edictum: *quod metus causâ* irritari debet. *c. 5. h. t. c. 3. & 4. De his, quæ vi, metúsve causâ fiunt.* Ipso jure autem valet, nisi persona renuntians capta, vel detenta sit à personis sæcularibus, & ita ad renuntiandum coacta: tum etenim renuntiatio propter violentiam statui Ecclesiastico apprimè perniciosam ipso jure nulla erit ex nova decisione *Clem. multorum 2. §. sanè de Pœnis.*

12 *Secundum* requisitum est, ut renuntiatio fiat verbis specificis, & expressis; neque enim in dubio quis præsumitur renuntiare beneficio suo, ex quo sustentari debet, & quod multis fortè expensis, ac laboribus comparavit. *c. super eo 5. h. t.* Hinc est, quòd literas, quibus per S. Pontificem de beneficio fuerat actualiter provisum, Episcopo vel Capitulo tradens, & simul ejus misericordiæ se subjiciens non censeatur renuntiare juri, quod ratione litterarum in beneficio habebat. *c. 7. h. t.* nisi literas has manifestè intentione resignandi in manus Superioris deposuerit; tunc namque simul ea, quæ in iis contenta sunt, resignata videntur. arg. *c. cùm pridem de Pactis. l. 2. & 3. ff. Eod. l. 59. ff. de Legat. 3.* Panormit. *in c. 4. n. 10. Ut lite pendente.*

Tertium Renuntiationis requisitum est, ut fiat cum consensu Superioris. Text. & Gloss. *in c. 4. h. t.* Quod adeò obtinet, ut consuetudo contraria ceu invalida & corruptela reprobanda sit juxta *c. 7. de Cens.*

Reperias tamen casus, in quibus ad renuntiationem Superioris authoritate & licentiâ opus non est: Nimirum I. si ipse S. Pontifex resignet; quia in terris Superiorem non recognoscit per *c. 6. dist. 40.* nisi dicere placeat, renuntiationem Pontificatûs fieri coram DEO acceptante, qui à renuntiante tollat potestatem universalem, ut alius in locum ejus cum hac potestate substitui queat, ne alioquin Ecclesia fortè longo tempore à nullo Pastore visibili gubernetur. Layman *in c. 1. h. t. in 6.* II. Si jus, quod quis in beneficio habet, adhuc sit litigiosum, neque pacificè possessum; tunc enim liberè etiam sine authoritate Superioris litem deserere, & dubium jus alteri collitiganti cedere licet. Garc. *de Benef. p. 11. c. 3. n. 249.* III. Superioris consensus non desideratur, si renuntians necdum habeat perfectum & plenum jus in beneficio, ut si quis tantùm sit electus, non dum verò confirmatus: vel si habeat rescriptum Pontificium ad beneficium vacans, aut vacaturum per *c. 31. de Rescript. & c. 26. de Elect. in 6.* IV. Denique licèt Episcopatum quis sine S. Pontificis licentia quacunque occasione deserere non valeat, ne quidem Religionis ingrediendæ causâ, seu ut saluti propriæ melius vacare possit. *c. 10. h. t. c. 18. de Regularib.* Secùs tamen dicendum de aliis Beneficiatis Episcopo inferioribus, qui etiam absque Ordinarii sui consensu religionem ingredi liberè permittuntur. *c. duæ sunt 2. causâ 19. q. 2.*

Glossa

Glossa *in c. 4. h. t.* Quamvis conveniens sit, ut sicut Religiosus ad Religionem strictiorem transiturus priùs licentiam debet petere à Prælato, licèt non obtineat, ita etiam Clericus Beneficiatus, transiturus ad religiosum statum, priùs licentiam saltem petat: etsi non obtineat ab Episcopo per *d. c. 18. de Regul.* Panorm. *in d. c. 4. h. t. n. 4.*

Quòd si extra hos casus sine legitimi superioris consensu defacto fiat renuntiatio, non valet in præjudicium Ecclesiæ, aut superioris, qui resignantem ad beneficium reassumendum compellere potest arg. *c. mulier 3. causâ 33. q. 5.* Glossa *in c. 8. h. t.* Valet tamen ex parte renuntiantis, non quidem, quòd titulo & jure beneficii sui statim excidat, sed quòd Superior renuntiationem ratam habere, & eum, qui ita renuntiavit, etiam reluctantem privare possit, aliique conferre. Garcias *d. c. 3. n. 219.* cum communi. At crediderim, renuntiantem beneficio resignato privari non posse, si re integrâ, id est, antequam Superior authoritatem interposuit, pœnitentiâ ductus ineptam hujusmodi renuntiationem revocârit arg. *l. 3. & 5. ff. de Cession. Bonor.* nisi resignatio spontè in manibus Laici facta sit; quo casu, non obstante, quòd per pœnitentiam revocetur, renuntiantem spoliandum esse, ex *d. c. 8. h. t.* satis probatur, licèt aliqui expendentes verba textûs putent, huic pœnæ locum non esse, nisi renuntians ab eodem Laico beneficium denuò susceperit.

14 *Quartum* requisitum renuntiationis est justa causa, sine qua saltem licitè nunquam fieri potest. Tales causæ in *c. nisi cùm pridem 10. h. t.* respectu Episcoporum 6. recensentur, videlicet *conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, grave scandalum populi, & irregularitas personæ.*

Conscientia criminis non cujuslibet, sed illius duntaxat sufficit, quod executionem officii etiam peractâ pœnitentiâ impedit; quale est delictum simoniæ, v. g. si quis simoniacè fuit electus, vel institutus: nam erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernitur *in c. 110. causa 1. q. 1.* Item delictum quodlibet quod ipso jure irrogat infamiam, si de eo in judicio Episcopus convictus fuerit. Glossa *in d. c. nisi cùm pridem V. sed duntaxat.* arg. *c. fin. de Temporib. ordinat.* veluti si R. E. Cardinalem hostiliter persecutus est. *c. fœlicis de Pœnis in 6.* Non etiam aliud crimen quodcunque licèt grave: quia si omnes cederent, quos arguit conscientia cujusque criminis, pauci vel nulli in ministerio remanerent. Text. *in d. c. nisi cùm pridem §. propter conscientiam.*

Debilitas corporis ex morbo vel senectute proveniens talis requiritur, quæ muneri Episcopali obeundo imparem reddat. *d. c. nisi cùm pridem §. aliàs verò.* Quin etiam tunc, nisi ultrò cedere velit, coadjutor adjungi solet & debet. *c. 1. 3. & 4. causâ 7. q. 1.*

Defectus scientiæ tunc est causa renuntiationis, cùm quis ea non didicit, quæ ad officium suum pertinent, & quorum notitia ad regimen Ecclesiæ est necessaria. *c. 1. & seq. dist. 38.* Etsi autem scientia eminens in Episcopo desideranda sit, toleratur tamen scientia competens: quia imperfectum scientiæ supplere potest perfectio charitatis. *cit. c. nisi cùm pridem §. pro defectu quoque.*

Malitia plebis ad renuntiandum impellit, quando plebs adeò duræ cervicis est, ut Episcopus apud ipsam proficere nequeat, sed propter ejus pertinaciam, quò magis satagit, eò magis justô judiciô deficere permittatur. Text. *in sæpe d. c. nisi cùm pridem §. propter malitiam.*

Scandalum renuntiationi locum facit, sed grave & pusillorum, seu ex ignorantia aut infirmitate ortum, quod populus forte patitur ex præsentia Episcopi, ita ut illud aliter evitari nequeat, quàm per medium resignationis.

Ob scandalum pharisaicum sive ex malitia profectum, Episcopatus dimitti non debet: utilius namque scandalum hoc nasci permittitur, quàm ut veritas fidei & justitiæ deseratur juxta *c.* 3. *de R. I.* Et quò fugias, ubi Pharisæos non offendas?

Postremo *irregularitas* tunc causam præbet renuntiationi, quando in illa facilè dispensari non solet, ut si ex homicidio voluntario notorio, aut ex bigamia provenerit. Secùs est, si irregularitas sit dispensabilis, v. g. si ex natalium defectu præsertim adhuc occulto, neque ex damnata copula nascatur, tunc enim non expedit renuntiandi licentiam concedere, sed potiùs dispensandi gratiam largiri, modò cæteroquin laudabiliter vixerit. *d. c. nisi cùm pridem §. persona.* ubi Layman *n.* 10. simili ratione dispensandum putat cum eo, qui in irregularitate ex homicidio occulto Episcopus factus est.

15 Et ex his 6. causis una saltem subsit, necesse est, ut Episcoporum renuntiationes in Curia Romana admittantur. Aliorum Beneficiatorum præcipuè si in dignitate constituti non sint, resignationes ex levioribus quoque causis modò rationabilibus & jure non reprobatis, v. g. propter aëris intemperiem, adversam valetudinem, senectutem, vel aliam rationabilem commoditatem etiam privatam juxta Ordinariorum arbitrium recipi possunt: cùm enim specialis aliqua causa jure communi expressa non sit, eò ipsò Superiorum arbitrio relinquitur arg. *l.* 1. *ff. de Jure deliber.* quod & receptus usus comprobat. Unde non obstat Bulla Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ DEI*, in certis solummodo, & ibi expressis causis renuntiationem inferioribus concedens: nam teste Zypæo *in Analysi Jur. Pont. h. t. n.* 1. Bulla illa vel sufficienter publicata, aut usu recepta non est; vel certè contraria consuetudine rursus abrogata. Illud tamen semper attendi debet, ut beneficium renuntiaturus, si sacris Ordinibus initiatus sit, aliunde habeat, quo congruè, & absque dedecore statûs Clericalis vivere valeat, alioquin renuntiatio admittenda non foret arg. *c.* 16. *&* 23. *de Præb.*

Quintum requisitum renuntiationis suppeditat Regula Cancellariæ 34. *de publicandis resignationibus*, quæ à diversis SS. Pontificibus, & noviſſimè à Gregorio XIII. innovata est; cujus constitutio in illius Regulæ locum substituta modò in hac materia Roma obtinet. Zypæus *h. t. n.* 2. Cavetur autem in illa generaliter, ut provisi de resignatis beneficiis in Ecclesia beneficiata, & cathedrali præsente populo resignationem publicare teneantur, eam quidem, quæ in Curia facta est, intra 6. menses à die supplicationis oblatæ computandos, si beneficium citra montes, hoc est, Italiæ terminos fuerit, sin ultra montes, intra 9. menses; eam verò, quæ fit extra Curiam coram locorum Ordinariis, intra tres menses. Alioquin si contingat, resignantem mori, antequam resignatarius cœperit possessionem, beneficium censebitur vacare per obitum, & collatio facta resolvetur. Vide Azor. *Institut. moral. p. 2. l. 7. c. 24. per totum.*

§. VIII.

Finis Renuntiationis est vel commodum Ecclesiæ: quia beneficio, ut par est, aliquis præesse nequit; vel salus propria renuntiantis, ut quia vult ingredi Religionem, aut in loco beneficii periculum patitur &c. Laym. *in c.* 12. *n.* 1. *h. t.*

§. IX.

Effectus Renuntiationis præcipui sunt. I. is, qui renuntiandi beneficio licentiam petiit, ex quo illam obtinuit, ad renuntiandum compelli potest, ne videatur illusisse Superiori *c.* 12. *h. t.* Neque obstat, quòd in aliis actibus re integra pœnitentiæ locus sit per *l.* 3. *& §. ff. de Cessione bonor.* id enim admiserim in actibus, qui à privatorum potestate dependent, non

non verò in illis, in quibus superioris auctoritas desideratur, ut in renuntiatione. Pirrhing. *h. t. num.* 12.

II. Renuntiatio pura legitimè facta, & à Superiore admissa inducit vacationem beneficii resignati, ita ut renuntians in illo omne jus amittat, nec illud repetere possit. *cap.* 3. *& 6. h. t.* nisi fortè metu vel dolo inductus renuntiâsset, ut supra *n.* 11. dictum est.

III. Resignans non ampliùs potest beneficii fructus percipere, cùm per renuntiationem canonicus beneficii titulus sit extinctus, sine quo beneficium justè possideri nequit, & consequenter nec fructus percipi. Refert autem Barb. *de Officio & potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 117. in Rota decisum esse, quòd fructus naturales pendentes, & civiles, quales sunt pensiones ex locatione, usuræ &c. respectu quorum tempore perfectæ resignationis necdum venit dies solutionis, spectent ad Successorem; fructus verò naturales & industriales à solo tunc temporis jam separati deheantur resignanti, etiamsi prædia frugifera essent locata, & dies solutioni præfixus veniret primum post resignationem.

IV. Episcopus v. g. qui propter crimen renuntiavit Episcopatui, ad Episcopatum vel eundem, vel alium assumi nequit etiam per novam electionem, aut provisionem. Dixi: *qui propter crimen renuntiavit:* is namque qui ob persecutionem, infirmitatem, defectum scientiæ, vel aliud impedimentum resignavit, illo impedimento cessante ad Episcopalem dignitatem resurgere potest; quin imò, si quis ob simoniam Episcopatu cesserit, licèt tunc saltem immediatè ad eundem redire nequeat, ad alium tamen promoveri non prohibetur Text. & DD. *in c.* 11. *h. t.*

V. Si Prælatus Regularis renuntiet, illius Monasterii, cui præfuit, religiosus manet, & secundùm communem praxim locum primum post novum Prælatum in choro & conventu habet. Secus est, si ob culpam deponatur; tum enim in ordinem redigendus vel quandóque in pœnam ad ultimum locum ponendus est, arg. *c.* 6. *de Statu Monach.*

TITULUS X.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

SUMMARIA.

1. *Quid sit supplenda negligentia Prælatorum?*
2. *Aquo?* 3. *In quibus?* 4. *Et quomodo committatur hæc negligentia?*
5. *Qualiter negligentia hæc suppleatur?*
6. *Usque 12. quibus casibus potestas negligentis Prælati ad inferiorem, vel superiorem remotum devolvatur?*

§. I.

PEr supplendam negligentiam Prælatorum hìc intelligitur omissio illius, quod Prælatus ratione officii, potestatis & jurisdictionis sibi commissæ de jure ac consuetudine facere poterat, ac debebat. Colligitur ex *c.* 1. *& 2. dist.* 84. *c.* 45. *causâ* 2. *q.* 7. 1

§. II.

Causa efficiens hujus negligentiæ est Prælatus negligens; latè accepto nomine Prælati, ut non tantùm Episcopos, sed & Capitula, Abbates, Præpositos, Priores, Archi-Presbyteros, Archi-Diaconos, & reliquos inferiores, usque ad simplicem curatum comprehendat: nam horum omnium negligentia supplenda est: siquidem quilibet per negligentem administrationem Ecclesiæ obesse potest. *c.* 2. *& fin. h. t.* 2

§. III.

Objectum sunt ea, in quibus talis negligentia committitur. Committi autem potest vel in iis, quæ ad jurisdictionem contentiosam spectant, & exercentur inter partes à se invicem dissentientes, proinde in invitum quoque; vel in illis, quæ ad jurisdictionem voluntariam, & inter partes volentes, seu consen- 3

sentientes exerceri solitam, pertinent. Potissimùm tamen *hoc tit.* agitur de supplenda negligentia commissa in provisione beneficiorum; quæ si sint majora, ut Episcopatus vel Prælaturæ Regulares, intra trimestre: si verò his sint inferiora, intra semestre à die innotescentis vacationis, justo impedimento cessante, providenda sunt, alioquin jus conferendi pro ea vice ad alium devolvitur, & provisio posteà facta non tenet, nisi ex misericordia sustineatur. *c.* 4. *h.t.c.* 41. *de Electione c.* 2. *& 5. de Conceff. præb.* Azor. *Instit. moral. p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 16. Excipe beneficia regularia, quæ sunt de mensa prælatorum, seu ut inde Prælatus, vel Religiosi sustentationem habeant, in his enim non observatur terminus 6 mensium, cùm nunquam propriè vacent: quia Rector principalis est Abbas, & exercens curam animarum tantùm Vicarius ad nutum Prælati amovibilis. *Clem. un. h.t.* Honorius *de Præb. p.* 4. *num.* 60.

§. IV.

4 *Forma* hujus negligentiæ stat in omissione ejus, quod à Prælato fieri potuit, & debuit. Duo igitur requiruntur posse & debere; quorum alterutrò deficiente non datur supplenda negligentia, Barthol. Carthagena *h.t. obser.* 2. Hinc est, quòd tempus trimestre, vel semestre beneficiorum provisioni præfinitum currere non incipiat ante diem vacationis cognitæ. *c.* 3. *h.t. c.* 5. *de Conceff. præb.* quoniam qui ignorant Prælaturam, aut beneficium vacare, necessarium impedimentum habent, quò minùs ad electionem aut collationem accedant. Laym. *in qq. Can. de Pralat. Elect. c.* 9. *q.* 97.

§. V.

5 *Effectus* consistit in commissæ hujusmodi negligentiæ suppletione. Suppletur autem vel per adjunctionem idonei coadjutoris. *c.* 2. *h.t. in* 6. vel, quod frequentissimum, per susceptionem muneris neglecti: generalis namque regula est, quòd potestas & jurisdictio Prælatorum inferiorum in illo casu, in quo sunt negligentes, ad proximum Superiorem devolvatur, consequenter ab Abbate vel Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad Archi-Episcopum, & sic deinceps gradatim usque ad Papam P. Engl. *h.t. num.* 1.

Sed tamen inficias non iverim, regulam hanc quandoque fallere, & nonnunquam ex peculiari Juris dispositione etiam ad inferiorem, vel ad alium superiorem remotum fieri devolutionem. I. Enim si Episcopus Diœcesanus, tertiò cum humilitate, ac devotione requisitus, sine rationabili causa subditos Abbates benedicere negligat, aut recuset, negligentiam ejus supplet Jus Can. ac effectum benedictionis tribuit, ita ut etiam sine illa possint minores ordines suis Religiosis conferre, pontificalibus uti, ac omnia exercere, quæ aliàs nonnisi dependenter ab illa benedictione facere possunt. *c.* 1. *& ibi* Gonzal. *h.t.*

II. Si Episcopus negligat intra præfixum tempus conferre beneficia jure proprio (non devoluto) ad suam collationem seperatim à Capitulo spectantia, collatio immediatè non devolvitur ad aliquem Superiorem, sed ad ipsum Capitulum propter communionem, quæ in juribus propriis Ecclesiæ est inter Episcopum & Capitulum, ceu Caput & membra ejusdem corporis. *c.* 2. *de Conceff. præb.* Nisi Episcopus sit exemptus, quo casu ejus negligentiam Papa supplet. *c.* 3. *h.t.* In reliquis locum habet adducta generalis regula. Hinc si Capitulum negligentiam committat circa collationem sibi seperatim ab Episcopo competentem, fiet devolutio ad Episcopum tanquàm immediatum Superiorem & in defectu illius ad Archi-Episcopum. *d. c.* 2. *de Conceff. præb.* si verò collatio conjunctim ad Episcopum & Capitulum pertineat, ob eorum negligentiam devolvitur collatio ad Archi-Episcopum, qui respectu illorum est pro-

proximus superior *c.* 15. *& ibi* DD. *de Conceſſ. præb.*

8 Lubet subjungere, an in Germania propter negligentiam Capitularium, & moram eligendi Episcopum fiat devolutio ad Archi-Episcopum, cui immediatè talis Ecclesia cathedralis subjecta est, an verò ad S. Pontificem? Id quod dicendum videtur: quia teste Gloss. *in Clem. un. V. dispositionem h. t.* Panorm. *in c.* 1. *n.* 10. *de Elect.* recepta doctrina est, quòd propter negligentiam Capituli, vel mortem omnium de Capitulo jus providendi devolvatur ad eum, qui habet potestatem confirmandi electum: atqui electos Episcopos in Germania non confirmat Archi-Episcopus, sed S. Pontifex juxta concordata Germaniæ inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III. Imperratorem in Bulla: *ad sacram.* Ergo ista devolutio hodie in Germania non fiet ad Archi-Episcopum, sed ad S. Pontificem. Nec adversatur *c.* 41. *de Elect.* id enim exaudiendum est de eo tempore, quo Episcopi electi confirmatio Archi-Episcopo permittebatur, sicut permissam fuisse, constat ex *c.* 32. *Eod.* Pirrhing. *de Elect. num.* 250.

9 Porrò si Collegio vel Conventui regulari sine Prælato competat jus conferendi aliquod beneficium, eo negligente collationem, succedet Prælatus; si autem Prælato competat, tum Conventus beneficium ab eo neglectum conferre non poterit, sed si Prælatus ille Episcopo subjectus sit, jus conferendi ad ipsum devolvitur. Si verò sit exemptus, tunc vel beneficium etiam est exemptum, & collatio statim & immediatè devolvitur ad Papam: *c.* 32. *§. prohibemus. de Præbend. in* 6. vel non est exemptum, & hoc casu Episcopus ille, in cujus Diœcesi v. g. Parochia sita est, Apostolica auctoritate providebit, ita tamen, ut quæ consueverunt per sæculares administrari, sæcularibus, quæ per regulares, regularibus conferat. *Clem. un. h. t.*

III. Quotiescunque agitur de peccato publico & scandaloso tollendo Ordinarius desidiam & malitiam delegati Pontificii supplere potest, quatenùs necessarium est ad amovendum peccatum. *c.* 6. *& ibi* Panormit. *de Offic. Ordinarii.* 10

IV. Barbosa *de Offic. & potest Episc. p.* 3. *alleg.* 126. *num.* 6. Sustinet, jurisdictionem contentiosam Episcopi ob causam negligentiæ circa appellationem non devolvi ad Archi-Episcopum: eò quòd careat jurisdictione in subditos suffraganei, præterquàm in casibus specialiter expressis, ut insinuet *c.* 1. *h. t. in* 6. in illis verbis: *cùm id non inveniatur à jure concessum.* Sed contrarium verius videtur: etenim non apparet, quare specialiter in contentiosa jurisdictione Episcopi denegari deberet devolutio ad proximum superiorem, seu Archi-Episcopum, cùm tamen generaliter *in h. t.* permittatur, ut eò facilius & citius Ecclesiæ, & subditis congruum adhibeatur remedium, quod per remotiorem superiorem non tam facilè contingeret. Deinde communiter admittitur appellatio ab Episcopo ad Archi-Episcopum, etiam in contentiosis, ergo admittenda quoque erit devolutio ad ipsum propter Episcopi negligentiam, ita nimirùm, ut absque solennitatibus appellationis per viam simplicis querelæ adiri valeat, vel ex officio negligentiam ejusdem supplere. Neque obstat, quòd Archi-Episcopus non habeat jurisdictionem in subditos suffraganei Episcopi? nam id tantùm verum est directè & ordinariè, quando scilicet præjudicium fieret suffraganeo officium suum debitô modô implenti. Secùs, si ejus negligentia interveniat per Superiorem supplenda, tunc enim in *hoc tit.* generaliter licentia & jurisdictio conceditur proximo Superiori. Textus autem *in c.* 1. *h. t. in* 6. loquitur de culpa & delicto Episcopi atque ex illo negat devolutionem jurisdictionis Episcopalis ad Archi-Episcopum,

non autem ex negligentia. Imò à sensu contrario videtur concedere ex negligentia devolutionem. Quare verba supra allegata intelligenda sunt, quòd devolutio ad Archi-Episcopum tanquam proximum Superiorem ex causa negligentiæ, non ita generaliter in aliis, scil. in culpis, de quibus *cap.* loquitur, inveniatur concessa; id est, quòd Episcopi propter quascunque culpas non statim debeant jurisdictione privari ab Archi-Episcopo, sed potiùs alia pœna canonica infligi, prout in fine ejusd. *cap.* dicitur.

12 V. Ab Abbate exempto ordinariè quidem fit devolutio ad S. Pontificem; non rarò tamen etiam ad Episcopum Diœcesanum, ita ut negligentiam exempti saltem tanquam Sedis Apostolicæ delegatus supplere valeat, prout videre licet *in c. 7. de Officio Ordinarii, c. 8. de Statu Monach.* & in Trident. *sess. 25. de Regularib. c. 8. & 14.* de quibus suo loco sigillatim dicemus.

TITULUS XI.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

SUMMARIA.

1. Ordinationis definitio. 2. Et divisio.
3. Prima Tonsura non est Ordo. 4. Episcopatus est Ordo.
5. Ordinatio à Christo instituta est.
6. Minister ordinarius Ordinationis est Episcopus.
7. Extraordinarius etiam simplex Sacerdos.
9. Ut quis validè ordinetur debet esse mas. 9. Baptizatus, 10. Et consentiens.
11. In Sacris ex metu ordinatus non tenetur ad continentiam.
12. Ad licitam Ordinationem in Ordinando requiritur confirmatio. 13. Usurationis. 14. Legitima ætas. 15. Immunitas à peccato & censura. 16. Scientia competens. 17. Intentio faciendi Ecclesia. 18. Cælibatus. 19. Morum probitas ac bona fama. 20. Usque 29. subjectio. 29. 30. Titulus. 31. Et carentia cujuscunque irregularitatis.
32. Quæ sit Ordinationis materia, 33. Et an physicus contactus ejusdem sit de necessitate Sacramenti?
34. Quæ Ordinationis forma?
35. Ordines debito loco, 36. Usque 40. debito tempore. 40. Et gradatim conferendi sunt.
41. Finis, 42. 43. Et effectus ordinationis.

QUia ad manus Prælatorum, maximè Episcoporum, pertinet Clericorum Ordinatio, ideò de hac in *isto & seqq. titulis* agitur.

§. I.

Definitur autem Ordinatio, quòd sit sacra cœremonia, quâ alicui traditur spiritualis stabilis potestas consecrandi Evchariſtiam, vel ad eum finem ministrandi.

§. II.

Dividitur Ordinatio in Minorem & Majorem. Minor est, quæ minores Ordines continet; Major, quæ Majores: hi sacri, illi non sacri dicuntur, non quidem ex eo, quòd non quivis Ordo sit Sacramentum, contra Trid. quod in *Sess. 23. de Sacram. Ord. can.* generaliter definit, Ordinem esse Sacramentum; sed quia Ordines majores majorem sanctitatem præferunt, & propiùs accedunt ad consecrationem Corporis Christi, votúmque castitatis ex Ecclesiæ institutione annexum habent.

Minorum Ordinum sunt quatuor; scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus. Fagnanus in *c. cùm contingat. n. 45. de Ætate, & qual.* cum pluribus ibidem laudatis addit primam Tonsuram, per Text. *d. c. cùm contingat.* Sed verior & communior Theologorum sententia est, primam Tonsuram non esse Ordinem, sed, ut D. Thom. inquit, quoddam præambulum Ordinis: cùm per illam nulla potestas spiritualis alicujus functionis vel Ministerii in Ecclesia circa Evchariſtiam tribuatur, sed Laicus solùm assu-

matur in sortem & statum Clericorum, atque ad Divinas laudes deputetur, quod est aliquid prævium ad susceptionem ordinum, sicut novitiatus ad professionem Religionis. Illud tamen non negaverim, quòd juxta usitatam loquendi formam SS. Canonum prima Tonsura veniat nomine Ordinis arg. *d. c. cùm contingat.* adeóque etiam recipiens aut conferens primam Tonsuram afficiatur pœnis contra recipientes & conferentes Ordines statutis; quamvis opinio contraria à veritate theorica non admodum remota sit. Vid. Bonacin. *de Sacram. disp.* 8. *q. un. puncto* 4. *n.* 27. *& de Censuris in genere disp.* 7. *q.* 1. *puncto.* 1. *num.* 4.

4. Ordines majores communiter tres assignari solent: nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus *c.* 9. *de Ætate & qualit.* quibus Canonistæ adjungunt Episcopatum. Nec immeritò: siquidem Trid. *sess.* 23. *de Ord. c.* 4. expressè videtur Episcopatum inter alios Ordines enumerare: & in *c.* 1. *dist.* 32. Subdiaconatus vocatur quartus Ordo à capite, & Episcopatus primus. Ratio est: quia per consecrationem Episcopo confertur nova potestas relata ad consecrationem Corporis Christi, nempe potestas Ordinandi Clericos, & consecrandi templa, altaria, aliáque. Ex quo tamen non sequitur, contra communem calculum non esse 7. sed 8. Ordines: etsi enim Episcopatus sit Ordo à simplici Sacerdotio distinctus, comprehenditur tamen sub nomine Sacerdotii in generali illa septimembri divisione Ordinis: nam teste Anacleto Papâ *Epist.* 3. *c.* 1. *Sacerdotum Ordo, prout Dominus eum instituit, bipartitus est &c.*

§. III.

5. *Causa efficiens* Ordinationis est vel Principalis, vel Instrumentalis. *Principalis* est Christus Dominus, qui omnia Sacramenta, & consequenter etiam Ordinationis instituit, prout sæpius definitum in Trid. præsertim *sess.* 7. *can.* 1. *de Sacram. in gen.* & speciatim *in sess.* 23. *de Sacram. Ord. can.* 3. *Instrumentalis* est Minister, qui alius est Ordinarius, alius extraordinarius,

6. *Ordinarius* Minister Ordinationis est Episcopus consecratus. *c.* 4. *dist.* 68. Trident. *sess.* 23. *de Sacram. Ord. can.* 7. & constat ex perpetua ac constanti praxi Ecclesiæ, quæ non nisi per Episcopos Ordines conferre solet. Nec interest, etsi Episcopus consecratus sit hæreticus, excommunicatus, suspensus, interdictus, ac degradatus, adhuc enim potest validè (quamvis illicitè & sine executione Ordinis collati) Ordines administrare: cùm ordinandi potestas fundetur in indelebili charactere Episcopali, & effectus Sacramentorum non pendeant à bonitate, vel malitia ministri. *c.* 89. *causâ* 1. *q.* 1. *c.* 41. *de Consecrat. dist.* 4. Trid. *d. sess.* 7. *can.* 12. S. Thom. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *a.* 2. *in C.* Textus *in c.* 24. *& 25. causâ* 1. *q.* 7. *in c.* 2. *& 3. causâ* 9. *q.* 1. quibus asseritur, Ordines ab hæreticis, aut excommunicatis collatos reiterandos esse, adeóque irritos, procedunt, cùm collati sunt non servatâ Ecclesiæ formâ. Gonzalez *in c.* 2. *de Ordinat. ab Episcopo & c. num.* 7.

7. *Minister* extraordinarius Ordinationis saltem minoris ex commissione S. Pontificis potest esse Sacerdos simplex. Sic enim Abbates, si Sacerdotes & Benedicti sint, usúmque mitræ & baculi habeant, Tonsuram & Ordines minores conferre valent; at ex restrictione Trid. *sess.* 23. *de Reform. c.* 10. solis Regularibus sibi subditis; non verò aliis sive Regularibus, sive sæcularibus; nisi cum speciali consensu Ordinarii loci, & cum litteris dimissoriis propriorum Prælatorum, ut declaravit Congregatio Cardinal. ad *d. c.* 10. *Trid.* Et ratio est: quia Concilium ibi solùm diminuit facultatem ordinandi Abbatibus vel jure communi, vel ex indulto Sedis Apostol. con-

cessam, non eam, quam consequi possent ex licentia vel delegatione ipsius Episcopi Diœcesani: illud enim decretum in hujus favorem editum fuit, ut patet ex illis verbis: *sed horum omnium ordinatio ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existunt, pertineat*, & consequenter Diœcesano licere debet, in hoc favori suo renunciare, & consentire, ut sibi subjecti ab alieno Antistite promoveantur per Text. *in c. 1. 2. & 3. dist. 71.* P. Engel *de Privil. Monaster. privil. 49. n. 4.* in cujus *annot.* conciliat, & reprobat contrariam Cardinal. declarationem allatam à Diana *p. 4. tr. 4. resol. 148.* asseritque se audiisse, nostram sententiam in variis Diœcesibus practicari & antiquissimo usu receptam esse.

§. IV.

Subjectum Ordinationis est Ordinandus, in quo plures qualitates & conditiones desiderantur tum ad validam, tum ad licitam Ordinationem.

8 *Ad validam Ordinationem* requiritur I. ut Ordinandus sit masculus: nam fœminæ (idem dicendum de hermaphroditis, qui æquè ac magis ad sexum fœmineum inclinant) jure Divino omnium Ordinum incapaces sunt, ita ut nec ad primam Tonsuram à S. Pontifice dispensari possint. *princ. causâ 15. q. 3. c. 8. in fine de Convers. conjug.* Pirrhing *h. t. n. 6.* Ratio petitur tum ex voluntate Christi, qui nullam unquam mulierem ordinavit, ne quidem suam matrem sanctissimam, licèt dignior & excellentior fuerit Apostolis universis. *c. 10. de Pœnit. & remiss.* tum ex natura Ordinationis, quæ est constituere ordinatum in gradu superiore & eminente inter reliquos fideles cum potestate eos docendi, & Sacramenta ministrandi, cujus superioritatis mulieres jure divino incapaces existunt, ut constat ex S. Paulo 1. *Cor. 14. Mulieres in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui*, sed subditas esse lex jubet *Genes. 3. sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Neque obstat, quòd sæpiùs apud antiquos mentio fiat Diaconissarum, Presbyterarum, &c. hoc enim non debet intelligi, quasi aliquo Ordine fuerint insignitæ, sed quòd essent uxores eorum, qui postmodùm Diaconi, vel Presbyteri facti fuerant, ut videre est in *c. penult. & ult. dist. 31.* & passim alibi. Zoës. *h. t. n. 19.*

II. Requiritur, ut Ordinandus sit baptizatus: quia baptismus est janua, & fundamentum omnium Sacramentorum. *c. 2. de Cognat. spirit. in 6.* Quare, si Sacerdos v.g. deprehenderetur non fuisse validè baptizatus, postea suppleto baptismo omnes Ordines, quippe antea nulliter collati, necessariò reiterandi essent. *c. 1. & 3. de Presbyt. non baptiz.*

III. In ordinando adulto requiritur consensus, & positiva intentio, saltem habitualis suscipiendi Ordines: quia cùm Ordinatio hominem in novo statu constituat, id fieri haud convenit, nisi aliquo modo consenserit; quod satis probatur ex *c. 3. §. item quæritur. de Baptismo.* ubi id de Baptismo deciditur. Unde irrita est Ordinatio, quando quis reluctans, & absolutè invitus ordinatur; quamvis secùs sit, si metu solùm ad suscipiendos Ordines compellatur: metus enim non causat involuntarium simpliciter, sed tantùm secundùm quid, ut habetur *in c. 1. causâ 15. q. 1.* & cum S. Th. *1. 2. q. 6. a. 6.* tradunt Theologi uno ore.

Controversia incidit, an per metum gravem & injustum in Sacris ordinatus ex vi ordinationis teneatur ad perpetuam continentiam, & sit inhabilis ad matrimonium? Affirmant Panorm. Joan. Andr. Sylvester, Sotus & alii, quos refert Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 29. num. 4.* moti potissimùm hâc paritate: Baptizatus ratione recepti characteris baptismatis tenetur ad professionem & observantiam vitæ catholicæ. *d. c. 3. §. item quæritur.* ergo etiam ex tali metu ordinatus, cùm characterem S. ordinis recipiat, tenebitur ad observan-

vantiam vitæ Clericalis, adeóque ad continentiam perpetuam & abstinendum à matrimonio. Sed negativa ut communior, ita probabilior videtur: quia obligatio Clericalis continentiæ & inhabilitas contrahendi matrimonium Ordini sacro non ex natura rei, aut jure Divino annexa est, sed ex constitutione duntaxat Ecclesiastica, quæ non obligat sub gravi periculo arg. *c. 2. dist. 4. c. 2. de Observat. jejun. & c. 31. de Sentent. excomm.* Imò ipsa Ecclesia noluit cœlibatum ordinationi metu susceptæ adnectere: textus enim *in c. 1. dist. 31. c. 11. & 12. dist. 32. c. 9. de Ætat. & qual.* & passim loquuntur de Ordine suscepto modo ordinario, ac proinde cum plena voluntate absque injusta hujusmodi violentia aut coactione. Et certè cùm iste modus ordinationis sit contra intentionem juris, & alioquin onus castitatis omnino ab extrinseco impositum, nec propriâ voluntate spontè acceptum gravissimum sit, non potest rationabiliter jus commune & ordinarium ad hunc extraordinarium casum extendi. Atque ex his patet disparitas ad adductam superiùs paritatem: nam obligatio observandi & profitendi vitam, fidémque catholicam suapte naturâ, & jure Divino connexa est characteri baptismatis; at continentia perpetua, sicut & inhabilitas ad matrimonium ordini sacro conjuncta est ex solo jure Ecclesiastico, & ita obligatio illa nequit, hæc autem potest per metum, qui humana, non Divina rescindit, impediri; idque maximè quòd cœlibatus non nisi Ordini sacro spontè, & liberè suscepto annexus sit.

Illud omninò certum est, quòd per metum sacris initiatus obligetur ad continentiam, & sit inhabilis ad contrahendum matrimonium, si postea spontè ratificaverit Ordinationem, vel verbo, vel facto, scil. ministrando etiam semel tantùm in Ordine per metum suscepto: generalis enim doctrina est, gesta per metum, etiamsi ab initio sint invalida, & nulla, per ratificationem tamen subsequentem convalescere, per *c. 21. de Sponsal. c. 9. de Desp. impub.* Sanchez *d. disp. 29. n. 9.* Pirrhing *h. t. n. 9.*

Porrò *ad licitam Ordinationem* in Ordinando requiritur I. ut sit confirmatus Trid. *sess. 23. de Reform. c. 4.* ubi disertè statuitur: *primâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Non tamen peccaretur mortaliter, si contrarium absque contemptu fieret, eò quòd prædicta verba Concilii non significent obligationem gravem, sed tantùm præscribant Episcopis, quid facere debeant. Navar. in *Man. c. 22. n. 9.* Dissentit Bonacina *de Sacrament. Ordin. disp. 8. q. un. puncto 5. n. 9.* 12

II. Requiritur, ut sit præditus usu rationis. Hinc illicitè ordinatur infans, aut perpetuò amens; validè tamen, ut constat ex *c. un. de Clerico per saltum promoto.* ubi Pontifex non jubet repeti minores Ordines infra annos discretionis receptos, & ratio est, quia Ordinatio adinstar Baptismi, Confirmationis & Evchariſtiæ non nisi in adultis usu rationis aliquando donatis aliquem proprium liberi arbitrii motum præsupponit. Layman *de Sacram. Ord. tr. 9. c. 6. n. 4.* Interim Ecclesia in Sacris ante usum rationis ordinatum (nisi factus adultus Ordinationem verbo aut facto ratificaverit) ad cœlibatum adstringere probabiliùs non vult, quin imò nec valet; non vult, quia juxta jura superiùs *n. 11.* allegata statum continentiæ, & impedimentum dirimens solùm annexuit Ordini sacro suscepto modo ordinario, scil. spontè & cum plena libertate; non etiam valet, cùm enim castitas perpetua sit onus gravissimum, & res consilii, non præcepti, voluntariè assumenda est, nec ad eam quis ab humana potestate tantùm ab extrinseco cogi & obligari potest. *c. 5. dist. 28. c. 13. causâ 32. q. 1.* Fagnan. *in d. c. un. de Cler. per sal. prom. n. 27. & seqq.* 13

14 III. In Ordinando requiritur legitima ætas: quæ olim pro diversis temporibus diversa requirebatur, ut constat *ex c. 2. & seqq. dist. 77. Clem. fin. de Ætate, & qual. & ord. præfic.* Hodie verò ad primam Tonsuram & quatuor minores ætas determinata non est, consequenter arbitrio Ordinantis relinquitur, modò non conferantur infanti, seu minori 7. annis *c. fin. h. t. in 6.* Gloss. fin. *in d. Clem. ult. de Ætate & qual.* De ætate autem Ordinum sacrorum Trid. *sess. 23. c. 12. de Reform.* statuit, ut *nullus imposterum ad Subdiaconatûs ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum tertium, ad Presbyteriatûs ante vigesimum quintum ætatis annum promoveatur*: non tamen est necesse, hos annos esse completos, sed juxta Declarationem Cardinalium, & praxin Ecclesiæ sufficit vel per momentum, aut minutum esse inchoatos; præterquàm in Episcopatu, in quo requiritur annus trigesimus completus. *c. 7. de Elect.* circa quod Trident. nihil innovavit. Num verò pro hac ætate computandus sit dies bissextilis, latè disputat Gobat. *in Theol. experimentali tr. 8. casu 13. sect. 2. per tot.*

15 IV. Requiritur, ut ordinandus nulli culpæ mortali scienter sit obnoxius: quia ordo est Sacramentum vivorum, per se & ex institutione sua conferens gratiam secundam, ideóque supponit ordinandum jam esse in statu gratiæ, ne, quantùm est ex se, falsam reddat significationem Sacramenti ordinis.

V. Ut nullâ censurâ sit irretitus, puta excommunicatus, suspensus, vel interdictus. *c. 32. de Sent. Excomm.*

16 VI. Requiritur, ut habeat debitam scientiam, quæ pro diversitate Ordinum diversa quoque à Trid. *sess. 23. de Reform.* exigitur: nam *c. 4.* exigitur ab initiandis primâ Tonsurâ, ut sciant rudimenda fidei, legere insuper & scribere: *c. 11.* à suscepturis quatuor Minores exigitur, ut intelligant saltem linguam latinam, & ut scientiæ specimen, eos majoribus Ordinibus dignos futuros, ostendant. *c. 13.* pro Subdiaconatu, & Diaconatu exigitur, ut promovendi sint literis, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. *c. 14.* à Presbyterandis exigitur, ut possint docere necessaria ad salutem & Sacramenta ritè administrare; quòd maximè intelligendum est de iis, qui curam animarum obire volunt: nam in aliis minor quoque scientia sufficit.

Denique in Episcopatu *c. 6. dist. 38.* statuitur, ut *qui ad Episcopatûs promovendus est gradum, in promptu habeat legere scrutabiliter tam sacros Canones & S. Evangelium, quàm omnem Divinam scripturam*, adeóque spectato hoc Canone Episcopus deberet esse dignus laureolâ doctorali tam Theologiæ, quàm Juris Canonici: verùm juxta Trid. *sess. 22. de Reform. c. 2.* sufficit si sit Magister, Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, aut saltem publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos.

17 VII. Requiritur intentio serviendi Ecclesiæ; unde peccaret (non tamen mortaliter) qui primam Tonsuram, vel quatuor Minores susciperet sine ullo animo inserviendi Ecclesiæ, sed tantùm ut privilegiis Clericalibus gauderet: faceret enim contra mentem Ecclesiæ, ut colligitur ex Trid. *sess. 23. de Ref. c. 4.* Sed quid, si in Minoribus quidem vellet servire Ecclesiæ, at nunquam vellet suscipere Majores, sed ducere uxorem virginem? R. Cum Sanchez *lib. 7. de Matrim. dist. 31. n. 16.* & aliis, omninò non peccare; nam Jus in *c. 1. de Filiis Presbyt. in 6.* permittit, ut illegitimi possint ex dispensatione Episcopi promoveri ad Ordines minores, cùm tamen Episcopus sciat, eos non posse promoveri ad majores; ergo nec Episcopus nec ordinandi illegitimi intentionem habere possunt quo ad majores Ordines, & tamen licitè ordinantur.

VIII.

18 VIII. Requiritur, ut ordinandus sit cœlebs. *c. fin. h. t. in 6.* & passim *per tot. dist. 31. & tres seqq.* quia cùm conjugatus uxori alligatus sit, non ita liberè Divinis & Ecclesiasticis obsequiis, ad quæ ordinatus obligatur, vacare potest, ut insinuatur *in c. 3. de Clericis conjug.* item *c. si Laicis & Sacerdotibus dist. 31.* Idque procedit, ut inprimis non tantùm sacri & Majores ordines, sed neque Minores, & Clericalis tonsura sit conferenda alicui conjugato sine uxoris licentia *d. c. fin. h. t. in 6.* quamvis Minoribus initiatus matrimonium contrahere possit. *c. 7. dist. 22.* ita ut nec ducendo, nec utendo conjugio peccet. Azor. *Instit. moral. p. 1. l. 13. c. 13. q. 8.* Deinde ut si defacto conjugatus ordinetur in Sacris, quamvis characterem recipiat, perpetuò tamen maneat ab Ordinum executione suspensus, etiam matrimonio soluto, atque inhabilis ad majores Ordines suscipiendos, & ad quodcunque beneficium, aut officium Ecclesiasticum consequendum. *Extrav. un. de voto Joan. XXII.* Dixi: *si ordinetur in Sacris:* nam si quis tantùm in Minoribus Ordinibus ordinetur, aut Clericali Tonsura insigniatur, durante conjugio non nisi ab ordinis executione suspensus est juxta *d. c. fin. h. t. in 6.* Interim hæc limita: nisi quis ante matrimonium consummatum, vel certè post consummatum matrimonium simul cum uxore (si juvenis sit aut suspecta de incontinentia) religionem ingrediatur, & ordinetur. Qua de re ex instituto *Lib. III. ad tit. de Convers. conjug.*

19 IX. In ordinando requiritur morum probitas, honestas vitæ, & bona fama. Trid. *d. sess. 23. c. 5. c. 17. causâ 6. q. 1.* Hinc ordinationem impediunt incœstus, adulterium, raptus, apostasia, schisma, hæresis, beneficium, perjurium, falsum testimonium, & omnia crimina, si vel per evidentiam facti, vel per sententiam judicis, vel per propriam rei confessionem in judicio factam sint notoria, ac talia, quæ infamiam annexam habent, aut depositionem merentur. *c. 4. c. fin. h. t.* & ibi cum Glossa interpretes communiter. Quare si crimen non sit notorium, post peractam pœnitentiam non est impediendus reus ad Ordines aspirare. *d. c. 4. & fin. h. t.* nisi & occultam inducat irregularitatem, ut homicidium. *d. c. 4.* Pirrhing. *h. t. n. 18.*

X. Requiritur, ut ordinandus sit subditus ordinantis ratione vel Originis, vel domicili, vel beneficii. *c. 3. h. t. in 6.* Trid. *Sess. 23. de Reform. c. 8.* 20

Ratione Originis subditus est, qui è Diœcesi ordinantis est oriundus, *d. c. 3.* Ex illa autem Diœcesi vel loco quis oriundus censetur, non in quo præcisè natus aut ortus est casu fortuito, v. g. in itinere seu transitu ut contra Hurtadum, & alios docet communis apud & cum Diana *p. 8. tr. 2. resol. 11.* sed in quo Pater ejus tempore nativitatis fixum habuit domicilium, & civis, vel municeps fuit. *l. 1. l. 6. ff. ad municipalem. l. 3. C. de Municipib. l. 7. C. de Incolis.* Quòdsi de hoc constare nequeat, filius sequitur Originem Patris, & domicilium Originis paternæ etiam censetur domicium filii, per *l. 6. §. 1. ff. ad municipalem.* Si neque iste locus sciatur, aut Pater incertus sit, uti contingit in spuriis, tunc attenditur domicilium vel origo Matris. *l. 1. §. 2. & l. 9. ff. Eod.* Liberi exposíti, quorum uterque Parens ignoratur, sequuntur Originem loci, ubi inventi & educati sunt, cùm alia Origo nesciatur. Steph. Gratian. *discept. forens. tom. 1. c. 15. n. 12.* Barb. *de Off. & potest. Episcop. p. 2. alleg. 4. num. 16.* Turcæ denique, aliique infideles illic videntur Originem sortiri, ubi per Baptismum sunt regenerari. Gobat. *in Theol. experiment. tr. 8. casu 7. sect. 2. n. 280.* 21

Ratione domicilii subditus est, qui in ordinantis Diœcesi habitat, vel incipit habitare cum animo perpetuò ibi consistendi, nisi quid 22

avo-

avocet. *l.* 203. *ff. de V. S. l.* 7. *C. de Incolis.* Unde si quis in Diœcesi ad longius tempus negotiorum vel studiorum causâ commoretur, animo tamen redeundi in patriam, verum illic domicilium non obtinet. *l.* 2. *C. de Incolis.* sed solùm, ut vocant, quasi domicilium; quod quidem sufficit ad administranda vel recipienda Sacramenta Matrimonii, Pœnitentiæ & alia, non verò Ordinis. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *disp.* 23. *per tot.* Et ideo si studiosus alicubi uxorem duceret, animo post studia illam secum abducendi, nec filii ipsius ab ejusmodi loci Episcopo ordinari possent: sicut enim is non diceretur Episcopus domicilii respectu Patris, ita neque foret Episcopus Originis respectu filii, qui fingitur natus in domicilio Patris per *l.* 3. *C. de Municipib.* Puto tamen in quibusdam casibus nomen domicilii ad quasi domicilium extendi posse ex ratione æquitatis *arg. l.* 8. *C. de Jud.* v. g. si quis nec beneficium, nec aliud domicilium verum habeat, & locum Originis vel nesciat, vel ita remotus sit, ut ibi moraliter loquendo Ordines acquirere nequeat, licèt cæteroquin idoneus. Tiber. *in Instruct. Ordinand. c.* 7. *q.* 46.

23 Sed quid dicendum, si quis in duobus Episcopatibus perpetuò habitare intendat, & æquè frequenter in uno, ac in altero moretur? Ita- talem ab utriusque loci Episcopo ordinari posse: quia utrobique sortitur verum domicilium, & utrique Episcopo ratione domicilii est subditus *per c.* 2. *de Sepult. in* 6. *l.* 5. *& l.* 6. *§.* 2. *ff. ad municipalem.* Ejus tamen filius ab alio Episcopo deberet Ordines suscipere, in cujus Diœcesi natus est, supposito quòd ibi Pater domicilium habeat: neque Origo respectu filii tunc extenderetur ad alterum Patris domicilium, ut etiam inde oriundus diceretur. Secùs foret, si in neutro Episcopatu & extra Patris domicilia progenitus fuisset: tunc enim non apparet ratio, quòd uni magis, quàm alteri Episcopo ratione Originis subjiceretur. Diana cum aliis *p.* 8. *tr.* 2. *resol.* 14.

Ratione beneficii Ordinanti subditus dicitur, qui in ejus Diœcesi qualecunque habet beneficium, sive pingue, sive tenue, sive simplex, sive curatum; & sive exigat, sive non exigat residentiam: quia Textus in *d. c.* 3. *h. t. in* 6. generaliter, ac indistinctè loquitur, & quodcunque beneficium Beneficiatum Episcopo loci subjicit. Pirrhing *h. t. n.* 34. Hinc idem etiam Clericus, si obtineat plura beneficia in diversis Diœcesibus, à quolibet earum Episcopo ordinari poterit. Gobat. *l. c. n.* 310.

Porrò nomine Beneficii vel Domicilii hîc quoque intelligi potest Monasterium respectu Religiosorum, licèt ex illa Diœcesi non sint oriundi. *d. c.* 3. *in fine h. t. in* 6. Circa quos illud singulare est, quòd Episcopus eos ordinare nequeat contra Prælatorum suorum voluntatem. *c.* 5. *h. t.*

An autem Novitii ex aliena Diœcesi oriundi ordinari possint ab Episcopo Monasterii, & in Minoribus ab Abbate? pro utraque sententia graves Doctores refert Barb. *J. E. V. lib.* 1. *c.* 33. *n.* 65. Ego affirmativæ tanquam probabiliori subscribo: sunt enim Novitii Abbatis jurisdictioni, & mediante Abbate etiam Episcopo subjecti, atque pro tunc habent animum ibi perpetuò manendi, licèt hunc animum mutare valeant, sicut alius quivis Incola. Adde, quòd Novitii in materia favorabili adeóque etiam in præsenti, habeantur pro subditis regularibus, & in reliquis quoque gaudeant privilegiis religionis per *c.* 21. *& ibi* Archid. *de Sentent. excomm. in* 6.

Ex his igitur tribus modis aliquo subditus licitè ordinatur, adeò ut si fortè ab Episcopo proprio Originis receperis Subdiaconatum, vel Minores, possit tamen reliquos Ordines ab Episcopo beneficii aut domicilii absque facultate prioris accipere: quia hoc nullibi in Jure prohibetur, sed Ordinatio generaliter ex prædictis causis permittitur. Neque obstat, quòd aliàs regulariter concessa electione, & re-

non

non ampliùs integrâ non liceat variare. *l.* 20. *ff. de Optione legat.* nam hoc admitti potest circa eandem materiam & subjectum, non verò respectu diversorum, quemadmodum in proposito ordines inter se distinguuntur. Itaque licèt exclusa sit variatio quo ad unum, qui & naturaliter irrepetibilis est, nihil vetat quò ad alterum variare, & alium Episcopum adire. P. Engl. *h. t. n.* 31. Excipitur Ordinatus à S. Pontifice, qui sine ejus licentia non potest Ordines reliquos ab Episcopo inferiore recipere, idque ob reverentiam Summi Antistis. *c.* 12. *h. t.*

28 Cæterùm sunt etiam casus, inquibus alienigena, seu non subditus licitè ad Ordines promovetur, ut I. si ab Episcopo proprio habeat literas dimissoriales, de quibus infra in *tit.* 22. II. si per triennium continuum in Episcopi alieni familia vixerit, & cum ipso fuerit commoratus; si modò ille Episcopus sit Ordinarius habens populum & clerum, non titularis solùm Trid. *sess.* 14. *de Reform. c.* 2. & statim reipsa conferat beneficium. Item Trid. *sess. c.* 23. *de Reform. c.* 9. vel ipse ordinandus sufficiens patrimonium habeat, ad quod ordinetur, & Ecclesiæ necessitas, aut commoditas id exigat, ut adnotârunt Tridentini Interpp. *in d. c.* 9. III. Quando proprius Episcopus scienter & notoriè alienum subditum sine licentia ordinavit: tunc enim ejus Clerici (non purè Laici, ut docet Sayr. *lib.* 4. *de Censur. c.* 12.) possunt absque illius facultate alium vicinum Episcopum adire, & Ordines, qui ipsis desunt ab eo recipere. *c.* 2. *h. t. in* 6. Extra tres hoc casus verò si quis non subditus scienter ordinetur, Ordinans per annum à collatione Ordinum, Ordinatus autem ab executione Ordinum susceptorum usque ad beneplacitum proprii Episcopi suspenditur. *d. c.* 2. *h. t. in* 6. Trid. *d. Sess.* 14. *c.* 2. & *d. sess.* 23. *c.* 9.

29 XI. Ad majores Ordines in ordinando requiritur titulus, id est, remedium, quo ei provisum sit de sufficiente, eâque perpetua sustentatione, ne paupertate pressus in opprobrium statûs clericalis mendicare, aut sordidum quæstum exercere cogatur. Trid. *sess.* 21. *de Reform. c.* 2. *c.* 2. 4. & 16. *de Prabend.* Censetur autem habere hujusmodi titulum I. qui in Religione approbata vota emisit: quia is sustentari debet à Monasterio, aut Religione. *c.* 1. *dist.* 70. II. qui pacificè possidet beneficium certum, perpetuum & sufficiens: unde non sufficit beneficium litigiosum, primùm conferendum, aut manuale, hoc est ad nutum revocabile: item Vicaria temporalis, aut stipendium ab Episcopo super fructibus suæ mensæ assignatum: Pirrhing *h. t. n.* 69. & *seq.* III. Titulum legitimum habet, qui habet competens patrimonium, vel pensionem ad honestam sustentationem sufficientem, modò talem Episcopus judicaverit assumendum pro necessitate vel commoditate suarum Ecclesiarum. Trid. *l. c.* IV. ex recepta consuetudine titulum hunc patrimonii supplent titulus mensæ, ut vulgò vocant, seu patentes litteræ, quibus Principes, Nobiles, Civitates, Monasteria, Hospitalia &c. obligatione reali promittunt, ex suis bonis sustentare Ordinatum, seu provisuros ipsi de cibo, potu, vestitu, aliisque statui suo convenientibus, casu quo ob senium vel infirmitatem non possit ampliùs fungi officiis Clericalibus, aut alia ex causa careat necessariis ad sustentationem, priùsquam beneficio Ecclesiastico legitimè investiatur: de quo vid. P. Engl *in Tit. de Ætate & qual. & ord. præfic. n.* 14. & *seqq.*

Quodsi Episcopus sine ullo ex his 4. titulis 30 aliquem scienter in sacris ordinaverit, tam ipse, quàm ejus successor in subsidium taliter Ordinatum alere tenetur, usque dum beneficium assequatur per *jura supra citata* Ordinatus verò sine titulo nullam incurrit suspensionem; tum quia hæc pœna quidem olim

erat in hujusmodi Clericos præscripta, per *c.* 1. & 2. *dist.* 70. sed deinde sublata est, in *d. c.* 16. *de præbend.* tum quia talis pœna suspensionis magis adhuc difficilem redderet Clerici sustentationem, utpote qui ob pœnam suspensionis sacrificium Missæ celebrare non posset, & ita stipendiis privaretur ad vitam Clericalem sustendandam necessariis. Neque dicas Trid. in *d. sess.* 21. *c.* 2. antiquorum Canonum, adeóque etiam *c.* 1. & 2. *dist.* 70. pœnas innovâsse: Cardinalium enim declaratione decisum esse testantur Garcias & Barbosa apud Gobat in *Theol. experim. tr.* 8. *n.* 604. quòd Concilium in *cit. c.* 2. solùm renovet pœnam *d. c.* 2. 4. & 16. *de Præbendis.*

31 XII. Denique ad licitam Ordinationem requiritur, ut Ordinandus nullâ irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu sit irretitus. Ordinari namque prohibentur aliqui ratione iterati Sacramenti irreiterabilis, ut rebaptizati & rebaptizantes, de quibus infra *tit.* 16. *n.* 12. aliqui ob defectum natalium, ut illegitimi & nominatim filii Presbyterorum, de quibus *tit.* 17. alii ratione statûs, ut servi, de quibus *tit.* 18. alii ratione officii, ut obligati ad ratiocinia, de quibus *tit.* 19. alii ob defectum corporalem, ut corpore vitiati, de quibus *tit.* 20. quidam propter defectum Sacramenti, ut bigami, de quibus *tit.* 21. Nonnulli propter defectum lenitatis, id est, ii, qui directè efficaciter, & propinquè concurrunt ad realem hominis occisionem, aut realem membri humani mutilationem, aut sunt causa, ut citiùs quis occidatur, aut mutiletur per *c.* 9. *Ne Clerici vel Monachi.* de quibus *in lib. V. Tit. de Homicid.*

§. V.

32 *Materia* cujusque Ordinationis, sicut aliorum Sacramentorum, duplex est, una remota, estque illa ipsa res, seu instrumentum, quod Ordinando traditur, potestatémque ei communicandam significat; altera proxima, quæ est hujus ipsius rei, seu instrumenti traditio. Itaque materia Ostiariatûs est traditio clavium Ecclesiæ: Lectoratûs, traditio libri continentis Divinas scripturas, aut lectiones: Exorcistatûs, traditio libri exorcismorum; Acolythatûs, traditio urceoli vacui, & candelabri cum cereo extincto: Subdiaconatûs, traditio calicis vacui, cum patena vacua superposita: Diaconatûs, traditio libri Evangeliorum, & probabiliter etiam impositio manûs Episcopi: Sacerdotii, traditio calicis cum vino & patenæ cum hostia, quâ Ordinato datur potestas in Corpus Christi verum, seu potestas consecrandi Evchariſtiam: & impositio manuum Episcopi, quâ confertur potestas in Corpus Christi mysticum, seu potestas remittendi peccata: Episcopatûs denique, impositio manuum Episcopalium super caput Ordinandi. Ita Theologi communiter.

Dubium est, an sit de necessitate Sacramenti physicus contactus materiæ ab Ordinante traditæ, vel an sufficiat moralis, hoc est, ut quis manum extendat, & approximet rei porrectæ cum voluntate illam tangendi? existimo cum *S. Thom. in supplem. q.* 34. *a.* 5. *ad* 3. probabiliùs requiri contactum physicum: ita enim Christum instituisse colligitur tum ex determinatione materiæ palpabilis, palpabiliterque tradendæ per adjuncta verba: *accipe &c.* tum ex immemoriali praxi Ecclesiæ; quæ semper circa hunc contactum, utpote materiæ & formæ Ordinationis magis proprium, magnam curam & solicitudinem ostendit. Unde meritò Clemens VIII. jussit reordinari sub conditione eos, qui à Sagiensi Episcopo ostensâ tantùm sibi materiâ fuerant ordinati, ut refert Ysambertus *de Sacra Ord. disp.* 3. *a.* 8. Non est tamen hæc sententia scrupulosè intelligenda, ita ut in Sacerdotio necesse sit hostiam & vinum immediatè attingere, sed sufficit attingere calicem & patenam: qui enim calicem attingit, moraliter censetur

attingere vinum in eo contentum, & qui attingit patenam, censetur etiam attingere hostiam superpositam; imò sunt, qui patenæ quoque mediatum contactum in soliùs calicis contactu sufficere putant. Verùm in hoc omninò servanda est Rubrica Pontificalis præcipiens utriusque & calicis & patenæ contactum.

§. VI.

34 *Forma* Ordinationis alia est essentialis, alia accidentalis.

Essentialis consistit in verbis, quibus ab Ordinante inter tradendam materiam expressis significatur potestas cujusque Ordinis. Trid. *sess.* 23. *de Ordine c.* 3. Forma autem in Ecclesia Latina usurpata in Ostiariatu sunt hæc verba: *Sic age quasi rationem DEO redditurus pro his rebus, quæ his clavibus includuntur:* in Lectoratu ista: *accipe & esto verbi DEI relator, habiturus, si fideliter & viriliter officium tuum impleveris partem cum iis, qui verbum DEI ab initio bene ministraverunt:* in Exorcistatu ista: *accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos,* in Acolythatu, dum traditur candelabrum, ista: *accipe ceroferarium cum cereo, & sciaste ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini;* dum verò traduntur urceoli, hæc: *accipe urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini:* in Subdiaconatu ista: *videte cujusmodi ministerium vobis traditur, ideo admoneo vos, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere possitis:* in Diaconatu ad traditionem Libri Evangeliorum ista: *accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini;* ad impositionem manuum Episcopi autem hæc: *accipite Spiritum S. ad robur & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus in nomine Domini:* In Sacerdotio ad traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane ista: *accipe potestatem offerendi sacrificium DEO, missásque celebrandi tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini;* ad impositionem manuum Episcopi hæc: *accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt:* in Episcopatu denique ista: *accipe Spiritum Sanctum &c.*

Ad *formam accidentalem* pertinet modus, 35
locus, tempus & gradatio Ordinationis.

Quo ad *modum* attendendum est, ut in Ordinatione observentur ritus & cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ.

Quo ad *locum* ordinans observabit I. Ut in propria non aliena Diœcesi Ordines conferat. Trident. *sess.* 6. *de Reform. c.* 5. ubi ita statuit: *nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantùm, si secùs factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic Ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* II. ne quovis etiam loco in sua Diœcesi conferat Ordines: nam idem Trident. *sess.* 23. *de Reform. c.* 8. jubet, ut Ordines conferantur in Cathedrali, vel aliàs digniore Ecclesia; usus tamen habet, ut non tantùm Minores Ordines, sed etiam majores in quavis Ecclesia non interdicta administrentur, etiam in Sacello domûs Episcopalis.

Circa *tempus* Ordinationis notandum est 36
I. Tonsuram quidem ex recepta consuetudine quòvis die conferri posse, non autem ipsos Ordines: Minores enim extraordinariè die Dominico vel Festo: Majores: Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus in Sabbatis quatuor temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis, vel Sabbato sancto conferendi sunt, *c.* 1. 2. & 3. *h. t.* Episcopi autem consecratio die Dominicâ fieri debet *cap.* 1.

dist. 75. Quodsi quis extra prædicta tempora ad Sacros præsertim, seu majores Ordines promotus fuerit, valida quidem erit ordinatio, *c. 16. h. t.* ita tamen Ordinatus suspenditur ab executione Ordinum susceptorum *c. 2. 8. & 13. h. t.* & quidem ipso jure per claram constitutionem Pii II. quæ incipit: *Cùm ex sacrorum*, & refertur à Gonzal. *in d. c. 3. h. t. n. 7.*

37 In ambiguo hæret, quisnam ab hac suspensione absolvere possit? Nam in *c. 8. & c. 13. h. t.* per verba finalia videtur ista absolutio S. Pontifici reservata. Econtra in *c. 16. eod.* videtur eadem absolutio etiam Episcopis, & Archi-Episcopis, respectu suorum subditorum permissa saltem post impositam competentem pœnitentiam. Ego pro his juribus conciliandis puto dicendum: cum Gloss. *in d. c. 16.* quòd quidem juxta priores textus Episcopus vel Archi-Episcopus jure proprio, seu ordinario ab hac suspensione absolvere nequeat, benè autem tanquam delegatus Sedis Apost. delegatione clausâ in Corpore Juris scil. *cit. c. 16.* eô ipsô enim jam censetur impetrata absolutio à Sede Apostolica & consequenter verba *d. c. 8. & 13.* verificantur. Rectè tamen advertit Panorm. *in d. c. 8. n. 5.* Illi Episcopo vel Archi Episcopo hanc facultatem absolvendi non competere, qui inordinatè extra constituta tempora ordinavit: quia non convenit Authorem delicti in eodem delicto Judicem constitui arg. *c. 3. causâ 1. q. 5. & c. 5. de Cleric. conjug.*

38 Cæterùm præscripta hæc tempora non afficiunt S. Pontificem, quô minùs possit extra illa non tantùm ipsemet ordinare *c. 1. & 3. h. t.* sed insuper inferiori per privilegium hanc facultatem ordinandi concedere. Pirrhing *h. t. n. 80.* & defacto Regulares quidam, præsertim Mendicantes extra tempora ex Pontificiis indulto ordinari possunt, ut videre est apud Rodriq. *qq. Regul. tom. 3. q. 23. a. 4. & 5.* Imò cùm tempora ista solùm jure positivo statuta sint, consuetudine introduci poterit, ut extra ea ordines conferre & suscipere liceat: habet enim consuetudo posterior vim abrogandi legem priorem contrariam sive civilem, sive Canonicam per *c. fin. de consuet. l. 32. ff. de LL.* Nec obstat *c. 2. h. t.* ubi talis consuetudo specialiter reprobatur tanquam *institutioni Ecclesiasticæ inimica*: nam videtur loqui de consuetudine nec dum perfecta & completa, ut ex sequentibus verbis appareat; deinde intelligi potest de consuetudine antecedenti, non vero consequenti: nihil siquidem impedit, etiam hoc ipsum *capitulum* per insequentem consequentem ex rationabili causâ superveniente abrogari, eô ipsô quòd sit tantùm juris positivi.

II. Circa tempus Ordinationis notandum est, quòd similiter sub pœna suspensionis prohibitum sit, ne plures Ordines majores, aut minores cum uno majore eodem die, vel duobus, etsi continuatô jejuniô, recipiantur, *c. 13. & 15. h. t.* sed per intervalla, seu interstitia unius saltem anni. Trid. *sess. 23. de Reform. c. 11. 13. & 14.* ubi tamen Episcopo ex causâ necessitatis vel utilitatis cum suis subditis dispensare permittitur, non item cum alienis, & alteri Episcopo subjectis, nisi id illi ab Ordinario ordinandi in litteris dimissoriis concessum sit: quia dispensatio est actus jurisdictionis in extraneum non cadens. P. Engel *h. t. n. 20.* Porrò prima Tonsura & quatuor minores Ordines ex communi usu eodem die conferuntur; quamvis de jure scripto etiam in iis observanda forent quædam interstitia arbitrio Episcopi determinanda. Trident. *d. c. 11.*

An verò, qui Sabbatho fuit ordinatus presbyter, sequenti statim Dominicâ possit consecrari Episcopus, controvertitur? Et affirmativam probabiliorem censeo, cùm consecratio Episcopi qualibet die Dominicâ fieri possit.

cap.

c. 5. dist. 51. adeóque etiam eâ die dominicâ, quæ immediatè sequitur post sabbathum Ordinationis generalis, cùm nuspiam prohibeatur. Accedit, quòd Canones & jura prælegata, dum interstitium inter Ordines sacros eidem conferendos requirunt, non de Episcopatu, sed de iis tantùm Ordinibus loquantur, qui in ordinaria generali ordinatione conferri solent; ex quo proinde consequens videtur, si ob rationabilem causam continuatô jejuniô sabbathi aliquis etiam in dominica Presbyter ordinatus sit, eundem eâdem die Episcopum consecrari posse, non obstante *d. c.* 13. *h. t.* prohibente alias, ut *supra* insinuatum, duos sacros Ordines eidem conferri uno die, vel in duobus diebus continuato jejunio. Layman *de Sacramento Ordinis c.* 8. *n.* 6. & alii apud ipsum. Quamvis nonnulli apud Barb. *J. E. U. L.* 1. *c.* 9. *num.* 42. contrarium tueantur. Quidquid sit, saltem negari nequit, quin ex dispensatione Papali licitè id fiat, teste eodem Barb. *cit. n.* 43.

40 Quo ad *gradationem* jure cautum est, ut nemo suscipiat Ordinem superiorem non habens Ordinem inferiorem, adeóque ut non ordinetur per saltum; etsi enim ordinatio per saltum (excepto Episcopatu, qui Sacerdotium essentialiter præsupponit) sit valida, est tamen illicita. *c. un. dist.* 52. *c.* 2. *dist.* 59. *c. un. de Clerico per salt. promoto.* & ita ordinatus eatenùs suspensus manet, ut nec officia Ordinis suscepti exercere, nec ad superiorem promoveri possit; licet tamen Episcopo cum tali dispensare, modò in ordine superiore non ministraverit ante susceptum inferiorem, ut colligunt DD. ex Trident. *sess.* 23. *de Reform. cap.* 14.

§. VII.

41 *Finis* Ordinationis est SS. Eucharistiæ Sacramentum & sacrificium, ad id quippe omnes Ordines ordinantur vel immediate ad illud conficiendum & offerendum, ut Sacerdotium; vel mediatè ad illud inserviendum vel ministrandum, ut reliqui Ordines, prout colligitur ex Trident. *d. sess.* 23. *de Ordine c.* 2.

§. VIII.

Effectus Ordinationis alii sunt immediati, alii mediati.

Immediati sunt, qui ad ipsam Ordinationem proximè consequuntur, iique duo sunt. 42
Primus & primarius est augmentum gratiæ sanctificantis habens jus ad specialia auxilia conferenda pro ministerio Altaris, & actu proprio cujuslibet Ordinis debitè obeundo. Ratio *primæ partis est*, quia Ordinatio est Sacramentum non mortuorum, sed vivorum, ergo ipsius proprius effectus non est prima gratia, sed secunda, hoc est augmentum gratiæ. Ratio *secundæ partis* est, quia proprius effectus Ordinationis est gratia Sacramentalis specificè distincta ab omni alia, sed per jus ad specialia auxilia actui & fini Ordinationis propria, distinguitur ab omni alia. ergo. *Alter* effectus immediatus minùs principalis est Character, hoc est, qualitas supernaturalis animæ indelebiliter inhærens, per quam Ordinatus à non ordinatis distinguitur, & intrinsecè perficitur ad actus supernaturales Divini ministerii efficiendos. Constat ex Trid. *sess.* 23. *de Ordine cap.* 4. & ratio est: quia illa omnia Sacramenta novæ legis characterem imprimunt, quæ perpetuò sunt irreiterabilia, sed Ordinatio tam major, quàm minor est Sacramentum perpetuò irreiterabile, ergo.

Effectus mediati sunt ea, quæ ad ordinatio- 43
nem consequuntur, tanquam statui Clericali partim decora, partim consentanea; eáque ad duo capita revocari possunt, nempe ad privilegia & onera Clericalia. Privilegiorum appellatione tria hic veniunt I. aptitudò ad beneficia Ecclesiastica, & officia iis annexa: ut enim quis Ecclesiastici beneficii capax sit, debet saltem per primam Tonsuram in numerum

rum Clericorum esse cooptatus. Text. & Gloss. in *c.* 17. *de Rpscript.* quinam autem Ordines ad singula beneficia requirantur, dicetur infra *tit.* 14. II. Privilegium fori, quô Clerici judicio sæculari eximuntur, ut coram Judice Laico conveniri non possint. *c.* 2. & 12. *de Foro compet.* & ibi Interpp. III. Privilegium Canonis, quòd scil. Clerici sub pœna excommunicationis ipsô factô incurrenda, & S. Pontifici reservata cædi, vulnerari, mutilari, occidi, violentæ manus in ipsos injici non possint *c. si quis suadente* 29. *causâ* 17. *q.* 4. Onerum Clericalium appellatione veniunt ea, quæ Clericis agenda, vel vitanda sunt, quæ in Decreto & Decretalibus hinc inde dispersa tam multa, ut vix numerari queant; magis tamen principalia sunt potissimum tria I. obligatio gestandi tonsuram & habitum Clericalem, quâ tenentur Clerici in majoribus constituti, & minoribus initiati, si aliquod beneficium habeant. *Clem.* 2. *de Vita & honest. Cleric.* Trid. *sess.* 14. *de Reform. c.* 6. & Canonistæ communiter *in Lib.* 3. *Tit.* 1. II. Obligatio recitandi Horas Canonicas, ad quas obligantur omnes Beneficiati, etiamsi tantùm in minoribus constituti, vel tantùm tonsurati sint, itémque omnes Sacris insigniti, sive beneficiati sint, sive non sint, ut tradetur in *Lib. III. Tit.* 41. III. Obligatio perpetuò servandæ continentiæ, ad quam omnes majoribus condecorati, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri & Episcopi adeò tenentur, ut nec validè possint contrahere Matrimonium. Trid. *Sess.* 24. *de Matrim. Can.* 9. *& t. t. Qui Clerici vel voventes, &c.*

TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

SUMMARIA.

1. *Scrutinii definitio.*
2. *Cujus sit examinare ordinandos.* 3. *& quinam examinari debeant?*
4. *De quibus examen instituatur?*
5. *An ordinandus in scrutinio occultum defectum teneatur aperire?*
6. *Qualiter, quando.* 7. *& cur scrutinium fiat?*
8. 9. *Quis sit effectus scrutinii?*
10. *Secundum scrutinium.*

NE inepti ordinentur, duplex præscribitur scrutinium, seu examen: unum ante, alterum in Ordinatione.

§. I.

Scrutinium ante Ordinationem faciendum nil aliud est, quàm examen, quô in Ordinandi mores, scientiam, ætatem, natales, & alia requisita diligenter inquiritur. Colligitur ex *c.* 5. *dist.* 24. Trid. *sess.* 23. *de Reform. c.* 7. & 7. Zoës. *h. t. n.* 1.

§. II.

Causa efficiens hujus Scrutinii est scrutans, seu examinans; pertinet autem ad Episcopum Ordinantem vel per se, vel per alios viros à se deputatos Ordinandos examinare, per *jura allegata.* Unde quando Episcopus proprius subditum suum jam à se examinatum, & approbatum mittit ad alium Episcopum ordinandum, adhuc alter Episcopus examinare poterit præsertim in doctrina, ut tantò securior sit in conscientia; non tamen tenetur, ut vult Barb. sed stare potest judicio & testimonio proprii Episcopi. Laym. *ad rubr. h. t.*

§. III.

Subjectum hujus Scrutinii sunt omnes ordinandi etiam Regulares: quippe omnes adveniente Ordinationis tempore scrutinium subire, & examinari debent, *privilegiis quibuscunque quoad hoc penitùs exclusis.* Trid. *d. sess.* 23. *cap.* 12. Possunt tamen Episcopi absque ullo scrupulo suam conscientiam conformare cum conscientia Prælatorum de suorum idoneitate in literis dimissoriis attestantium.

Sed

Sed quid de Graduatis, Doctoribus scil. & Licentiatis in Theologia vel Jure Canonito dicendum? R. Quamvis nec ipsi liberi sint, quin saltem quò ad mores, & vitæ probitatem, aut similia examinari valeant; quô ad scientiam tamen teste Miranda *in Man. Præl. tom.* 1. *q.* 45. *a.* 9. *Concl.* 2. juxta communem sententiam non debere in receptione Ordinum examinari, sicut neque in collatione beneficiorum arg. Trid. *sess.* 7. *de Reform. c.* 13. constituentis, ut præsentati, electi, aut nominati ad beneficia Ecclesiastica non admittantur, aut confirmentur, nisi priùs fuerint à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti exceptis iis, qui ab Universitatibus studiorum præsentati, aut nominati sunt.

§. IV.

4 *Objectum* hujus Scrutinii sunt articuli, circa quos instituitur, debet autem juxta *d. c.* 5. *dist.* 24. & Trid. *d. c.* 5. & 7. institui circa genus, personam, ætatem, institutionem, doctrinam, fidem, & alia ad ordines requisita: de quibus *præced. tit.* dictum est, & partim adhuc dicetur. Interim si lubet, vide P. Engl *h. t. n.* 3. *& seqq.*

5 *Quæstio* hujus loci est, an Ordinandus in Scrutinio suum impedimentum prodere teneatur? id quod omninò putaverim per textum in *c.* 55. *dist.* 50. *& c.* 5. *dist.* 81. Nec refert, quòd inde fortè seipsum oneraret infamiâ: siquidem ad hoc non necessitate adigitur; cùm ab Ordinum susceptione abstinere possit. Gloss. *in dist. c.* 55. *d.* 50. Panorm. *in c.* 2. *sub. n.* 18. *de Confessis.*

§. V.

6 *Forma* hujus Scrutinii præscribitur in Trid. partim in *d. c.* 5. ubi statuitur, *ut ad Minores quidem Ordines promovendi bonum à Parocho & Magistro schola testimonium habeant, ii verò, qui ad singulos majores Ordines sunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri committat, ut nominibus ac desiderio eorum publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & testimonium inquisitionis mox ad ipsum Episcopum transmittat;* quæ tamen Trid. dispositio in Germania usu recepta non est; partim præscribitur *in d. c.* 7. ubi decernitur, ut omnes ordinandi *feriâ quartâ ante ipsam Ordinationem vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur, Episcopus autem Sacerdotibus, aliisque prudentibus viris sibi adscitis Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter inveștiget, & examinet.*

§. VI.

7 *Finis* hujus Scrutinii est, us exinde de ordinandi qualitate & idoneitate ad Ordinationem constare possit; hinc si habilitas ordinandi aliundè nota & perspecta sit, haud opus erit, ut ad Scrutinium vocetur arg. *c.* 2. *dist.* 24. *c.* 4. *dist.* 47. *& c.* 1. *dist.* 49. Quamvis Hostiensi videatur, semper aliquam saltem examinationem faciendam esse propter. *c.* 44. *de Elect.*

§. VII.

8 *Effectus* alius est Scrutinii præmissi, alius prætermissi. *Effectus* præmissi hujus Scrutinii est examinati ad Ordinationem admissio vel rejectio, prout examini satisfecerit, & in eo dignus, aut indignus repertus fuerit, *c.* 5. *dist.* 24. ubi monentur examinatores, *ne favoris gratiâ, aut cujuscunque muneris cupiditate illecti indignum & minùs idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent; quodsi fecerint, & ille, qui indigne accessit, ab Altari removebitur; & illi qui donum S. Spiritûs vendere conati sunt, coram DEO jam condemnati, Ecclesiastica dignitate carebunt.*

9 *Effectus* prætermissi scrutinii est, quòd ordinatus, si sit ignotus, licèt dignus, aut notus, sed indignus, deponi debeat. *c. ul. dist.* 24. *c* 55. *dist.*

dist. 50. quodsi verò notus & aliàs dignus fuerit, ut diximus, sine prævio examine admitti potest; furtivè tamen semet Ordinandis ingerens, & ordinari permittens suspensionem incurrit, & nequit in Ordine suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere sine dispensatione, quæ ita demum Episcopo permissa, si non fuerit facta inhibitio sub pœna excommunicationis, aut si furtivè ordinatus Monasterium ingrediatur, ibique laudabiliter versetur. *c.* 1. & 3. *de eo, qui furtivè Ordines suscep.*

§. VIII.

10 *Alterum Scrutinium*, quod in ipsa ordinatione faciendum est, & de quo agitur in *c. un. h. t.* in eo consistit, ut Episcopus in actu Ordinationis quærat, an ordinandi digni sint, ut eis Ordines conferantur? cui quæstioni olim Archi-Diaconus (ad quem spectabat Ordinandos examinare, dignósque Episcopo ad Ordines præsentare. *c.* 7. *de Offic. Archi Diac.*) respondit: *quantum humana fragilitas nôsse finit, scio & testificor illos dignos esse*, hodie autem quibusdam locis vel Capellanus vel Diaconus respondet Episcopo per eadem verba, P. Engl *h. t. n.* 8.

TITULUS XIII.

De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.

SUMMARIA.

1. *Episcopus renuntians loco rectè confert Ordines.*
2. *Renuntians loco & dignitati nonnisi minores conferre potest.*
3. *Pœnæ ordinati ab ejusmodi Episcopo.*

SUpra in *tit.* 1. *n.* 7. probavimus, Ministrum ordinarium Ordinationis esse Episcopum consecratum. Subsequitur hic quæstio: an etiam Episcopus, qui Episcopatui renuntiavit, Ordines conferre possit? quæ juxta *c.* 1. *h. t.* sub distinctione resolvitur: an Episcopus retenta dignitate locò tantùm, id est, officio & administrationi Episcopali renuntiaverit; an verò, tum loco, tum dignitati & titulo Episcopali, zelô v. g. ingrediendæ Religionis, aut metu promeritæ depositionis? Illo casu vice alterius Episcopi ab eo rogatus rectè quoslibet ordines conferret: quia renuntians manet Episcopus. *c.* 2. *§. sicut de Translat.* Hoc autem posteriore casu cum licentia ordinarii, seu proprii ordinandorum Episcopi licitè & validè dabit Ordines minores, non majores: hos namque qui scienter à tali Episcopo recipit, eorum executione caret, donec S. Pontifex dispensaverit. Secùs est, si quis ignoranter recipiat, tunc enim (nisi crassa & supina fuerit ignorantia) Episcopus dispensare potest, sicut & cum ordinato ab Episcopo depositio vel excommunicato. *c.* 2. *h. t.*

TITULUS XIV.

De Ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum.

SUMMARIA.

1. *Usque.* 8. *Quæ ætas ad singula beneficia sit necessaria?*
8. *Hæsitans de legitima ætate ad beneficium nequit promoveri.*
9. 10. 11. 12. *In præficiendo considerantur natales* 13. *Genus.* 14. *usque* 20. *conditio personæ.* 21. *Morum probitas.* 22. *Scientia.* 23. *Integritas fidei.* 24. *& fama.*
25. *An occulto impedimentô laborans possit acceptare beneficium oblatum?*
26. *Beneficia conferenda sunt dignioribus.*
27. *Laicus est incapax beneficii etsi mox primam tonsuram certò susceperus sit.*
28. *Usque* 35. *Quis & qualis Ordo ad singula beneficia requiratur?*
35. *Num suscipiens simplex beneficium animo non perseverandi in statu Clericali teneatur ad restitutionem fructuum?*

Cum

Cùm ordinati beneficiis Ecclesiasticis præficiendi sint, ideò hic de ætate, qualitate, & ordine ad singula beneficia requisitis agitur.

§. I.

1 *Ætas* pro diversitate beneficiorum variat. Ad *S. Pontificatum* nulla præfinita reperitur; convenienter tamen ante 30. saltem annum non assumitur, eò quòd primum Episcopatum teneat, & munus Patris universalis subeat.

2 *Ad Cardinalatum & Episcopatum* exiguntur anni 30. completi *c. 7. de Elect.* juncto Trid. *sess. 24. de Reform. c. 1.*

3 Ad alia *Beneficia curata: Parochias, Decanatus, Archidiaconatus, Prioratus conventuales, Præposituras, Abbatias*, & similia, quæ curam animarum habent annexam, sufficiunt, & desiderantur 25. anni inchoati. *d. c. 7. §. inferiora. de Elect.*

4 *Ad Personatus, & cateras dignitates*, quibus nulla animarum cura subest, non recipitur minor 22. annis. Trid. *d. sess. 24. c. 12.* cum eo tamen, qui 20. annum complevit, Episcopum dispensare posse, probabiliter tradit Zoësius *h. t. n. 2.* quia antea id concessum fuit per *c. un. h. t. in 6.* neque expressè per Trid. legitur revocatum.

5 *Ad beneficia simplicia*, & inferiora, licèt olim sufficerit septennium, arg *c. 32. de Elect. in 6.* hodie tamen sine dispensatione Sedis Apostolicæ nullus ante annum 14. saltem inchoatum ea obtinere potest, nisi fortè in fundatione beneficii statutum sit, ut in illo etiam minor 14. annis admittatur. Trident. *sess. 23.* 6 *de Reform. c. 6. & ibi* Barb. *n. 2.* Imò si præbenda, portio, aut Canonicatus certum Ordinem requirat necesse est, illum habeat præficiendus; vel certè ejus ætatis sit, quâ intra annum ad ordinem requisitum promoveri queat. Quare cùm de jure Trident. *d. sess. 24. c. 12.* in Ecclesiis Cathedralibus Canonici saltem Subdiaconi esse debeant, promovendus ad minus 21. ætatis annum attigisse debet.

Denique ad *Abbatias, Prioratus*, & quascunque *Præfecturas* Monialium Trident. *sess. 25. de Regul. c. 7.* exigit, ut præficienda non sit minor 40. vel saltem 30. annis, posito, quòd idonea 40. annorum reperiri nequeat. 7

Notat verò Garc. *de Benef. p. 7. c. 4. n. 84.* adeò procedere dicta, ut provisio facta non habenti legitimam ætatem nulla sit, etsi ex ignorantia contigerit, & tantùm dies defuerit, cùm in his, quæ jure determinata sunt, non liceat arbitrari.

Sed quid, si ignoretur ætas ad beneficium requisita, & è duobus altercantibus neget unus, affirmet alter, cui probandi onus incumbit? breviter distingitur: an quis primùm petat; vel an defacto jam obtinuerit beneficium? illo casu, cùm petens in sufficientia ætatis intentionem suam fundet, eam probare debet arg. *l. 43. ff. de Minorib. & l. 9. C. de Probat.* In hoc autem, si alius in contrarium excipiat, ipsi excipienti incumbit onus probandi, tempore provisionis fuisse defectum ætatis, quia tunc provisus habet intentionem fundatam circa ætatem. Mascardus *de Probat. vol. 2. concl. 666. n. 6.* 8

§. II.

Ad qualitatem Præficiendorum *Natales, genus, conditio persona, morum probitas, literarum scientia, integritas fidei, & fama* spectant. 9

Natales: Siquidem I. generaliter omnes filii illegitimi ab Ecclesiasticis beneficiis submoventur, adeò, ut ad beneficia majora, præsertim curata, præter Papam à nullo, ne à Legato quidem de Latere, nisi ex speciali mandato habilitari possint. *c. fin. de filiis Presbyt. c. 1. Eod in 6.* Ad beneficia simplicia verò licèt etiam Episcopo indistinctè concedatur facultas dispensandi cum illegitimis, ad 10

Canonicatus tamen Ecclesiarum Cathedralium, cùm post Trident. requirant ordinem sacrum, ad quem Episcopus illegitimos qualificare nequit, cum iis haud aliter dispensare poterit, quàm si priùs ex pontificis dispensatione ad SS. Ordines admissi sint. Vid. Less. *lib. 2. de J. & J. c. 34. dub. 18.* Azor. *Instit. moral. p. 2. l. 6. c. 3. q. 11.*

11 II. Specialiter, ut paternæ incontinentiæ memoria à locis sacris, quos maximè puritas, sanctitásque decet, longissimè arceatur, circa filios illegitimos Clericorum constitutum est, ne in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcunque etiam dissimile beneficium obtineant, nec in iisdem Ecclesiis quoquo modo ministrent, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, percipiant, quamvis quò ad ordines cum ipsis fuerit dispensatum. *c. 2. 15. & 16. de Filiis Presbyt.* Trident. *sess. 25. de Reform. c. 15.*

12 Imò III. filii legitimi Clericorum, puta ante Clericatum ex legitimo matrimonio nati, etsi in eadem Ecclesia cum Patre beneficia obtinere possint. *c. 12. de Filiis Presbyt.* Patri tamen in eodem beneficio sine dispensatione Papæ immediatè succedere prohibentur, ne beneficia Ecclesiastica videantur transmitti successione quasi hæreditariâ, quam Canones oderunt in Ecclesia DEI. *c. 7. 11. & 17. eod.* Trident. *d. sess. 25. c. 7.*

13 *Genus*, quia SS. Canones à beneficiis excludunt natos ex genere maculato circa fidem, id est, descendentes ab hæreticis, ac fautoribus, & defensoribus eorundem, usque ad secundum gradum per lineam masculinam, & usque ad primum per fœmininam, nisi parentes eorum ante mortem pœnituerint: & Ecclesiæ Catholicæ reincorporati fuerint. *c. 2. §. hæretici. c. 15. de Hæret. in 7.* In Germania tamen ac aliis partibus, ubi hæresis licentiosiùs grassatur, hæc constitutio circa hæreticorum liberos, si ipsi boni Catholici sint, & nihil aliud eis obsistat, recepta non videtur. Confer. Azor. *d. l. 6. c. 4. q. 1.*

Conditio Personæ; circa quam desidero I. ut sit cœlebs: nam conjugatus ad Ecclesiastica beneficia admitti non debet; *nisi fortè castitatem voveat perpetuam, & qui unicam virginem habuerit uxorem*, uti dicitur *in c. 2. de Clericis conjug.*

II. Desidero, ut sit indigena: cæteris paribus enim indigena alienigenæ, id est, oriundus non oriundo, Diœcesanus non Diœcesano præferendus est in beneficio. *c. 12. & seq. dist. 61. l. 11. C. de Episcop. & Clericis.* Nec immeritò: tum propter residentiam, ad quam dulcedine patriæ allecti indigenæ faciliùs quàm exteri inducuntur: tum ob linguæ & idiomatis similitudinem, quâ faciliùs communicantur ad salutem necessaria: tum quia indigenæ; & qui sunt ex eodem loco oriundi, magis amantur & còluntur à populo, quàm exteri. Ex quibus rationibus rescriptum Pontificium seu gratia subreptitia censetur, si extraneus illam impetrans suæ originis mentionem non fecerit, ut notat Glossa & Panormit. *in c. 42. n. 3. de Rescriptis.* quoniam si expressisset suam nationem, potuisset Papam retardare, qui credendus non est, quòd præficere velit extraneos, quàm diu indigenæ idonei reperiuntur. arg: *c. 4. circa fin. de Postulat. Prælat.*

III. Desidero, ut sit vel Clericus sæcularis, vel regularis pro qualitate beneficii: quoniam si beneficium sæculare & hactenus sæcularibus Clericis conferri solitum sit, quantumvis collatio, præsentatio, vel institutio ad Abbates spectet, non potest propterea hujusmodi beneficium uni suorum Regularium conferre, sed sæculari conferendum est. *c. 5. de Prabend. in 6.* Econtra beneficium regulare, quod scil. vel ex prima fundatione, vel ex consuetudine, aut

aut præscriptione Religiosis hactenus collatum est, ut ordinarie est Prioratus, Præpositura, Capellania Ecclesiæ Regularis, non solùm potest, sed debet Religiosis conferri: neque enim Clericus sæcularis capax est beneficii regularis, nisi habitum illius Religionis, ad quam beneficium spectat, suscipere, & professionem emittere velit. Trident. *sess.* 14. *de Reform. c.* 10. *Clem. un. de Supplenda negl. Prælat.* Hinc regula nata est, quòd beneficia regularia regularibus, & sæcularia sæcularibus conferenda sint.

17 Excipitur: nisi vel Ecclesiæ utilitas, vel salus animarum contrarium suadeat, & unius generis defectum ex altero supplere oporteat: nam in defectu Clericorum sæcularium ad beneficia sæcularia curata Regulares quoscunque etiam sine dispensatione præsentari posse & admittendos esse, evincunt. *c.* 5. *de Statu Monach. c.* 21. *&* 31. *causâ* 16. *q.* 1. Trident. *sess.* 14. *de Reform. c.* 11. P. Engel *ad Tit. de Capellis Monach. num.* 4. *& seqq.* ipsáque Ecclesiæ praxis. Atque inde quoque factum est, quòd olim multæ Parochiæ fuerint Monasteriis incorporatæ etiam cum libera imposterum facultate exponendi Clericos seculares vel regulares. Similiter fieri potest, ut in defectu Regularium ad beneficia regularia Clerici sæculares promoveantur. *c.* 5. *de Religiosis domib.* observato tamen certo ordine: nimirùm, ut beneficia Regularia imprimis conferantur ejusdem cœnobii Religiosis, si idonei adsint. *c.* 32. *§. prohibemus de Prabend. in* 6. sin minùs, advocentur alterius Monasterii Religiosi ejusdem ordinis; quodsi & illi deficiant, substituantur alterius Ordinis; & tandem deficientibus omnibus Regularibus Clerici sæculares. Tambur. *de Jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 6. *n.* 7. & communiter DD. idque satis probatur ex *c. relatum* 7. *Ne Clerici vel Monachi.* ubi statuitur, casu quo aliquando Religiosi propter indisciplinatam vitam è monasterio suo ejici mereantur, quòd in illud non priùs alterius Ordinis Religiosi inducendi sint, quàm si ex suo Ordine assumptis aliunde Religiosis Monasterium reformari nequeat.

Frequens in praxi, & connexa *quæstio* est, 18
an Religiosus à suo Prælato compelli possit ad acceptandam Parochiam, vel aliud beneficium? In qua distingendum est inter beneficia. Etenim si beneficium vel Parochia pleno jure Monasterio incorporata sit, adeóque provisio ejusdem immediatè ad Monasterium spectet, ac in ejus commune bonum redundet; sicuti ordinariè finis hujusmodi incorporationum & unionum est, ut Religiosi in Monasterio aliquid lucri percipiant, aut in majori numero DEO servire possint, hoc, inquam, casu omnino Religiosus cogi poterit, & jubente Abbate ex obedientia tenebitur acceptare tale beneficium, etsi redditus tenues habeat, modò in alimentis necessariis defectum pati non debeat: quia Religiosus tenetur obedire Abbati in omnibus, quæ vel ad observantiam regulæ, vel ad bonum commune Monasterii pertinent, teste D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *a.* 5. Econtra si beneficium vel omninò sæculare, vel regulare quidem sit, sed ad alium Ordinem, vel Monasterium spectet, ad id suscipiendum cogi nequit, ut cum pluribus docet Tamburin. *d. disp.* 9. *q.* 9.

IV. In *persona* præficienda desidero, ut 19
priùs non habeat aliud beneficium: habens enim unum certum beneficium eo ipsô inhabilis censetur ad aliud obtinendum juxta *c.* 6. 7. 14. 5. 18. *&* 28. *de Prabend.* & præsertim juxta *extrav. execrabilis* Joann XXII. *Eod.* item Trident. *sess.* 24 *de Reform. c.* 17. Cum quo tamen haud pugnat, quin in certis casibus ob circumstantias & rationes particulares per dispensationem, vel etiam sine dispensatione uni eidémque plura beneficia con-

ferri queant, saltem si compatibilia sint, ut dicemus *in Lib. III. tit. 5. §. 3.*

20 V. Desidero, ut sit immunis ab omni irregularitate, & censura, nempe excommunicatione, suspensione, & interdicto personali. *c is, qui* 18. *§. is verò de Sentent. excomm. in 6. c. 1. & fin. de Clerico excomm.* Latè Zoës. *de Prabendis à n.* 44.

21 *Morum probitas* à beneficiis submovet criminosos, id est, talis criminis reos, quod depositionem meretur, vel infamiâ notatur, vel censuram, aut irregularitatem inducit, vel ad Judicem per accusationem, denuntiationem, vel inquisitionem est delatum, vel quodlibet aliud peccatum grave publicum, ob quod delinquens in aliorum offensionem incurrit, si necdum publicè emendatum sit. *c. 3. §. criminis autem & ibi* Gloss. *V. unde dist. 25. c. 17. causâ 6. q. 1. c. fin. de Cohabit. Cleric. & mul.* Nam licèt quodvis peccatum grave occultum impediat etiam à promotione ad beneficia, cùm sit indignus, quamdiu in eo persistit, ipsa tamen promotio seu collatio beneficii non est ipso jure irrita; cùm per pœnitentiam tolli possit, & nullus Canon existat irritans adeptionem beneficii ob peccatum occultum Conf. Azor. *Instit. Moral.. p. 2. lib 6. c. 7. q. 1. & 11.* & ea quæ supra *in Tit. de Elect. §. 4. n. 39. & seqq.* diximus.

22 *Literarum scientia* repellit illiteratos *c. fin. & ibi* Gonzal. *n. 4. & 5. h. t.* Si enim in Laicis vix tollerabilis videtur insciția, quantò magis in iis, qui præsunt in Ecclesiâ *c. si in Laicis 3. dist. 38.* Eâ autem doctrinâ pollere debent, quæ necessaria est ad executionem officii, quòd cùm beneficio recipiunt: unde Episcopos, Pœnitentiarios, Scholasticos, & Archidiaconos, ubi fieri potest, oportet esse Doctores aut Licentiatos S. Theologiæ, vel Juris Canonici; aut saltem habere sufficiens doctrinæ testimonium ab aliqua Academia, vel si regulares sint, à suis Superioribus. Trident. *de Reform. sess. 22. c. 2. sess. 23. c. 18. v. de cætero sess. 24. c. 8. & 12.* Ubi etiam hortatur S. Synodus, ut dignitates omnes & dimidia saltem pars Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus Magistris tantùm & Doctoribus aut Licentiatis in Theologia vel Jure Canonico conferantur; quæ admonitio si in praxi observaretur, haberent utique multi Doctores, quod sperarent. An verò Theologus in promotione ad Beneficia & dignitates Ecclesiasticas sit præferendus Canonistæ, vel hic illi? in utramque partem disputatur. Ego litem meam non facio.

Integritas fidei in præficiendo requirit, ne sit neophytus, id est, ex Judaismo, & paganismo recenter ad fidem Christianam conversus, & baptizatus. *c. 1. dist. 48.* qui tamen, postquam moribus & disciplinâ Christianâ sufficienter instructus fuerit, præfici poterit: nam sicut tempore infidelitatis extra jurisdictionem Ecclesiæ constitutus defectu baptismi ob infidelitatem puniri non poterat, ita nec post susceptum baptisma & post completam institutionem in fide & moribus impediri debet à Beneficiis.

Fama: enim verò apud omnes liquet, infamem ad Beneficia assumi non posse per *c. infames 17. causâ 6. q. 1. c. 11. de Excess. Prælat. c. 87. de R. J. in 6.* Et certè cùm ad sæculares honores infamibus non pateat aditus. *l. 2. C. de Dignitatib.* multò minùs admitti debent ad Ecclesiasticas, ac Cœlestes dignitates. *c. miramur 5. dist. 61.* idque verum est, sive sint infames infamiâ juris, id est per legem vel sententiam Judicis inflictâ; sive infamiâ facti, seu populari ob publicam notitiam commissi criminis. Azor. *d. l. 6. c. 7. q. 3.*

Denique cùm ad beneficia Ecclesiastica, præsertim majora tantùm admittantur in Ordinibus constituti, ideo eædem qualitates, quas *in Tit. de Temporib. Ordinat. §. 4.* in or-

di-

dinando requisivimus, etiam in præficiendis requisitæ intelliguntur per *c.* 13. *h. t.*

25 *Dubitari* non nihil potest, si occulta sit irregularitas, vel inhabilitas, ob quam quis præfici nequit, an absque dispensatione liceat oblatum beneficium acceptare, ac retinere? Id quod nego per Text. *in c.* 20. *de Elect.* ubi de illegitimo electo S. Pontifex dicit, eum maluisse suum confiteri reatum, *quàm lesâ conscientiâ thronum conscendere pastoralem.* Cujus ratio est: quia Canones constituentes hujusmodi impedimenta sunt justi in foro externo, consequenter etiam in interno. Neque hinc sequitur, quòd quis seipsum infamare debeat, cùm possit beneficium non petere, aut oblatum repudiare, saltem ordinariè loquendo. Quod addo: quia non negandum, fieri posse, ut beneficium alicui deferatur, quòd facilè non possit recusare, nec occultam inhabilitatem aliquam sine infamatione sui manifestare: quo casu probabiliter licet statim accipere beneficium, & tum datâ occasione dispensationem impetrare, eò quòd Canones, & constitutiones Ecclesiasticæ non obligent ordinariè cum tanto incommodo. Confer. P. Engel *ad Tit. de Prabend. n.* 63. & Layman *in qq. can. de Pralat. Elect. q.* 59.

26 Cæterùm ex pluribus idoneis magis idoneus præficiendus est sine acceptatione personarum, nec habitâ ratione cognationis, aut notabilitatis. *c. penult. de Prabend. c. un. Ut Ecclesiast. benef. sine dimin. conser.* Trident. *sess.* 24. *de Ref. c.* 1. Si tamen cum nobilitate, aut cognatione merita concurrant, nihil vitii est, nobilem ignobilt, cognatum externo præferre. Quin etiam promotio ex carnali affectu facta de digno omisso digniore subsistit, & nec promovens, nec promotus ad restitutionem tenetur præterito, utpotè cui nihil juris erat ad beneficium. Covar. *in Regula peccatum p.* 2. §. 3. *n.* 6.

§. III.

Quod ad *Ordinem* præficiendorum attinet, certum est, quod nemo sine Clericatu, seu prima saltem Tonsura ad beneficia promoveri queat. *c. ex literis* 6. *de Transact. c.* 2. *de Instit.* nam Laici omnium beneficiorum Ecclesiasticorum incapaces sunt propter spirituale officium & ministerium semper & ex natura rei beneficiis annexum. *c. fin. de Rescript. in* 6.

Num verò valeat beneficii impetratio & 27
adeptio, si consequens tempore collationis adhuc quidem Laicus, sed mox primam Tonsuram recepturus sit, ambigitur? Siquidem cinctus miles censetur; qui confestim est miles cingendus per *l. filiusfam.* 43. *ff. de Militari testam.* ideóque etiam nunc pro Clerico videatur habendus, qui Clericus statim evadet. At magis est, ut censeam non valere: cùm námque ab initio, utpotè Laico facta, non valeat juxta *jura allegata*, consequenter lapsu temporis convalescere non potest; quia non firmatur tractu temporis, quod jure ab initio non subsistit *c.* 18. *de R. J. in* 6. Neque in substantialibus cingendus habetur pro cincto; alioquin enim cras v. g. ab excommunicatione certò absolvendus, hodie quo ad effectus juris pro absoluto habendus esset, quod nemo concedit. Vallensis *h. t. §.* 3. *n.* 8. *in fine.*

Porrò ad Episcopatum requiritur, ut eli- 28
gendus sacrô saltem Subdiaconatûs Ordine 6. mensibus ante electionem initiatus fuerit. *c.* 9. *h. t.* Trident. *sess.* 22. *de Reform. c.* 2.

Ad alias Prælaturas inferiores, ut Abbatias, 29
etsi non sit necessarium, ut promovendus actu aliquem sacrum Ordinem habeat. *c.* 10. *h. t.* requiritur tamen, ut intra annum numerandum à die adeptæ possessionis Sacerdotium suscipiat, aliàs ipso facto privatus existat. Text. & Barb. *in c.* 1. *h. t.* ubi id ipsum non 30
tantùm ad Abbates, sed etiam ad Præpositos,

Decanos & Archi-Presbyteros extenditur; sicut & ad Priores Conventuales, per *Clem. ne in agro* 1. *§. cæterùm de Statu Monach.*

311 itemque ad Parochos *c. licèt* 14. *& c. commissa* 35. *de Elect. in* 6. adeò quidem, ut si intra annum à die commissi sibi Regiminis ad Sacerdotium non ascenderint, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ etiam præmissâ monitione, & ita ipsô factô ante sententiam Judicis privati sint, nisi fortè, (quod *ibidem* additur) legitimô impedimentô detenti ad Sacerdotium volentes pervenire nequiverint. Imò is, qui ab initio parochiale beneficium suscipit animô intra annum non recipiendi Sacerdotium, non tantùm mortaliter peccat, sed ad restitutionem quoque omnium fructuum perceptorum tenetur. *d. c.* 35. §. *cæterùm de Elect. in* 6. Azor. *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 6. *c.* 8.

329 10. *& c.* 9. *per tot.* Planè actu in Parocho, dum Parochiale beneficium in titulum suscipit, sufficit Subdiaconatus; & in Minoribus quoque tantùm constituto dispensativè Parochia in titulum dari potest, modò habilis sit, ut intra annum Sacerdos fieri possit. *c.* 5. *h. t. c.* 2. *de Instit. in* 6. Notanter dixi: *in titulum*: quia in commendam dari non potest Ecclesiam parœcialem, non constitutis in Sacerdotio, textus est expressus *in c. nemo* 15. *de Elect. in* 6.

333 Ad reliqua Beneficia, præsertim simplicia nullus certus Ordo actu requiritur, sed sufficit prima Tonsura. Nec obstat, quòd Canonicatus Beneficiis simplicibus annumerentur, & tamen in Trident. *sess.* 24. *de Reform. c.* 12. statutum reperiatur, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones annexum habeant Ordinem Presbyterii, Diaconatûs vel Subdiaconatûs, ita ut dimidia saltem pars Canonicorum Presbyteri sint, cæteri verò Diaconi vel Subdiaconi: nam licèt beneficium aliquod ex institutione vel statuto requirat certum aliquem Ordinem, attamen semper necesse non est, ut promovendus actu habeat illum ordinem, quem beneficium exigit, sed satis est de Jure communi, si intra annum justo impedimento cessante se promoveri faciat ad ejusmodi Ordinem. *Clem* 2. *h. t.* & confirmat Trid. *sess* 22. *de Reform. c.* 4. ubi præcipit, ut ii, qui dignitates, personatus, &c. obtinent, aut imposterum obtinebunt, quibus onera varia annexa sunt, videlicèt, ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant, seu cantent, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos. Notat verò Layman *in Theol. moral. lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *n.* 2. dicta procedere, nisi aliud exprimatur, aut ex fundatione, vel etiam ex statuto, aut consuetudine speciali requiratur, ut quis tempore promotionis actu habeat Ordinem beneficio annexum. Et hoc est, quòd etiam docet noster Panormit. *in c. cùm in cunctis. §. inferior an.* 10. *de Elect.* his verbis: *Si beneficium habeat Ordinem annexum, si illa annexio est respectu aptitudinis, requiritur, ut promovendus tempore suæ promotionis habeat eam ætatem, ut infra annum possit ad illum Ordinem ascendere, non tamen requiritur, ut actu habeat illum Ordinem. Aliquandò verò est annexio respectu actûs, & tunc necessariò requiritur, ut qui promovetur, tempore promotionis actu illum Ordinem habeat.* Undè autem colligi possit, an actu, vel, ut ita dicam, aptitudinaliter tantùm Beneficio annexus sit Ordo. Vid. Vallens. *h. t.* §. 3. *num.* 5. *in fine.*

Lubet subjungere, an teneatur ad restitutionem fructuum, qui simplex beneficium, v.g. Canonicatum accipit cum intentione determinata non manendi in Statu Ecclesiastico, nec ordinem suo muneri necessarium suscipiendi? Existimaveris cum Gabriele *in* 4. *dist* 15. *q.* 8. *a.* 3. *dubio.* 1. teneri: quia licèt *d. c. commissa* 35. §. *cæterùm de Elect.*

in

in 6. solùm decernat, ut qui ad Parochialem Ecclesiam promoventur, cùm tamen animo proponant ad Sacerdotium intra annum non ascendere, restituant fructus, quos interim ex beneficio perceperint, tamen ratio in textu tradita, nempe fraudulenter recipi fructus non habita intentione recipiendi ordines, procedit etiam in beneficio simplici: neque enim in simili casu adest justus titulus percipiendi, & sibi appropriandi fructus ex beneficio, dum suscipitur contra mentem Fundatoris & Collatoris. Nihilominùs probabile puto, eum, qui beneficium simplex accipit eò tantùm animò, ut ejus fructibus alatur, ut opulentam postea ducat uxorem, &c. non obligari ad restitutionem fructuum, si interim suo muneri satisfacit, sive per se, sive per alium: cùm nusquam in jure id statutum sit. Neque dispositio *c. commissa.* extra suum casum extendi debet, sed mitiùs & benigniùs est interpretanda, ita ut in cæteris *Beneficiis locum non obtineat;* maximè quòd multò leviùs delictum sit, recipere beneficia simplicia absque intentione assumendi Ordines sacros, & cum voluntate relinquendi statum Clericalem, quàm Parochialia. Ita Sotus *lib.* 10. *de Just. q.* 5. *art.* 6. *concl.* 1. Zoël. *ad Tit. de prabend. num.* 33. & alii.

TITULUS XV.
De Sacra Unctione.

SUMMARIA.

1. *Quid sit sacra Unctio?*
2. *Quis possit ungere? 3. usque 17. Quis ungi?*
10. *Hæsitans an fuerit confirmatus, denuò sub conditione confirmari potest.*
12. *Ægrotanti non est applicanda extrema Unctio, nisi adsit probabile periculum vitæ.*
13. *Si dubitetur, an æger adhuc vivat, sub conditione danda est S. Unctio.*
17. *Materia unctionis est oleum sacrum.*
18. *Utrùm Chrisma sit de substantia Sacramenti confirmationis.*
19. *Oleum profanum commixtum sacro, fit sacrum, licèt in majori quantitate commixtum sit.*
20. *Forma & solennitates S. Unctionis remissiùs?*
21. *Effectus S. Unctionis.*

JUxta antiquissimam Ecclesiæ cæremoniam in Ordinandis & præficiendis nonnunquam adhibetur sacra Unctio; nec alia ratio est, cur hoc loco titulus iste inferatur.

§. I.

Definitur sacra Unctio, quòd sit delibutio facta per materiale & sacrum Oleum juxta formam ab Ecclesia præscriptam. 1

§. II.

Causa efficiens sacræ Unctionis est Minister inungens, puta S. Pontifex, Episcopus, Presbyter, vel alius ungendi potestatem habens. Colligitur ex *c. un. §. per frontis. h. t.* 2

§. III.

Subjectum sacræ Unctionis est inungendus. Solent autem inungi *Papa, Episcopus, Sacerdos, Imperator, & Reges, Baptizandus, Confirmandus, Infirmus, Ecclesia, Altare, & Calix.* 3

Papa Chrismate ungitur in capite: quia personam Capitis, scil. Christum in Pontificali officio repræsentat. *c. un. §. unde in fin. h. t.* 4

Episcopus itidem Chrismate inungitur à Metropolitano vel Papa in capite & manibus *d. c. un. §. scire ℣. hoc unguento.* 5

Sacerdos inungitur ab Episcopo in ambabus manibus simul junctis in modum crucis, & cum oleo Catechumenorum. Pontificale Rom. *de Ordinat. Presbyteri.* Hostiensis *in Summa h. t. n.* 3. 6

Imperator & Reges in veteri quidem Testamento inungebantur in capite, at post adventum Christi, (qui est Caput totius Ecclesiæ, cujúsque personam repræsentant summi Pon- 7

Pontifices & Episcopi) oleo Cathechumenorum solùm inunguntur in dextro brachio, sive humero vel in armo: quia in his partibus potissimùm designatur principatus juxta illud Isaiæ. 9. *factus est principatus super humerum ejus d. c. un. §. unde.* Et quidem Imperator & Rex Romanus inungitur à S. Pontifice, vel ab alio Episcopo, quem is delegaverit. *c. venerabilem 34. de Elect.* Reges Hierosolymitanos solet ungere Patriarcha Jerosolymitanus: Reges Franciæ Archi-Episcopus Rhemensis: Angliæ Archi-Episcopus Cantuariensis: Bohemiæ Archi-Episcopus Pragensis: alios alii Metropolitani, vel Episcopi, aut Cardinales, quos vel S. Pontifex delegat, vel qui longævâ consuetudine aut constitutione speciali regni hanc prærogativam sunt adepti. Barthol. Cartagena *in h. t. observ.* 2. Azor. *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 10. *c.* 5. *q.* 2.

8 *Baptizandus* quater injungitur à Sacerdote baptizante: bis ante Baptismum oleo catechumenorum; primum in pectore, deindè inter scapulas: & bis post Baptismum Chrismate sacro: primum in vertice, demum in fronte *d. c. un. §. quia verò h. t.* ubi harum unctionum ratio, & cur in dictis partibus fiant, redditur.

9 *Confirmandus* Chrismate inungitur in fronte facto signo crucis sub præscripta verborum forma. Etsi verò solus Episcopus sit Minister Ordinarius hujus unctionis, ut apertè deciditur *in sape d. c. un. §. per frontis.* ex delegatione tamen S. Pontificis ob causam rationabilem etiam per simplicem Sacerdotem administrari posse, satis constat ex *c.* 1. *dist.* 85. ubi Papa Gregorius M. ait: se concedere, ut Presbyteri ad evitandum scandalum, ubi desunt Episcopi, baptizatos in fronte Chrismate inungere possint.

10 Num hæsitans, an fuerit confirmatus nec ne, denuò Chrismate inungi, & sub conditione confirmari possit, ambigitur? Affirmo cum Bonacina *de Sacram. disp.* 3. *q. un. p.* 4. *n.* 10. nam cùm vi Sacramenti Confirmationis conferatur gratiæ plenitudo, & robur ad fidem contra Tyrannos tuendam, tanto fructu privandus non erit, qui pensatis omnibus anceps est, illúdne receperit, vel non: maximè, quia conditionalis collatio tollit omne periculum invaliditatis, quatenùs intentio Ministri est, non conferre Sacramentum, si confirmandus illud receperit. Non tamen negaverim, majus dubium requiri ad reiterandum etiam sub conditione hoc Sacramentum, quàm illud Baptismi: quippe cùm ex una parte Sacramentum confirmationis sit iterabile, sicut Baptismus, & ex alia parte sit minoris necessitatis. Unde licèt ad rebaptizandum sub conditione sufficiat quodcúnque leve dubium, modò sit irrationabile, non tamen sufficit ad reiterandam confirmationem.

Infirmus & periculosô morbô oppressus, quando recipit extremam Unctionem, oleo infirmorum inungitur in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, & more quarundam Ecclesiarum etiam in renibus, scapulis & pedibus. Vallensis *h. t.* §. 3. *n.* 3. Debet autem hæc Unctio fieri à Sacerdote, vel ab Episcopo juxta *c. illud dist.* 95. & Trident. *sess.* 14. *de Sacram. Extrema Unct. cap.* 3. *& can.* 4.

Dubitatur I. licitène ægrotans perungatur si de ejus vitæ periculo probabile judicium ferri nequeat? & quamvis sint, qui in tali casu Sacramentum extremæ Unctionis sub conditione: *si es capax &c.* conferendum existiment, eò quòd hoc pacto nulla irreverentia Sacramento fieret, & conditione positâ periculo irritationis non exponeretur, ægrotúsque sufficienter adjuvaretur, si fortè in periculo mortis sit constitutus; verior tamen videtur sententia Layman. *lib.* 5. *tr.* 8. *c.* 4. *n.* 4. Qui negat in tali dubio Sacramentum esse applicandum: quia si infirmitas est talis ut probabile vitæ periculum non comitetur,

signum

signatum est, non esse talem, quæ Sacramentum hoc differri aliquantulum non permittat, ad hoc, ut ipsius infirmitatis progressu innotescat status ægroti, & judicium de ipsa infirmitate à Medicis, seu aliis peritis certiùs ferri valeat, dilatione enim omnia ista componuntur. Interim, cùm infirmi salus non periclitetur, adeóque nulla necessitas urgeat, non decet, ut Sacramentum hoc conditionatè conferatur. Ex quo ruit fundamentum contrariæ opinionis: hoc ipso namque Sacramento irreverentia irrogaretur, si absque sufficiente necessitate sub conditione applicaretur. Planè si ægritudinis conditiones tales sint, ut possint probabile indicium, timoremque de periculo mortis generare, licitè ministrabitur S. Unctio, ut insinuat Florentinum in *Decreto Eugenii*, cùm ait, *dari debere eis, de quorum morte timetur.*

13 *Dubitatur II.* An ægroto in dubio, num vivat, sub conditione Sacramentum extremæ unctionis conferendum sit? Ratio dubitandi est: quia ex una parte hoc Sacramentum non est necessarium, ut medium ad salutem, ex alia verò parte, si ille Sacramentaliter inungatur, exponitur periculo irritum faciendi Sacramentum, cùm, si revera infirmus ille sit mortuus, frustra applicetur unctio. Nihilominùs communis sententia sustinet, talem ægrotum sub conditione liniendum esse. Bonacina *de Sacram. disp. 7. q. 5. n. 9.* Siquidem etiamsi demus ægrotum Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ adjutum esse, vi hujus tamen Sacramenti speciales causantur effectus, quos alia Sacramenta non tribuunt, quósve explicat Trident. *sess 14. de Extrem. Unct. c. 2.* ergo, ne iisdem infirmus privetur, præsertim in eo articulo, charitas impellit, ut illi hâc viâ succurratur. Taceo, quòd, si forsitan talis ægrotus mortali culpæ obnoxius, de eáque solum attritus foret, sine hoc Sacramento mortuus damnaretur, adhibito autem ob causatã gratiam sanctificantem deletâ illâ culpâ salvaretur. Ad rationem dubitandi respondeo; quamvis hoc Sacramentum ex sui institutione non sit medium necessarium ad salutem, cùm tamen tot bona infirmis afferat, magis præponderat charitas, ut casu illo subveniamus, quàm illud periculum irritationis, facilè evitabile, si conditionatè Unctio sacra peragatur.

Ecclesia ab Episcopo in parietibus chris- 14
mate inungitur, cùm dedicatur *d. c. un. §. ungitur. h. t. c quamvis dist. 68. c. nemo dist. 1. de Consecrat. in parietibus*, inquam, unde, quod obiter hìc noto, si tectum, fornix, tabulatum &c. decidant, non est opus, consecrationem repetere. *c. ligneis de Consecrat. Eccles.* Secùs, si parietes corruant, comburantur, abradantur, aut decrustentur, vel penitùs vel saltem ex majori parte. *c. Eccles. dist. 1. de Consecr.* Et ratio est: quia teste P anorm. *in c. proposuisti de Conseo. Eccles.* consecratio velut in subjecto consistit in superficie parietum, qui chrismate liniuntur.

Altare, cùm consecratur, ab Episcopo in- 15
ungitur priùs oleo simplici, & deinde chrismate in cornibus. *c. 32. dist. 1. de Consecrat.* Hinc si frangantur illa cornua, juxta multorum sententiam altare desinit esse sacrum. Dissentit Layman *in Theol. Mor. de Sacrificio missæ c. 6. n. 5.* eò quòd consecratio intelligatur inesse toti Altari, & in majori ejus parte capiendo calici idonea confervari.

Denique *Calix*, quando ab Episcopo, alió- 16
ve privilegiato benedicitur, chrismate jungitur in superficie. Ex quo aliqui probabiliter concludunt, ipsáque praxi receptum esse testatur Layman, quòd calix argenteus, si post consecrationem inauretur, consecrationem amittat, & de novo consecrari debeat. Azor. *Instit. Moral. p. 1. lib. 10. c. 28.* sicut & tunc, quando calix à principio inauratus, postea auro per usum amisso, rursus interiùs deauratur,

maximè quò ad illam superficiem, quà tangit sacrum sanguinem. P. Engl *ad Tit. de Consecrat. Ecclesia n.6.* Quamvis Diana *p.2. tr.15. resol.3.* Æquè probabiliter contrarium defendat.

17 *Materia* sacræ Unctionis est oleum sacrum & benedictum. Triplex autem oleum distinguitur, scil. oleum Catechumenorum, quod præcipuè inservit in Baptismo; oleum Infirmorum, quod inservit in Extrema Unctione; & Chrisma, quod adhibetur etiam in Baptismate, in Confirmatione, in Consecratione Episcopi, Altarium, Calicum, & Ecclesiæ. Priora duo materialiter, & in substantia non differunt, cùm sint simplex oleum olivarum ab Episcopo benedictum, diversis tamen & specialibus benedictionibus. Unde si Sacerdos casu & per errorem oleo Catechumenorum ungeret infirmum, Sacramentum Extremæ Unctionis validè conferretur, nihilque repetendum esset. Chrisma verò etiam conficitur ab Episcopo, sed ex oleo simul & balsamo.

18 Illud hìc indagandum est; num Chrisma sit de substantia, & necessitate Sacramenti Confirmationis? Affirmant Theologi cum D. Thom. *p.3. q.72. a.2.* Negant. Covar. *l.1. V. R. c.10. n.4.* Navar. *in Man. c.22. n.8.* aliique complures; quos sequor: quia Innocent. III. *in c.1. de Sacr. non iterandis.* dissertè rescribit, in casu, quo confirmandus solò oleò unctus est, *non esse aliquid iterandum* (sicut tamen iterari deberet, si Confirmatio laboraret substantiali defectu, & consequenter nulla foret) *sed tantum cautè supplendum, quòd incautè fuerat prætermissum.* Accedit, quòd S. Pontifex iisdem verbis respondeat ad casum propositum, & ad illum, quo sine impositione manuum fuit quis Subdiaconus ordinatus; atqui iste defectus in Subdiaconatu tantùm est accidentalis, non immutans materiam, aut formam substantialem, ut patet. Ergo idem dicendum erit de casu proposito; præsertim cùm in *cit. c.1.* Papa in plurali & ad utrumque casum rescribat, non verò tantùm de Subdiaconatu loquatur. Ea, quæ pro contraria sententia à Theologis adducuntur, & Chrisma requirere videntur, convenienter intelligi possunt de necessitate præcepti.

Quid verò illud est, quod Pontifex jubet suppleri? non hoc, ut unctus oleò, jam etiam ungatur balsamò: quia non fuit à Christo institutum, nec unquam in Ecclesia usitatum, ut quis solo balsamo ungeretur. Ergo hoc, ut jam ungatur Chrismate. Quomodo autem sine nova unctione, adeóque iteratione Confirmationis Chrisma applicari poterit? R. reiterationem impediendam esse per intentionem confirmantis: si nempe postmodum inunctio fiat cum Chrismate ex intentione tantùm supplendi defectum, non verò absolutè conferendi, vel iterandi Sacramentum.

Cæterùm adverte, quòd, tametsi oleò sacrò affundatur oleum profanum, illud per hoc non execretur, sed hoc per illud sacrum fiat. *c.3. de Consecrat. Eccles. vel alt.* Quod & de commixtione aquæ benedictæ cum profana docuit Diana *p.11. tr.3. resol.15.* Ne tamen autumes hinc sequi, quòd etiam vinum non consecratum admixtum cum consecrato transeat in sanguinem Domini: Dispar enim est ratio: quia vis convertendi vinum in sanguinem Christi non est concessa mixtioni, sed verbis Consecrationis, quæ non operantur, nisi quando proferuntur physicè, & circa materiam tunc præsentem; nec est simile in aqua & oleo benedicto: cùm illa benedictio nullam immutationem faciat in substantia aquæ, aut olei, sicut facit consecratio circa vinum S. Thom. *3.p. q.77. a.8.*

Sed quid si oleo consecrato admisceatur major quantitas olei non consecrati, fiatne tunc quoque totum sacrum? in negativam pro

propendet Diana *d. resol.* 15. Ego pronior sum in affirmativam, eò quòd virtus & dignitas partis sacræ trahat ad se totum non sacrum, modò sit ejusdem speciei: nam juxta rectam Philosophiam, quando duo liquores, qui admiscentur, sunt ejusdem speciei, habentque qualitates valde similes ejusdem virtutis, & vigoris, ut duo vina alba, vel duo olea, ex admixtione nulla fit corruptio, nec resultat aliquod tertium, sed unio duntaxat & continuatio illarum partium. Consultum tamen est, ut oleum profanum non statim in æquali, aut majori quantitate consecrato admisceatur, sed ut additio sensim fiat: tunc enim semper censetur idem esse, quod immediatè ante fuit.

§. V.

20 *Forma* sacræ Unctionis alia est essentialis, alia accidentalis. Essentialis stat in solenni illa verborum conceptione, quibus Episcopus vel Presbyter in ungendo utitur. Accidentalis consistit in modo, cæremoniis, & solennitatibus harum inunctionum; quæ ex Pontificali Romano & Ecclesiæ praxi desumi possunt.

§. VI.

21 *Finis* & *Effectus* sacræ Unctionis pro ejusdem diversitate variat. Potissimus autem & potentissimus est augmentum Divinæ gratiæ ad exequendum rectiùs ea, quæ cujusque Ordinatio, dignitas & conditio requirit; vel arctatio diabolicæ potestatis.

TITULUS XVI.
De Sacramentis non iterandis.

SUMMARIA.

1. Sacramenti definitio. 2. 3. & divisio.
4. Sacramentorum Author est Christus.
5. Minister ordinarius. 6. & subjectum homo fiator.
7. Qua materia. 8. Qua forma. 9. Quis finis Sacramentorum?
10. Effectus Sacramentorum.
11. Baptismus Confirmatio, & Ordo impunè non iterantur. 12. Nisi prudenter dubitetur, an valide collati sint.

PORRÒ quia Ordo est Sacramentum, quod iterari nequit, ideò in genere hic agitur de Sacramentis Novæ-Legis, eorúmque iteratione.

§. I.

Definitur Sacramentum, quòd sit invisibilis gratiæ visibilis forma. *c. sacrificium 32. de Consecrat. dist. 2.* Vel explicatiùs: quòd sit sensibile signum invisibilis gratiæ ad nostram justificationem divinitùs institutum. 1

§. II.

Dividuntur Sacramenta Novæ Legis juxta præsentem *Rubricam* in iterabilia, & initerabilia. Iterabilia, quæ scil. sæpiùs suscipi possunt, sunt quatuor: *Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio,* & *Matrimonium.* quia hæc solùm conferunt gratiam facilè amissibilem, ideóque reiteratione Sacramenti recuperabilem. Initerabilia sunt tria: *Baptismus, Confirmatio,* & *Ordo.* Quia hæc ultra gratiam sanctificantem etiam imprimunt characterem indelebilem in anima suscipientis. Trident. *sess. 7. de Sacrament. in gen. can. 9.* 2

II. *Dividi* solent in Sacramenta mortuorum & vivorum. Sacramenta mortuorum sunt duo: *Baptismus* & *Pœnitentia:* quia per se conferunt gratiam primam, adeóque prosunt homini spiritualiter *mortuo* in peccato mortali, originali, vel actuali. Per accidens tamen hæc Sacramenta sæpe conferunt gratiam secundam. Sacramenta vivorum sunt quinque: *Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo,* & *Matrimonium:* quia per se conferunt gratiam secundam, seu augmentum gratiæ præexistentis; adeóque prosunt solùm homini jam *vivo* spiritualiter, seu existenti in statu gratiæ, quamvis eadem per 3

accidens quandoque conferant gratiam primam. Ita Theologi omnes.

§. III.

4 *Causa efficiens* Sacramentorum Novæ Legis est vel principalis, vel instrumentalis.

Principalis est Christus, ipsum namque omnia Sacramenta instituisse, est de fide sæpiùs definitum in Trident. *sess.* 5. 6. 7. 13. 14. præsertim verò *sess.* 7. *de Sacram. in gen. can.* 1. ubi dicitur anathema in eos, qui dicunt Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia à JESU Christo Domino nostro instituta.

5 *Instrumentalis* est Minister. Est autem minister Ordinarius Sacramentorum solus homo viator non tamen omnis, sed qui ad hoc in Ecclesia ritè ordinatur & potestatem accipit. *Prima* pars colligitur ex facto Christi, qui *Matth. ultimò* solis hominibus viatoribus dedit potestatem baptizandi; & *Luc.* 22. conficiendi Eucharistiam: & *Joan.* 20. remittendi peccata. *Secunda pars* constat tum ex Trident. *d. sess.* 7. *Can.* 10. ubi damnatur, qui dixerit, Christianos omnes in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem: tùm ex communi sensu DD. & praxi Ecclesiæ, quâ docemur, etsi quilibet homo sit sufficiens minister Baptismi propter summam ejus necessitatem, & matrimonii ipsi contrahentes, ordinarium tamen Confirmationis, & Ordinis ministrum esse solùm Episcopum, ministrum verò Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis solùm esse Sacerdotem.

§. IV.

6 *Subjectum* Sacramentorum est homo viator: omnis quidem respectu Baptismi: respectu verò reliquorum solùm baptizatus: cum Baptismus sit janua reliquorum Sacramentorum. *c.* 2. *de Cognat. spirituali in* 6. Requiritur tamen præterea ad Sacramentum Ordinis in suscipiente sexus masculinus, ùt supra *Tit.* 11. *§.* 4. *n.* 8. probavimus: & ad Sacramenta Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, ac Matrimonii usus rationis: hæc enim suponunt hominem doli, peccati, aut contractûs capacem. Cætera nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, & Ordo validè etiam ab infante recipi possunt, quia non nisi in adultis rationis usu præditis aliquem proprii liberi arbitrii motum & intentionem prærequirunt. Layman *de Sacram. tr.* 1. *c.* 6. *n.* 4.

§. V.

Materia Sacramentorum est duplex, remota & proxima. Remota est res illa sensibilis, in qua, vel circa quam exercetur actio Sacramentalis. Proxima in Sacramentis, quæ in usu consistunt, est ipsa actio exercita in & circa materiam remotam. Sic in Baptismo materia remota est aqua, proxima ablutio: in Confirmatione materia remota est Chrisma, proximo inunctio in fronte; in Pœnitentia materia remota sunt peccata post Baptismum commissa, proximo sunt actus, qui circa illa versantur, nempe contritio & confessio: in Extrema Unctione materia remota est oleum infirmorum, proxima est ipsa inunctio: in Ordine materia remota sunt instrumenta tradenda ordinando, proxima eorundem traditio: in Matrimonio materia remota sunt corpora sponsi & sponsæ, ipse verò mutuus consensus, quatenus est traditio mutua juris in corpus proprium ad usum Matrimonii est materia proxima. In Eucharistia autem, quæ non est Sacramentum in usu transeunte consistens, sed permanens, materia remota quidem est panis & vinum, proxima verò non est consecratio hujus materiæ, sed species panis & vini relictæ continentes corpus & sanguinem Christi.

§. VI.

Forma in quolibet Sacramento sunt verba certa unacum applicatione materiæ proferenda à Ministro, ut tradit Concil. Florentinum

in Decreto Eugenii. his verbis: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam formâ, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Non tamen eadem conjunctio exigitur in omnibus Sacramentis, quo ad eorum materiam & formam; sed in aliis major, in aliis minor, juxta varias conditiones rerum, aut verborum, quibus quodlibet Sacramentum componitur. Unde quia forma baptismi significat ablutionem fieri à ministro, inter illa requiritur tanta simultas, quanta necessaria est, ut ex usu communi verba proferens censeatur actionem illam efficere. Quia verò per formam Evchariſtiæ demonstratur materia, in quam verba cadunt, necesse est, ut illa actu sit præsens, quando forma profertur. At Pœnitentia, quia se habet per modum judicii, stare potest, etsi qui hodie peccata sua confitetur alicui Sacerdoti, cras ab eodem absolvatur. Interim in praxi consultum est, procurare simultatem materiæ & formæ majorem, quàm potest minister, non tamen nimis scrupulosè. Videatur Suarez *disp. 2. sect. 2. §. sed quares.*

§. VII.

9 *Finis* Sacramentorum Novæ Legis est sanctificare hominem per gratiam DEI in via, & consequenter mediante perseverantiâ etiam per correspondentem gloriam in patria.

§. VIII.

10 *Effectus* Sacramentorum alius est generalis, alius specialis. *Generalis*, seu communis omnibus Sacramentis est gratia sanctificans, prout definit Trident. *sess. 7. de Sacram. in gen. Can. 6. & 8.* ubi sic detonat: *si quis dixerit, per ipsa Sacramenta Novæ Legis ex opere operato non conferri gratiam, anathema sit.* Effectus *specialis* quorundam Sacramentorum, nempe Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, est vel proximus, vel remotus. *Proximus* est character, id est, insigne, seu signum spirituale, & supernaturale, indelebiliter animæ impressum, quo Christiani ab aliis discernuntur, & tum in perceptione, tum in administratione Sacramentorum specialiter apti efficiuntur. *Remotus* & moralis quasi Characteris effectus est, Sacramentum, à quo impressus est, reddere irreiterabile. Trident. *d. sess. 7. can. 9.*

Quid si ergo quis tale Sacramentum iteret, 11
secundò baptizetur, confirmetur, ordinetur? Talis nullum effectum suscipit, cùm Sacramentum illud iteratum simpliciter sit nullum: & si scienter fiat, tam conferens, quàm suscipiens gravi sacrilegio se contaminet; & insuper in reiteratione Baptismi uterque incurrit irregularitatem juxta *c. 2. de Apostatis c. 10. causâ 1. q. 7.* non item in reiteratione Confirmationis, & Ordinis: de his enim nihil expressum in jure reperitur; non est autem statuenda irregularitas, nisi in casibus jure expressis. *c. is qui 18. de Sentent. excomm. in 6.* Zoës. *h. t. n. 2.* Dissentit Navarr. *in Manuali. c. 27. n. 247.*

Planè hæc Sacramenta sub conditione re- 12
ctè iterantur, quoties prudenter dubitatur, & omnibus benè expensis non minùs invalidè, quàm validè collata esse præsumuntur, præsertim si pro nullitate fortiores præsumptiones urgerent; quamvis etiam æquales probabiliter sufficiant, cùm tunc rationabilis causa adjectionem conditionis excuset, & conditio efficiat, quò minùs fiat irreverentia, vel iteratio aliqua Sacramenti. Ad hæc communiter receptum est, circa Sacramenta in dubio præferendam esse opinionem animabus faventem. Interim quivis scrupulus, aut vanus timor absque prudenti dubitationis fundamento non sufficit, utpote ex levitate aliqua duntaxat procedens: ut si quis non re-

cordetur, vel sibi absolutè imaginetur, quòd materiam Ordinationis non debitô modô tetigerit, vel Ministrum non debitô modô pronuntiâsse formam, &c. nisi forsan ex confessione propria Ministri, vel aliunde constaret, quòd tunc temporis ex malitia, vel ignorantia formam substantialem corruperit, v. g. baptizaverit plerosque in nomine Dæmonis, vel aliô modô invalidô: tunc enim utique sub conditione saltem rebaptizari deberent omnes, circa illud tempus ab eodem baptizati. arg. *c. si nulla* 113. *dist.* 4. *de Consecr.*

TITULUS XVII.
De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

SUMMARIA.

1. *Quid sit defectus natalium?* 2. *Et unde proveniat?*
3. *Usque.* 8. *Recensentur illegitimi.*
6. *Proles habita ex Conjugibus solenni voto castitatis obstrictis est legitima.*
7. *In dubio quis præsumi debeat legitimus?*
9. 10. 11. *Illegitimi sunt incapaces Ordinum.* 12. *Et beneficiorum.*
13. *Defectus natalium non annullat Ordinationem, benè verò collationem beneficii & electionem.*

UT *Tit.* 11. *§.* 4. *n.* 31. diximus illegitimos præsertim Presbyterorum filios ab Ordinum receptione impedit defectus Natalium; qui dicitur vitium originis, & *hoc tit.* examinatur.

§. I.

1 *Definitur* defectus natalium, quòd sit vitiosa conditio natalium, ex injustis nuptiis, vel illicito Parentum coitu contracta.

§. II.

2 *Causa efficiens* defectûs natalium est illicitus coitus extramatrimonialis Parentum, puta concubinatus, fornicatio, stuprum, sacrilegium, incœstus, aut adulterium.

§. III.

Subjectum hujus defectûs sunt liberi illegitimi, quô nomine appellamus omnes extra matrimonium procreatos, ut sunt.

I. Liberi *naturales*, seu *nothi*, ac *bastarti*, hoc est, illi, qui ex concubina, quam quis unicam uxoris locò domi suæ retinebat, nati sunt. *t. t. C. de Naturalib. lib.*

II. *Spurii*, quales sunt, qui vulgò concepti, id est, ex fornicatione vel stupro geniti sunt, & dicuntur ita, quasi sinè patre filii; non quòd Patrem non habeant, sed quòd non habeant demonstrabilem, vel legitimum: Pater enim in acceptione civili est, quem justæ nuptiæ demonstrant. *§. penult. Inst. de Nuptiis. l.* 23. *ff. de statu hom. l.* 5. *ff. de in jus voc.* Unde scitè Martialis: *cui populus Pater est, non habet ille Patrem.* Planè hodie Nothorum ac spuriorum nomina fermè confusa sunt, postquàm concubinatus æquè cœpit esse sub pœna ac quilibet alius concubitus extramatrimonialis. Covar. *de Matrim. p.* 2. *c.* 8. *§.* 4. *n.* 3. *&* 4.

III. Liberi *sacrilegi*, id est, ex sacrilego commercio progeniti.

Dubium est: an suscepti ex vero matrimonio, sed Parentibus eò sacrilegè ob emissum solenne votum castitatis utentibus, legitimi, vel illegitimi censendi sint? Rationem dubitandi suppeditat textus *in c.* 14. *h. t.* ubi Papa dispensat ad Ordines cum illo, qui à Patre Sacerdote, quantumvis ex legitima uxore conceptus & genitus sit. Ex quo talem filium illegitimum esse docent Glossa *ib. in pr.* Ego ita distinguendum puto. *Primò*, si ante consummatum matrimonium unus Conjugum profiteatur Religionem, & postmodum ad sæculum & conjugium revertatur, sine dubio non nisi illegitima proles nasci potest: quia matrimonium ipso jure dissolutum fuerat per Religionis ingressum. *c.* 2. *&* 14. *de Convers. conjug.* *Secundò* si unus Conjugum post-

con-

consummationem matrimonii sine licentia alterius Religionem ingrediatur, & postmodum ad conjugem etiam non revocatus redeat, vel revocatus debitum petat, proles erit legitima: quia matrimonium est legitimum, & professio non nisi per modum voti simplicis valet. *c. 3. eod. Tertiò* etiamsi Maritus SS. Ordines susceperit, aut Religionem professus sit etiam consentiente uxore, adhuc verius videtur, prolem fore legitimam: quia ex vero legitimo matrimonio nascitur. Nec refragatur *d. c. 14. h. t.* nam ibi filius non declaratur illegitimus, sed propter scandalum & paternam incontinentiam ad modum illegitimorum irregularis, ita ut promoveri nequeat neque ad Ordines, neque ad Beneficia. De cætero autem quò ad successionem, dignitates, & alios Juris effectus pro legitimo habendum esse, tenet Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 38. n. 7.*

7 IV. Illegitimi sunt *incæstuosi* propriè sic dicti, nati videlicet ex linea transversali in gradu prohibito; *nefarii*, procreati scilicet ex nuptiis contractis cum Parentibus, vel cum Affinibus, qui sibi Parentum, liberorúmque loco sunt, puta inter Vitricum, & Privignam, inter Privignum, & Novercam; & *adulterini* ex adulterio nimirùm quæsiti.

8 Interim monendum, quòd in dubio quisque censeri debeat legitimè natus potiùs, quàm illegitimè, etsi forte temporis ordinarii, scil. septem, aut novem Lunarium mensium spatium (quod à conceptione usque ad nativitatem plerumque intercedere solet. *l. 12. ff. de stat. hom.*) non nihil restringere, vel ampliare oporteat ad legitimitatem defendendam, utpote maximè favorabilem. Gail. *l. 2. observ. 79. n. 19.* Mynsing *Cent. 6. observ. 40.* Ratio est, quòd in dubio præsumatur id, quod honestum est, non quod inhonestum per *l. merito. ff. pro socio.* Bald. *in l. filium n. 1. ff. de his. qui sui vel alieni jur.* Ex qua ratione etiam Menochius *de Arbitr. casu 396. n. 15.* & alii rectè concludunt, expositos (vulgò Die Findling) legitimos, & consequenter Ordinum, successionum, & dignitatum capaces esse, ut *in Lib. IV. ad Tit. Qui filii sint Legit.* ostendemus.

§. IV.

Effectus defectûs natalium est *primò*, quòd 9
juxta *c. 1. & passim h. t.* illegitimi, Presbyterorum maximè filii, vel alii quicunque non ex justis nuptiis nati ad sacros, aut etiam minores Ordines promoveri nequeant; tum propter statûs dignitatem, & Ordinis excellentiam, quæ turpiter natis, & vilibus quasi personis committi non debet arg. *c. 11. de Excessib. Prælat.* tum in detestationem paternì criminis, quod Jus plerumque punit in filiis arg. *c. 10. de Hæreticis & c. 2. & 15. eod. in 6.* tum denique ob metum incontinentiæ paternæ, cujus imitatores futuri præsumuntur liberi, prout insinuatur in *c. 14. h. t.*

Ampliatur I. Ut illegitimi ad Ordines pro- 10
moveri nequeant, etsi per Imperatorem, aliósque Principes sæculares legitimati fuerint, cùm hi legitimare nequeant, nisi ad officia civilia, secùs, si per subsequens matrimonium, vel certè à Papa legitimati fuerint in ordine ad Ecclesiastica Jura, prout ex *c. tanta 6. c. quod à nobis. c. pervener. 13. infra. Qui filii sint legit.* supponitur, & supra *in tit. de Rescript. n. 4.* dictum est.

Ampliatur II. Ut cum talibus illegitimis 11
tantùm Papa dispensare possit ad Ordines sacros recipiendos. *Ad sacros* inquam: quia ad Ordines minores etiam Episcopum dispensare posse, expressum est in *c. 1. h. t. in 6.* Imò ad Religiosos quod attinet, ii ipso jure dispensati censentur ad Ordines sacros quoque suscipiendos: *c. 1. dist. 56. c. 1. h. t.* est enim Monachalis vita sic honesta, ut omnem humanam maculam detergat, teste Imperatore *in præfat. ad novel. 5.*

Al-

12 *Alter Effectus* est, quòd illegitimi arceantur à beneficiis Ecclesiasticis. *c.* 7. *&* 20. *de Elect. c.* 1. *& fin. h.t.* Et quanquam per ingressum Religionis ipso jure reddantur habiles ad SS. Ordines suscipiendos, tamen ad beneficia curata & dignitates non habilitantur. *d. c.* 1. *ubi* Panorm. *n. ult.* Barb. *n.* 3. Nec refert, an defectus natalium sit publicus, an occultus: nam etiam occultus hanc irregularitatem inducit per *c.* 10. *§. personâ de Renuntiat.* ibi: *quem subjicere non potuit.*

13 Quid si ergo defacto contingat illegitimum, qui putabatur legitimus promoveri? Hìc distinguendum est inter Ordinationem & electionem: Ordinatio enim erit valida, & imprimet characterem, quippe nulla irregularitas per se sola irritat ordinationem quô ad substantiam, modò in aliis sint servata substantialia Sacramenti. Barb. *J.E.U. l.* 1. *c.* 33. *n.* 165. Impeditur tamen executio ministerii & exercitium Ordinum, donec super impedimento dispensetur. Beneficium quoque Ordinato irregulari conferri non potest; quin collatio actu facta est ipso jure nulla, secundùm Covarr. *in c. alma mater. p.* 1. *§.* 7. *n.* 1. & communiorem sententiam: quamvis etiam nonnulli teneant, non esse ipso jure irritam, sed irritandam. Quô ad electionem, exploratum est; eam de illegitimo factam, ipso jure invalidam esse. *d. c.* 7. *de Elect.* Et hoc verum est, licèt defectus natalium sit occultus. Text. & Gloss. in *d. c.* 20. *Eod.* aut etiam ab ipso illegitimo ignoratus: quia decreta irritantia, & impedimenta Canonica non dependent à scientia alicujus, ut communiter tradunt DD. & probatur ex *c.* 1. *de Concess. prab. in* 6. Confer, quæ diximus *in Tit. de Elect. n.* 28. & in *Titul. de Ætate & qualit. num.* 10.

Tertiò Effectibus defectûs natalium accensere possem, quòd sine legitimo matrimonio nati sequantur statum, & conditionem matris. *l.* 19. *&* 24. *ff. de Statu Hom.* quòd ex damnato complexu geniti à Parentibus suis hæredes instituì nequeant. *Novel.* 89. *c. fin.* & plura alia; quæ hìc loci attingere non vacat.

TITULUS XVIII.

De Servis non ordinandis, & eorum manumissione.

SUMMARIA.

1. Servitutis definitio. 2. & origo.
3. 4. 5. Ex quibus causis servitus nascatur?
6. 7. Servorum nomine qui veniant?
8. Servitutis effectus.
9. 10. Cur servi ordinari prohibeantur?
11. Quid juris, si servus defacto ordinetur?

HOc *t.* agitur de impedimento conditionis, seu statûs personæ, quod est servitus.

§. I.

Definitur Servitus, quòd sit constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur. §. 2. *Inst. de Jure person.*

§. II.

Causa efficiens est vel remota, vel proxima. *Remota* est Jus gentium, à quo totam suam essentiam habet. *c.* 9. *dist.* 1. *& princ. Inst. de Libertinis.* Neque obstat §. 4. *Inst. de Jure person.* ubi dicitur, servos etiam jure Civili fieri: etenim distinguendum est inter servitutem ipsam, & modos eam constituendi. servitus ipsa est originaliter & essentialiter juris gentium; sed modi illam constituendi alii à Jure Gentium proditi sunt, alii à Jure Civili. *d. §.* 4. *Proxima* sunt modi constitutivi servitutis, qui plures.

Primus est Nativitas. *d. §.* 4. Sic, qui nascitur ex matre, quæ toto uteri tempore ancilla fuit: servus nascitur. *l.* 5. *§.* 1. *ff. de Statu Hom.* Ratio est: quia partus ventrem, id est, statum, &

& conditionem Matris sequitur. *l. 7. C. de R. V.* Atque ita etiam illud Ulpiani capiendum: *lex naturæ*, hoc est consuetudo ab aliqua ratione naturali ducta, *hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur. l. 24. ff. de Statu hom.* Et quomodo ex servili concubitu natus conditionem Patris sequatur, cùm inter servos non sint nuptiæ, quæ solæ Patrem demonstrant. *l. 6. ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt.*

4 *Secundus* modus est captivitas. *d. §. 4. Inst. de Jure person. d. l. 5. §. 1. ff. de statu hom.* Ita omnes, qui capiuntur in bello justo, fiunt servi capientium. §. 17. *Instit. de Rerum divis.* Quod tamen generali & antiquissima consuetudine eò redactum, ut capti in bello inter Christianos gesto libertatem non amittant, sed præstito redemptionis lytro liberi abeant. Aliud dicendum: si bellum nostri cum infidelibus gerant, v. g. cum Turcis; tunc namque quemadmodum illi nostros, sic & nostri jure talionis Turcas captos pro servis habent, ut dedilcant insolentiam contra Christianos. Christiani tamen in servitutem turcicam abducti à nobis liberi, omniúmque jurium capaces reputantur: ne afflictis afflictio adda tur. Covarr. *in c. peccatum. de R. J. in 6. p. 2. §. 11. n. 6.* Ut proinde (quod obiter hic insinuo (testamentum ab iis durante captivitate factum easdem vires habeat, at si conditum foret ab aliquo in plena libertate constituto.

5 *Tertius* est venditio sui ipsius; cùm scilicet quis major 20. annis se ipsum, sciens se esse liberum, ignoranti id emptori pretii participandi causâ venundari patitur. *d. §. 4. Instit. de Jure person.* Hostiensis *in Summa h. t. num. 6.*

Quartus est revocatio ingrati liberti in servitutem. *l. 2. C. de libert.* Reliquos prosequitur Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 2. c. 31.* & interpp. *ad d. §. 4. Instit. de Jure person.*

§. III.

Subjectum servitutis sunt, qui contra naturalem libertatem alieno dominio subjiciuntur: Servi inquam propriè tales, sunt enim, qui servi minùs propriè dicuntur, comprehendendo nimirùm servos etiam adscriptitios id est, homines colendis agris perpetuò adscriptos, & originarios, seu ex adscriptitiis natos; item mancipia, seu homines proprios, quales in quibusdam Germaniæ locis reperiuntur, & denique omnes illos, qui per se alicui conditioni quasi servili perpetuò & personaliter sunt obstricti. 6

Scrupulus incidit: anne Monachus servus sit? Ita videtur: quia Superioribus est subjectus: omnia Monasterio acquirit: & testamentum facere non potest. *auth. ingressi. C. de Sacrosanct. Eccles.* Sed veriùs comparatus filio, quàm servo: nam Monachalis subjectio magis filialis est, quàm servilis. Bart. *in l. 1. de Vulg. & pupill. substit.* Et etiam Schneidew. *ad §. fin. Instit. de Jure person. n. 5.* (quem aliàs pro Religiosorum Patrono haud optaverim, cùm Monachatum *in Tit. de Nupt.* appellet superstitionem, atque cum S. Scriptura pugnare contendat, quod perspicuè hæreticum est) sentit, quòd Monachus revera liber sit. Addo, quòd nec nobilitatem amittat, ut adeò etiamnum hodie eidem nobilitatis titulus de jure quadret, modò omnis ambitio, & vana jactantia, quam per ingressum Religiosus abscidit, ab eo exulet; hinc Romanus *Singulari 37.* ait, non esse subreptionem, si se Monachus in literis dicat nobilem. Quo ad acquisitionem tamen Monachum servo comparari, notat Glossa *in l. cùm hæredes. §. fin. V. non puto. ff. de Aquir. vel amitt. possess.* & in genere Monachum æquiparandum esse vel servo vel filio-familias, secundùm quod utilius est Monasterio, tradit Baldus *in l. 1. C. qui admitti ad bonor. possess. poss.* 7

§. IV.

8 *Effectus* servitutis sunt I. quòd servus, quidquid acquirit, acquirat Domino, cujus juri subjectus est. *l.* 1. *§. igitur. ff. de his, qui sui vel alieni jur.* II. quòd servo omnes actus juris Civilis interdicti sint: unde nec bona propria habere, nec exercere commercia, nec testamenta condere, nec testificari, nec aliis juribus civilibus frui potest, licèt ex persona Domini possit contrahere. *l.* 16. *l.* 20. *§. ser-*
9 *vus ff. qui testam. facere possint.* III. quòd vilitas servilis conditionis servum ab ordinibus, & dignitate Clericali repellat, nisi libertati fuerit restitutus per manumissionem expressam vel tacitam: ne aliàs injuria & præjudicium Domino fiat, dum servus ordinatus propter decentiam statûs Clericalis non ampliùs audet opera servilia præstare, sicut antea *c.* 1. *& passim h. t. c.* 10. *&* 21. *dist* 54. ubi hæc prohibitio etiam ad servos impropriè dictos, puta ad servos adscriptitios, originarios, & homines proprios proportionaliter, id est, habito respectu ad interesse Domini, extenditur. Non obstat, quòd juxta Apostolum relatum in *c.* 1. *de Conjug. serv.* nec liber, nec servus à Sacramentis Ecclesiæ removendus sit: quia loquitur de Sacramentis, quæ suscipientis gratiâ conferuntur, ut Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, &c. à quibus nullus fidelis excludi debet, secùs est de ordine, qui aliorum potiùs, quàm suscipientis causâ institutus est.

10 Sed quid juris, si defacto servus ordinetur? R. referre, an sciente nec contradicente, an verò ignorante, vel contradicente Domino ordinetur? Priori casu eò ipsò tacitè præsumitur manumissus, & confestim fit liber. *c.* 20 *dist.* 54. Posteriori autem casu subdistinguendum est: quia si servus tantùm ordinetur in Minoribus, redigitur in pristinam servitutem, si Dominus petat juxta *c.* 9. *eâd. dist.* Si verò ordinetur in sacris ordinibus, tunc ex peculio suo oblatô pretiô semet redimere, vel alium servum substituere debet, si potest; si non potest, tunc & ipse depositus domino petenti restituitur in servitutem. *c.* 2. *&* 7. *h. t.* nisi Sacerdos ordinatus sit, quo casu in ordine permanet quidem liber, sed peculii sui amissione mulctatur, aut si peculiô careat, domino in spiritualibus officiis servire debet, si velit. *d. c.* 9. *&* 10. *dist.* 54. Planè quando servus ab Episcopo sciente ejus conditionem ad sacros ordines promotus est, ipse quidem manet liber, sed ordinans pro illo satisfacere tenetur, & domino dare alios duos æquales servos, vel eorundem æstimationem. *c.* 19. *eâd. dist.* Hostiensis *in Summa h. t. n.* 7.

Quod attinet modum tollendi hanc irregularitatem, in comperto est, eam cessare statim sublatâ servitute, absque alia dispensatione, quacunque demum ratione servus redimatur, cùm non fundetur in ulla ignominia, aut defectu decentiæ remanente, sed omnino sedem habeat in servitute, ut docent *Canones citati.*

TITULUS XIX.

De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

SUMMARIA.

1. Quid sit obligatio ad ratiocinia?
2. Quinam obligentur ad ratiocinia?
3. Quinam obligati ad ratiocinia ordinari nequeant?
4. Quid Juris, si defacto ordinentur?

ALiud impedimentum suscipiendi ordines inducit obligatio ad rationia, seu reddendas rationes.

§. I.

Definitur obligatio ad ratiocinia, quòd sit obligatio reddendarum rationum de generali administratione rei alienæ.

§. II.

§. II.

2 *Subjectum* hujus obligationis sunt obligati ad ratiocinia. Dicuntur autem obligari omnes, qui susceperunt officium, vel administrationem rei alienæ, sive publicæ, ut Curiales, Judices, Syndici, Thesaurarii æris publici; sive privatæ, ut Tutores, Curatores, Procuratores, Testamentorum executores, & id genus hominum. Gonzal. *in c. un. n. 6. h.t.* Hostiensis *in Summa h. t. n. 2.*

§. III.

3 *Effectus* obligationis ad ratiocinia est, quod eâ adstricti ante officium finitum, redditas rationes & plenam liberationem ordinari nequeant, ne Ecclesia diffametur per hujusmodi ministros, qui fortè doli fraudísque argui possent. *c. un. h. t. c. un. dist. 53. c. 3. dist. 54.*

Sunt tamen quidam officiales & administratores, qui *hisce Canonibus* non comprehenduntur, & ad Ordines admittuntur; ut I. Tutores actuales, seu defensores miserabilium personarum, nempe Orphanorum, pauperum, & similium. II. Administratores locorum piorum, causarum piarum, & rerum Ecclesiasticarum. III. Defensores personarus Ecclesiasticarum. IV. Qui legitimam tutelam proximorum agnatorum susceperunt. Ratio est: quia Clericis quoque conceditur similium tutela, & administratio. *c. 5. dist. 89. c. 22. causâ 16. q. 7. & c. 1. causâ 21. q. 3.* Pirrhing *h. t. num. 3.*

4 Sed quid si quis ratiociniis obstrictus contra prohibitionem juris defacto ordinatus sit? R. Bona ordinati Creditoribus cedere in solutum, & si non sufficiant, ab Episcopo adigendum esse, ut quàm primùm fieri potest, perfectè satisfaciat. Imò Gloss. *in c. un. h. t. V. infamatur.* docet, Episcopum ordinantem pro ordinato teneri, si in culpa fuetit, & scienter talem ordinaverit contra voluntatem Creditorum. Ademit enim tunc suo facto Creditoribus potestatem absolutè exigendi ob privilegia Clericalia, & ordinato facultatem satisfaciendi ex negotiationibus sæcularibus, à quibus propter Ordines susceptos abstinere debet. Cæterùm ordinatus, si malitiosè & in fraudem aliorum Ordines receperit, ab Episcopo quidem arbitrariè puniri potest, ex dispositione juris tamen propterea nec deponitur, nec clericalibus privilegiis privatur, nec ab Ordinum exercitio suspenditur, cùm nullam incurrat irregularitatem, utpote quæ ex natura sua perpetua est, & propter temporalem aliquam obligationem non contrahitur. Sayrus *de Censuris lib. 6. c. 14. n. 9.*

TITULUS XX.

De Corpore vitiatis ordinandis vel non.

SUMMARIA.

1. Definitur vitium corporis.
2. Quinam corpore vitiati sint?
3. Ab ordinibus semoventur debilitati & mutilati.
4. Notabiliter deformes. 5. Et se ipsos sine causa mutilantes.
6. Qualiter vitium corporis impediat usum Ordinis?
7. Super vitio corporis regulariter dispensat solus Pontifex.

LIcitam Ordinationem quoque impedit vitium corporis.

§. I.

Definitur vitium corporis, quòd sit defe- 1
ctus, ratione cujus quis vel impeditur à congruo exercitio Ordinum, vel exercere non potest, nisi cum gravi irreverentia, aut scandalo.

§. II.

Subjectum hujus vitii sunt corpore vitiati; qui 2
sunt vel *debilitati*, vel *deformes*, vel *mutilati*.

Debilitati dicuntur, qui habent quidem omni membra, sed tamen unum aut plura inefficacia & ad sacrum ministerium inutilia, v. g. manum aridam, oculum cœcum, crus

confractum, linguam ligatam, vel penitùs præcipitem.

Deformes censentur, qui maculam aut defectum notabilem in membris exterioribus habent, ita ut sine indecentia, horrore, aut risu conspici nequeant: ut sunt leprosi, phrenetici, paralytici, arreptitii, Lunatici, Dœmoniaci: item habentes faciem valdè ustulatam, labia corrosa, dentes difformiter eminentes extra labia, nasum abscissum, monstrosum gibbum, corpus variè & turpiter retortum, &c.

Mutilati sunt, qui membro aliquo carent. Illæ autem partes duntaxat membrum appellantur, quæ sunt integrum & proximum instrumentum alicujus principalis actionis humanæ, ut manus, pes, oculus, &c. Reliquæ, quæ tantùm coadjuvant partes Principales in sua functione, membra non sunt, sed partes membri, ut constat ex *l.* 10. *ff. de Ædilit edicto.* ubi digitus appellatur aliquid membri: & ex *c.* 6. *h. t.* ubi carens alterâ manu dicitur mutilatus; is verò, cui dimidia palma manus cum duobus digitis abscissa est, solùm dicitur debilis & deformis *c.* 2. *de Clerico Ægrot.* Ex quo Covarr. *in Relect. Clem. furiosus. de Homicid. p.* 3. *in princ. n.* 8. concludit, eum ab irregularitate posse excusari, qui alteri tantum unum digitum, vel auriculæ cartilaginem abscinderit.

§. III.

Effectus vitii, seu defectus corporalis est, quòd eô affectos reddat irregulares. *tot. dist.* 55. *& passim. h. t.* Itaque

3 I. Ad Ordines inhabiles sunt debilitati, aut mutilati membro necessario ad exercitium Ordines: quia æquitas naturalis dictat, ad Ordines non esse promovendos, qui eos exercere nequeunt. Nec refert, sive justè, sive injustè; sive culpabiliter, sive inculpabiliter, proprio aut alieno facto, vel etiam casu fortuito debilitati, seu mutilati fuerint per *c. fin. dist.* 35.

Dubium est, an si quis ob defectum v. g. manûs aut digitis indicis, vel pollicis Sacerdos ordinari nequeat, saltem possit ordinari diaconus, cujus officium exercere naturaliter non impediretur? Non puto: quia *in c.* 1. *dist.* 36. *& c.* 3. *h. t.* expresse statuitur corpore vitiatos non esse promovendos ad Clericatum, consequenter ad nullos Ordines, utpote per quos in Clericatu constituerentur. Similiter *in c.* 59. *dist* 50. generaliter reputantur inhabiles ad divina ministeria. Alii eam addunt rationem, quòd omnes reliqui Ordines sint præambuli ad Presbyteratum, ut propterea irregularis respectu hujus, censeatur quoque talis respectu aliorum Ordinum. Sed displicet hæc ratio; non enim inter illos Ordines necessaria est actualis connexio, cùm plures sint tituli Cardinalium, & plures præbendæ in Ecclesiis Cathedralibus, in quibus solùm Ordo subdiaconatûs, aut diaconatûs sufficit.

Planè abstemius, qui vinum bibere non potest, quamvis ad Sacerdotium promoveri nequeat, ut notat Panorm. *in c.* 5. *de Celebrat. miss. n.* 1. attamen ad reliquos ordines probabiliter admitti valet: propriè siquidem corpore vitiatus non est, neque absolutè prohibetur ad Clericatum promoveri, cùm non minùs, quàm alii possit sanctè & sine illusione in Subdiaconatu vel Diaconatu ministrare, licèt per accidens propter sumendum Sanguinem sub speciebus vini Sacerdos fieri nequeat. P. Engel *h. t. n.* 17.

II. Ab Ordinibus arcentur notabiliter deformes, etsi sine sua culpa deformati sint: quia *incompositio corporis inæqualitatem indicat mentis c. fin. §. sicut ergo dist.* 41. Et si in Lege Veteri à ministerio DEI repudiabantur deformes ut habetur *Levit.* 21. quanto magis in Lege gratiæ. Gonzal. *in c.* 2. *n.* 6. *h. t.* Levis tamen aliqua deformitas v. g. macula in oculo, aut exigua claudicatio Ordinationi non

non obstat *c. 2. h. t. c. 10. dist. 55.* juncto *c. 57. dist. 1. de Consec.* An verò sit deformitas notabilis, vel levis, in dubio, & extra casus in jure expressos, relinquitur arbitrio Episcopi ordinantis *c. 2. & ibi* DD. *h. t.*

Sed quid sentiendum de illo, qui uno tantùm oculo videt? Distinguo: an alter oculus præcipuè siniſter seu Canonicus sit omnino erutus, vel tantùm potentiâ visivâ distitutus absque alia notabili deformitate. Priori casu sine ulla exceptione Secerdos ordinari prohibetur in *c. fin. dist. 55.* itémque dicendum de aliis ordinibus, eò quòd oculus erutus præter defectum visûs causet simul deformitatem. Posteriori casu, quo oculus est integer, & sola potentia visiva deest, irregularem non esse, & ad Sacerdotium quoque promoveri posse, verius est; modò in defectu v. g. siniſtri dextro oculo absque indecentia & deformitate, id est, sine indecora conversione faciei ad populum, *Canonem Missæ* legere valeat, & aliunde irregularitas nulla subsit: similis namque defectus ex se irregularitatem non inducit, neque quo ad istum effectum ullibi in jure fit oculorum distinctio, ut adeò nec nos distinguere debeamus. P. Engel *h. t. num. 5.* Barb. *J. E. V. lib. 1. c. 33. n. 140.* & alii contra Suarez, ac complures alios asserentes, ordinari neminem posse, nisi siniſtrum, ceu oculum Canonicum videntem habeat.

§ III. Ad Ordines non admittuntur, imò etiam Ordinati ab altaris ministerio removentur illi, qui voluntariè, & sine justa causa, quocunque corporis membro, aut parte membri privati sunt: sive deinde sibi ipsis absciderint, sive per alios abscindi procuraverint, effectaverint, aut permiserint, *c. maritum. 2. dist. 33. c. 4. 5. 6. & 9. dist. 55. c. 3. & 4. h. t.* Idque statutum est non tam propter defectum, quàm potiùs propter sævitiam, & malam voluntatem, quæ ausa fuit sibi ipsi ferrum injicere, ut loquitur Pontifex in *d. c. 6. dist. 55.*

Dixi: *qui voluntatariè, & sine justa causa: &c.* si quis enim invitus v. g. ab hostibus tempore belli, vel ex justa causa infirmitatis, seu ad conservandum reliquum corpus, aut alia graviora corporis mala evitanda ex consilio Medicorum membri alicujus mutilationem passus fuerit, ordinari minimè prohibetur, modò talis mutilatio notabilem deformitatem non afferat, nec impediat Ordinum executionem, ut priùs dictum. Sic in *c. fin. h. t.* ad ordines admittitur, cui in pueritia abscissa fuit ungula, seu prior articulus pollicis, si per reliquam ejusdem pollicis partem hostiam commodè frangere valeat. Similiter juxta *c. 7. dist. 55. & c. 3. & 5. h. t.* eunuchi nati, vel ex justa causa, aut inviti castrati ordinari possunt.

Utrùm verò sola vocis conservatio sit justa & sufficiens causa, propter quam voluntariè castratus irregularis non fiat? quotidiana disputatio est. Plerisque tamen arridet sententia negativa. Et certè cùm castratio procurata ob servandam castitatem, & vitandas carnales concupiscentias ordinationem impediat per *c. 5. & 9. dist. 55.* multò magis impediet facta propter solam vocis conservationem tamquam finem longè ignobiliorem. Quòd verò interdum mediante vocis suavitate augeatur cultus & honor divinus, ac ipse Musicus exinde congruam habeat sustentationem, quam ex aliis mediis habere vix posset, tanti non est, ut propterea directè imaginem DEI destruere, aut mutilare liceat; maximè quia incerti sunt similes effectus, vel aliis quoque modis convenientiùs sæpe & faciliùs obtineri queunt. Latè P. Engel *n. 11. h. t.*

Cæterùm vitium corporis, si ex postfactô primum, scil. post jam susceptos Ordines superveniat absque culpa Ordinati, tunc illa saltem ministeria exercere potest, ad quæ per

tale vitium non est inhabilitatus. Unde Sacerdos, cui per violentiam digiti Canonici sunt abscissi ab hostibus, præter celebrationem potest in reliquis officiis Sacerdotalibus ministrare, v.g. confessiones audire, &c. *c. 2. de Clerico ægrot.* Sic etiam superveniente postmodùm deformitate, si scandalum & horrorem abesse contingat, ut si constet, quòd ad infideles & hæreticis in odium Religionis ita fuarit deformatus, ministrare poterit, sicut priùs; & si in publico nihilominùs scandalum vel contemptus timeatur, saltem in privata capella, ubi scandalum abesse solet, celebrare licebit. Atque ita accipio *c. 57. dist. 1. de Consecrat.* ubi Sacerdos cum baculo ad altare accedere prohibetur, nimirum in solenni Missæ celebratione, ubi metuitur risus, vel scandalum; non item in celebratione privata, ubi cessat ratio prohibitionis. Morbô caducô vel simili laborantes specialiter *in c. 3. dist. 33.* tam diu ab executione Ordinum suspenduntur, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur liberati.

7 *Quæstio* supereſt: quis super irregularitate orta ex vitio corporis dispensare possit? Ad quam respondeo, regulariter non nisi Papam quo ad Ordines primùm suscipiendos dispensare posse. Pirrhing. cum communi *h. t. n. 15.*

Dixi tamen I. *regulariter*: aliquando enim etiam quo ad ordines suscipiendos Episcopo competit dispensatio in vitio corporis; nempe si occultum sit, & ex occulto delicto proveniat per Trident. *sess. 24. de Reform. c. 6.* ubi Episcopis conceditur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto (excepto homicidiô voluntariô) provenientibus.

Dixi II. *quo ad ordines primùm suscipiendos*: nam si talis defectus post susceptos Ordines superveniat, quo ad exercitium ordinum Episcopus dispensare potest; modò mutilatio non sit notabilis, & ordinatus sine scandalo ministrare valeat, licèt aliquo modo culpabiliter defectum contraxerit. Colligitur ex *c. 1. h. t. & ex c. 1. de Clericis pugnantib.* Quòdsi in culpa non fuisset, dispensatione non indigeret, ut diximus. Excipitur casus in *c. 4. h. t.* ubi specialiter reservatur dispensatio ad ministerium altaris cum Sacerdote, qui credens se obsequium præstare DEO, se evirari curavit, ut per hoc manifestiùs absterreantur homines, qui facilè aliàs ex tali fine id licitum existimarent.

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

SUMMARIA.

1. Bigamiæ definitio. 2. 3. 4. Et divisio.
5. Origo Bigamiæ.
6. Quinam bigamiam contrahant?
7. Cur bigami ab ordinibus arceantur?
8. Quis super bigamia dispensare possit?
8. Explicatur c. un. h. t. in 6.

DEnique Ordinando obstat Bigamia, seu, ut alii legunt, Digamia; quæ vox propriè significat binas nuptias *c. 11. causâ 31. quæst. 1.*

§. I.

Definitur Bigamia, quòd sit status conjugati cum duabus, aut pluribus conjugibus vel realiter, vel interpretativè, vel similitudinariè.

§. II.

Dividitur Bigamia in veram, interpretativam, & similitudinariam.

Vera dicitur, cùm quis successivè duas, vel plures uxores legitimè duxit, eásque carnaliter cognovit, hinc qui duas uxores habuit, si altera ante copulam fuerit mortua, bigamus non est, arg. *c. 5. h. t.*

Interpretativa est, quando quis reverâ quidem cum duabus matrimonium non contraxit, secundùm interpretationem juris tamen censetur contraxisse, ac consummâsse, Quæ biga-

bigamia oritur I. si quis defacto ineat duo matrimonia ob impedimentum aliquod dirimens de jure invalida, vel unum validum, aliud invalidum, & utrumque consummet: licèt enim ille verè bigamus non sit ob invaliditatem unius, vel utriusque matrimonii, inter bigamos tamen interpretatione juris computatur ob intentionem contrahendi cum duabus copulâ subsecutâ affectu maritali. *c.* 4. & 7. *h. t.* Navarr. *h. t. consil.* 1. & *in Man. c.* 27. *n.* 295. II. Contrahitur, si quis ducat corruptam seu carnaliter cognitam, sive extra, sive intra matrimonium justum. *c.* 2. *dist.* 33. *c.* 9. 10. & 13. *dist.* 34. *c.* 3. & 5. *h. t.* Nec refert, etsi matrimonium cum corrupta initum sit nullum: quia etiam matrimonium cum repudiata est nullum, & tamen facit bigamum. *c.* 1. *h. t.* Verùm plures opinantur, bigamum & irregularem non esse eum, qui à se tantùm priùs corruptam duxit, eò quòd talis adhuc sit unica unici, & per subsequens matrimonium talis copula antecedens planè purgetur, ita ut quò ad effectus juris idem sit, ac si copula fornicaria non præcessisset. Glossa *in c.* 5. *V. divisio. h. t.* Ego hanc opinionem & limitationem recipio, si verum est *cit. c. dist.* 33. (quod aliqui tribuunt Gennadio) non habere juris auctoritatem: alioquin certè verba illius textûs: *qui unam quidem, sed concubinam, non matronam habuit*: quocunque modo corruptam comprehendunt: nam quòd quidam illud: *sed concubinam*: referant ad concubinam alterius, violenta interpretatio est, & parùm ut reor, ad mentem illius auctoris, sive is Gregorius fuerit, sive Gennadius. III. Nascitur bigamia interpretativa, si vir ad uxorem suam accedat, postquam ea adulterium commisit. *c.* 11. & 12. *dist.* 34. Id quod obtinet, licèt maritus ignoraverit illam esse adulteram, vel coactus v. g. ex præcepto Episcopi debitum conjugale reddiderit, aut uxor per vim vel metum fuisset corrupta: cùm etiam talis non ampliùs sit unica unici, nec unus unius. Vid. Majol. *l.* 2. *de Irregul. c.* 32. *n.* 7.

Bigamia similitudinaria appellatur, cùm 4
quis post votum solenne castitatis emissum in professione Religionis matrimonium defacto celebravit, & consummavit affectu maritali cum Virgine. *c. quoquot.* 24. *causâ* 27. *q.* 1. Quod licèt expressè loquatur de professis castitatem, complectitur tamen etiam Clericos sacris initiatos: nam etiam hi habent votum solenne castitatis, servatáque proprietate vocis dici possunt solenniter profiteri castitatem, & sic hæc irregularitas satìs in jure expressa est. Sylvester *V. Bigamia. n.* 3. Ratio est: quia voto solenni adstrictus censetur spirituali quodam matrimonio conjunctus cum Christo & Ecclesia. Ergo si carnaliter cum aliqua conjugatur per matrimonium, censetur celebrare duo matrimonia similitudinaria, adeòque Bigamiam similitudinariam contrahere; modò aliam uxorem in habitu Laicali, vel in Minoribus Ordinibus antea non habuerit: quod addo; quia si Clericus cum una contrahat, antequam sit in sacris Ordinibus, & cum alia post Ordinationem in Sacris, vel professionem in Religione, bigamus interpretativè, non tantùm similitudinariè erit, sicut & tunc quando post ordinationem, vel professionem corruptam ducit. *c.* 4. *h. t.*

§. III.

Causa efficiens Bigamiæ est matrimonium 5
iteratum, & consummatum: ut enim aliquis fiat bigamus, duo requiruntur: *Primum*, ut bis contrahat matrimonium de jure vel de facto, verè vel similitudinariè. *Secundum*, ut interveniat actualis copula, affectu saltem maritali facta, si ob defectum aliquem substantialem non possit esse verè matrimonialis, ut ita speciem & figuram matrimonialis copulæ præferat, per *c.* 4. & 5. *h. t.*

Col-

Colliges I. non esse bigamum, qui duxit viduam Virginem, quæ ante consummationem matrimonii primum virum amisit; aut, qui plura contraxit matrimonia, sed solùm consummavit cum una & Virgine. *d. c. 5. h. t.*

Colliges II. ex sola copula fornicaria, vel adulterina sæpiùs & non pluribus extra matrimonium per virum repetita non oriri bigamiam interpretativam ob defectum affectûs maritalis. *c. 6. h. t.*

Colliges III. eum reverà bigamum non esse, qui simulatè tantùm contraxit matrimonium cum vidua, vel corrupta, à parte rei verò habuit animum eum solùmodò habendi ut concubinam; quia defacto non intervenit affectus maritalis cum opere subsecuto; quæ ratio in *d. c. 4. h. t.* expressa est. In foro tamen externo similis defectus animi non crederetur, sed ex ipso facto præsumeretur affectus, consequenter si publicè constaret, eam, quam defacto duxit, esse viduam, vel corruptam, tunc ad evitandum scandalum, & pœnas Canonicas nihilominùs dispensationem petere teneretur, ac si reverà subesset bigamia, P. Engl. *h. t. n. 5.* contra Zoës. *eod. tit. n. 11.*

§. IV.

6 *Subjectum* Bigamiæ sunt omnes, qui duo matrimonia verè, interpretativè, vel similitudinariè contraxerunt. Nec interest, fideles sint, an infideles? nam & infideles ad fidem conversos, si ante Baptismum plures uxores, vel corruptam, vel unam antea, & postea aliam duxerint, bigamos & consequenter irregulares esse, verius est. *c. 2. & seq. dist. 26.* quamvis D. Hieron. relatus *in c. 1. ibid.* diversum sentiat. Ratio est: quia licèt Baptismus tollat delicta, non tamen tollit conjugia & consequenter nec bigamiam ex conjugio provenientem. Pirrhing. *h. t. n. 6. & 7.*

§. V.

7 *Effectus* Bigamiæ est I. qnòd Bigamum tum ab Ordine suscipiendo, tum etiam ab usu suscepti ordinis removeat & excludat. *tum hoc tit. c. 1. de Cleric. conjug.* Trident. *sess. 23. de Reform. c. 17.* Et meritò: dedecet enim, ut Sacramenta aliis ministret bigamus, qui ipse defectum patitur in Sacramento, seu perfecta significatione matrimonii, quatenùs dividendo carnem in plures non amplius perfectè repræsentat conjuctionem Christi cum Ecclesia, unici cum unica, eáque immaculata, quam conjunctionem significat matrimonium consummatum. *c. 5. h. t.*

Alter effectus bigamiæ est, quòd si Episcopus bigamum absque prævia dispensatione ordinet, privandus sit potestate conferendi ordines; ordinatus verò maneat suspensus ab usu & executione susceptorum Ordinum, donec dispensetur. *c. 2. h. t.*

Quæstionis est, quis super bigamia dispensare possit? respondeo distinctè, &

Dico I. Papa potest dispensare in quacunque bigamia: quia est de jure humano, idque praxis Ecclesiæ comprobat; siquidem defacto cum bigamo quodam ad Archi-Episcopatum Panormitanum, & cum alio ad Subdiaconatum dispensâsse, testatur Glosla *in c. Lector dist. 34.* Nec refragatur *d. c. 2. h. t.* in illis verbis: *in bigamis contra Apostolum dispensare non licet:* hæc enim solùm insinuant, quòd irregularitas bigamiæ fundetur in præcepto Apostoli, & proinde ob reverentiam illi debitam non passim sine juste, & gravi causa sit cum bigamo dispentandum, quamvis eadem dispensandi potestas S. Pontifici adempta non sit. arg. *c. fin. dist. 82.* Layman. *in d. c. 2. n. 2.*

Dico II. Episcopus nequit dispensare in bigamia vera aut interpretativa, non solùm quo ad Ordines sacros, ut constat ex *cit. c. 2. h. t.* sed neque ad minores, aut primam tonsuram, quin etiam nec quò ad usum Minorum Ordinum: quia nullibi legitur ejus dispensatio Episcopo concessa. Vallensis *h. t. n. 6.* ubi

ubi hanc sententiam communiorem asserit, Probatque ex *c. un. h. t. in 6.* & ex Trident. *sess. 23. de Reform. c. 17.* Neque obstat *d. c. 2.* argumentum enim inde petitum à contrario sensu, ut liceat Episcopis dispensare circa Minores, satis infirmatur ex aliis prohibitionibus generalibus & tempore posterioribus. Oppositа tamen sententia probabilitatem suam habet vel ex numero Authorum, qui eam tuentur è quibus est D. Thom. in 4. *d. 24. q. 3. a. 3.* Sylvest. *V. Bigamia q. 7.* & alii.

Dico III. In bigamia similitudinaria, si purè talis sit, & interpretativam admixtam non habeat, etiam Episcopus saltem post peractam pœnitentiam dispensare potest, tam quo ad exercitium susceptorum, quàm quo ad receptionem Ordinum quoque majorum. *c. 4. de Clericis conjug. c. 1. Qui Clerici vel voventes &c.* Ubi generaliter Episcopis datur facultas dispensandi cum Clericis, qui matrimonium contraxerunt. Quam non limitat *c. 2. Eod.* ubi ista licentia concedi videtur tantùm in casu, quo reus monasterium ingreditur; ibi namque agitur de pœna particulari Subdiaconi illius, qui ordinatus non sponte convertitur, sed cogitur abjurare eam, quam duxit, & tenet *ibid.* Gloss. & Panorm.

Dico IV. In Bigamia similitudinaria cum suis Regularibus possunt quoque dispensare Superiores Regulares, Generales, Provinciales, Abbates, aliique habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Aliis verò Prælatis Regularium, licèt Mendicantium, talis potestas data non reperitur, ut jure communi dicendum sit, non competere, nec ordinaria eorum privilegia hujusmodi potestatem concedere. Zoës. *h. t. n. 20.*

9 *Tertius Effectus* bigamiæ est, quòd Clericum bigamum exuat omni privilegio clericali. *c. un. h. t. in 6.* ibi: *bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos, & coërcitioni fori secularis addictos consuetudine contrariâ non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram, vel habitum clericalem.* Notat verò Glossa *ibidem* sub hac constitutione solùm comprehendi Clericos sæculares in Minoribus constitutos: nam Regulares, & qui sunt in Sacris, licèt ob contractam bigamiam suspendantur ab Ordinum executione, non tamen perdunt privilegia Canonis & Fori.

TITULUS XXII.
De Clericis Peregrinis.

SUMMARIA.

1. Quid sint literæ dimissoriales?
2. Usque 8. Quis dare eas possit?
8. 9. A quo, & quos Ordines vi dimissorialium retiper liceat?
10. Quanam literæ dimissoriæ continere debeant?
11. Episcopus alienus non potest cum dimisso dispensare in interstitiis.
12. Non exspirant morte dantis.

REstat, ut dicamus de literis dimissorialibus, sine quibus Clerici peregrini, & extranei, qui non sunt de Diœcesi, sive jurisdictioni Episcopi ordinantis subjecti, ordinari prohibentur. *c. 2. & 3. dist. 98. c. 2. h. t.* Trident. *sess. 23. de Reform. c. 16.* & Nos *supra in tit. 11. à n. 20.*

§. I.

Definiuntur literæ dimissoriales, seu ut alii vocant, reverendæ, quòd sint licentia scripta, vigore cujus ordinandus licentiatur, ut ab Episcopo alieno possit ordinari.

§. II.

Causa efficiens literarum dimissorialium est is qui eas concedit. Potest autem concedere I. S. Pontifex, & quidem omnibus Christianis per *c. 1. de Temporib. Ordin. in 6.* ibi: *nisi a nobis specialem licentiam habeat.* quia est generalis Episcopus totius mundi *c. cuncta per mundum 17. causa 9. q. 3.* 2

3 II. Literas dimissorias dare potest Episcopus proprius, sive sit originis, sive domicilii, sive beneficii, dummodò sit electus & confirmatus, quamvis non consecratus *c. cùm nullus 3. de Tempor. Ordinat. in 6.* Azor. *Instit. Mor. p. 2. lib. 3. c. 49. q. 2.* Episcopi verò Superior, seu Archi-Episcopus jure metropolitano subditos Episcopi suffraganei dimittere nequit, qui nec ordines eis conferre potest. Vallens. ad *Tit. de Temporib. Ord. §. 4. n. 3.* cum communi.

4 III. Literas dimissorias dare potest Officialis, seu Vicarius generalis Episcopi, sed tunc solùm, si vel habeat speciale mandatum, aut Episcopus in remotis extra Provinciam, saltem per duas diætas commoretur. *d. c. cùm nullus.* & ibi Interpp. Monet tamen Piasecius *in praxi Episcop. p. 1. c. 1. n. 10* non esse satìs tutum, ut Vicarius absente Episcopo sine mandato speciali dimissorias concedat. Sed in hoc spectanda est consuetudo Diœcesis, & quæ sit censenda voluntas Episcopi ab sentis.

5 IV. Has literas concedere potest Capitulum, vel ejus Vicarius sede vacante, & quidem jure communi absolutè, ac in omni casu. *d. c. cùm nullus.* De jure verò Trident. non nisi duobus casibus. *Primus* est, quando Episcopatus vocavit per annum integrum. *Secundus,* si quis est arctatus ratione beneficii vel recepti, vel recipiendi, quod certum ordinem requirit, ita ut illud perderet, nisi tunc temporis ad Ordinem requisitum promoveretur. Trident. *sess. 7. de Reform. c. 10.* Pirrhing *ad tit. de Temporib. Ordin. n. 58.* Cæterùm in illo casu, quo Capitulum vel Vicarius literas dimissorias dare potest, etiam in interstitiis dispensare posse, notat Piasec. *d. c. 1. n. 49.* cùm enim tunc possit absolutè dare licentiam ordines ab alieno Episcopo recipiendi. cur non etiam justa de causa citiùs recipiendi?

V. Abbates quoque & alii Prælati Regulares dimissoriales dare possunt, sed suis tantùm Regularibus, & ad Episcopum Diœcesanum, hoc est, ejus Diœcesis, in qua situm est Monasterium; nisi hìc, aut non sit Ordines collaturus, aut absens, vel mortuus, tunc enim ad quemcunque Episcopum communionem cum S. Sede Apostol. habentem dimittere possunt, non requisito Vicario vel Capitulo Diœcesano. Ita Clementem VIII. 15. Martii Anno 1596 constituisse, & de ejusdem mandato S. Cardinalium Congregationem ad Trident. *super sess. 23. c. 10.* declarâsse, refert Tambur. *de Jure Abbat. tom. 2. disp. 2. q. 25. n. 3.* & Barb. *J. E. U. Lib. 1. c. 23. n. 64.*

Existimo verò hanc constitutionem & declarationem, etsi generaliter de Prælatis Regularibus loquantur, de Prælatis exemptis intelligendas non esse, vel certè quo ad eos usu non ubique esse receptas: passim enim videas Abbates exemptos suis Religiosis dare dimissorias ad quoscunque Episcopos. Neque adversatur Trident. cùm enim *sess. 23. de Reform. c. 10.* tantùm probibeat, ne Abbates exempti sæcularibus suis subditis ad alienum Episcopum dimissorias concedant, a contrario rectè inferri videtur, quòd subditis Regularibus concedere possint. P. Engel *ad Tit. de Temporib. ordin. n. 33.* Imò P. Pirrhing *h. t. n. 56.* docet Prælatos exemptos, qui territorium distinctum exemptum habent, in eóque jurisdictionem quasi Episcopalem obtinent excluso Episcopo, literas dimissorias dare posse suis subditis etiam sæcularibus ad Episcopum alterius Diœcesis: quia Trident. *l. c.* id solùm vetat Abbatibus exemptis, non verò Abbatibus Jurisdictione quasi Episcopali præditis, quæ usque sunt diversa; præsertim cùm illi comparentur Episcopis, quo ad illa, quæ sunt jurisdictionis.

§. II.

§. III.

8 *Objectum*, seu *materia* literarum dimissorialium est, quam continent, licentia Ordines ab alieno Episcopo recipiendi. Datur autem aliquando licentia generalis, subinde specialis. Generalis, ut quis possit ordinari à quovis Antistite Catholico, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ, & liberam executionem sui officii habente. *c. veniens* 19. *de Præscript.* Specialis, veluti quòd quis ordinari possit â tali vel tali Episcopo: & tum nequit ab alio ordinari, quàm ab expresso: quia unius expressio est alterius exclusio. arg. *c. nonne* 5. *de Præsumpt.* Ideóque si Episcopus in literis dimissoriis nominatus, impeditus nequeat conferre Ordines, curétque in sua diœcesi per alium Episcopum eos conferri, talis non poterit ordinare, nisi personas subjectas illi Episcopo, de cujus licentia, & in cujus diœcesi sit ordinatio; alioquin pœna suspensionis incurritur. Bonacina *de Censuris disp.* 3. *q.* 1. *punctò* 11. Atque ita *c.* 5. *sess.* 6. Tridentini; ne repugnet *c.* 11. *sess.* 7. accipit Zerola 1. *p. prax. Episc. in* 5. *dimissoriæ in resp. ad* 5.

9 Planè licentia hæc stricti juris est; quapropter si detur ad minores, vel absolutè, seu simpliciter ad Ordines recipiendos, juxta communem restringitur ad Minores arg. *c.* 1. *de Temporibus ordin.* Quod ipsum hodiernus stylus comprobat, quô in dimissoriis nominatim exprimi solet, facultatem concedi, ut dimissus tam ad quatuor minores, quàm reliquos majores sacros Ordines, etiam Presbyteratûs promoveri, ac ordinari possit; quod sanè supervacaneum esset, si indefinita concessio universali æquipolleret. Attamen si constituto in Minoribus hoc sciens Ordinarius dimissorias concederet ne nihil operentur, ad Ordines majores trahendas opinor arg. *c. si Papa de Privilegiis in* 6. & si Ordinem superiorem expresserit, inferiorem inclusisse videtur, cùm inferior virtute insit superiori.

§. IV.

Forma literarum dimissorialium stat in le 10 gitima earundem concessione, quæ de jure tribus requisitis absolvitur.

Primum est; ut in ipsis literis inseratur causa, ob quam Episcopus proprius ordinandum dimittit *c.* 1. *& ibi* Glossa *de Temporib. ordin. in* 6. Trident. *sess.* 7. *de Reformat. c.* 11. quanquàm pluribus in locis receptum sit, ut nulla causa exprimatur. Rebuff. *in Pract. Benefic. de literis dimiss. n.* 18.

Secundum, ut addatur commendatio, seu testimonium de natalibus, ætate, moribus & scientia ordinandi: nec enim dimitti debet nisi examinatus & approbatus. Trident. *sess.* 23. *de Reform. c.* 3. Quòdsi tamen, qui petit dimissorias, absens sit, usus obtinuit, ut examen committatur Episcopo ordinanti.

Tertium requisitum est, ne Episcopi vel eorum Ministri pro literis dimissoriis, vel pro sigillo, aut alia quacunque de causa, vel quocunque prætextu aliquid etiam sponte oblatum accipiant; exceptis Notariis: qui si salarium constitutum non habeant, licitè possunt accipere decimam partem unius aurei Trident. *sess.* 21. *de Reform. c.* 1. Verùm severam hanc constitutionem in Germania receptam non esse, in propatulo est, dum pro hujusmodi literis in aliquibus diœcesibus dimidius, in aliis propè integer aureus, seu ducatus non solùm accipitur, sed petitur quoque: ut proinde sit in conscientia excusati, imprimis & maximè dantes, qui communiter aliter impetrare nequeunt; tum etiam ipsi accipientes, si, ut fieri potest, & solet, nitantur vero jure. Vid. Less. *de Just. c.* 23. *dub.* 10.

§. V.

Finis harum literarum est facere fidem de data licentia ordinandi peregrinum, seu extraneum. Siquidem licet Episcopus proprius

hanc licentiam etiam oretenus dare possit, quia Trident. solùm requirit consensum proprii Episcopi, ad majorem tamen fidem dari solet per literas patentes.

§. IV.

11 *Effectus* est, quòd licentiam tribuat Ordines ab alieno Episcopo recipiendi, servatis tamen interstitiis: dum namque dimissoriæ conceduntur, non eò ipsò mox censetur dispensatum super interstitiis, cùm non sint inter se necessariò connexa, nisi hujus quoque dispensationis, ut solet mentio fiat, vel aliunde sufficienter præsumi possit. Neque ille Episcopus, ad quem dimissoriæ diriguntur super interstitiis, cum tali ordinando dispensare potest sine proprii Episcopi consensu, eò quòd proprius subditus non sit, in quem solummodò exercetur dispensatio, & alii actus jurisdictionis. S. Congregatio Tridentini teste Piasecio *in praxi Episcop. p. 1. c. 1. n. 11.* Verumtamen si dimissus laboret aliquò impedimentò dispensabili per Episcopum, posset in eo dispensare ille, ad quem dimittitur, esto illi non sit facta specialis permissio: etenim concessâ ordinandi potestate, illa quoque concessa videntur, sine quibus non potest ordinatio expediri. arg. *c. præterea de Officio deleg.* Gobat *in Theol. experiment. tr. 8. casu 14. n. 575.* ubi *n. 576.* addit, Ordinatori hanc dispensandi potestatem competere, etsi dimissoriæ contineant hanc clausulam: *si tamen aliàs nullum tibi obsistat impedimentum canonicum.*

12 Cæterùm literæ dimissoriales durant, donec expressè revocentur à concedente, vel ejus successore; neque exspirant solâ morte, aut depositione concedentis: non enim se habent instar mandati (quod morte mandantis re integrâ extinguitur. *l. mandatum. C. Mandati*) sed instar privilegii & gratiæ, cùm respiciant præcipuè favorem illius, cui conceduntur: gratia verò perpetua est, nec cessat obitu concedentis. per *l. 2. C. de Diversis Rescript.* Azor. *Instit. Moral. p. 2. lib. 3. c. 49. q. 5.*

§. VII.

Porrò *h. t.* non solùm peregrini absque literis dimissoriis ab ordinatione submoventur, verùm etiam, & specialiter cavetur, ne Clerici peregrini, aut ignoti, de quorum scilicet vita, & ordinatione non constat, publicè celebrare, vel in Ordinibus ministrare permittantur, nisi privatim, & secretò, donec *formata*, id est, testimoniales, seu commendatitias literas â proprio Episcopo signatas exhibeant, vel testes idonei deponant de illorum statu & conversatione. *c. 2. & 3. h. t.* Trident. *sess. 23. de Reform. c. 16.* Ratio est: quia Ecclesia similes pro suspectis habet, quasi essent fugitivi, criminosi, suspensi, vel non legitimi ordinati. *c. 1. dist. 73. c. 3. & 4. dist. 98. & c. 1. de Temporib. ordin. in 6.* Quæ tamen suspicio vel præsumptio cessat, si quis justas causas demonstrare valeat, ob quas formata producere nequeat, v. g. amissa ob injurias belli; consequenter in tali casu eidem juranti, se ritè ordinatum, omninò credendum videtur, & publicum quoque exercitium concedendum, si aliàs nullæ obstent conjecturæ in contrarium, eò quod hìc de nullius præjudicio agatur, neque fides jurantis in similibus circumstantiis suspecta esse possit; sicut illius, qui formata facilè acquirere potuisset, & causam excusantem non habet, de quo solummodò intelligendum est *c. 2. h. t.* dum præter juramentum alias probationes exigit. P. Engel *h. t. n. 2.*

TITULUS XXIII.

De Officio Archi-Diaconi.

SUMMARIA.

1. Archi-Diaconus quis dicatur?
2. 3. 4. Officium & munus ejus in quibus consistat?

Hi-

HActenus de promotione & ordinatione Clericorum. Nunc per decem sequentes titulos de ipsis promotis, eorúmque officiis dispiciamus.

§. I.

1 *Archi-Diaconus* est Vicarius proximus Episcopi, omnem solicitudinem, & curam tam in Clericis, quàm eorum Ecclesiis, cognitionémque & ordinariam jurisdictionem habens. Colligitur ex *c. 1. h. t.*

§. II.

2 *Officium* Archi Diaconi de jure communi est providere, ut Divinum officium ritè fiat. *c. 2. h. t.* bene custodire res Ecclesiæ, *cap. 3. eod.* Ordinandos & beneficiis præficiendos examinare, ac postea examinatos, probatósque Episcopo præsentare. *c. 7. & 9. h. t.* in dignitatibus & beneficiis corporaliter instituere, seu investire, id est, in possessionem beneficii mittere. *d. c. 2 & 9.* visitare singulis annis semel sui Archi-Diaconatûs Ecclesias. *c. 6. h. t.* totam verò diœcesin, si Episcopus non possit, de tertio in tertium annum. *c. 1. eod.* Quæ tamen visitatio hodie singulis annis, vel saltem si nimis ampla sit diœcesis, biennio per ipsum Episcopum, aut eô impeditô per Vicarium generalem fieri deberet. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 3.* Denique ad Archi-Diaconum pertinet, in tota diœcesi tam in- quàm extra urbem, & in omnibus, quæ administrationem, aut jurisdictionem respiciunt, curam & vicem Episcopi gerere. *d. c. 1. & c. 7. h. t.*

3 Excipiuntur tamen negotia ardua. Et hinc I. Archi-Diaconus non potest committere curam animarum sine licentia & jussu Episcopi, idque non obstante consuetudine contrariâ. *c. 4. h. t.* Barbosa *de Officio & potest Episc. p. 3. alleg. 72. n. 186.* II. Non potest dare literas dimissorias ad suscipiendos alibi Ordines. *c. 8. Eod.* III. Caulæ criminales, matrimoniales, & probabiliter etiam beneficiales ejus examini non subsunt, sed sunt ipsi Episcopo commissæ. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 20. & ibi* Barbosa *n. 7.* nisi specialiter de similibus quoque judicare expressè concessum sit, vel consuetudine obtentum; de quo casu communiter DD. accipiunt *c. 7. de Prabendis.* ubi Archi-Diaconus Clericum Beneficio privavit, & alium substituit. Panorm. *n. d. c. 7. n. 2.* IV. De jure communi nequit excommunicare, suspendere, vel interdicere. *c. 5. h. t.* Licèt id aliquando possit de consuetudine juxta *c. 54. v. sed cùm in jure de Elect.* vel ex speciali commissione Episcopi, in quo sensu intelligendum est *c. 5. de Sent. excom. in 6.* V. Nullam etiam jurisdictionem habet in Religiosos & Monasteria, nisi quam dederit consuetudo. *c. fin. h. t.* Et ratio est, quia cùm Monasteria præter Episcopum habeant adhuc alium immediatum Superiorem, nimirùm Abbatem, Præpositum vel Priorem, per quem Episcopus sufficienter sublevatur, non est opus, ut eis etiam Archi-Diaconus præficiatur.

Cæterùm rectè notant Interpp. *ad c. 1. h. t.* 4
quòd sicut olim, ita hodie variæ sint Ecclesiarum consuetudines circa Archi-Diaconi officium, & potestatem: nam in quibusdam locis nullus est Archi-Diaconus: in nonnullis præeminentiam tantùm habet inter Canonicos sine jurisdictione; in aliquibus verò etiam jurisdictionem exercet in Clericos & Parochos civitatis, & certum districtum ejus qui fines Archi-Diaconatûs dicuntur; in aliis non unus tantùm, sed plures Archi-Diaconi constituuntur, qui partes diœcesis veluti regiunculas sibi subjectas habent, tantùm Vicarii Episcopi, & intitulati; tandem plerisque in Ecclesiis tota Archi-Diaconi jurisdictio per consuetudinem ad Vicarium Generalem, seu Officialem Episcopi transiit; ut proinde hac in re potiùs inspicienda sit cujusque Ecclesiæ consuetudo, aut statutum, quàm jura scripta, arg.

6. cùm olim 6. de Consuet. Sylvester V. *Archi-Diaconos n.* 1. Vallensis *h. t. n.* 3..

TITULUS XXIV.

De Officio Archi-Presbyteri.

SUMMARIA.

1. Archi-Presbyter quis?
2. Alius urbanus, alius ruralis.
3. 4. Utriusque munus & officium.

ARchi-Diacono proximus dignitate & gradu in Ecclesia Cathedrali est Archi-Presbyter, qui nonnunquam Decanus salutatur.

§. I.

1 Est autem *Archi-Presbyter*, quasi primus Presbyterorum, ille, qui præest Presbyteris, ac eorum officiis, vicésque absentis Episcopi in spiritualibus gerit. *c. 1. h. t.*

§. II.

2 Archi-Presbyter alius est *urbanus* sive *civitatensis*, alius *ruralis*, *foraneus*, seu *plebanus*. *Urbanus* est, qui præest Presbyteris in civitate, ubi Sedes est Episcopi, existentibus, & Episcopi vicem in Divino officio suppet; de quo in *c. 3. h. t.* *Ruralis* seu *foraneus* dicitur, qui curam animarum in plebe exercet, & super alios Parochos, ac Presbyteros, qui per minores titulos habitant, inspectionem gerit; de quo *in c. fin. h. t.* Et hic propriè videtur nuncupari Decanus *in c. 7. de Officio Archi-Diaconi* ac Vicarius foraneus *in Clem. de Rescript.* juncta Gloss. *V. foraneo.*

§. III.

3 *Officium* Archi-Presbyteri tum urbani tum ruralis est multiplex.

Ad *Archi-Presbyterum urbanum* spectat, Episcopo missam canente ordinare Sacerdotes ad altaris ministerium: Missarum solennia in absentia Episcopi celebrare, cantúmque Horarum auspicari: orationes, quas vocant collectas, recitare: benedictiones presbyterales ad Lectiones impertiri: infirmum oleó perungere, ac curam animarum agere: eam namque in Ecclesia Metropolitana, aut Cathedrali habet facultatem, quam quilibet Presbyter in sua Parochia. *d. c. 1. 2. & 3. h. t.* Cæterùm Archi-Presbyter urbanus ob præeminentiam, quam inter Canonicas, aliósque Clericos obtinet, in dignitate quidem, seu potiùs personatu positus censetur, ita ut ipsiá Sede Apostolica vel Legato ejusdem causæ delegari possint juxta. *c. 11. de Rescript. in 6.* in foro tamen externo de Jure communi nullâ jurisdictione præditus est. arg. *d. c. 1. h. t.* De jure communi inquam; non enim me fugit, in quibusdam locis, ubi Archi-Diaconus non est jurisdictionem in Clericos Archi Presbyteris, seu Decanis Ecclesiarum Cathedralium, aut collegiatarum competere.

Ad *Archi-Presbyterum ruralem* pertinet non solùm vulgi & plebis, sed etiam Presbyterorum curam gerere, & quâ quisque industriâ Divinum opus exerceat, observare: Clericorum rixas, ebrietates, aliáve scandala impedire, vel si minùs ipse possit, Episcopo suo referre: ejus etiam decreta per se, aut per alios executioni mandare. *c. fin. h. t.*

Utrùm verò Archi Presbyter, seu Decanus ruralis habeat externam aliquam jurisdictionem? Rationem dubitandi suggerit *d. c. fin.* ubi omnia referre jubetur ad Episcopum. Verùm plerisque placet; in minoribus saltem aliquibus negotiis jurisdictionem ei denegandam non esse, cùm si veluti Vicarius Episcopi foris constitutus ad gubernandum Clerum, ac populum, quod officium sine omni prorsus jurisdictione convenienter exequi non potest. Pirrh. *h. t. n.* 11. Neque obstat adductum *c. fin.* id enim solùm procedit in negotiis gravioribus, aut magni momenti, ita ut ea solùm Decanus ruralis propriâ authoritate dijudicare non debeat, sed Episcopo referre; imò dum *in fin. cit. cap.* prohibetur, ne contra

tra Episcopi decretum aliquid ordinare præsumat, videtur eô ipsô concessum, quòd secundùm decreta, & statuta Episcopi causas decidere valeat. Nequaquam tamen existimes, eidem competere potestatem excommunicandi delinquentes inconsulto Episcopo: quia nec Archidiacono (qui Jurisdictione major est Archi Presbytero. *c.1. h.t.*) hæc potestas de jure concessa est. *c.5. de Officio Archi-Diac.* eò quòd excommunicatio sit maxima pœna in Ecclesia, & magni præjudicii. Equidem *in c. 3. de Officio ordinarii.* dicitur, Plebanum (quo nomine etiam Archi-Presbyter venire solet) posse sententiam excommunicationis ferre in Clericos, vel laicos paræcianos suos; sed rectè Glossa respondet textum illum loqui de tali casu, quo ex consuetudine, privilegio, vel alio jure, aut concessione speciali Plebano, seu Archi-Presbytero major potestas, & jurisdictio competit, de jure communi aliàs non concessa.

TITULUS XXV.
De Officio Primicerii.

SUMMARIA.

1. Nominis ratio. 2. 3. Primicerii munus & officium.

PRimicerius quoque Archi-Diacono subest, & Archi-Presbytero absente in cantu & choro succedit.

§. I.

1 *Primicerius* ab eo dictus est, quòd vel fuerit primus in cera, in qua Psallentes in choro fuerant descripti; vel quòd ordinariè debuerit esse primus in choro, aut cantu, unde etiam Cantor, seu Præceptor nuncupatur *in c. 1. §. cantor. dist. 21. & c.6. de Consuet.*

§. II.

2 *Officium* Primicerii erat ordinare ea, quæ ad cantum spectant, aut referuntur. Item Clericos in choro delinquentes corrigere, & punire, ut habetur *in c. 1. §. ad Primicerium dist. 25.* ob quam animadversionem, seu aliqualer jurisdictionem in delinquentes dicebatur habere personatum, imò & dignitatem. *c. 8. de Constit.* Consequenter & præcedentiam aliquam, seu præeminentiam respectu aliorum Clericorum habere debuit, sicut communiter colliguntDD. & ipsiusmet nominis ratio insinuare videtur. Azor. *Instit. moral. p.2. L.3. c. 16. q. 3.*

Præterea *in c.un. h.t.* ad Officium Primicerii pertinere traditur, Diaconis, & reliquis Clericis in docendo præesse, instruendo nimirum illos in modo cantandi, in latina lingua, & aliis disciplinis, præcipuè ad Divinum officium honestè peragendum necessariis. Hinc de Jure antiquo Primicerius etiam magister Scholarum, & Scholasticus appellatus est. De Jure verò Trident. *sess. 23. de Reform. c. 18.* Scholastriæ cura in Cathedralibus præsertim Ecclesiis committi jubetur non nisi Graduato, vel aliàs ad instruendum idoneo, sive deinde talis fungatur simul officiô Primicerii, sive non, ut ita officia Scholastici & Primicerii juxta Trident. non videantur necessariò esse connexa, sed diversis committi valeant. 3

Hodie in plerisque Ecclesiis Cathedralibus titulus quidem & præbenda Scholastici retinetur ab aliquo Canonicorum, officium tamen vix alicubi propriè exercetur propter multitudinem Universitatum, & Gymnasiorum, in quibus multò facilius scientiæ & liberales artes addiscuntur. Similiter ea, quæ ad Primicerium de jure spectant, passim per vicarios etiam laicos, & Ecclesiarum famulos expediuntur.

TITULUS XXVI.
De Officio Sacristæ.

SUMMARIA.

1. Sacrista quis? 2. Ejus Officium.

Nunc

NNunc sequitur de officio Sacristæ, qui *in c. 1. §. ad thesaurarium. dist. 25.* Thesaurius, & *in l. fin. §. fin. C. de Bonis auctorit. jud. possid.* Cimeliarcha appellitatur.

§. I.

1 *Sacrista* dicitur à rerum sacrarum custodia, quasi *sacristans*, & est ille Ecclesiæ Minister, qui immediatam curam sacri thesauri habet: Barthol. Cartag. *h. t. observ.* 1.

§. II.

2 Ad *Officium* Sacristæ spectat custodia sacrorum vasorum, vestimentorum, & totius thesauri Ecclesiæ, nec non ceræ & olei ad luminaria pertinentis. Text. *in c. un. h. t.* Ex quo patet Sacristam de jure communi nudum obtinere officium sine ulla jurisdictione, aut præeminentia; quamvis de consuetudine, aut particularibus statutis in quibusdam Ecclesiis dignitate præfulgeat, cùm ei S. Pontifex causarum cognitionem quandoque delegaverit juxta *c. 32. de Officio delegati c. 11. de Foro compet. c. 18. de Conversi. conjug.* Vallens. *h. t. n. 3.*

TITULUS XXVII.
De Officio Custodis.

SUMMARIA.

1. Custos quis? 2. Ejus Officium.

SUbjicitur de Officio Custodis, qui quasi Minister est Sacristæ, teste Glossâ & Panorm. *ad Rubr. h. t.*

§. I.

1 Describitur autem *Custos*, quòd sit is, cui ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda committuntur. *c. 1. h. t.*

§. II.

2 *Officium* Custodis est, obedire Archidiacono, cui subest: ad horas Canonicas tintinnabula jussu Archi-Diaconi pulsare: omnia ornamenta, linteamina & utensilia Ecclesiæ custodire: lampades & laternas vigilanter accendere & extinguere: incensum & luminaria curare: panem & vinum ad missam celebrandam omni tempore præparatum habere: denique oblationes, eleemosynas, & decimas absente Episcopo de licentia Archidiaconi inter Fratres dividere. *d. c. 1. & 2. h. t.* Ex quibus constat munus Custodis de jure communi esse nudum officium, idque commune, ac ferme idem cum officio Sacristæ: unde plerisque in locis tantùm est alter eorum. Azor. *Instit. moral. p. 2. lib. 2. c. 16. q. 8.*

TITULUS XXVIII.
De Officio Vicarii.

SUMMARIA.

1. Vicarius quis?
2. Vicarius alius natus, alius datus. 3. Alius generalis, alius foraneus.
4. Usque 8. Quis possit constituare Vicarium generalem?
8. 9. 10. Vicarius debet esse Clericus secularis, & probatæ doctrinæ.
11. 12 Constitui potest Vicarius unus vel plures. 13. & vel in spiritualibus, vel in temporalibus.
14 Quomodo 15. & ob quem finem assumatur Vicarius?
16. usque 23. Vicarii generalis officium & potestas.
23. usque 30. Quibus modis finiatur potestas Vicarii.
30. 31. Vicarius in Dubiis alius est temporalis, alius perpetuus.
32. Episcopus nequit instituere Vicarium perpetuum in Parochia Monasterio pleno jure incorporata.
33. Curæ animarum residet penes Vicarium perpetuum.

NOmine *Vicarii* generaliter omnis ille intelligitur, qui vicem alicujus gerit, seu qui loco alterius substituitur. *In hoc tit.* autem potissimùm agitur de *Vicario Episcopi*, qui recepto more loquendi simpliciter *Vicarius* vocatur.

§. I.

Definitur Vicarius Episcopi, quòd sit is, cui commissa est jurisdictio sive voluntaria, sive contentiosa, quam vice Episcopi exerceat.

§. II.

§. II.

2 *Dividitur* Episcopi Vicarius I. in legitimum, seu natum, & datum. Legitimus est, qui ab ipsa lege constituitur, sicut v.g. Archidiaconus, & Archipresbyter, qui ipso jure ratione dignitatis & officii proprii, quo funguntur, sunt quasi nati Vicarii: etsi non tam Vicarii, quàm ex proprio officio Archidiaconus & Archipresbyter dici soleant. Vicarius datus est, qui nullum proprium officium habet, sed merè vicarius est, & Episcopi vices ex ejus commissione subit.

3 II. Episcopi Vicarius dividitur in generalem, & foraneum. Generalis est ille, qui per totam Diœcesim vices Episcopi agit, atque idem cum Episcopo tribunal habet. Foraneus dicitur, qui solummodo ad certam partem Diœcesis deputatur, & foris extra sedem Episcopalem Vicariam jurisdictionem exercet.

Porrò Vicarius generalis tripliciter constituitur: nimirum vel in temporalibus tantùm, vel in spiritualibus tantùm, vel in temporalibus & spiritualibus simul. Si constituatur in temporalibus tantùm, rectiùs *œconomus* Ecclesiæ appellatur, neque ordinariè venit nomine Vicarii generalis, qui personas præcipuè & jurisdictionalia respicit. Si constituatur in spiritualibus tantùm, puta in causis matrimonialibus, beneficialibus, ac hujusmodi, communiter *Officialis* salutatur, éstque propter excellentiam officii in dignitate positus; non item Vicarius in temporalibus tantùm, sicut nec Foraneus. *Clem. 2. de Rescript.* juncto *c. 11. Eod. in 6.* quia isti non habent specialem præeminentiam in Ecclesia de Jure concessam. Si demum in spiritualibus simul & temporalibus constitutus sit, tunc simpliciter Vicarius generalis dicitur: quamvis aliàs ad hoc, ut quis sit, & dicatur Vicarius generalis, sufficiat potestas & ad ministratio in spiritualibus tantùm, prout colligitur ex *Trid. sess. 13. de Ref. c. 2. & c. 3. de temporibus Ordin. in 6.* ubi expressè fit mentio generalis Vicarii in spiritualibus. P. Engl. *h. t. n. 4.*

§. III.

Causa efficiens Vicarii est, qui eum constituit. Potest autem constituere I. Episcopus, & quidem solus sine consensu Capituli, ut tradit Hostiensis *in Summa h. t. sub n. 4.* Panorm. *in c. 5. n. 4. Eod.* attestans ita servari de consuetudine. Azor. *Institut. moral. p. 2. lib. 3. c. 6. q. 14.* 4

An verò Episcopus teneatur assumere Vicarium seu officialem generalem? non convenit inter DD. Affirmat Vallensis *h. t. §. 2. n. 3.* Negat Barb. *de Offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 54. n. 125.* referens pro se diversas decisiones Rotæ Romanæ. Ego distinguo: an Diœcesis aliqua tam ampla sit, & tot Episcopi occupationes, ut ipse solus per se absque subsidio Vicarii moraliter loquendo omnia & singula expedire nequeat, vel num sine notabili defectu omnia facilè solus valeat administrare, propter extraordinariam v. g. in rebus gerendis dexteritatem & industriam, vel propter diœcesis angustiam, aut occupationum paucitatem, quemadmodum in pluribus locis, præsertim Italiæ, videmus, Episcoporum districtum sæpiùs ultra unam, aut alteram civitatem non extendi. Priori casu affirmo, suadétque naturalis ratio, Episcopum ad costituendum Vicarium generalem adigi posse: cùm teneatur ad perfectam, & competentem executionem sui officii vel per se, vel per alium, scilicet Vicarium, ne Ecclesia vel subditi detrimentum aliquod ex defectu curæ Episcopalis patiantur. Neque sufficere videtur, pro quolibet singulari actu diversos suo tempore deputare: nam exinde frequenter suboriretur aliqua confusio in Ecclesia proper multitudinem talium deputatorum, qui sæpiùs pro suspectis haberentur, aut diversas inter se, & contrarias sententias 5

ferrent. Posteriori casu, si nempe consideratis omnibus circumstantiis solus velit, ac convenienter possit propter augustiam v. g. Diœcesis totum Episcopale onus ferre, nego; nec apparet, quare ad constituendum Vicarium cogi deberet, cùm Vicarius Episcopalis non nisi in supplementum à Jure concedatur, & tota potestas Episcopalis, exercitiúmque jurisdictionis principalier ipsi Episcopo competat. Colligitur hæc distinctio *ex c. inter cætera. 15. de Officio Judicis ordin.* ubi Episcopo ex suppositio duntaxat, quòd per se sufficientes non sint, Vicarius assumere jubentur, Vid. Pirrhing *h. t. n.* 28.

6 II. Vicarium etiam generalem non tantùm potest, sed debet constituere Capitulum sede vacante. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 16.* ubi ita statuit: *Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licenteatus, vel aliàs idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur; vel si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta œconomum & Vicarium idoneos possit constituere. Episcopus verò ad eandem Ecclesiam vacantem promotus ex iis, quæ ad eum spectant, ab eisdem œconomo, Vicario, & aliis quibuscunque Officialibus, & Administratoribus, qui sede vacante fuerunt à Capitulo, vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat Officiorum, Jurisdictionis, Administrationis, aut cujuscunque eorum muneris, possitque eos punire, qui in eorum officio, seu administratione deliquerint, &c.*

III. Licèt Vicarius generalis Episcopi nequeat creare alium Vicarium generalem, totum quasi officium à se abdicando, & in alium transferando, arg. *c. 4. h. t.* potest tamen unum vel alteram causam delegare. Glossa *in c. 1. Eod. in 6.* & secundùm Molinam *de J. & J. tr. 5. disp. 10. n. 5.* ex legitima causa absentiæ, aut ægritudinis, etiam alium, qui ex eodem tribunali judicet, generaliter substituere: cùm hæc omnia aliis curam, & potestatem ordinariam habentibus concessa sint. Quæ vera quidem videntur, si interveniat consensus Episcopi; absque hoc verò censeo Vicarium generalem nec ad breve & modicum tempus alium surrogare posse; nam etsi jurisdictionem ordinariam habeat, ut infra *in Tit. de Officio Judicis ordin. §. 4.* probabimus, habet tamen non nisi dependenter ab Episcopo, cui substitutus est in eodem tribunali. Azor. *d. l. 3. c. 43. q. 3.*

§. IV.

Subjectum Vicariatûs Episcopalis est is, qui in Vicarium assumitur, in quo requiro I. ut sit Clericus: *idecorum est enim Laicum Vicarium esse Episcopi, & sæculares in Ecclesia judicare. c. in nova. 22. causâ 16. q. 7.* Quod tamen non obstat, quin Laicus consiliarius seu assessor ipsius Episcopi, vel Vicarii esse possit; siquidem suggerendo ea, quæ juris sunt, non pertractat negotia Ecclesiastica, cum ipse nihil exequatur; quamvis convenientiùs haud dubio foret, si nullo modo ad causarum Ecclesiasticarum decisionem adhiberentur Laici, supposito, quòd Ecclesiastici habiles ad dandum in similibus consilium adsint, prout ex Felino & Decio notat Vall. *h. t. §. 3. n. 2. in fin.* II. Requiro, ut sit Clericus sæcularis, non regularis, ne hic sæcularibus se immiscat, nisi cum licentia sui Prælati. Textus & Glossa

in c. 6. causâ 16. q. 1. Posse verò Religiosum cum licentia sui Prælati esse Vicarium generalem Episcopi, modò legitimè natus sit, & habear secum socium sui Ordinis, ex communi DD. sententia tradit Barbosa *de Officio & potest. Episcopi alleg. 54. n. 12.* Excipitur Religiosus Ordines Mendicantium, qui nequidem ex consensu sui Superioris assumi potest. *Clem. 1. §. ad priorat. us. de Regularib.*

10 III. Requiro, ut sit saltem in jure Canonico Doctor aut Licentiatus, vel aliàs, quantùm fieri potest, idoneus juxta Trident. *d. sess. 24. c. 16.* alioquin obligabitur Episcopus, si quid Vicarius in officio suo non rectè egerit; generale namque est, quòd Dominus seu Principalis obligetur ex culpa officialis, si negligentem, aut minùs idoneum præfecerit aut scienter toleraverit. Pirrhing *h. t. n. 67.*

11 Cæterùm non repugnat, quin quandoque duo constituantur ab Episcopo in Diœcesi, præsertim ampla, officiales vel Vicarii, quorum unus principalis sit, & ad quem literæ Apostolicæ destinentur, alter verò præsit Consistorio Episcopi in quibusdam tantùm causis, v. g. in matrimonialibus. Quin imò non obstat, quin pro faciliori negotiorum tractatione bini æquè principales Vicarii generales pro tota diœcesi creentur, ut patet *ex c. quoniã*

12 14. *de Officio Jud. ordin.* Quo casu si S. Pontifex causam aliquam deleget Vicario generali, nec constet de quo senserit, discordant Interpretes, uter eorum præferendus sit? Aliqui cum Glossa *in c. 14. de Officio deleg.* putant, illum præferendum, adeóque judicem esse, quem actor consentiente reo elegerit: quia de illo sensit, cùm literas impetravit. Si verò partes discordent, dicunt esse illum, cui primò fuerint literæ præsentatæ, vel qui aliunde dignior est; quam sententiam in rebus non contentiosis v. g. in dispensationibus, vel aliis similibus commissionibus verissimam existimat Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 27. n. 37.* Alii defendunt, neutrum cum effectu esse judicem delegatum, donec Papa delegans declaret, quem ex illis intellexerit, prout in simili dicitur, quando nominatur tutor incertus. *l. duo sunt 30. ff. de Testam. tut.* Delegatio tamen propter hanc incertitudinem non vitiatur, tametsi *in c. 10. de Rescriptis* delegatio incerta irrita decernatur; id enim verum est, quando Judex omnino incertus datus est, secus si ex certis incertus delegatus est. Alii statuunt econtra in simili casu ambos simul judices esse. Latè Berojus apud Sanchez *cit. n. 37.* Quam opinionem tunc admiserim, quando negotium ulteriorem dilationem non patitur, & periculum in mora est.

§. V.

Objectum Vicarii Episcopi sunt negotia, 13
quorum administratio eidem committitur. Potest autem committi I. administratio spiritualium quo ad jurisdictionem, quæ consistit in excommunicando, suspendendo, interdicendo, conferendo beneficia, instituendo, confirmando, eligendo, visitando, inquirendo, corrigendo, dispensando & similibus. II. Administratio spiritualium quo ad Ordinem, quæ consistit in ordinando, chrismate conficiendo, virginibus benedicendis, Ecclesiis, altaribúsque consecrandis, &c. III. Administratio temporalium, quæ versatur in jurisdictione omnimoda tam meri, quàm mixti imperii exercendi, atque etiam circa actus quosdam extra judiciales, puta circa bonorum temporalium alienationem, locationem censuum, reddituum, & pensionum exactionem, aut collectionem. Pirrhing *h. t. n. 27. ¥. Porro.* Azor *d. p. 2. lib. 3. c. 43. q. 7.*

§. VI.

Ad *formam*, seu modum, quo constituitur Vicarius Episcopi referenda est scriptura; 14

licèt enim absolutè etiam solô verbô Vicarius Episcopi creari possit, requiritur tamen scriptura publica & solennis ad probationem ejusdem, si à partibus negetur, constitutum esse Vicarium, vel in dubium vocetur: quia scripturæ auctoritas requiritur ad probandum judicem ordinarium, ut docet Jason *in l. more 5. n. 63. ff. de Jurisdict.* Formulam verò creandi Vicarium generalem tradit & copiosè exponit Azor. *d. c. 43. q. 11. & c. 46. q. 1.*

§. VII.

15 *Finis*, ob quem Vicarius assumitur, est, ut dum Episcopi per se ipsos omnia exequi non possunt propter distantiam locorum, copiam causarum, hominúmque multitudinem, in suo munere per eum subleventur, at vicem eorum sustineat.

§. VIII.

16 *Effectus* est, quòd Vicarius Episcopi per commissionem officii sui sibi factam possit expedire causas ad Episcopalem jurisdictionem pertinentes. Et quidem Vicarius generalis, seu officialis Episcopi eandem jurisdictionem habet cum Episcopo, utpote cui in Episcopali tribunali seu Auditorio substitutus est. Unde etiam vice-Dominus dicitur *in c. 15. de Judiciis.* Ex quo

17 Deduces I. Vicarium generalem post Episcopum, cujus vices subit, primum locum obtinere præ Canonicis, saltem si loquamur de pertinentibus ad tribunal Episcopale, quod addo: quia in aliis actibus, ut sessione in Choro, processionibus, &c. servanda videtur cujusvis Ecclesiæ consuetudo. arg. *l. 1. C. de Officio Vicarii.*

18 Deduces II. à Vicario generali ad Episcopum appellari non posse, non obstante ullâ consuetudine juxta *c. 2. de Consuet. in 6. c. Romana 3. de Appellat. in 6.* Ratio est: quia appellatio esse non potest ab eodem ad eundem, ut notat Glossa *in d. c. Romana.* Vicarius autem, cùm eandem jurisdictionem, idémque tribunal habeat cum Episcopo, censetur idem cum Episcopo. Ergo. Quamvis si recusetur Vicarius ut suspectus, causa suspicionis ab Episcopo cognoscatur per *c. 4. de Officio Delegati in 6.* Sed de hoc alibi.

Deduces III. quòd sicut Episcopus, ita etiam Vicarius ordinariam in omnes subditos diœcesanos, etiam in Parochos jurisdictionem habeat, arg. *d. c. 2. de Consuet. in 6.* Et hinc

Deduces IV. Officialem non tantùm omnium Diœcesanorum confessiones audire, eorum matrimoniis validè assistere, & in foro externo eorundem causas contentiosas saltem civiliter intentatas cognoscere, & judicare, sed talem facultatem etiam aliis Sacerdotibus delegare posse, teste Sanchez apud Layman *lib. 1. tr. 7. §. 5. n. 18.*

Deduces V. Vicarium generaliter, & sine expressis limitationibus constitutum præsumptionem habere pro se, quòd omnes causas Episcopalis jurisdictionis expedire possit, adeò ut si in aliquo Canone dicatur, quid ad Episcopi vel Diœcesani aut Ordinarii potestatem pertinere, etiam Vicario generali competere censendum sit, nisi inter casus exceptos, aut Episcopali dignitate proprios reperiatur. Specialiter autem in *c. 2. & 3. h. t. in 6.* reservatur potestas inquirendi, corrigendi, deponendi, puniendi, beneficia conferendi, & similium, quæ Episcopus verisimiliter nollet sine suo præscitu expediri, si in specie recordaretur; maximè si in singulari aliqua & mera gratia consistant, quæ proinde specialem Episcopi commissionem desiderant, sicuti & concessio literarum dimissorialium. *c. cùm nullus 3. de Temporib. ordin. in 6.* Imò juxta praxim plerumque in rebus arduis Vicarii requirunt consensum Episcopi, nisi forsan absens sit, & difficilis conventionis vel periculum in mora: tunc enim similia Vicariis quoque concessa intelliguntur, quemadmodum de concessione dimissorialium

sium expresse habetur *in d. c. cùm nullus.* Confer. P. Engel. *h. t. n.* 10.

§. IX.

13 *Contraria* sunt modi, quibus officium & jurisdictio Vicarii finitur. Et verò officium Vicarii generalis finitur I. per obitum, resignationem, depositionem aut translationem Episcopi, adeò ut postea Vicarius nec incœpta negotia sub Episcopo vivente aut regente perficere queat, nisi fortè à Capitulo fuerit confir-
14 matus. Quo casu tamen, cùm jam Capituli, non Episcopi Vicarius sit, hinc sunt, qui putent, quòd causam ipsi tanquam Vicario Episcopi à Sede Apostolica delegatam ampliùs expedire non valeat. Sed contrarium æquè probabile, imo probabilius videtur: cùm enim Episcopalem jurisdictionem vice Capituli habeat, quodammodo est Vicarius Episcopi. Accedit, quòd licèt rescripta ad lites strictæ interpretationis sint, quatenus tendunt in præjudicium partis, amplam tamen interpretationem recipiant, quatenus concernunt potestatem Principis concedentis, aut delegantis Sanchez *d. l.* 8. *de Matr. disp.* 27. n. 33.

15 II. Finitur aut potiùs suspenditur officium Vicarii generalis toto tempore, quò Episcopus est excommunicatus, interdictus vel suspensus ab officio, eò ipso quòd habeant idem
16 tribunal. Glossa in *c.* 1. *h. t. in* 6. Ex quo tamen ne arguas, quòd Vicario in officio suo delinquente, etiam Episcopus deliquerit, ideóque tunc non Episcopus, sed Archi-Episcopus ejus Judex sit: quia licèt jurisdictio Vicarii sit eadem cum jurisdictione Episcopi, aliò tamen modò residet in Vicario, scilicet dependenter ab Episcopo, cui proinde Vicarius ratione officii est subordinatus. Layman *in c.* 1. *n.* 9. *h. t. in* 6.

18 III. Finitur, si Episcopus Vicarium revocet, ut potest pro libitu, tanquàm ad nutum amovibilem, ita quidem, ut licèt jurejurando promiserit, se nunquam Vicarium temorum, validè tamen eum revocet, quamvis non sine perjurii crimine, ut advertit Azor *d. l.* 3. *c.* 45. *q.* 14. *& seqq.* Quæ causa est, quòd Vicarius, quia perpetuus non est, ex se non habeat dignitatem, quæ beneficium Ecclesiasticum censeatur, aut incompatibilis sit cum alia dignitate aut beneficio; id quod hic obiter insinuo.

Sed enascitur *dubium*: si Episcopus simpli-28
citer constituat aliquem Vicarium generalem, non factâ mentione prioris jam existentis, an eo ipso prior sit revocatus? Affirmativam sustinet Vallensis *h. t.* §. 4. *n.* 2. & suadere videtur textus in *c.* 14. *de Procuratoribus. & in l.* 31. §. 2. *ff. eod.* ubi prior procurator revocari dicitur per constitutionem posterioris. Sed magis est, ut cum Panorm. *in c. volentes.* 8. *de officio Legati n.* 3. & cum Honorio *h. t. n.* 29. sentiam, Vicarium per simplicem constitutionem secundi non revocari, donec Episcopus specialiter revocationem exprimat; idque probatur ex *l.* 2. *C de Testamentaria tutela*, ubi habetur primum tutorem non eò ipsò revocari, quòd detur secundus. Ratio est: quia alioquin Vicarius nec verbis, nec facto revocatus dici potest; non verbis, ut supponitur; non factò: nam ut supra *n.* 11. ostensum, expedit interdum esse plures Vicarios generales ejusdem Episcopi, consequenter posterioris constitutio effectum habere possit absque eo, quòd prior revocetur. Neque officit argumentum contrarium: diversa enim ratio subest in Procuratoribus, quorum officium solummodo privatum est, ubi concursus plurim impedimento esse solet; non sic in publicis, ubi sæpius unus non sufficit, & plus vident oculi, quàm oculus.

IV. Finitur officium Vicarii ejusdem mor-29
te, & propriâ renuntiatione expressâ vel tacitâ, ut per se liquet.

§. X.

Affinis Vicario Episcopi est *Vicarius* (ut30

nuncupatur) *in Divinis*: nempe qui in divinis ministeriis, & cura animarum, seu in foro conscientiæ alterius vices gerit. Et hic est vel temporalis, vel perpetuus.

Vicarius temporalis dicitur, qui ad tempus v. g. ob infirmitatem, graves occupationes, item ob Religionis ingressum durante tempore Novitiatûs, aut quamcunque aliam justam absentiam ab Ordinario, vel ipso Beneficiato constituitur, & ab ordinario approbatur: etenim absentiam, sicut & Vicarius in beneficio curato substitutus ab Episcopo approbari debet, præcipuè si Beneficiatus per longum tempus abesse velit. Trident. *sess.* 23. *de Reform. c.* 1. *§. eadem omnino.* Quòdsi verò absentia modica sit, unius v. g. septimanæ, tunc universali consuetudine receptum testatur Barbosa *de Offic. & potest. Parochi p.* 1 *c.* 8. *n.* 52. quòd Parochus interea possit pro suo libitu Vicarium aliàs ad curam animarum approbatum substituere, etiam sine alia speciali Episcopi approbatione.

31 *Vicarius perpetuus* est, cui Episcopi authoritate, & canonicâ institutione omnis Ecclesiæ cura alterius nomine in perpetuum commissa est, ita ut amoveri nequeat, nisi ob causam in jure expressam juxta *c.* 3. *h. t.* Unde Vicarius sive Vicariæ perpetuæ sunt instar beneficiorum Ecclesiasticorum, & omnia, quæ disponuntur de beneficiis curatis quo ad vacationem, ætatem, ordines, & alias qualitates, ac conditiones ad eadem requisitas, procedunt etiam de Vicariis perpetuis per *Clem. un. h. t. & ibi* DD. Potest autem & solet Vicarias perpetuus institui in Ecclesiis Parochialibus, quæ Cathedralibus, Collegiatis seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, beneficiis seu Collegiis, aut piis locis quibuscunque unita & incorporata sunt, nullis appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus obstantibus. Trident. *sess.* 7. *de Reform. c.* 7. Sed

32 *Quares* I. Anne Episcopus vi hujus Decreti facultatem habeat ponendi Vicarium perpetuum in Parochiis ita Monasterio unitis, ut vel ex primæva fundatione, vel incorporatione, vel succedente præscriptione ibidem exponi possint Regulares, sicut id universim permissum est in incorporatis pleno jure, scil. tam quo ad temporalia, quàm spiritualia juxta Bullam Pii V. *Ad exequendum circa fin.* n. Negativè, sed quòd prædicta constitutio Tridentini tantùm intelligenda sit de iis Parochiis, quæ solùm quo ad temporalia sunt unitæ, & semper per sæculares Clericos administratæ. Ita declarârunt Cardinales ad Trident. *sess.* 25. *de Regularib. c.* 11. *V. ad nutum amovibiles.* ubi etiam meminerunt Bullæ Pii V. id ipsum decidentis. Ratio est: quia Episcopus ibidem pro Vicario perpetuo nec Clericum Sæcularem, nec Religiosum exponere posset: non Clericum sæcularem, eò quòd privaret Monasterium jure exponendi suum Religiosum, quæ potestas privandi nullibi Episcopo est concessa: non Religiosum, cum nequeat eum ab obedientia sui Prælati absolvere. Neque verisimile est, intentionem Concilii fuisse, unicò verbô omnia Monasteria privare Jure suo, quod habent circa expositionem Regularium ad Parochias incorporatas, non sine fructu Parochianorum, vel certè ipsas Abbates cogere, ut Regularem instituant tanquam Vicarium perpetuum, sicque eundem ab obligatione monastica & obedientia perpetuò dimittant. P. Engl. *de Privileg. Monast. privil.* 46. *n.* 4.

Planè approbationem expositorum quoad curam animarum etiam in similibus Parochiis pleno jure incorporatis Episcopo competere, perspicuè decernit Trident. *sess.* 23. *de Ref. c.* 15. *& sess.* 25. *de Regularib. c.* 11. nisi hanc ipsam quoque approbationem per privilegium, vel præscriptionem acquisiverint Prælati inferiores: ita enim acquiri posse, docet noster Panormit. *in c. cùm non liceat* 12. *circa fin.*

fin. de Præscript. & Barb. *de Officio Episcop. p. 3. alleg. 72. n. 185.*

33 *Quares* II. Penes quem resideat cura, id est, jus exercendi curam animarum? an penes Vicarium, vel Rectorem principalem loci, cui est Ecclesia unita? Sunt, qui sustineant curam animarum ad utrumque spectare: ad Rectorem in habitu, ad Vicarium verò in actu, ita ut Vicariâ vacante per resignationem vel mortem Vicarii, principalis Rectoris potentia habitualis in actum exeat. Layman *in qq. can. de Pralat. Ecclesiast. q.* 208. Ego non facilè recedo à Panormitano, qui *in c. extirpanda. 30. §. qui verò in repet. n. 15. de Prabend.* Distinguit inter Vicarium perpetuum, & temporalem, illique totam animarum curam attribuit privativè quo ad Rectorem principalem, adeò ut hic nequeat, non requisito priùs Vicario, se se ingerere in cura fori pœnitentialis, vel aliorum Sacramentorum administratione: Vicario verò temporali nudum exercitium curæ aliquamdiu concedit, donec scilicet à Principali revocetur, & per eum rursus exerceatur, ipsâ curâ, seu jure ad curam exercendam semper remanente penes Rectorem principalem. Disparitas est: quia Principalis propter solam legitimam ad tempus absentiam non privatur curâ sibi per institutionem semel concessâ, ut patet ex *t. t. de Clerico ægrot.* neque etiam per ullum actum specialem Vicario temporali committitur cura. Econtra Vicarius perpetuus canonicè instituí jubetur *in d. c. extirpandæ.* ac per eam institutionem tota cura transferri censetur, non revocanda, nisi in casibus à jure permissis. Atque hæc sententiam firmatur tum per *Clem. un. h. t.* ex qua manifestum est, Vicarium perpetuum idem jus ad curam habere, quod alius Curatus, tum etiam per *extravag. execrabilis. 4. de Prabend.* Ubi circa finem insinuatur, prohibitionem ejusdem extravagantis, ne quis retineat plura beneficia curata, se non extendere ad Rectorem, qui perpetuum, bene autem, qui temporalem duntaxat Vicarium substitutum habet; cujus ratio alia dari nequit, quàm quòd priori casu tota cura penes Vicarium existat, consequenter nil obstet, quo minùs Rector principalis alterius Ecclesiæ curam gerere valeat.

Interim monendum, etsi tota cura animarum, saltem in actu extra casum vacantiæ, ad Vicarium perpetuum pertineat, spectare tamen ad Rectorem principalem curam Ecclesiæ quô ad externam defensionem, vindicationem, vel fabricæ conservationem, præsertim si is majorem partem fructuum percipiat, & Vicario congruam solùm tribuat sustentationem, ut propterea Vicarius perpetuus dicatur Rector animarum, non autem Ecclesiæ, nisi & reliquam curam ex speciali commissione habeat. Vid. Pirrhing *h. t. n. 16.*

TITULUS XXIX.

De Officio & potestate Judicis delegati.

SUMMARIA.

1. Quid, 2. usque 7. & quotuplex sit jurisdictio delegata?
7. 8. Quis deleget?
9. Usque 14. Delegatus an subdeleget?
14. 15. Quis delegandus?
16. 17. Num Laico causa temporalis Clerici demandari possit?
18. Usque 24. Omnia sunt delegabilia, quæ non sunt reservata, aut respiciunt industriam personæ.
24. Delegatio fit veluni, vel pluribus.
25. Finis delegationis.
26. Usque 31. Potestas delegati.
31. Ad quem à Judice dato, delegato, aut mandatario appelletur?
32. Et seqq. recensentur modi, quibus jurisdictio delegata cessat.

Et

ET Judicis delegati officium est, vices delegantis subire, & ipsius nomine exercere jurisdictionem delegatam.

§. I.

1 *Definitur* jurisdictio delegata, quod sit potestas publica jus de causa aliqua dicendi beneficio delegantis: hoc est, vice, nomine, & authoritate ejus, qui propriam, seu ordinariam jurisdictionem habet. arg. *l.* 5. *ff. de Jurisdict.*

§. II.

2 *Dividitur* jurisdictio delegata I. in specialem, & universalem. Specialis est, quando vel una v. g. matrimonii inter Titium & Cajam, vel plures causæ determinatæ cognoscendæ, & dijudicandæ committuntur. Universalis dicitur, si cui committatur causarum universitas, nempe non una, vel plures particulares, sed omnes saltem in aliquo genere v. g. decimarum, matrimonii, mutui, & similes; quamvis fiat restrictio ad certum locum, familiam aut tempus v. g. intra hoc territorium, vel ad unum annum &c. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 31. *n.* 4.

3 II. Utraque hæc jurisdictio delegata tam universalis, quàm specialis subdividitur in jurisdictionem delegatam in specie, & jurisdictionem mandatam. Jurisdictionem delegatam in specie dico, cùm alicui præter causæ cognitionem etiam coërcitio aliqua, seu simplex jurisdictio absque ultimata, & perfecta potestate exequendi committitur. Mandatam appello, quando alicui integra jurisdictio, id est, cum plena potestate exequendi sententiam, sicque mixtum imperium conceditur, sive in una sive in pluribus causis. Suffragatur *l.* 1. §. *an autem* 4. *ff. de suspectis tutoribus* ibi: *mandata jurisdictione officium ad eum totum juris dicendi transit: & cap. super quæstionum.* 27. §. *porrò h. t.* ubi nominatim distinguitur, an tota, vel non tota jurisdictio sit alteri concessa. Unde

Adverto I. Canonistas non satis discernere jurisdictionem delegatam à mandata per id, quòd hæc ad universitatem causarum, illa verò ad causam vel causas particulares se se porrigat, idque præterea probo ex *l.* 16. & 17. *ff. de Jurisdict.* ubi perspicuè habetur, non tantùm universitatem, sed etiam unam solum modo speciem mandari posse.

Adverto II. Civilistas malè confundere jurisdictionem delegatam cum mandata, & consequenter judicem mandatarium eum delegato; idque insuper ex eo colligo, quòd à mandatario non appelletur mandans, sed mandantis superior. *l.* 1. §. 1. *ff. Quis, à quo appell.* à delegato autem detur appellatio ad delegantem per *d. c.* 27. §. *porro h. t. c.* 7. *eod. in* 6. & *l. un. C. Qui pro sua jurisdict.* Neque quo ad hoc sibi adversantur Jus Caonicum & Civile, ut dicemus *n.* 31.

Adverto tamen III. nomine *delegati* in Jure Civili frequenter intelligi *Judicem datum*: illum scilicet, qui propriam *notionem*, hoc est, nudam cognoscendi, ac judicandi potestatem habet; eò quòd olim prætores solum judicium, seu causæ cognitationem alteri, nempe judici pedaneo, delegaverint, integrâ coërcitione & executione sibi reservatâ. Econtra de Jure Canonico ordinariè delegato committitur quoque coërcitio aliqua, & jurisdictio: ita namque juxta *c.* 5. *h. t.* per simplicem commissionem causæ potest delegatus citare partes, contumaces punire & reliqua facere, quæ spectant ad causam; ut proinde secundùm jus Canonicum rarò delegatus accipiatur pro Judice dato, nisi delegans specialiter omnem executionem sibi reservet, & alteri nudam committat causæ cognitionem, ut potest per *c.* 18. & 27. §. *verum h. t.*

§. III.

Causa efficiens Jurisdictionis delegatæ est Jus, vel Homo.

Jus: quoniam sæpe Episcopi ab ipso Jure de-

delegati constituuntur, & tanquam Sedis Apostolicæ delegati procedere jubentur contrà privilegiatos, & aliàs ab Episcopali ordinaria jurisdictione exemptos; ut confirmant exempla tum de jure antiquo in *c. irrefragabili 13. §. caterum de Officio ordin. clem. un. de supplenda negl. Prælat.* tum in Trident. *sess. 5. de Reform. c. 2. sess. 6. de Reform. c. 2. & seq.* & passim alibi P. Engl. *h. t. n. 4.*

8 *Homo*, videlicet Judex ordinarius: etenim jurisdictionem delegare posse omnem Judicem ordinarium, non item delegatum, vel mandatarium apud plerósque projudicato est.

Et quidem *prima pars* perspicuè traditur *in c. cùm Episcopus 7. de Officio ordinarii in 6. l. 5. ff. de Jurisdict.* optimâ sanè ratione: regulariter enim quis condere, & per eum exercere potest, quod sibi proprium est, quemadmodum jurisdictio respectu Judicis ordinarii. Unde non possum subscribere Fachineo, qui *lib. 1. controvers. c. 45.* arbitratur, tantùm majores, non verò minores Judices delegare posse, etsi sint ordinarii. Textus siquidem allegati generaliter loquuntur, & nullum ordinarium excludunt: neque major aut diversa quo ad hanc potestatem est ratio de uno, quàm de altero, ut consideranti patet.

9 *Secunda pars* deducitur ex *c. cùm causam. 62. de Appellat. L. ult. pr. ff. de Officio ejus cui mand. est jurisd. & l. 5 ff. de Jurisd.* Ratio est: quia Judex delegatus, aut mandatarius non plus juris habet, quàm ipsi concessum est; est autem ipsi concessa tantùm jurisdictio, ut eam ipse exerceat, non ut alteri committat. Quæ decisio adeò obtinet, ut nec si delegatus propter repentinam absentiam, aut alio impedimento judicare prohibeatur, alium possit subdelegare Bartol. *in l. 12. in fine ff. de Offic. Procon.*

10 Excipitur I. Delegatus ad universitatem causarum: is enim, saltem de consuetudine, non quidem universitatẽ causarum, sed unam aut plures causas in particulari alteri committere potest, quia censetur veluti ordinariam jurisdictionem habere. Glossa communiter recepta in *l. 12. ff. de Officio Proconf.* Pirrhing *h. t. n. 22.* ubi quoque infert, Vicarium foraneum, seu Decanum ruralem, qui ab Episcopo in certa parte Diœcesis constituitur, unam alteramve causam alteri subdelegare posse.

Excipitur II. Delegatus, qui ab ordinario 11
delegante facultatem non tantùm utendi ejusdem jurisdictione, sed etiam alteri eam subdelegandi accepit: is enim ipsius delegantis nomine commissam sibi jurisdictionem alteri committere potest. arg. *l. 32. §. 16. ff. de Recept. qui arbitr.* qui arbiter controversiam in alterius arbitrium conferre valet, si hoc ei à partibus compromittentibus permissum fuerit. Et hanc exceptionem teste Glossâ marg. *in c. 15. h. t. in 6.* praxis approbat. repudiat autem Fachinæus *d. l. 1. c. 45.*

Excipitur III. Delegatus à S. Principe, sive 12
Ecclesiastico, sive Laico: hic enim ex privilegio juris causam sibi commissam (ex justa saltem causa) delegare potest cuicunque personæ habili, cui ipsemet delegans committere posset. *c. 3. 28. & ult. h. t. d. c. 62. de Appell. c. 11. de Rescript. in 6. l. 5. C. de Judiciis.* Hæc ipsa tamen exceptio fallit, si à Principe electa sit industria personæ delegati: quia tunc ipse delegatus debet expedire causam, nec potest alteri vices suas subdelegare, nisi partes consentiant, & præcisè illorum intersit. *c. fin. §. is autem h. t.* Quando verò Princeps censeatur specialiter respexisse ad delegati fidem & industriam, ex verbis, circumstantiis, & gravitate causæ æstimandum erit. Vid. Layman *ad c. 3. & c. fin. n. 4. h. t.*

Excipitur IV. Condelegatus: nam casu 13
quo pluribus absolutè fit delegatio ejusdem causæ, generaliter ipsis conceditur subdelegatio, ita ut vices suas condelegatus, vel aliis committere possint. Textus *in c. 6. h. t.* Secus

est, si eadem causa pluribus delegetur sub clausula: *si omnes interesse nequiverint, vel noluerint, reliqui nihilominus procedant*: quia tunc, si constet, quòd aliqui interesse nolint, vel non possint, reliqui condelegati validè procedent, iisque tota facultas accrescit, neque absentibus potestas subdelegandi tali casu concessa reperitur. Vid. *c.* 21. *§. adjicimus. h. t.*

14 Excipitur V. Ut. licèt specialis delegatus Judicis inferioris alteri causam subdelegare nequeat, possit tamen demandare articulum non jurisdictionalem, qualis est, qui sine judiciali causæ cognitione nudum ministerium vel executionem continet. *c.* 27. *in princ. h. t.* Ex quo Navarr. *in Man. c.* 25. *n.* 45. colligit, quòd Abbas v. g. ab Episcopo delegatus, vel subdelegatus à delegato Papæ ad absolvendum à censura excommunicationis, postquam reo audito adeóque causâ cognitâ eundem absolvendum esse decrevit, satisfactionémque debitam imperavit, nudum absolutionis ministerium tam pro foro externo, quàm pro interno alteri Sacerdoti committere possit. Quamvis aliàs is, cui non jurisdictio, sed certum solummodo, & nudum hujusmodi ministerium etiam à S. Pontifice, aut alio S. Principe delegatum est, id alteri committere prohibeatur; nisi peculiariter à lege, vel à S. Principe ejusdem quoque subdelegatio concedatur, quemadmodum universim conceditur Legato Sedis Apostolicæ ob singularem ejus authoritatem. *c. fin. §. cæterùm & ibi* Interpp. *h. t.*

§. IV.

15 *Subjectum* Jurisdictionis delegatæ est is, cui delegatur, Cui autem delegari possit, his versibus comprehenditur.

Liber, mas gnarus, cui sit meus, integra fama,
Ætas, qui subsit, committitur huic bene causa.

Liber: Quia servus non potest esse Judex *l. pedius 7. §. 1. ff. de Receptis, qui arbitr. Mar.* nam fœminæ remotæ sunt ab omnibus officiis Civilibus. *l. 2. ff. de R. J. Gnarus*: nempe legum & canonum. *c. 1. de Consang. & affin. Cui sit mens*: furiosus enim aut mente captus nullum negotium gerere potest. *§. furiosus. 8. Instit. de Inutil. stipul. Integra fama*: quia infames à legitimis actibus removentur. *c. infames 2. causâ 3. q. 7. c. infamibus. 87. de R. J. in 6.*

Ætas, nimirùm 20. annorum completorum: etenim constituto infra eandem ætatem, nisi partes scienter consentiant in 18. annis majorem, facta delegatio ab alio, quàm à Principe non tenet. *c. 41. h. t. Qui subsit*: siquidem licèt delegatio non subdum facta mero jure subsistat, invitus tamen non cogitur delegationem suscipere, nisi is, qui subest jurisdictionis delegantis. *c. 28. h. t. c. 11. de Officio ordinarii. l. fin. de Jurisdict.*

Præterea Bonifacius VIII. decrevit, ut nullus à Sede Apostolica, vel ejus Legato, nisi in dignitate vel personatu positus, aut Eccle. siæ Cathedralis, sive Regularis, sive Sæcularis Canonicus delegetur: alioquin inanis erit delegatio. *c. 11. & ibi* Glossa *de Rescript. in 6.* Quod confirmat Trident. *sess* 25. *de Reform. c.* 10. ubi insuper mandat, ut in singulis Conciliis provincialibus, aut Diœcesanis aliquot, & ad minimum quatuor personæ secundùm prædictam Bonifacii constitutionem qualificatæ designentur, illisque deficientibus aliæ substituantur ab Episcopo cum consilio Capituli usque ad futuram [illegible] nodum, eo fine, ut magis idoneis, & præter Ordinarios locorum iis quoque à S. Pontifice vel ejus Legato causæ committantur, atque post factam & S. Pontifici insinuatam designationem quæcunque delegationes ac commissæ suspectæ & subreptitiæ censeantur.

Ne tamen autumes, hoc idem ad Episcopos, aut Principes sæculares extendendum, cùm nullibi ita generaliter voluntatem de assumendis imposterum tantùm in dignitate constitutis expresserint. Pirrhing *h. t. n.* 23.

17 Gravis pugna est: an Episcopi aliique Prælati S. Pontifice inferiores causam aliquam temporalem Clerici Judici Laico delegare possint? Partem affirmativam post alios tuetur Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 112. & eodem teste praxis sequitur; qui nititur argumento à sensu contrario tum ex *c.* 2. *de Judiciis*, ubi præcipitur Episcopis, ne negotia Ecclesiastica Laicorum judicio supponant, quasi causas non Ecclesiastica possint supponere, tum ex *c.* 3. *causâ* 11. *q.* 1. ubi habetur, Clericum absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæcularem Judicem attrahere. Ergo Episcopo permittente poterit. Ego tamen in negantiam castra transcendo, motus aperto textu *in c. significâsti.* 18. *de Foro compet.* ubi dicitur: Clericum non posse consentire in Judicem non suum, etiam accidente sui Episcopi voluntate, nisi sit persona Ecclesiastica. Accedit ratio: cùm enim privilegium fori sit commune toti Ordini Clericali, sicuti non est in potestate Clerici ei renuntiare, ita non debet esse in potestate singulorum Episcoporum eidem præjudicare per delegationem in Judicem Laicum. per *c. si diligenti.* 12. *de Foro compet.* Neque expavesco ad argumentum oppositum: quia argumentum à sensu contrario (etsi per se sæpe infirmum, & elumbe sit) nunquam procedit, quando correctionem juris inducit, vel contrarium alibi in jure expressè cautum reperitur, ut in præsenti, per ea, quæ tradit Barbosa *tr. locor. comm. argument. loco* 27. *n.* 5.

Planè ipsum S. Pontificem & civiles, & criminales, & spirituales causas posse Laico delegare, dubitare non sinunt textus *in c.* 23. *dist.* 63. *in c.* 7. *causâ* 2. *q.* 5. *c.* 4. *causa* 10. *q.* 3. & Glossa *in c. valde* 2. *dist.* 94.

§. V.

Objectum seu materia Jurisdictionis delegatæ sunt causæ & negotia delegata. Delegari autem possunt omnia, quæ specialiter à jure reservata non sunt, vel specialem qualitatem & industriam personæ delegatæ non respiciunt; tunc enim juxta decantatam regulam: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. cap.* 68. *de Regul. Jur. in* 6. Unde 18

Infertes I. Omnia delegari vel mandari posse, quæ jure ordinario magistratûs, id est, ex natura sui officii, & generali magistratûs authoritate alicui competunt: non vero ea, quæ jure aliquo speciali & extraordinario, v. g. privilegio concessa sunt. *l.* 1. *princ. ff. d. officio ejus, cui mand. est jurisdict.* quoniam in illis non censetur electa industria personæ, bene autem in istis. Ex quo ulteriùs 19

Infertes II. Episcopum, cui ex officio competit facultas dispensandi, aut absolvendi à censuris, eandem alii delegare posse per *c.* 15. *& fin. de Officio Ordinarii.* Idque ideò: quia jurisdictio, quæ (licèt ex privilegio) non personæ, sed dignitati competit, ordinaria, non delegata est: & cùm in futurum Prælatum simul cum dignitate transeat, non potest dici electam fuisse personæ industriam. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 40 *num.* 14. Gonzal. *in d. c. fin. num.* 4. *&* 5. Ubi ex hac doctrina plures particulares, & notabiles illationes deducit. 20

Infertes III. Etiam causas mixti imperii demandari posse per textus ineluctabiles in *l.* 1. *in fin. & l. ult. §. ult ff. de Officio ejus, cui mand. est Jurisdict.* Cujus ratio est: quia 21

imperium mixtum Magistratus obtinent Jure Magistratûs; & ratione jurisdictionis ordinariæ illis commissæ ad eos spectat. Argumenta contraria subvertit Fachinæus *lib. 9. controvers. c. 98.*

Sed an nudam quoque executionem judicati, quæ est actus imperii mixti, alteri mandare liceat? *Quæritur.* Quod indubitantur affirmo, eò quòd executio nullibi sit reservata, nec specialem personæ qualitatem respiciat. Sic videmus per literas requisitoriales à Judice unius loci sæpiùs invocari Judicem alterius territorii, sub quo bona executioni obnoxia sita sunt, vel brachium sæculare à Judice Ecclesiastico, & econtrà. Nec potest talis delegatio ex legitima causa facta recusari, sed delegatus defacto retinens per superiorem, cogendus erit ad peragendam executionem prout cum Covar. *Pract. quæst. c. 10. n. 1.* communiter notant DD.

22 Inf. IV. Causas meri imperii, hoc est, quæ criminalem cognitionem & coërcitionem concernunt, *de Jure Civili* extra casum absentiæ, aut gravis infirmitatis delegari non posse; cùm ea, quæ ad merum imperium pertinent, speciali privilegio, aut lege concessa sint. Text. & DD. *in l. solent. 6. ff. de Officio Proconsulis. in l. 1. in pr. ff. de Officio ejus, cui mand. est Jurisdict. l. 70. ff. de R. J.*

Dixi: *de Jure Civili:* exploratum namque est, de Jure Canonico causas meri imperii sæcularis, quod habent Prælati, quatenus Domini & Principes territoriorum, atque Vasalli imperii, demandari posse & debere, cùm ipsi per se causas sanguinis tractare nequeant ob metum irregularitatis, *c. ult. Ne Clerici vel Monachi. in 6.* Henricus Canis. *in Summa l. 1. t. 18.*

23 Variant DD. Utrùm etiam merum imperium Ecclesiasticum, nempe potestas excommunicandi, deponendi, degradandi, incarcerandi, &c. delegari possit? Ita putat Panormit. *in c. 10. n. 4. de Officio ordinarii.* cui ut calculum adjiciam, latius est per *c. 2. de Officio Vicarii. in 6. & c. 7. de Officio ordinarii in 6.* Ubi hæc delegatio Episcopo indistincte conceditur. Neque verò utriusque Juris eadem ratio est: nam causæ meri imperii Jure Civili competunt Magistratibus non proprio Jure, sed speciali concessione Legis, aut Senatus consulti, & ideo delegari non possunt. *d. l. 1. ff. de Officio ejus, cui mand.* Magistratibus autem Ecclesiasticis competit merum imperium non ex speciali concessione, sed proprio Jure, ratione proprii officii & dignitatis, atque hoc ipso, quòd Episcopi sint *c. 15. de Elect. c. 1. & 16. de Officio ordin.* Quare licèt Magistratus Civiles non possint delegare merum imperium, possunt tamen Ecclesiastici: quia in his viget ratio textûs in *l. 5. ff. de Jurisdictione.* ibi: *More Majorum ita comparatum est, ut is demum Jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio habet.* Dissentit Menoch. *l. 10. de Arbitr. casu 29.* Covar. *lib. 3. Var. resol. c. 10. n. 10.* & RR. fermè omnes.

§. VI.

Ad formam jurisdictionis delegatæ pertinet modus delegandi, qui diversus est juxta causarum, claularum, vel personarum diversitatem. Enim verò delegatur, aut totum negotium, vel principium, vel medium vel finis causæ controversæ. *c. 27. h. t.* & vel uni alicui, qui tunc solus cognoscit & judicat. *c. 3. eod.* vel pluribus, idque trifariam nimirùm vel simpliciter; quo casu, omnes simul concurrere, aut absentes ipsis condelegatus, aut aliis vices suas subdelegare debent; alioqnin cæteri nihil agent, & potest reus, si quid agere velint, impunè non parere. *c. 16.* junctò *c. 6. h. t. l. 2. & 39. ff. de Re Judic.* vel

vel sub conditione hâc, vel simili clausulâ: *Quodsi omnes interesse nequiverint, vel si aliquis ex ipsis ndesse non possit, reliqui nihilominùs procedant:* quo casu singalis in defectum aliorum procedere queunt, ubi tamen constiterit absentem adesse non posse, aut etiam non velle quia, quia clausula, *si non venint*, semper implicitè continetur in illa: *si non possint interesse. c.* 21. *pr. &* §. 1. *c.* 22. *h. t.* vel sub disjunctione hoc modo, *ut vel omnes simul judicent vel duo. aut unus ex ipsis;* quo casu singuli intelliguntur habere jurisdictionem in solidum, ita ut etiam unus solus, qui præoccupavit, exequi debeat, eóque negotium inchoante alii se intromittere nequeant, nisi ille infirmitate, aliáve causâ impeditus sit, aut nollit cœptum negotium prosequi. *c. cùm plures.* 8 *h. t. in* 6. De cætero nullâ certâ formâ præscriptâ, aut clausulâ in literis commissionis non adjectâ, forma juris communis servanda est. *c.* 13. *&* 27. *eod.*

§. VII.

25 *Finis* Jurisdictionis delegatæ est administratio justitiæ in causis delegatis, ne ipsa, si Ordinarius aliis negotiis districtus causæ cognitione incumbere nequeat, differatur, vel penitùs negligatur.

§. VIII.

26 *Effectus* Jurisdictionis delegatæ insignes occurrunt. *Primus est*, quòd cum jurisdictione delegata omnia intelligantur concessa, sine quibus causa commissa expediri nequit. Unde delegatus potest citare partes, coërcere contumaces, compescere eos, qui se in usu potestatis suæ turbant vel impediunt: potest mittere in possessionem bonorum, assumere officiales necessarios, & in genere omne id, quod ad executionem commissi muneris necessariò creditur pertinere, esto in mandato, aut literis commissionis expressum non sit. *c.* 1. 5. *&* 7. *h. t. l.* 2. *ff. de Jurisdict.* Ratio est: quia qui mandat principale, censetur etiam mandare connexa, & necessaria: & qui committit executionem finis, censetur etiam committere media necessaria ad finem obtinendum. Molina *tr.* 5. *de J. & d. disp.* 26.

Alter effectus est, quòd delegatus possit 27
dare Judicem, id est, alii concedere præcisè cognitionem cum decisione causæ. *l.* 12. *§. Judicem* 1. *ff. de Judiciis.* ibi: *is quoque, cui mandata est Jurisdictio, Judicem dare potest.* Quo textu probabiliùs non tantùm Judex mandatarius, sed etiam delegatus in specie comprehenditur, cùm non minùs mandatam habeat jurisdictionem, quamvis non ita perfectam, & integram; maximè, quia juxta *l.* 3. *in fin. ff. de Jurisd.* Judicis dandi licentia ad jurisdictionem simplicem pertinet, quam competere Judici delegato, ex dictis constat.

Connexa *quæstio* est, an judex datus alium 28
quoque dare possit? Nego: quia Judicis datio est quidem actus jurisdictionis. *d. l.* 3. *in fin.* Judex autem datus tantùm omni caret jurisdictione propriè dictâ, ergo: Specialiter excipitur Judex datus à Principe *l. à Judice* 5. *C. de Judiciis.* Licèt enim aliàs Judicem dare sit actus jurisdictionis, ut dictum nihilominùs à Principe, vel lege, etiam sine jurisdictione talis potestas concedi potest, utpote à quo jurisdictio & omnis similis potestas promanat.

Tertius effectus est, quòd quàndo pluri- 29
bus delegata jurisdictio est, stetur regulariter sententiæ plurium, nec opus sit omnes concordare. *c.* 1. *&* 2. *dist.* 65. *l.* 39. *ff. de re judic.* Dixi *regulariter*: nam interdum omnium consensus desideratur, neque valet

sententiæ majoris partis. *c.* 13. *de Rescriptis.* id, quod potissimum locum sibi vendicat, ubi agitur de præjudicio omnium tanquam singulorum. Quodsi duo tantùm sint delegati ferenda in sententia discordes, & unus pro reo, alter pro actore respondeat, utraque sententia pendet ex arbitrio delegantis, & neutra effectum habet, donec alterutra à delegante determinetur, licèt in casu, quo duo Judices ordinarii concurrentem jurisdictionem habentes contrarias ferunt sententias, illa prævaleat, quæ pro reo datur, nisi sententia pro actore sit in causa magis favorabili v. g. matrimonio, libertate, dote, vel testamento, *c. fin. de sent. & re judic.* Per quòd *cap.* conciliatur *l.* 28. cum *l.* 38. *ff. de re jud.* dum prior asserit, duorum Judicum diversas sententias in pendenti esse, posterior verò reo magis favet, ut proinde hæc intelligenda sit de Judicibus ordinariis, illa de delegatis, vel datis solùm, de quibus etiam expressè loquitur. Disparitas est, quòd delegati utantur jurisdictione delegantis, consequenter in dubio meritò ad ejusdem arbitrium recurratur; econtrà in Ordinariis, cùm utantur jurisdictione propriâ, similis recursus haberi non potest, neque etiam ante sententiam appellari ad Superiorem. Ideóque voluerunt Jura cæteris paribus potiùs sustinere sententiam pro reo, quàm pro actore: quia promiora sunt jura ad absolvendum, quàm condemnandum, *c. ex literis* 3. *de Probat.* Vide Glossa *in d. c. fin. de Sentent. & re judicata.*

30 *Quartus* effectus est, quòd delegatus saltem Papæ in causa sibi commissa jurisdictionem habeat supra Ordinarium, *c. un. h. t.* ita quidem, ut jussus sententiam delegati exequi, obsequi cogatur, etsi sciat ejus sententiam esse injustam, id est, contra litigatoris jus latam: quod addo: quia si sciret Ordinarius, sententiam esse contra Jus publicum, ut si esset lata authoritate fallarum literarum, non deberet ei obtemperare, siquidem tunc non esset delegatus, & per consequens neque jurisdictionem in eum haberet, Textus & Vivian. *in c. pastoralis.* 28. §. *quia h. t.* cui consonat *c.* 24. *de Rescriptis.* juncto *c.* 8. *h. t.* ubi in simili Alexander III. statuit, ne Ordinarius, licèt sciat, eum non Canonicè institutum, quem delegatus Papæ mandat in possessionem induci, resistat violenter, sed precibus instet, ut differat, donec Papa consuletur.

Hic non omninò extra calcem *disquiri* potest: an à Judice dato, delegato, & mandatario detur appellatio ad dantem, delegantem, & mandantem? Ratio dubitandi est: quia videretur appellari ab eodem ad eundem, utpote ad eum, cujus est jurisdictio; quod repugnat juxta *c.* 2. *de Consuet. in* 6. *& c.* 3. *in princ. de Appellat. in* 6.

Nihilominùs à Judice dato ad dantem appellatio expressè conceditur *in l.* 1. *ff. Quis, à quo appelletur.* Nec officit ratio allegata: quia Judex datus non utitur jurisdictione, vel potestate dantis, sed propriâ solùm cognitione, & judicio, sicque non appellatur ab eodem ad eundem. Et quamvis in eadem *l.* 1. *§.* 1. à mandatario ad mandantem manifestè denegetur appellatio, additâ etiam particulâ: *generaliter*, plerique tamen DD. distinguunt, an universitas causarum demandata sit, vel tantùm causa, aut causæ particulares? priori casu ob adductam rationem negant; posteriori verò communiter admittunt appellationem, eò quòd tunc mandans vel delegans adhuc habeat ampliorem jurisdictionem, consequenter non videatur omnino

ab eodem ad eundem appellari. Verùm displicet hæc distinctio, & contra est, quòd saltem respectu illarum causarum particularium habeat mandatarius, vel delegatus eandem jurisdictionem cum delegante. Deinde etiam committens alteri universitatem causarum in certo solummodo genere adhuc retinet ampliorem potestatem respectu aliarum, & tamen testibus ipsismet AA. obstat identitas appellationem impediens.

Existimem igitur, omissâ hâc distinctione attendendum esse, an tota jurisdictio sine alicujut reservatione commissa sit, vel non? sive: an Judex propriè mandatarius sit, aut delegatus tantùm? Priori casu, cùm mandatarius utatur totâ jurisdictione mandantis, censentur illius sententia à mandante quodammodo lata, utpotè ulteriorem in tali saltem casu jurisdictionem non habente, & proinde ad illum deneganda erit appellatio, ne propter identitatem jurisdictionis ab eodem ad eundem appelletur; ideóque pars læsa non nisi ad Superiorem mandantis provocare poterit. Posteriori vero casu, si scilicet non sit tota jurisdictio concessa, sed ultimata v. g. executio reservata, concedenda erit appellatio immediatè ad concedentem, eò ipso, quòd respectu illius quoque casûs vel causæ adhuc habeat ulteriorem, & majorem jurisdictionem, consequenter non prorsus eandem. Colligitur satis ex *c.* 27. *§. porro. h. titul. cap.* 7. *Eod. in* 6. Tametsi enim ibi sermo sit de subdelegato respectu delegati à Principe, propter identitatem tamen rationis (ne scilicet ab eodem ad eundem appellari videatur) idem dicendum est de aliis quibuscunque delegatis Judicum Ordinariorum. Itaque universim dabitur appellatio à delegato ad delegantem juxta *l. un. C. Qui pro sua Jurisdicti.* non autem â mandatario ad mandantem juxta *d. l.* 1. *ff. Quis, à quo appelletur*, si nimirùm istorum nomina propriè, & modo supra *numer.* 3. explicato accipiantur. Neque in hac quæstione sibi repugnant Jus Canonicum, & Civile, ut opinatur Fachinæus *lib.* 1. *Controvers. cap.* 78. quia in utroque Jura eadem prorsus ratio subest: atque in uno non satis clarè decisum ex altero suppleri debet.

§. IX.

Contraria Jurisdictionis delegatæ sunt 32
modi, quibus ea finitur.

Finitur autem I. Revocatione delegantis, idque sive revocatio expresè fiat juxta *l. judicium.* 58. *ff. de Judiciis.* sive tacitè, ut si v. g. delegans ad instantiam partis citet, vel aliô modô procedat in causa delegata; hoc ipso namque eam ad se revocare censetur. Ubi tamen advertas, delegatum saltem subdelegationem, postquam subdelegatus per citationem uti cœperit jurisdictione delegatâ, revocare ampliùs non posse, si delegavit in totum; secùs, si in partem tantùm; tunc enim ad instar ordinarii quandocunque vult, potest revocare subdelegationem etiam re non ampliùs integrâ. Textus & DD. *in c.* 5. *& c.* 6, *h. t. in* 6.

II. Finitur Jurisdictio delegata morte dele 33
gantis re integra instar mandati. arg. §. 10. *Instit. & l.* 58. *pr. ff. Mandati.* Secùs; si res non ampliùs sit integra, sed delegatus jam cœperit uti jurisdictione delegatâ: tunc enim jurisdictio perpetuatur etiam post mortem de-

deledantis *c.* 19. 20. *& 30. h. t.* jurisdictione autem delegatus uti cœpisse videtur non modò litè contestatâ, sed statim per citationem legitimam, etiam decretam tantùm. *d. c.* 20. *h. t. & l.* 6. *ff. de Jurisd.* junctâ *l.* 7. *ff. de Judiciis.* Cujus ratio est, quia citatio, & solùm decretum citationis est actus jurisdictionis pertinens ad substantiam judicii, ergo delegatus citando partem utitur jurisdictione. Et hæc ita procedunt, si delegatio proximè facta sit à persona; aliud dicendum, si à dignitate committentis, veluti si S. Pontifex committat causam nomine Sedis Apostolicæ. v. g. sic: *Sedes Apostolica tibi mandat;* tunc enim uti dignitas non moritur. *c.* 5. *de Rescript. in* 6. ita nec jurisdictio inde profecta extinguitur morte delegantis, esto res ad sit integra. Zoës. *h. t. n.* 30.

34 III. Et eodem modo finitur delegata jurisdictio, si delegans re adhuc integrâ resignârit, vel aliâ ratione amiserit officium, aut jurisdictionem: nam non minùs amissione officii cessat jurisdictio in delegante, quàm morte ejus naturali. ergo sicut per hanc re adhuc integrâ exspirat jurisdictio delegati, ita pariter per istam, cùm utrinque eadem ratio sit. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 28. *n.* 32.

35 IV. Finitur hæc jurisdictio morte delegati etiam re non integrâ arg. *l.* 27. *§.* 3. *l.* 57. *ff. Mandati.* & re integra adeò, ut si plures simpliciter & sine clausula sint delegati, obitu unius etiam reliquorum officium exspiret. *c.* 42. *juncto c.* 30. *h. t.* Sed hæc ita, si delegatio jurisdictionis sit personalis, seu expresso nomine proprio delegati facta, v. g. sic: *Tibi Sempronio hanc causam delegamus.* Aliud obtinet, si facta sit sub nomine dignitatis, aut officii. v. g. sic: *Tibi Episcope Passavienſis hanc causam committimus:* tunc enim morte præsentis Episcopi mandatum non solvitur, sed transit in successorem, sive res integra sit, sive non. *c.* 14. *h. t.* quia officium, vel dignitas nunquam moritur. *d. c.* 5. *de Rescript. in* 6. P. Engl. *h. t. n.* 16.

V. Finitur, si delegatus amittat officium, aut dignitatem. Ubi tamen iterum delegatio personalis secernenda est à reali. Nam si personalis est, puta Titio facta, non exspirat amissione dignitatis: quia tunc sola persona venit in considerationem, adeóque delegatio illam sequitur instar privilegii personalis. Sin vero est realis, puta Episcopo Passavienſi facta, tunc si quis excidat dignitate, delegatio transit in successorem illius dignitatis: quia eo casu sola dignitas spectata est. ergo delegatio illam sequitur in quacunque persona inveniatur. Sanchez *d. l.* 8. *disp.* 27. *n.* 22. *& seqq.*

VI. Finitur lapsu termini præfixi, nisi ex partium consensu prorogatus fuerit juxta *c.* 4. *& 24. h. t.* Dicitur autem terminus delegationis incipere à die præsentatarum literarum delegato, si terminus per numerum dierum, mensium, vel annotum statutus sit; secus si ad certam diem, vel mensem sit decretus.

VII. Finitur jurisdictio delegata pro dolo, fum, aut negligentem non usum mandati, seu rescripti delegatorii intra annum, si aliud rescriptum ab adversario impetretur. Quod ipsum tamen qualiter intelligendum, videatur textus & Vivian. *in c.* 9. *& 23. de Rescript.*

VIII. Finitur recusatione, si nempe delegatus tanquam suspectus recusetur. *c.* 17. *& 25. h. t.* supposito, quòd causa suspicionis sit justa; alioquin enim jurisdictionem delegatam non impediret. *c.* 41. *§. tertio postulat. de Appellat.* An verò justa sit causa recusandi, vel non? ordinariè per arbitros à partibus ad hoc electos deciditur. *c. suspicionis* 39. *h. t.* Di-

Dixi *ordinariè*: nam si delegatus, vel officialis Episcopi recusetur, recusationis causa coram Episcopo est probanda, etsi an eundem ab officiali nequeat appellari. Textus & Layman *in c. 4. h. t. in 6.*

40 IX. Denique finitur hæc jurisdictio finitâ causâ; sive per transactionem, compositionem, acceptilationem, aut pactum de non petendo; sive per latam, & executioni mandatam sententiam in controversia delegata. *c. 9. & ibi:* Glossa *h. t.*

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

SUMMARIA.

1. Quis dicatur Legatus?
2. Legatus alius est à latere, alius natus, alius missus.
3. Legatus missus cum potestate Legati de latere eam potestatem habet, quam Legatus Cardinalis.
4. Legatos constituit S. Pontifex.
5. An Legatus recipiendus sit, antequam literas Apostolicas exhibeat?
6. Quanam committantur Legato. 7. Et quo modo constituatur?
8. Officium Legati.
9. Usque 14. Potestas Legati de latere. 14. Potestas Legati missi. 15. Potestas Legati nati.
16. Et seq. Quibus modis finiatur Officium Legati?

IN hoc *Titulus* duntaxat de *Legato Pontificio*, cujus officium in aliquibus affine est officio delegati.

§. I.

1 *Definitur* Legatus Pontificius, quòd sit Judex à Sede Apostolicâ missus in aliquam Provinciam, cum potestate administrandi negotia Ecclesiastica, quæ sunt muneris Apostolici.

§. II.

2 *Dividitur* in Legatum de latere, Legatum natum, & Legatum missum. *Legatus de latere* est quilibet Cardinalis, si Legatus constituatur: nam cùm Cardinales sedeant ad latus Papæ, si fiant Legati, accommodato nomine Legati de latere nuncupantur, quasi assumpti de latere Papæ ad legationem. *Legatus natus est*, qui legationis munus ex singulari Papæ privilegio suæ dignitati annexum habet; sic dictus: quia cùm eligitur ad illam dignitatem, quasi unà veluti nascitur Legatus: qualis est Archi-Epis. Toletanus in Hispania, Pisanus in Italia, Rhemensis in Gallia, Pragensis in Bohemia; in Germaniæ Celsissimus Princeps & Archi-Epis. Salisburgensis, & alii alibi. Azor. *p. 2. lib. 5. c. 27. q. 1.* *Legatus missus est*, qui neque est Cardinalis, neque est Legatus natus, sed extra ordinem Cardinalium cum potestate Legationis ad Imperatorem, Reges, Principes aut Respublicas deputatur. Atque hic passim vocatur *Nuntius Sedis Apostolicæ*, & mittitur vel cum simplici potestate Legati, vel *cum potestate Legati à latere*, pro qualitate scilicet clausularum in literis commissionis appositarum, ad quas ante omnia attendendum est: quia modò majorem, modò minorem tribuunt potestatem, quàm de Jure ordinario sit concessa.

In quæstionem venit: num misso *cum potestate Legati de latere*, vi hujus clausulæ eadem authoritas ac potestas, que de Jure communi Legatis Cardinalibus competit, concessa intelligatur? Negant quàm plurimi. Affirmant Layman *tr. 4. de LL. c. 7. §. 6. n. 22.* & Zoësius *h. t. n. 15.* Quibus accedo, arg. *l. 1. ff. de Tutoribus. & Curatoribus.* ubi insinuatur, nihil interesse, an quis sit verus Proconsul, vel ad tempus proconsulatum obtinens. Ergo quoque nihil intererit, an quis sit Legatus de latere, vel illius potestate præditus; præsertim quia Legati S. Pontificis *in c. 2. h. t. in 6.* Proconsulibus æquiparantur. Et licèt *cit. lex.* tantùm loquatur de casu speciali, scil. datione Tutoris, eadem tamen est ratio de aliis, neque enim hic aliud attenditur, quàm potestas, quæ cùm non 3

minùs in uno sit, ac in altero, ambo eundem effectum producere poterunt. Ratio est: quia verba Pontificis accipi debent cum effectu, & operari illa, quæ denotant, *c. si Papa* 10. *de Privileg. in* 6. quod in proposito non fieret, nisi omnia concessa intelligantur, quæ potestas Legati à latere involvit. Nec refragatur *c.* 1. *h. t. in* 6. ubi perspicuè traditur, potestatem conferendi beneficia præter Legatos Cardinales aliis ordinariè concessam non esse, *quantumcunque plenam legationem obtineant.* Nam hoc *cap.* loquitur duntaxat de aliis Legatis missis, vel natis, non de Legato, vel Nuntio cum potestate Legati à latere: tum quia iste titulus Legati de Jure scripto est incognitus, ut ipsimet Adversarii fatentur, tum quia quò ad potestatem & effectum legationis nomine Legati Cardinalis etiam venit Legatus cum potestate Legati Cardinalis. Interim tamen non nescio, hujusmodi Legati potestatem juxta Stylum Curiæ Romanæ sæpiùs restringi, ut tantùm beneficia simplicia, quæ valorem 24. Ducatorum non excedunt, conferre permittatur. Teste Barb. *J. E. U. l.* 1. *c.* 5. *n.* 53. sed hoc ex singulari Sedis Apostolicæ dispositione provenit, & ordinariam potestatem non immutat.

§. III.

4 *Causa efficiens* Legati est S. Pontifex: cùm enim jurisdictioem in totum orbem habeat, & ea, quæ sunt muneris Pontificii, ipse quandoque in partibus remotis expedire nequeat, ideo Legatos mittit, & constituit, qui vice ipsius ordinariam jurisdictionem in omnes de Provincia exerceant; quemadmodum olim Imperatores in Provinciis, quas propter distantiam in propria persona gubernare non poterant, quosdam majores magistratus, nempe Proconsules, & Præsides Provinciarum constituebant; quibus proinde *in d. c.* 2. *h. t. in* 6. assimilantur.

Hic *disquiri* potest: an præsumatur quis à S. Pontifice Legatus constitutus esse, ac utrùm asserenti se talem esse sine exhibitione mandati credendum sit? Puto Legatum de latere secernendum esse à Legato misso. Illi, si constet Cardinalem esse, ob eminentiam cardinalitiæ dignitatis, & quia Cardinales vix unquam solent in aliis Provinciis commorari nisi legationis causâ, fides danda est, nec aliis probatione indiget, sed immediatè potest officium suum exercere, & illa facere, quæ de Jure communi Legatis à latere sunt concessa. Quod addo: quia si asserat sibi insuper quædam extraordinaria specialiter à S. Pontifice esse commissa, tunc quò ad hæc fides necessariò adhibenda non videtur, donec talem commissionem factam legitimè probet, maximè si involvatur præjudicium tertii: respectu similium enim negotiorum cessat præsumptio legationis, eò ipso, quòd ordinariè concedi non soleant. Legato misso autem planè credendum non est, nec recipere oportet, antequam per exhibitionem literarum Apostolicarum, vel aliter doceat, se Legatum in tali Provincia constitutum; partim quia cessat priùs allegata præsumptio, etiam respectu potestatis, quæ Legatis communiter & ordinariè concedi solet; partim quia Legatum vel Nuntium esse aliquid facti est, consequenter probari debet, & regulariter non præsumitur. Confer Fagn. *ad c. cùm in Jure. de Officio deleg. n.* 42. 45. *& seqq.*

§. IV.

Objectum Legati sunt negotia, quæ aliàs ex sua natura judicium ac authoritatem S. Pontificis exigunt, & quæ nec Ordinarius absque speciali Pontificis mandato exequi potest; licèt quandoque & Legatis ea, quæ Ordinarius expedire posset, exercenda committantur.

§. V.

Forma spectatur in modo constituendi Legatum; qui variat: vel enim constituitur re-

tio

tione certi alicujus negotii, ad certum tempus in certa Provincia: vel indefinitè & generaliter ad omnia negotia, quæ ad Pontificis administrationem pertinent, ut colligitur ex *c. 2. 4. & 9. h. t.*

§. VI.

8 *Finis & Effectus* considerantur circa Legatorum *officium, & potestatem.*

Officium Legatorum est de causis Provincialium ad se delatis cognoscere, & judicare, vel eas aliis delegare. *c. 1. & ibi* Layman *n. 5. h. t.* sententias à Delegatis latas confirmare. *c. 2. h. t.* concilium provinciale cogere, simúlque statuta concedere etiam perpetuò duratura, quibus noxia evellantur, & dissipentur, salutaria inducantur, & promoveantur. *c. ult. h. t.* juncto *c. 2. Eod. in 6.*

9 *Potestas* non est omnibus æqualis, & majorem præ cæteris habet *Legatus à latere.* Nam I. eo ingrediente suam provinciam suspenditur aliorum Legatorum, si qui sunt in eadem provincia, officium & jurisdictio, donec ipse rursus egrediatur. *c. 8. h. t.* Quod statutum videtur propter reverentiam, quam minor debet majori, arg. *c. denique dist. 21.*

II. In jurisdictionalibus concurrit cum quolibet Ordinario, qualiscunque sit, ideò non tantùm matrimoniales, beneficiales, & alias causas Ecclesiasticas & spirituales, sed quaslibet etiam profanas ad Ecclesiasticum forum pertinentes, tam in prima, quàm secunda instantiâ cognoscere potest jure Decretalium. *c. 1. ubi* Glossa & Panormit. *h. t.* Jure inquam Decretalium: nam in Trident. *sess. 24. de Reform. c. 20.* specialiter omnibus ac singulis Legatis vel Nuntiis Apostolicis præcipitur, ne quarumcunque facultatum vigore Episcopos in causis Ecclesiasticis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem præripere, seu turbare præsumant, nec contra personas Ecclesiasticas, nisi priùs requisito Episcopo, vel eo negligente, procedant. Itaque ex mente Tridentini, quod praxis sequitur, hodie in prima instantia ipse Episcopus, non verò immediatè Legatus Apostolicus omisso Episcopo est adeundus, nisi cum Episcopo lis sit. In secunda verò instantia adhuc hodie adiri potest observatâ formâ à Jure communi, præcipuè *in c. 3. de Appellat. in 6.* præscriptâ. Idem Trident. *sess. 22. de Reform. c. 7.*

III. Legatus de latere etiam in exemptos 10
Provinciæ suæ jurisdictionem habet per *c. si Abbatem 36. §. 1. de Elect. in 6.* ubi dicitur, quòd Legatus Cardinalis Episcoporum & Abbatum Exemptorum electiones confirmare, & his, id est, Abbatibus in Episcopos electis Abbatiam, atque Monasterium suum deserendi licentiam dare possit, saltem extra Germaniam: in Germania enim tam Abbatum exemptorum, quàm Episcoporum confirmatio S. Pontifici reservata est, ut supra *in Tit. de Elect. n. 87.* diximus.

IV. A die discessûs ab Urbe usque ad diem 11
reditûs sui potest absolvere quoscúnque excommunicatos propter manuum injectionem in Clericos, tam extraneos, quàm subditos, & tam extra, quàm intra Provinciam sibi commissam; cùm Legatus missus solùm subditis Provinciæ suæ, Legatus natus verò ne quidem subditis hanc absolutionem impertiri valeat sine speciali privilegio Papæ. *c. 9. h. t. c. 20. de Sentent. excomm.*

V. Legatus de latere de Jure communi concurrit cum quolibet ordinario Provinciæ suæ in collatione Beneficiorum, ita ut inter eos simul & Papam locus sit præventioni, juxta *c. 6. h. t. & c. 1. Eod in 6.* Quæ ipsa tamen potestas, quoasque se præsertim in Germania extendat, explicat P. Engel *h. t. n. 4. in fin. & n. 5.* Copiosissimè Azor. *d. l. 5. c. 28. & 29. per tot.*

VI. Legato de latere ampla potestas data 12
est in concedendis dispensationibus, maximè circa restituendos spurios ad legitimos nata-

les in ordine ad beneficia Ecclesiastica, ut videre est apud Azor. *d. l.* 5. *c.* 30. ubi tamen *q.* 15. *&* 17. advertit, eum in gradibus prohibitis consanguinitatis & affinitatis, & multò magis cum iis, qui nondum legitimam habent ætatem, v. g. ad Ordines, ad beneficia, aut professionem Religionis, dispensare non posse, nisi in quantùm ei specialiter à Papa conceditur.

VII. Licèt *in c. cùm ex eo* 14. *de Pœnit. & remiss. & in c. fin. Eod. in* 6. prohibeatur ne alius, quàm Papa conferat indulgentias plurium dierum, quàm 40. attamen de consuetudine obtinuit, ut Cardinales Legati possint concedere indulgentias 100. dierum, idque etiamsi non sint Presbyteri. Barb. *J. E. U. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 5.

13 Cæterum communis regula est, quòd Legatus de latere illa non possit, quæ S. Pontifex ordinariè facere non solet: quia S. Pontificem solummodò quò ad ordinariam, non item quò ad absolutam potestatem repræsentat; ideóque in iis, quæ speciale mandatum requirunt, & quæ in signum singularis privilegii Sedi Apostolicæ reservata sunt, sicut est translatio Episcoporum, unio duorum Episcopatuum, vel divisio unius, nihil omnino potest per *c.* 3. *&* 4. *h. t.*

14 *Legatus missus* illud proprium habet, Legatis natis non commune, ut videlicet aliqua leviora etiam in sua legatione non expressa in sua Provincia expedire possit. *c.* 6. *de Præsumpt. c.* 18. *de Accusat. c.* 9. *h. t. Nati* verò nihil possunt sibi vendicare ultra speciatim in legatione eis commissa. *c.* 1. *h. t. in* 6.

15 Econtra etiam *Legatus natus* aliquid speciale obtinet, aliis Legatis non commune, scilicet quòd ejusdem potestas sit diuturnior: Natorum enim legatio, quia adhæret dignitati, tam diu durat, quàm diu Legati illam possident. *c. atiqua de Privilegiis.* aliorum verò legatio personis tantùm cohæret, & elapso tempore illi præfixo exspirat. *c.* 4. *h. t.*

§. VII.

Contraria sunt modi, quibus officium & potestas Legati finitur.

Finitur autem I. revocatione S. Pontificis, secutâ notificatione. Aliàs si revocationem Legatus ignoret, quæ gerit, valida sunt. arg. *c. audita. de Restit. spoliat.* Num verò eo ipso, quòd Papa secundum Legatum creet in Provincia, censeatur primum revocare? controvertitur, probabiliúsque videtur, quòd non: quia non repugnat de jure, imò interdum expedit, duos in eadem Provincia esse judices ordinarios arg. *l.* 1. *ff. de Officio Consulis.* Confer. *ex Tit. de Officio Vicarii n.* 28. II. Finitur relatione negotii ad Papam: nam causâ quacunque ad S. Pontificem prælatâ Legatus ampliùs procedere non potest *c.* 7. *h. t.* III. Lapsu temporis, si Legitus ad certum tempus datus sit. *c.* 4. *de Officio deleg.* IV. Discessu Legati à Provincia animò non redeundi. *c. fin. h. t.* V. Morte Legati, si Legatio personæ, secùs, si dignitati annexa sit, ut dictum.

Per mortem autem Pontificis non extinguitur Legatorum officium: quia eorum jurisdictio est ordinaria, & sic magis durabilis, quàm delegatorum. *c.* 2. *h. t. in* 6. Excipitur, nisi Legatus missus sit ad Papæ beneplacitum, quod ejus morte extinguitur. *c. si. gratiosè de Rescript. in* 6.

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis ordinarii.

SUMMARIA.

1. Jurisdictionis ordinariæ definitio. 2. Usque 7. divisio.
7. Qualiter Jurisdictio ordinaria acquiratur?
8. Usque 22. Prolixè recensentur Ordinarii Ecclesiastici.

11. 13. Quibus competat jurisdictio secularis?
14. De jurisdictionis ordinariæ materia circa quam.
15. Usque 31. In causa propria nemo judex idoneus.
31. Jurisdictio conceditur vel cumulativè vel privativè
32. Finis jurisdictionis ordinariæ. 33. Ejusdem effectus.
34. Et seq. De modis amittendi jurisdictionem ordinariam.

NOmine *Judicis ordinarii* hîc veniunt non tantùm Episcopi, sed etiam inferiores, aut superiores, qui habent jurisdictionem ordinariam.

§. I.

1 *Definitur* Jurisdicto ordinaria, quòd sit potestas publica jus de causa aliqua dicendi jure proprio: hoc est, vi soliùs collati officii, & citra specialem concessionem. Colligitur ex *l. 5. ff. de Jurisdict.*

§. II.

2 *Dividitur* Jurisdictio ordinaria I. in Ecclesiasticam & civilem seu sæcularem. Per illam jus dicitur in causis spiritualibus & Ecclesiasticis; per hanc de causis temporalibus & profanis. Sunt autem ab invicem hæ duæ jurisdictiones discretæ: nam in Principe Laico jurisdictionem civilem quidem concedimus, sed Ecclesiasticam nequaquam.

3 II. Dividitur in contentiosam, & voluntariam. Contentiosa est, quæ in invitos exercetur; ideóque ad hanc referuntur omnes causæ, quæ actionis verbo continentur: nempè actiones tam in rem, quàm in Personam: directæ, utiles, & in factum: interdicta quoque & stipulationes prætoriæ, ut damni infecti, legatorum servandorum, & si quæ similes sunt. *l. 37. pr. ff. de O. & A.* Voluntaria est, quæ exercetur in volentes, & consentientes. Unde ad eam pertinent dispensatio, legitimatio, concessio privilegii, adoptio, emancipatio, beneficiorum collatio, Sacramentorum administratio, & hujusmodi.

4 Ratio discriminis inter utramque est, quòd actus jurisdictionis contentiosæ extra territorium exerceri nequeant, sine expresso, vel tacito consensu judicis proprii, ipsarúmque partium litigantium: *cùm extra territorium jus dicenti impunè non pareatur. c. 2. de Constitut. in 6.* Voluntaria autem jurisdictio extra proprium territorium validè, & plerumque licitè, extendi seu exerceri possit, dispensando v. g. cùm subditis in eorum votis, juramentis; assistendo eorum matrimoniis, absolvendo à censuris, peccatis, &c. arg. *l. 36. §. 1. ff. de Adopt. l. 2. ff. de Offic. Proconsul.* quia cùm ad voluntariæ jurisdictionis exercitium strepitus, seu ordinarius Juris processus non requiratur, neque opus sit Judicem pro tribunali sedere, licèt interdum aliqua extra judicialis causæ cognitio necessaria sit, ideò nulla injuria Judici infertur, in cujus territorio ejusmodi actus fiunt: Quamvis sanè consultiùs sit, Judicem ad evitandum scandalum, confusionem, & ne alienam jurisdictionem videatur invadere, hanc jurisdictionem non publicè, sed privatim administrare. Sanchez *l. 3. de Matrim. disp. 19. n. 8.*

III. Dividitur jurisdictio ordinaria in personalem & realem, seu territorialem. Personalis cohæret ossibus personæ judicis, cum quo etiam extinguitur; qualis est jurisdictio Rectorum Academicorum. Realis est, quæ unacum re v. g. castro venit, eâ lege, ut eam accipiens quasi in patrimonio habeat, transmittatque ad hæredes; qualem in Germania nostra habent multi Comites, Barones, Nobiles, &c. per viam investitutæ, vel aliam similem concessionem. 5

IV. Dividitur in jurisdictionem separatam, concurrentem, & communem. Separata est, quæ competit duobus privativè: velutì cùm alii de aliis personis, causis, quantitatibus, & locis cognoscunt: quia distinctam & discretam jurisdictionem habent. Concurrens dicitur, quæ pluribus cumulativè 6

competit, ita tamen, ut unusquisque per se in solidum cognoscere, & definire possit causam; veluti cum lædem causæ plurium Judicum notioni subjectæ sunt: ubi occupationi vel præventioni locus est: & ubi judicium cœptum est, ibi finiri debet. *l. 3. ff. de Judiciis* Communis jurisdictio est, quæ competit cumulativè pluribus ut universis, sicque simul & complexivè, adeò ut unus sine alio procedere non possit, quippe quòd omnes simul adesse debeant. *l. 37. ff. de Rejudicata.*

§. III.

7 *Causa efficiens* Jurisdictionis ordinariæ est varia & multiplex: acquiritur enim vel supremi Principis Ecclesiastici, aut sæcularis concessione, per *c. 33. v. ordinarii. causâ 2. q. 6. l. un. ff. ad Leg. Jul. ambitûs* vel electione Universitatis per *c. decernimus. de Judiciis. & l. fin. C. de Jurisdict.* vel dispositione Canonum aut legum per *l. & quia 6. ff. Eod.* vel consuetudine, per *c. 4. de Arbitris. c. 13. de Foro compet.* Facit *l. 32. ff. de LL.* vel denique præscriptione. arg. *l. possidere 3. §. 6. l. 6. §. 1. & l. 25. §. fin. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Honor. *ad h. t. n. 3.*

§. IV.

Subjectum Jurisdictionis ordinariæ est is, cui competit. Ubi jurisdictio Ecclesiastica secernenda est à civili seu sæculari.

8 *Jurisdictio Ecclesiastica* I. competit S. Pontifici in Christianos totius orbis, ita ut singulorum causas etiam in prima instantia cognoscere valeat. *c. cuncta per mundum 17. & c. fin. causâ 9. q. 3.* ut proinde non immeritò *Ordinarius Ordinariorum* nuncupetur: neque in terris ab alio judicari possit, sed tota ejus causa DEI judicio sit reservata *c. 14. dict. causâ q. 3.*

9 II. S. R. E. Cardinalibus, at non nisi in Titulis sui Cardinalatûs, prout ex *c. his. quæ. 11. de Majorit. & obed.* declarat Azor. *Instit. moral. p. 2. l. 4. c. 3. q. 1. & 2.*

III. Legatis & Nuntiis Apostolicis respectu Provinciarum sibi commissarum. *c. 2. de Officio Legati in 6.* ubi Ponifex ait: *Legator, quibus in certis Provinciis committitur Legationis officium, provinciarum sibi commissarum, ad instar Proconsulum, cæterorúmque Præsidum, quibus certa sunt decreta provincia moderanda, Ordinarios reputantes, &c.* Quam ob rem etiam delegandi potestate præditi sunt, ipsorúmque potestas morte Papæ legantis non expirat, ut *Tit. prac. n. 17.* dictum. Quin imò Legati majorem aliquando in provincia, quàm alii Ordinarii scil. Episcopi aut Archi-Episcopi potestatem habent: quippè cùm etiam eorum ordinarii Judices sint; ita tamen ut causæ eorundem graviores, & quæ depositionem merentur, Papæ specialiter reserventur. Layman *lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 6. in prine.*

IV. Jurisdictio ordinaria Ecclesiastica attribuitur Patriarchis & Primatibus, qui etsi nomine differant, idem tamen eorum est officium. Azor. *d. p. 2. lib. 3. c. 35. q. 2.* Enimverò Patriarcha, adeóque & Primas est Judex ordinarius omnium tam Archi-Episcoporum, quàm Episcoporum, qui sunt in suo Patriarchatu, seu Primatu, prout observat Vivianus in *c. duo 9. h. t.* Unde tametsi de causis subditorum eorundem Archi-Episcoporum, & Episcoporum non possit cognoscere, nisi per appellationem legitimam, aut vigore consuetudinis, seu privilegiis specialis, *d. c. duo 9.* attamen de causis & criminibus ipsorummet Archi-Episcoporum, & Episcoporum cognoscere, atque pronuntiare olim non prohibebantur, ipsos v. g. deponendo, vel remittendo pronuntiationem ad Papam. Verùm hodie post Trident. *sess. 24. de Reform. c. 5.* causæ criminales eorum majores, quæ scilicet depositione aut privatione dignæ sunt, à solo Papa; minores verò à Concilio provinciali, vel à deputatis per

Con-

Concilium provinciale cognoscí debent, & terminari.

12 V Hæc jurisdictio competit Archi-Episcopis, seu Metropolitanis, qui etiam Judices ordinarii sunt suorum Suffraganeorum, seu Coëpiscoporum, ita ut iis præcipere, eosdémque negligentes ad officium compellere possint. *c. 54. de Appellat.* quamvis itidem in causis criminalibus, sive majoribus sive minoribus adversus eos hodie procedere nequeant sine Sedis Apostolicæ authoritate juxta Trident. *l. cit.* sicuti neque contra subditos eorum Suffraganeorum, utpote in quos nullam jurisdictionem habent, nisi in casibus Jure expressis, nimirùm cùm visitant Provinciam, aut ab Episcopis ad ipsos appellatur, prout ex *c. 1. de Offic. Legati & c. ult. de Consib. in 6.* docent Interpp. cum P. Engl *ad Tit. de Majorit. & obed. n. 26. & seqq.* quem consule.

13 VI. Competit Episcopis; qui in Diœcesi sua non tantùm ordines conferre, altaria consecrare, & id genus alia facere, sed quamcunque Ecclesiasticam jurisdictionem exercere possunt in omnes Diœcesis suæ subditos, tam Clericos, quàm Sæculares etiam Principes. *c. 16. h. t. c. 7. eod. in 6* juncto *c. omnes. 4 & c. 6. de Majorit. & obed.* quibus locis id adeò ampliatur procedere, ut supremi quoque Principes Imperator & Reges in iis, quæ ad salutem spectant animarum, Episcopo loci obedire teneantur. Unde *in c. duo sunt 10. dist. 96.* legimus, quòd D. Ambrosius Episcopus Theodosium magnum Imperatorem, & subinde alii Pontifices alios Reges & Principes excommunicaverint; ut dubium non sit, quin Episcopi tanquam Ordinarii in omnium suæ Diœcesis delicta inquirere, & ubi animæ periculum vertitur, iis obviare, judicare, punire, nec non, cùm opus fuerit, brachium sæculare invocare possint juxta *c. 1. h. t.* juncto *c. 8. de Foro compet.* Ex quo id quò ad sæculares limitatur, tunc potissimùm obtinere, quando Judex sæcularis negligens est, impunita relinquens subditorum suorum sæcularium delicta, aut quando delictum Ecclesiasticum, ut hæresis, sacrilegium, simonia &c. vel mixti fori est, ut adulterium, concubinatus, veneficium, blasphemia, &c. Barb. *J. E. U. lib. 1. c. 4. per tot.* Secùs se res habet cum Clericis, contra quos indifferenter in omnibus delictis & causis Episcopi procedere valent, saltem si sint Clerici sæculares.

Difficultas est: anne etiam Religiosus extra claustra degens & scandalosè delinquens ab Episcopo immediatè puniri possit, maximè si non sit exemptus? Communis sententia negat: quia Religiosus adhuc manet immediatè subditus Abbati suo, consequenter ab Abbate tantùm puniri debet, & in defectu hujus primùm ab Episcopo, supplendo scil. ejus negligentiam; quæ sententia probatur ex *c. penult. h. t.* 14

Mihi videtur distinguendum: num Religiosus degat extra Monasterium sine licentia Superioris, aut in loco, ubi non viget regularis disciplina, neque aliàs exempto, seu incorporato alicui Monasterio: vel an vivat extra claustra cum licentia & voluntate Superioris, ac in loco, in quo viget observantia regularis, aut qui sit pars Monasterii, vel exemptus à Jurisdictione Episcopi? Priori casu censeo immediate ab Episcopo Religiosum corrigi, & corripti posse juxta Trid. *sess. 6. de Reform. c. 3.* quod Religiosum in tali casu immediatè Episcopo subjicit, saltem cumulativè cum Abbate. Neque obstat *d. c. penult.* quia solùm loquitur de exemptis, & quidem intra claustra delinquentibus. Posteriori verò casu procedit prior communis ppinio, atque talis Religiosus immediatè & absolutè ab Episcopo puniri non poterit, sed ejus correctio primo loco ad Abbatem pertinet, & quidem privativè quo ad Episcopum, ita ut Episcopus se immiscere non possit. Ratio est: quia

quia cùm ejusmodi loca dependeant à suis Monasteriis, censentur eodem jure, ac iisdem privilegiis gaudere, quibus Monasteria arg. *c. 3. §. cæterùm. de statu Monach.* ideóque in proposito casu idem erit, ac si degens extra Monasterium, intra illud delinqueret; qui non nisi in defectum Abbatis ab Episcopo punitur. Et hæc distinctio in causis, quæ disciplinam, & statuta redularia concernunt, omninò admittenda est; imò etiam quò ad crimina alia, exceptis iis, quæ depositione digna & notoria sunt. Latè Panormit. *in c. 13. n. 21. & seq. de Foro compet.* cui praxis & hodierna consuetudo accedit: testatur enim Navarrus *comment. 2. de Regular. n. 63.* se nullum vidisse Monasterium, in quo non Abbas de criminibus suorum Regularium cognoscat, & puinat, etiam in forma judicii. Nec refragatur Trident. *sess. 24. de Reform. c. 20.* ubi causæ matrimoniales, & criminales absolutè dicuntur jurisdictioni Episcopi relinquendæ. nam ibi non est sermo de Regularibus immediatè & speciali modo subjectis suis Abbatibus privativè quò ad Episcopum; sed tantùm de Decanis, & aliis subordinatis Clericis sæcularibus, quibus non ita absolutè & independenter ab Episcopo populus subditus est. Confer Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. disp. 15. q. 7. à n. 7.* & Barb. *de Officio & potest. Episc. p. 3. alleg. 105. à n. 13.*

15 VII. Jurisdictio ordinaria Ecclesiastica competit Episcopi Vicario generali seu Officiali: quia illam non habet ab Episcopo, ut AA. volunt, sed immediatè à Canone, ita ut ab Episcopo solùm denominetur persona, cui postmodum à Jure potestas tribuitur. *c. 3. de Appell. in 6.* jurisdictio autem, quæ à lege est, ordinaria censetur, nisi aliàs lex constituat delegationem. *c. à Judicibus ℣. ordinarii. causâ 2. q. 6.* Deinde, Vicarius generalis jurisdictionem sibi vendicat vi officii, quod obtinet. *c. 2.* ibi: *per commissionem Officii. de Officio Vicarii in 6.* ergo ordinariam. Neque officit, quòd vices Episcopi gerat: hoc namque fieri potest, etsi potestatem ab ipso non accipiat, sed à Jure, quemadmodum Archidiaconus. Notat tamen Vallens. *de Officio Vicarii §. 5. n. 3.* quòd in certis casibus Vicarius generalis etiam possit esse delegatus Episcopi, quò ad illa nimirùm, quæ de Jure sunt Episcopo reservata, & in prima institutione non concessa, sed tantùm ex post facto separatim & specialiter ab Episcopo commissa; respectu istorum enim non habet jurisdictionem propriam, sed præcisè solùm delegatam ab Episcopo, ut patet. Planè Vicarius foraneus, cùm non habeat speciale & proprium officium, cui de jure annexa sit certa jurisdictio, sed totam suam jurisdictionem modò majorem, modò minorem immediatè ab Episcopo accipiat, veluti quivis alius ad universitatem causarum delegatus, ordinarius Judex non est, quia Episcopus jurisdictionem ordinariam concedere non potest. Gloss. *in c. 2. V. statuitur. Ne Prælati vices suas, &c.*

VIII. Jurisdictionem ordinariam habentes Abbates, aliique Prælati exempti jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes, adeo ut licèt nomine Diœcesanorum non veniant, attamen veniant nomine Ordinariorum locorum, Barb. *J. E. Ui lib. 1. c. 17. n. 94.* ubi consequenter ex Glossa *in Clem. 1. V. proprii de Reb. Eccles. non alien.* infert, quòd hujusmodi Abbates & Prælati quò ad ea, quæ jurisdictionis sunt, regulariter omnia possint, quæ Episcopi in suis Diœcesibus, ut v.g. Confessarios intra suos terminos ad confessiones sæcularium audiendas approbare: denuntiationes matrimoniales remittere: absolvere ab irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario) & à quibuscunque casibus occultis Sedi Apostolicæ aliàs reservatis, de quibus Trident. *sess. 24. de Reform. c. 6.*

item

item cognoscere de causis matrimonialibus, saltem mediante præscriptione, consuetudine, aut privilegio: dare licentiam alieno Episcopo, aut Prælato Pontificalia in suo districtu exercendi: concedere literas dimissorias Clericis sæcularibus sibi subditis, & similia: Quæ tamen maximè intelligenda sunt de iis Prælatis & Abbatibus, qui non in Regulares solùm, sed in populum quoque Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, adeóque non tantùm quô ad regularia, sed pleno Jure exempti sunt ab Episcopo, ita ut neque de Diœcesi, neque in Diœcesi, sed extra Diœcesim sint, & territorium, seu quasi Diœcesim separatam habeant. Azor. *Instit. moral. p. 1. l. 12. c. 20. q. 19.*

17 IX. Etiam Prælati & Abbates non exempti sunt Pastores ordinarii suorum Regularium, etiam Novitiorum, prout hìc supponitur, adeo quidem ut in pertinentibus ad regularia statuta & disciplinam præcipere, punire, suspendere, interdicere, & excommunicare possint, neque Episcopus se immiscere debeat, nisi in defectum propter negligentiam, aut absentiam Prælati, seu Abbatis. Layman. *in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 8.* Barb. *in c. 12. n. 4. h. t.* & nos paulò ante.

18 De Abbatissis dubitatur, an gaudeant jurisdictione ordinariâ? & quamvis de Jure regulariter mulieres ab omnibus Civilibus muneribus arceantur *l. 2. ff. de R. J.* nihilominùs specialiter Abbatissis conceditur proportionata jurisdictio per text. & Gloss. *in c. 12. de Majorit. & Obed.* vi cujus Monialibus sibi subditis præcipete possunt, quæcunque regulæ sunt conformia, ita nimirùm exigente regimine claustrali. Illud quibusdam videtur paradoxum, dum in eodem *cap.* additur, quòd possint subditas Moniales, sicut & Clericos suæ Jurisdictioni subjectos ab officio & beneficio suspendere. Puto hoc accipiendum esse de subtractione fructuum, vel prohibitione, ne ibidem celebrent Divina: propriè enim suspendere, vel censuram infligere, ita ut trantgredientes irregularitatem incurrant, non possuut: cùm fœminis ob fragilitatem, sexûs Claves Ecclesiæ concessæ non sint. *c. nova. 10. de Pœnit. & Remiss. & ibi* Glossa. Habent igitur Abbatissæ ex vi officii administrationem spiritualium & temporalium, exceptis iis, quæ ad potestatem clavium, vel ordinum spectant. *arg. c. 2. de his, quæ fiunt à Prælat.* Unde possunt conferre beneficia, præsentare, ac instituere Clericos in Ecclesiis suorum Monasteriorum; non quidem illis concedendo jurisdictionem ad ligandum, & solvendum (hoc siquidem ad claves Ecclesiæ pertinet) sed dando possessionem ac titulum.

X. Ordinariâ potestate prædit sunt Guar- 19
diani, Priores & cæteri Superiores Conventuales, qui de jure omnia possunt, quæcunque ad observantiam regularis disciplinæ & ad ordinariam suorum Conventuum gubernationem pertinent; ea tamen non possunt, quæ ad jurisdictionem Episcopalem, & quasi Episcopalem spectant, ut v. g. licentiare ad SS. Ordines, approbare Confessarios, dispensare in casibus, qui solùm Episcopis & Prælatis superioribus reservati sunt, absolvere à casibus iisdem reservatis, approbare, seu reprobare contractus, & alienationes rerum temporalium Ecclesiæ, graviora supplicia infligere & hujusmodi: quia licèt sint, & verè dici possint Prælati, quòd superiorem se in loco non habeant, attamen non habent tantam plenitudinem potestatis circa sibi subditos, quantam alii Prælati generales, & provinciales; eo ipso namque quòd subdantur Prælatis generalibus, ab ipso Jure jurisdictio eorum limitatur, & coarctatur, ut non gaudeant illâ plenaria jurisdictione, qua gaudent Episcopi, neque exercere possint actum ullum pertinentem ad Episcopalem potestatem, prout copiosè exponit Miranda *in Man. Prælat. tom. 2. q. 19.*

a. 3. *ac* 4. Porrò Priores, aliique Superiores Clauſtrales, ii ſcil. qui in eodem loco Superiorem ſe, v. g. Abbatem habent, & ipſi quidem circa minora negotia, præſertim ea, quæ obſervantiam diſciplinæ regularis concernunt, pollent poteſtate ordinariâ, ſed circa majora non poſſunt ampliùs, quàm ipſis ab Abbatibus ſpecialiter committitur, ut conſtat ex praxi.

20 XI. Parochi quoque, itémque perpetui Parochiarum Vicarii ordinariam ſaltem) in foro interno) jurisdictionem obtinent, in omnes Parochiæ ſuæ fideles, & de Jure ſcripto etiam in Reges & Principes; quamquam quod ad Sacramentum Pœnitentiæ attinet, Pontificio fermè diplomate, vel præſcriptâ conſuetudine licentiam nacti ſint, quemvis approbatum Confeſſarium eligendi teſte Layman & aliis, quos, laudat *de Sacrament. Pœnit. tr.* 6. *c.* 10. *n.* 3.

21 Cæterùm quam jurisdictionem ſibi vendicent Archi-Diaconi, Archi-Presbyteri, & Capitula Eccleſiarum, ſuis locis, & ſpecialibus Titulis traditur.

22 *Jurisdictio ſæcularis ordinaria* competit Ducibus, Principibus. Marchionibus, Landgraviis, Comittibus, Civitatibus, & aliis, qui habent univerſam jurisdictionem unius Provinciæ, vel loci ab Imperatore. Speculator *h.t. §. ordinarius.* Item Rectoribus Academiarum *auth. habita. & ibi* DD. *C. Ne filius pro Patre.* Magiſtris militum in negotiis militaribus. *l. magiſteria poteſtatis. C. de Jurisdict.* Dominis feudorum. *c. imperialem de*

23 *Prohib. feudi alien. per Frideric. &c.* Neque dubites, hanc jurisdictionem Clericis quoque convenire: non enim repugnat poteſtati ſpirituali, ſed ei inſervit, & utraque eſt neceſſaria pro adæquato Regimine. Hinc in pluribus mundi partibus in comperto eſt, quòd Eccleſiaſtici à principio fundationis ſuarum Eccleſiarum, vel à tanto tempore, de cujus contrario ex extat memoria, cum poteſtate ſpirituali & Eccleſiaſtica poſſederunt, & adhuc poſſident Ducatus, Comitatus, Baronias cum jurisdictione temporali, exemplo Sacerdoti Veteris Teſtamenti, quibus præter decimas, primitias & oblationes conceſſit etiam DEUS quadraginta octo civitates. *Num.* 35. *& Joſue* 21.

§. V.

Materia, ſeu objectum jurisdictionis ordinariæ ſunt perſonæ & cauſæ, quibus & de quibus quis Jure ſuo jus dicere poteſt.

Quod *perſonas* attinet, debent eſſe ſubditæ jus dicenti per *l.* 7. *& fin. ff. de Jurisdict.* Hinc I. nemo ſibi ipſi, ſuisque jus dicere poteſt. *l.* 10. *ff. Eod.* Nec adverſatur *l.* 77. *ff. de Judiciis.* ibi: *in privatis negotiis Pater filium, & filius patrem Judicem habere poteſt:* id enim procedit alterâ parte conſentiente; ſecùs, ſi ſit invita, & contradicat. II. Nemo jus dicere poteſt æquali, vel majori. per *l.* 4. *ff. de Recept. qui arbiter* Excipitur: niſi major vel æqualis ſe ultrò ſubjiciat jurisdictioni alterius: tunc enim ei & adverſus eum jus dici poteſt. *l.* 14. *ff de Jurisdict. l.* 13. §. 4. *ff. ad Senatus conſult. Trebell.* III. Nemo poteſt jus dicere perſonis, quæ prorsùs non ſunt ſubjectæ, neque ratione domicilii, aut contractûs, aut delicti, aut rei ſitæ, aut ullâ aliâ ratione fundante ſubjectionem & competentiam fori; de quibus *ad Tit. de Foro compet.* At ſufficiat tamen perſonam rei ſubditam eſſe, quamvis actor non ſit; cùm hic ſequatur forum rei. *l.* 2. *C. de Jurisd.* Et ſufficit tunc ſubjectum eſſe, quando accipitur judicium, licèt poſtea forum mutet. *l.* 19. *pr. ff. eod.* ubi enim ſemel cœptum eſt judicium, ibi & finiri debet. *l.* 30. *ff. de Judiciis.*

Quod *cauſas* attinet, alienæ huc pertinent, non propriæ: quia nemo in cauſa propria eſt Judex idoneus. *l. un. C. Ne quis in ſua cauſa. c.* 27. *causâ* 23. *q.* 4. Dicimus autem cauſam propriam, ſi vel directè, vel indirectè commu-

dum

dum, aut detrimentum Judicis in ea lite versatur; veluti si pro reo fide jussit vel de evictione obligatus est, vel ab altero litigatorum hæres institutus. *l.* 17. *ff. de Judiciis.*

26 Limita hanc doctrinam I. Ut summus Princeps causas inter se suósque subditos exortas ipse cognoscere & decidere possit, hoc ipso, quòd Judicem alium non habeat. *l.* 41. *ff. de Hæred. Instit. l.* 3. *ff. de his, quæ in testam. del. c.* 12. *de Judiciis.* Nec tenetur Arbitris rem committere, quantumvis, si id faciat, rectiùs agat. Panorm. *in d. c.* 12. *n.* 6.

27 Limita II. Ut Judex ordinarius possit injuriam sibi ut Judici factam, & notoriam in continenti pœnâ ordinariâ punire. *c.* 24. *dist.* 63. *c.* 30. *causâ* 23. *q.* 4. *l.* 1. *ff. Si quis jus dicenti non obtemp.* Ratio est: quia tunc Judex potiùs est executor juris, quàm judex: in notoriis enim non tam sententiam ferimus, quàm juris dispositionem exequimur. *c.* 10. *de Filiis. Presbyt.* Gail. 1. *Observ.* 39.

28 Limita III. Ut Judex, si ei exceptio incompetentiæ objiciatur, ipse judicare possit, an jurisdictio sibi competat nec ne? *L.* 5. *ff. de Judiciis.* Secùs dicendum, si Judici de jurisdictione tanquam dominio controversia moveatur, vel opponatur exceptio sugillans ejusdem personam, v. g. quòd sit suspectus, excommunicatus, infamis &c. super veritate enim istarum exceptionum non cognoscit Judex recusatus, sed illius Superior, vel arbitri à partibus electi: quia hic apertè agitur de commodo, & incommodo de proprietate, de honore, aut infamia ipsius judicis. Gail. *l.* 1. *observ.* 34. & latè Panorm. *in c. super literis* 20. *n.* 10. *de Rescript.*

29 Limita IV. Ut Episcopus vel alius Prælatus judicare possit in causa suæ Ecclesiæ. Layman *ad. d. c.* 12. *de Judiciis.* cum communi. Poterit tamen tali casu recusari Prælatus tanquam suspectus propter conjunctionem, quam cum sua Ecclesia gerit: arg. *c.* 25. *de Officio delegati.* ubi recusatus Episcopus, quia adversarius familiaris eorum factus: major autem est affectionis suspicio erga propriam Ecclesiã, quàm erga familiarem. Certè si de commodo aliquo Prælati agatur, velut de redditibus ad Mensam ejus pertinentibus, nullô pactô judicem agere poterit per *clem.* 2. *de Reb. Ecclesiæ non alien.*

Limita V. Ut jurisdictionem voluntariam 30
quis in causa propria, & apud se ipsum exercere possit, in ea nempè materia, in qua id specialiter non interdicitur. *l.* 3. *&* 4. *ff. de Adopt. l.* 2. *ff. de Offic. Prætor. l.* 2. *ff. de Officio Præsid.* Panormit. *in c.* 3. *n.* 11. *&* 12. *de Probat.* Potissimùm verò hæc limitatio procedit in illis actibus voluntariæ jurisdictionis, qui à sola Magistratûs authoritate & approbatione robur accipiunt. Nam in aliis, qui ad sui valorem insuper causæ cognitionem solennem, ac decretum postulant, vix est, ut judex in causa pro, & sibi ipsi valeat jus dicere, ob periculum fraudis & læsionis, quæ ibi facilè à Judice posse admitti. per *l. un. §.* 2. *ff. de Officio Consul.*

§. VI.

Ad *formam* Jurisdictionis ordinariæ re- 31
ro modo eandem concedendi. Conceditur autem vel cumulativè, vel privativè. Cumulativè dicitur concedi, quando Princeps non ita confert inferiori, ut semetipsum eâ privet; ac destituat, sed saltem, ut inferiorem magistratum sibi quodammodo accumulet, & quasi adjungat; non quidem ut ambo simul de eadem causa vel lite judicent, ac cognoscant, sed ut liberum sit partibus litigantibus, an velint causam apud hunc vel illum introducere, & cognoscendam proponere: unde vocabulum illud forense natum, quod *præventionem* vocant; scilicèt, ut ille judex causæ pergat cognoscere, & terminare, ad quem priùs ventum est, sive coram quo lis initium cœpit. Privativè conceditur, cùm Princeps ita inferiori authoritatem juris dicendi attribuit,

ut seipsum eâdem authoritate, sive potestate privet. Præsumitur autem in dubio jurisdictio potiùs cumulativè concedi. arg. *l.* 1. *C. de Præfect. urb. l. quoties* 9. *§. fin. ff. de Administ. & peric. Tut.* 1. 14. §. *nos igitur. de Præbend. in* 6.

§. VII.

32 *Finis* Jurisdictionis ordinariæ est: ut Religio, *l.* 4. *C. de Summa Trinit.* pax, concordia & tranquillitas publica servetur. *l.* 3. *l.* 13. *ff. de Officio Præsidis.* itémque ut lites finiantur & summatim sanctissima Juris præcepta, quæ sunt: *honestè vivere; alterum non ladere; suum cuique tribuere*, §. 3. *Inst. de J. & J.* salva, & illabata custodiantur.

§. VIII.

33 *Effectus* Jurisdictionis ordinariæ is est præcipuus, quòd quivis jurisdictionis hac ratione muneris sui præditus eam exercere per se, & alii etiam generaliter delegare possit. Vid. supra dicta *de Offic. deleg. §.* 1. *n.* 8. *Alter* effectus spectatur in actionibus & remediis, quæ competunt illi, qui, cùm controversia ei de jurisdictione movetur, vel in eâdem turbatur, probare potest, se in quasi possessione, vel dominio jurisdictionis constitutum esse ad hoc, ut defendatur. Et quidem si turbatio fiat in quasi possessione jurisdictionis, datur utile interdictum *uti possidetis. c.* 9. *de Probat.* Gail. *de Pignorat. observat. ult.* si quis vi, adeóque atrociter dejectus sit de quasi possessione jurisdictionis, pro ea recuperanda agere potest spoliatus interdicto utili *Unde vi c.* 24. *de Elect.* quamvis de Jure civili sententia hæc de Interdictis pro jurisdictione competentibus, vix obtineat. Cùm verò de ipso jurisdictionis jure lis oritur, locum inveniunt confessoria, & negatoria actiones. Harpprecht in *§. aquè* 2. *n.* 4. *Instit. de Action.*

§. IX.

34 *Contraria* Jurisdictionis ordinariæ sunt modi, quibus Ordinarius esse desinit. Desinit autem I. lapsu temporis, ad quod datus est. II. Amotione; seu privatione officii facta ab eo, qui jus amovendi habet, ex justa scil. causa, v. g. ob abusum jurisdictionis. arg. *c.* 12. *§. sacri. de Pœnis.* III. Resignatione legitima officii, de qua supra *Tit.* 9. IV. Morte ejus, cui commissa est jurisdictio personalis, per *Novel.* 22. *c.* 20. *in pr.* & his similibus. Morte tamen illius, qui commisit jurisdictio ordinaria non exspirat, sive res adhuc sit integra sive non. Colligitur ex *c.* 2. *de Officio Legati in* 6. Atque per hoc distinguitur ordinarius à delegato, cujus jurisdictio finitur, si delegans re integrâ moriatur, ut in *Tit. de Officio delegati. n.* 33. probatum. Ratio diversitatis est: quòd ordinaria jurisdictio concedatur authoritate juris, quod nunquam moritur; econtrà delegata tantùm proveniat, & dependeat ex voluntate delegantis, quamdiu res est integra. Excipitur verò specialiter Vicarius generalis Episcopi, qui licèt jurisdictionem ordinariam habeat, tamen eam amittit per mortem Episcopi etiam quo ad negotia jam cœpta, ex singulari ratione: quia eam non nisi dependenter à tribunali Episcopi accepit.

TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

SUMMARIA.

1. Quid sit Officium Judicis 2. Et quotuplex?
3. Nemo nisi publica authoritate officium hoc exercere qui potest.
4. Usque. 13. Quis officio judicis fungi possit?
13. Usque 17. Quæ pertineant ad officium Judicis?
17. Officium Judicis consistit in causæ cognitione, decisione & executione.
18. Finis hujus Officii.
19. Judicis officium exigit, ut non flectatur passionibus. 20. Usque. 25. Ut non accipiat personam. 25. 26. Ut abstineat à muneribus. 27. 28. Et ne à veritate, aut legibus recedat.

Hæc

HÆc de diversorum Judicum officiis & potestate in specie. Modò exponitur Officium Judicis in genere.

§. I.

1 *Definitur* Officium Judicis, quòd sit potestas, quæ ad dirimendas lites tollendáque gravamina quomodolibet secundùm æquitatem exercetur, ut per hoc omnium tranquillitati privatim & publicè consulatur. Mynsing. *ad Instit. h. t. n.* 4. Breviùs describi potest, quòd sit munus publicum cognoscendi, & definiendi res judicio postulatis.

§. II.

2 *Dividitur* Officium Judicis in nobile & mercenarium. Nobile officium DD. illud appellant, quod per se stat, hoc est, quod non præcisè deservit, & alligatur actioni partis litigantis, sed authoritate juris exercetur, etiamsi nulla proponatur actio. Et hoc contingit, vel adjuvando jus commune, ut si Judex parti pauperi ex officio deputet advocatum *l.* 1. §. 4. *ff. de Postulando.* pupillo tutorem, aut litigantibus judicem specialem constituat. *l.* 1. *ff. de Jurisd.* Vel fit impugnando jus commune, ut si concedatur restitutio in integrum, quâ rescinditur id, quod de jure aliàs validum. *c.* 1. *&* 2. *de Restit. in integr.* Officium Judicis mercenarium vocant, quod non exercetur, nisi ad instantiam partis habentis actionem in jure fundatam, ita quidem, ut si nulla moveatur actio, judicium inchoari nequeat; imo nec cœptum continuari, si partes mutuo consensu à lite desistant, aut transigant. *l. ediles* 25. §. 8. *ff. de Ædil. edicto.* Panorm, *in c.* 2. *h. t. in* 6. Ideo autem mercenarium dicitur, quia Judex ad id videtur suo modo obligatus, quemadmodum mercenarius ad operas alteri pro mercede locatas.

§. III.

3 *Causa efficiens* Officii Judicis est authoritas juris vel consuetudinis, & consensus Principis, vel ejus, qui jus dandi Judicem habet; ut ex dictis colligitur, ac per se manifestum est, neminem nisi publicâ authoritate illud officium obire posse, *l.* 78. *ff. de Judiciis.* & inde est lex Julia de ambitu lata adversùs eos qui pecuniâ & largitionibus ambiunt magistratus, quâ ambientibus irrogabatur pœna exilii cum infamia *l. un. ff. Ad l. Jul. de amb.* quæ tamen passim negligitur, teste experientiâ, Sed utinam non negligeretur, vel severiorem etiam aliquando Principes statuerent de non emendis vendendísque dignitatibus & officiis, cùm ex hac mercatura gravissima mala in Remp. redundent, ut expendit Azor. *Instit. moral. p.* 3. *l.* 8. *c.* 7 *q.* 3. & Nos alibi.

§. IV.

Subjectum est, qui fungitur officio judicis. Fungi autem potest omnis, qui non prohibetur naturâ vel jure. *c.* 1. *causâ* 4. *q.* 7. *l.* 12. §. 2. *ff de Judiciis.*

Natura prohibetur I. perpetuò furiosus, 4
infans, & omni alii usu rationis destituti: quia defectus usûs rationis inhabilitat ad omnem actum moralem & humanum. Ante furorem tamen judex datus, si spes sit sanæ mentis redituræ, in eodem permanet officio, sed judicandi necessitatem morbus sonticus remittit. *l.* 46. *ff. de Judiciis.*

II. Prohibetur mutus & surdus. *d. l.* 12. 5
§. 2. Mutus: quia neque interloqui, neque sententiam recitare potest; quorum utrumque judici incumbit. *h. t. Instit. h. t.* Surdus: quia nequit audire disceptationem partium, depositionem testium, & utriusque partis jura plenâ inquisitione discutere; quæ magna pars est muneris judiciarii. *l.* 9. *C. de Judiciis. c.* 11. *causâ* 30. *q.* 5.

An cœcus judex esse possit? inutilis fermè 6
quæstio est; ut tamen moræ deferam, dico, posse esse: cùm nullâ lege ab hoc munere arceatur, nec cœcitas oculorum noceat claritati ingenii, quo judex censetur. Et hanc sententiam probat *l. cœcus* 6. *C. de Judiciis.*

Verùm sunt quædam causæ, in quibus cœcus hoc officio judicandi fungi non valet; quæ videlicet ocularem inspectionem desiderant, ut si de finibus agatur, aut de comparatione literarum. *l.* 8. §. *fin. ff. Fin. regund. l.* 22. *C. ad L. Cornel. de falsf.*

7 III. Prohibetur impubes, sive qui 14. ætatis annum nondum complevit: quia caret judicio requisito ad hoc officium, & ideò omnibus officiis civilibus debet abstinere. *l.* 2. §. 1. *ff. de R. J.* Hodie tamen, ubi jurisdictio ex successione obvenit, ea etiam in pupillos, ali ósque utcunque prohibitos transit, sed per Tutores, Curatores, aut Administratores exercetur. P. Engel *ad h. t. n.* 4.

8 *Jure* ab Officio judicis arcetur I. minorennis; *c.* 41. *de Officio deleg.* At sub ista distinctione: aut est minor 25. annis, major tamen 20. & potest dari judex etiam invitis partibus *l.* 41. *ff. de Recept. qui arbitr.* ubi Callistratus alii, lege Julia cautum esse, *ne minor.* 20. *annis judicare cogatur.* Aut est minor 20. annis, major tamen 18. & tunc non potest dari judex 1 nisi vel à Principe, vel ex consensu partium, ut patet ex *d. c.* 41. Aut est minor 18. annis, & non nisi à solo Principe judex constitui potest, qui si gnarus ætatis ei causam committat, hoc ipso censetur illum habilem reddere per *l.* 57. *ff. de re jud.* Confer. Panorm *add. c.* 41. *n.* 5.

9 II. Prohibetur fœmina. *d. c.* 1. *causâ* 3. *q.* 7. *causâ* 33. *q.* 5. *l.* 12. §. 2. *ff. de Judiciis.* Ratio fortè est vitium levitatis, ac sexûs mobilitas; & quòd lubricum, captionibúsque obnoxium sit fœminarum judicium. Excipitur: ut officium judicis fœminæ competere possit, ubi ex usu, & consuetudine, vel privilegio Principis jurisdictionem ordinariam hæreditariam habet. *c.* 4. *de Arbitr. l.* 2. *& ibi DD. ff. de R. J.* consultiùs tamen est, ut munus judicandi aliis committat.

10 III. Servus: quia quoad officia civilia reputatur pro nullo. *l.* 32. *ff. de R. J.* debet autem servus non solùm reverâ talis esse, sed etiam pro tali haberi: etenim si communiter liber habitus in judicem eligatur, ejus acta sustinentur, lege humanâ propter communem errorem defectum jurisdictionis supplente, ne in causis publicis decipiamur, ac graves confusiones suboriantur. *L. Barbarius* 3. *ff. de Offic. Prat.* Quam legem DD. communiter extendunt ad quemcunque alium casum, ita ut acta judicis quomodocunque illegitimi semper teneant, si habeatur communiter pro legitimo: nam communis error titulo subnixus jus facere dicitur, modò illa illegitimitas non sit juris Divini, aut naturalis: quia tunc lex humana defectum supplere nequit. Latè Sanchez *l.* 3. *de Matrim. disp.* 22. *per tot.*

IV. Prohibetur judicare qui semel senatu, aut dignitate motus est. *d. l.* 12. §. 2. *ff. de Jud. c.* 1. *causâ* 3. *q.* 7. dummodò amotus sit ob turpem causam, cujus generis recenset *l.* 7. *ff. Ad leg. Juliam repetund.* Et ad hanc classem pertinent quoque infames per *d. c.* 1. *& l.* 2. *C. de Dignitat.* Item excommunicati. *c.* 24. *de Sentent. & rejud.* & Hæretici. *c.* 10. *de Officio ordin.* & *c.* 13. §. *credentes. de Hæretic.* Limita: nisi excommunicatio, aut hæresis sit tolerata, ut in praxi nostræ Germaniæ patet.

V. A munere judicandi arcentur Canonum, legum, morúmque imperiti, & qui carent scientiâ requisitâ ad judicandum de causa commissa. *c.* 1. *de Consang. & Affinit. Novel* 82. *pr.* Ratio est: quia judicem non secundum animi sui ductum, sed secundùm Canones, leges, statuta, itémque rationabiles consuetudines & mores locorum judicare oportet. *c.* 1. *& 5. de Constit. princ. Inst. h. t. Novel.* 18. *c.* 1. *Novel.* 82. *c.* 2. *&* 13. Gail. 1. *Observ.* 36. & si per imperitiam male judicet, litem suam facit, & obligatur parti læsæ, quatenùs religioni Superioris æquum visum fuerit. *princ. Instit. de oblig. quæ ex quasi del. l. fin. ff. de Extraord.*

ord. cognit. Imò ab hanc imperitiam Prælatus jubetur Prælaturâ dejici. *c. nisi §. pro defectu. de Renunt. c. fin. de Ætat. & qualitat.*

§. V.

13 *Materia seu objectum* aliud est officii nobilis Judicis, aliud est officii mercenarii.

Ad Objectum officii nobilis Judicis spectant inquisitio & punitio sceleratorum, absolutio à censuris, admissio postulationis, restitutio in integrum minorum, cautio damni infecti, facultas concedendi veniam ætatis, constituendi Tutores, vel curatores, dandi advocatum parti quæ illum habere non potest, restitutio natalium, famæ & honoris, creatio notariorum, & omnia alia, in quibus Judex interponit suum officium vel motu proprio & nemine petente: vel ad instantiam & implorationem quidem partis, sed sine actione proposita.

14 *Ad Objectum* officii mercenarii pertinet, quidquid Judex proposita jam actione in judicio præcipit, prohibet, vetat, permittit, inter loquitur: ista enim omnia dicuntur expediri officio Judicis mercenario. *l. utiles 25. §. item sciendum ff. de ædilit. edicto. DD. in l. 1. ff. de Jurisdict.* Quin & cognitâ jam controversiâ illud Judicis officium deservit etiam causæ definiendæ sive decidendæ: quippe omnes sententias Judex ex officio mercenario pronuntiare dicitur: nec tantùm super re principali, & causa in judicium deducta, sed etiam super fructibus, damnis, sumptibus litis, aliisque accessionibus. *l. 49. §. ult. ff. de Actionib. empti. l. 55. ff. de re judicata.* Schneidevv. 15 *in §. 11. n. 10. inst. de Actionib.* Sanè executionem non hoc mercenario, sed nobili Officio Judicis fieri, versis est: tum quia officium mercenarium simul atque definitiva sententia, quæ totam causam terminat, lata est, cessat atque exspirat. *l. Judex. 55. ff. de re jud.* adeò ut nec postmodùm de expensis judicare possit. *l. terminato. C. de fruct. & lit. expens.* tum quia à sententia definitiva appellari potest; ab ejus autem executione, nisi magnis ex causis, non appellatur.

Dubium est: utrùm ad officium Judicis 16
spectet supplere exceptiones, vel allegationes partium, quas fortè imprudentes Advocati omiserunt? & communis sententia sustinet, judicem absolutè quidem ad id non obligari, cùm non teneatur simul esse Advocatus partium; posse tamen, si ejus nobile officium imploratum fuerit, supplere ea, quæ sunt Juris v. g. omissam exceptionem præscriptionis, vel Senatus consulti Vellejani, non verò ea, quæ sunt facti per expressum text. in *l. un. C. ut quæ desunt Advocatis.* Judicis enim non est facta aliorum proponere, tanquam ordinariè sibi incognita, & præcisè ab aliis dependentia; bene autem fundamenta juris ipsis factis applicare, & desuper ferre sententiam. Illud probabiliùs est, exceptionem, quæ ex actis relucet, supplendam esse à Judice non modò in causis Civilibus, sed & Criminalibus. Mynsing. 3. *Observ.* 38. Adeoque etiam præsumptio supplenda necessariò, dummodò allegatum fuerit factum, unde exsurgit: veluti ex allegato & probato possessionis initio, ultrà Judex ejus tractum præsens præsumet oer *l.* 15. *§.* 3. *ff. Ex quibus causis major. l.* 4. *C. ad exhibendum.*

§. VI.

Forma officii Judicis in tribus potissimùm 17
consistit, cognitione nempe, decisione, & executione. Cognitione fit, quando utraque pars auditur, rationésque allatæ ponderantur, & ad justitiæ lancem appenduntur. Decisione fertur æqua sententia, & cuique parti suum attribuitur. Executione non solùm sententia lata confirmatur, & approbatur, sed insimul quoque res victori traditur, & appropriatur.

§. VII.

Finis officii Judicis est suum quique tribuere 18
secundùm leges & consuetudinis sententiam ferendo, attentâ præ omnibus mente legis-

la-

latoris & æquitate naturali. *c. 6. de V. S. l. 5. C. de LL. l. 90. ff. de R. J.*

§. VIII.

19 *Effectus* Officii Judicis spectatur in obligatione juris dicendi, æquitatisque statuendæ; cui ut Judex satisfaciat.

I. Cavebit, ne flectatur irâ, odio, timore precibus, vel amicitia, sed ut fungatur officio boni & innocentis viri. *c. 4. causâ 3. q. 7.* Quare Baldus duplicem salem requirit in Judice, scientiæ scil. & conscientiæ, eumque sine illo insipidum, sine hoc verò diabolicum esse pronuntiat.

20 II. Judex non accipiet personam: quia in judicio non est habenda personarum acceptio juxta *c. 12. de R. J. in 6.* Quod (ut summatim hìc perstingam) variis modis fieri potest. *Primò* accipit Judex personam, ideoque graviter peccat, quando in alterius partis gra-
21 tiam fert iniquam sententiam. *Secundò*, si casu, quo causa civilis ex parte unius litigantis apparet probabilior justior, & ex parte alterius minùs probabilis, non judicat secundùm eam, quam ipse censet probabiliorem: Judex namquè à Rep. vel Superiore constitutus est ad definiendas causas, prout meliùs videtur & conformiùs legibus, ac rationibus. Hinc Innocentius XI. Anno 1679. die 2. Martii meritò contrariam sententiam damna-
22 vit, & prohibuit. *Tertiò* accipit judex personam itidem in causis civilibus, quando, ubi est æqualis probabilitas (sive juris, sive facti) non æquè favet utrique parti, materiam scil. sive rem liti subjectam æqualiter inter partes dividendo, si secundùm se, aut secundùm pretium divisibilis sit, aut si divisibilis non sit, eam ex consensu parti per sortes uni adjudicando, vel aliter partes inter se componendo: quia Judex suum cuique jus tribuere tenetur, neque potest absque periculo acceptionis personarum & manifesta injustitia uni parte majus jus ad rem concedere, quàm à parte rei juxta merita causæ habeat, sicut nec alteram partem suo jure privare, cum rei controversa dominus non sit. Ergo in casu, quo utraque pars omninò æquale jus habet, utrique æquale jus adjudicare debet, & non uni totum, alteri verò nullum; nisi alterutra pars rem possideat, vel causa, de qua igitur, sit privilegiata, & favorabilis, nam cæteris paribus pars possidens, & causa favorabilis prævalet, & pro ea judicandum per *c. 65. de R. J. in 6. & c. fin. de Sentent. & re jud.* Menoch. *de Arbitr. casu* 339. *n.* 22. *Quartò* Judex accipit personam, quando in criminalibus condemnat reum, præsertim ad pœnam ordinariam, habentem causam æquè probabilem, quàm accusator, aut etiam minùs probabilem, dummodo probabilem: tum quia in criminalibus, si partium jura sunt obscura (uti sunt quando utrinque sunt opiniones probabiles) reo favendum est potiùs, quàm actori juxta *c. 11. de R. J. in 6.* tum quia ad condemnandum reum oportet probationes contra eum luce meridianâ esse clariores juxta *l. fin. C. de Probat.* satiùs enim est impunitum relinqui facinus nocentis quàm innocentem condemnare. *l. 5. ff. de Pœnis. Quintò* denique judex accipit personam, non solùm, quando non secundùm merita causæ judicat, sed etiam quando causas pauperum protendit, divitum citò expedit: item quando absque legitima causa uni parti constituit longiorem terminum ad probandum, aut informandum, quàm alteri; etsi enim leges judicibus permittant, ut pro arbitrio, & exigentio dilationes longiores vel breviores indulgeant, non tamen concedunt, ut pro libidine & gratificandi studio possint uni parti tribuere longiorem terminum, quàm alteri, maximè cum alterius incommodo. Sed de his plura alibi.

III. Judex abstinebit à muneribus, ne venales habeat sententias; adeóque nec abeo quidquam accipiet, qui bonam causam habet, ut secundùm eam pronuntiet, quia justitia non

non

est pretio æstimabilis. *c. 66. causâ* 11. *q.* 3. *c.* 10. *de Vita & honest. Cleric.* Quòdsi defacto aliquid notabile acceperit Judex, tum inprimis conditione ob turpem causam ad restitutionem conveniri, & repeti potest à dante: nisi constet dedisse animo corrumpendi judicem; quo casu cessaret repetitio, cùm turpitudo subesset tam ex parte dantis, quàm accipientis, consequenter devolveretur res tradita ad fiscum, sicut omnia similia injustè quæsita arg. *l. Lucius. ff. de Jure fisci.* Ordinariè verò videtur potiùs dare pecuniam judici, ut non extraordinariè molestet, & infensus sit, sed faciat, quod justum est. Insuper Judici, qui sordibus se corrumpi patitur, graves pœnæ irrogantur, juxta arbitrium Superioris, & circumstantiarum qualitates, ut apertè colligitur ex *l.* 2. *ff. de condict. ob turp. caus. & t. t. ff. & C. ad leg. Juliam repetund. Novel.* 124. *c.* 2. Excipiuntur tamen moderata esculenta & poculenta sponte oblata, quorum receptionem jura permittunt Judici. *c.* 11. *§. insuper de Rescript. in* 6. *& l.* 18. *ff. de Officio. Præsid.* ex præsumptione, quòd per hæc non inflectatur animus boni viri, & quòd potiùs humanitatis, quàm corruptelæ, & affectûs nundinandi causæ offerantur, quamvis melius utique foret etiam ab his abstinere, & juxta consilium Psalmistæ, excutere manus ab omni munere.

26 Num verò Judex saltem pro suo labore ab utraque parte sportulas, id est, certam quotam pecuniæ, vulgò **Gericht-Gelt** accipere possit? ambigitur. Dixeris non posse, eò quòd justitia gratis administrari debeat. Ego referre arbitror: an Judex jam aliàs habeat constitutum aliquod salarium pro honesta sustentatione sufficiens, vel non? priori casu de Jure scripto sportulæ exigi non possunt juxta *Novel.* 8. *§. scriptum est exemplar ℣. sicut & cap.* 10. *de Vita & honest. Cleric.* Quod cap. licèt tantùm loquatur de Judice delegato, idem tamen dicendum erit de Ordinario, utpote longè magis ad justitiam administrandam obligato. Casu posteriori subdistinguo inter forum Civile & Canonicum. In foro Civili, cùm ordinariè (abstrahendo à laboribus privatis) ex publico & aliunde congrua ac perpetua sustentatio non tribuatur, sed per propriam industriam quisque sibi providere debeat, moderatæ sportulæ conceduntur, quales pro Pedaneo seu Judice dato determinatæ sunt *in Novel.* 82. *c.* 9. nemo enim suis stipendiis militare cogitur, nec propterea officium ejus cessat esse gratuitum, ut liquet ex *cit. Novel.* In foro Canonico autem juxta *d. c.* 10. *de Vita & honest. Cler. & c.* 11. *§. insuper. & seq. de Rescript. in* 6. sportulæ absolutè etiam delegato Judici denegantur; cùm in hoc foro ordinariè delegatio fieri soleat personæ Ecclesiasticæ, quæ sufficientem sustentationem ex beneficio habere præsumitur. Quòdsi tamen aliquis non habeat beneficium ad sustentationem sufficiens, tunc arg. *d. c.* 10. à sensu contrario cum Panorm. *ibid. n.* 11. existimo sportulas peti posse.

Imò de consuetudine videmus, passim in Judiciis quoque ordinariis sportulas quasdam exigi, eò quòd intuitu illarum minora salaria judicibus assignari soleant, & alioquin magis habiles officium Judicis in utroque foro subterfugerent, non absque detrimento Reip. & verò talis consuetudo, damnari nequit: cùm non sit contra rationem, dare etiam cum intentione obligandi, vel accipere aliquid pro tantis laboribus, periculo, & molestiis, quibus defatigantur Judices, si officium suum ritè adimplere velint, præsertim ubi ordinarium salarium laboribus proportionatum non est, vel jam ex alia causa debitum, quemadmodùm v.g redditus beneficiales debentur Clerico intuitu ministerii spiritualis, etsi Judicis delegati officium non subeat. Nec paritas est inter munera & sportulas: quia hæ debentur

pro laborè, ac sustentatione Ministrorum justitiæ, & quidem æqualiter ab utraque parte, sive absolvatur sive condemnetur, ut proinde Judicem non corrumpant, vel magis ad alteram partem inclinent, sicuti munera, quæ inæqualiter offeruntur præcisè ad conciliandum favorem Judicis contra naturam justitiæ, quæ æqualiter omnes respicit.

27 IV. Judex veritatem sectabitur. Oportet igitur cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere: interrogandi, respondendi, objiciendique, præbitâ patientiâ ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit pleniter: nec litigantibus Judex priùs velit suâ sententiâ obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant: & tam diu actio ventiletur; quousque ad rei veritatem perveniatur. Textus *in c.* 11. *causâ* 30. *q.* 5. An verò Judex conscientiam in judicando, vel potiùs acta & probata sequi teneatur? iterum alibi discutiemus.

28 V. Judex nihil ex arbitrio domesticæ voluntatis faciet, sed ordinariè juxta leges, ac jura pronuntiabit, præsertim inferior. *c.* 3. *dist.* 4. *c.* 4. *causâ* 3. *q.* 7. *princ. Instit. h.t. Novel.* 82. *c.* 13. Ratio est: quia jus certum est, & æquali fronte omnes respicit. Ergo potiùs ex eo, quàm ex humano arbitrio, quod moveri gratiâ, frangi potentiâ, prece, pretióve corrumpi, odiô, spe & metu concuti potest, Judex justitiam administrabit.

Notanter autem dixi I. *Ordinariè*: quia Judex etiam inferior potest aliquando recedere à lege scripta, scil. si constat, aut probabiliùs est, aliam fuisse mentem legislatoris, tunc enim relictis verbis tanquam cortice legis potest sequi mentem legislatoris, ceu legis animam per *c.* 41. *de appellat. c. ult. de R. J. in 6. l.* 17. *&* 29. *ff. de legib. l.* 13. §. 2. *ff. de Excus. Tutor.* Atque ita etiam intelligo *l. placuit* 8. *C. de Judiciis.* quæ jubet, æquitatis magis, quàm stricti juris rationem haberi.

Dixi II. *Præsertim Judex inferior*: quia Supremus Princeps potest dispensare in legis rigore, quando videt id expedire Reip. quod non potest inferior, nisi ex tacita vel expressa Superioris concessione. Quòdsi leges discrepent, semper jus novissimum sequendum est juxta *l.* 1. *ff. ad l. aquil.* Unde fit, ut Judex potiùs secundùm consuetudinem, vel statutum judicare debeat, quàm secundùm legem; sic tamen, ut illud ex jure communi interpretetur arg. *c.* 1. *de Constit. in* 6.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia.

SUMMARIA.

1. Quid sit majoritas, 2. usque 12. & unde desumatur.
12. Abbatum prærogativa. 23. Præcedentia Ordinum regularium.
14. Quis sit Judex competens litium de præcedentia.
15. Majoritate conservatur unitas Ecclesiæ.
16. Ex Majoritate oritur obedientia.

QUia Judicum alii sunt majores, alii minores, ideò hìc competenter agitur de *Majoritate & Obedientia.*

§. I.

Definitur majoritas, quòd sit prærogativa quâ quis aliis est dignior & honorabilior.

§. II.

Causæ majoritatis sunt excellentia potestatis seu jurisdictionis: præeminentia ordinis Consecrationis, vel Benedictionis: dignitas conferentis: & prioritas temporis.

Primò igitur & ante omnia attendendum est ad nobilitatem statûs, & jurisdictionis amplitudinem; vi cujus omnes longè antecellit S. Pontifex, ut qui absolutam & totorbe difusam potestatem habet. Proxime post S. Pontificem hodie succedunt Cardinales

qui licèt non omnes Episcopi, vel Presbyteri sint, nihilominùs præcedunt Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas: quia isti unius duntaxat diœcesis, vel certi cujusdam districtûs, Cardinales verò totius populi Christiani curam gerunt, & utilitatem promovent, dum S. Pontifici ceu Consiliarii à latere assistunt. Ita declaravit Eugenius IV. in sua Bulla, quæ incipit: *Non mediocri.* Cardinales subsequuntur Patriarchæ & Primates: hos Archi-Episcopi; istos Episcopi, aliique Prælati; & demum Clerici inferiores, de quorum potestate in jure diversis locis sermo est.

6 Quòdsi aliqui in dignitate & jurisdictione omnino pares sint, tum *secundo loco* attenditur ad prærogativam Ordinis *c. fin. dist.* 17. *c. 5. dist.* 93. *c.* 15. *h. t.* Sic inter Cardinales Episcopi præferuntur aliis Cardinalibus Presbyteris, & hi Diaconis &c. Idem de jure dicendum foret de Canonicis Ecclesiarum
7 Cathedralium. Verùm de consuetudine, vel juxta particularia locorum statuta hodie in plerisque Canonicatibus præfertur antiquior, qui scilicet priùs in numerum Canonicorum est receptus, sive deinde in majoribus ordinibus constitutus sit, sive non. Talem autem consuetudinem introduci posse, utpote contra legem merè positivam, nullus dubito, quamvis Barb. *l. E. U. lib.* 1. *c.* 21. *n.* 86. hujusmodi consuetudinem irrationabilem censeat, consequenter non admittendam.
8 Porrò ad hanc causam præcedentiæ etiam refertur consecratio & benedictio, vi cujus Episcopus consecratus antecedit non consecratum, & Abbas benedictus non benedictum. Vallensis *h. t. num.* 3.

9 *Tertiò* si in prioribus paritas sit, de jure attendendum foret (licèt in praxi parùm observetur) ad dignitatem, vel præcedentiam ordinantis, aut certum gradum conferentis, ita ut ille, qui v. g. à S. Pontifice Sacerdos est ordinatus, præferendus sit reliquis Sacerdotibus ordinatis ab Episcopo *c.* 7. *h. t.* Unde in simili post Glossam infert Panormit. *ibid.* quòd in Synodo provinciali illi Episcopi & Prælati cæteris digniores & majores habendi sint, quos Papa ab aliorum etiam superiorum potestate & jurisdictione speciali privilegio exemit, ex quo enim eos Papa per exemptionem voluit honorare, alii quoque non dedignabuntur eis inter cæteros exhibere honorem, arg. *c.* 6. *de Privileg. in* 6. ubi dicitur, quòd Abbates exempti pretiosiore mitrâ, dum sunt in synodo, uti possint, quàm non exempti. Hinc item ille, qui posteriùs receptus est in Canonicum authoritate Apostolica, anteferendus est in assecutione præbendæ, quæ primò vacaverit, illi, qui Legatorum, vel aliorum quorumcunque authoritate, quamvis priùs receptus est juxta *c.* 12. *de Prabend. in* 6. quemadmodum etiam in Jure civili ii cæteros præcedunt, qui à Principe dignitatem consecuti sunt per *l.* 2. *ff. de Albo scribendo.* sine dubio ideo: quia majus est bonum & efficacius, quòd à majori datur. 10

Quarto præcedentiam tribuit tempus, quo aliquis in ordine, officio, vel gradu constituitur, ita ut cæteris paribus semper præferatur antiquior. Text. & DD. in *c.* 1. *h. t.* obtinet enim tunc vulgata regula: *qui prior est tempus, potior est jure.* Unde in sessionibus, in dicendis sententiis, in subscriptionibus &c. juniores postponuntur senioribus: hinc senior collegii collegium congregat: hinc item Episcopus consecratione, Canonicus creatione, & Religiosus professione antiquior inter Episcopos, Canonicos, seu Religiosos ejusdem Monasterii primus sedet. Dixi autem, & quidem notanter: *cæteris paribus:* hoc est, si eandem functionem, dignitatem, vel ordinem habeant: quia si major v. g. in dignitate, aut ordine concurrat cum antiquiore quidem, sed minore in dignitate 11

vel ordine, tunc, ut suprà dictum, major dignitate seu ordine præferendus est, etsi junior, & posterior sit tempore; nisi per consuetudinem, privilegium, vel præscriptionem contrarium sit introductum, ad quæ jura specialia, maximè in hac majoritatis materia, præ reliquis advertendum est. Vid. Pirrhing *h. t. num.* 3. & 4.

12 *Dubitatur* I. quem dignitatis gradum Abbates & Prælati regulares teneant comparatione Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium? Sustinent aliqui, tales Canonicos præcedere Abbates saltem tunc, quando capitulariter, seu collegialiter incedunt, eò quòd ut sic cum Episcopo unum quodammodo corpus constituant, eúmque repræsentent. Verùm licèt hoc admitti possit mortuo Episcopo, utpote in cujus jurisdictionem universam tunc succedunt, aliàs tamen semper præferendi videntur Abbates; aliíque Prælati regulares, præsertim infulati & benedicti, tam ratione ordinis & benedictionis, quàm ratione potestatis & jurisdictionis absolutè in suos Religiosos & subditos competentis. Imò propter prædictam benedictionem, & jurisdictionem probabiliter præponuntur etiam Archidiaconis, cùm per *c. fin. de Officio Archid.* specialiter Monasteria ab Archidiaconorum jurisdictione eximantur. Neque obstat *c.* 1. *Eod.* ex quo DD. communiter tradunt, Archidiaconum esse primum in dignitate post Episcopum: hoc enim tantùm verùm est respectu aliorum Clericorum sæcularium: quia nomine Clerici in odiosis non comprehenduntur Regulares. Unde non minùs apud Barb. *J. E. U. l.* 1. *c.* 17. *in princ.* & alios *ib.* laudatos dicuntur Abbates primam post Episcopum in Ecclesia habere dignitatem, & in conciliis generalibus anteponendi omnibus aliis Prælatis præter Episcopum. Interim non negaverim, particularem consuetudinem locorum quandoque hunc ordinem præcedentiæ turbare.

Dubitatur II. quibus Ordinibus Religiosorum ante alios præcedentia competat? R. In primis distinguendos esse Mendicantes à non mendicantibus: illi enim istis semper postponuntur. Inter ipsos Mendicantes illi de jure præcedunt, qui priùs in aliquo loco Monasterium obtinuerunt, nisi fortè alii fuerint jam in quasi possessione juris præcedendi constituti. Non mendicantium præcedentia desumitur vel ab antiquitate Ordinis; vel fundationis; vel etiam ex modo vivendi: ita ut inter Religiosos diversi Ordinis illi antecedant, quorum Ordo citiùs à Sede Apostolica approbatus, vel qui simul activam & contemplativam vitam agunt. Inter Religiosos autem ejusdem Ordinis illi regulariter præferuntur, quorum Monasterium priùs fuit fundatum, quamvis interdum etiam dignitas instituentis, vel excessiva pluralitas Religiosorum præcedentiam conferat, maximè de consuetudine. Denique inter Religiosos ejusdem Ordinis & Monasterii attenditur dies professionis: quòdsi duo simul professionem emittant, is præponendus est, qui priùs fuit ad habitum admissus; quem tamen ordinem ex rationabili causa immutare licet. P. Engel *h. t. n.* 64. Barbos. *J. E. U. l.* 1. *c.* 43. *n.* 181. *& seqq.* ubi hæc diversis decisionibus confirmat.

Cæterùm Judex competens in causa præcedentiæ, si inter personas Ecclesiasticas inferiores lis oriatur, est Episcopus. Trident. *sess.* 25. *de Regularib. c.* 13. Quod ex constitutione Gregorii XIII. extendit Barb. *J. E. U. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 85. ad Confraternitates laicorum, si de præcedentia in Processionibus, & similibus actibus disputent, eò quòd hæc materia vel spiritualis sit, vel spiritualibus annexa. Aliorum verò Prælatorum Episcopo superiorum lites de majoritate decidere ad S. Pontificem spectat: ejus siquidem est, gradus Ecclesiasticos in Jure forsan non sufficienter expressos determinare.

Fun-

§. III.

15 *Finis* Majoritatis est, ut Ecclesiæ unitas conservetur, quæ haud subsisteret, nisi personarum subordinatione firmaretur. *c. ad hæc. 7. dist. 89.*

§. IV.

16 *Effectus* Majoritatis & altera *rubricæ* pars est obedientia, quæ intuitu majoritatis ab inferioribus præstari debet superioribus, atque in tribus potissimùm consistit, nimirùm in reverentia majoribus debita: in subeundo judicio, quatenùs inferior citanti parere tenetur; in iis scilicet, in quibus subest, non item in aliis quibuscunque: & in præcepto seu mandato superioris observando, nisi illicita contineat. *c. 3. & 13. h. t. c. 93. causâ 3. q. 3.* in dubio tamen obtemperandum est superiori præcipienti: quia habet præsumptionem pro se, & multa sæpè facit ex justis causis & circumstantiis, quas subditi ignorant *c. quid culpatur. causâ 23. q. 1.* Vallens. *h. t. n. 7. & seqq.*

TITULUS XXXIV.
De Treuga & Pace.

SUMMARIA.

1. Treugæ definitio. 2. Et divisio.
3. Quis possit treugam inire?
4. Exponuntur conditiones necessariæ ad bellum justum.
5. Treuga etiam hosti servanda.
6. Ex quibus causis solvatur?
7. Quid sit pax? 8. Num Princeps pro pace obtinenda possit remittere damna subditis illata?

JUdicum Ecclesiasticorum & Majorum est discordantes componere. *dist. 90. per tot.* Unde hic *de Treuga & pace:* ac *in 2. seqq. de Pactis & Transactionibus* subjicitur.

§. I.

1 *Definitur* Treuga, quod sit securitas præstita rebus aut personis ad tempus bello nondum finito. Glossa in *c. 1. h. t.* vel brevius; quòd sit cessatio ab armis ad tempus. Hinc aliquando armistitium, aliquando induciæ indigitatur. P. Engel *h. t. n. 1.*

§. II.

Dividitur treuga in conventionalem, & 2
canonicam. *Conventionalis* est conventio seu pactum publicum inter hostes de armis ad certum aliquod tempus utrinque suspendendis solenniter initum. *Canonica* dicitur, quæ à SS. Canonibus est statuta; eáque iterum duplex: una scilicet perpetua, quæ est concessio securitatis præsonis privilegiatis absque ulla temporis perfinitione facta. Et hâc gaudent Clerici, Monachi, Conversi, Peregrini, Mercatores, & agricolæ; item animalia, quorum usus est in arando. *c. 2. h. t.* Alia temporalis, quæ sunt induciæ ratione temporis omnibus communiter concessæ. Et durat hæc temporalis treuga à feria quarta, id est, à die Mercurii post occasum solis, usque ad feriam secundam, id est, diem lunæ in ortum solis: ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ; & à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ; quibus temporibus renuentes Episcopus loci cogere potest ad treugam servandam sub excommunicatione juxta *c. 1. h. t.* Verùm treugas canonicas passim negligi, docet tristis bellorum experientia, & consuetudine contraria abrogatas esse, tradit Panorm. *in d. c. 1.* cum communi.

§. III.

Causa efficiens Treugæ conventionalis est 3
vel remota vel proxima. Remota est Jus Gentium: inde enim bella, captivitates, fœdera pacis, induciæ & postliminia *c. 9. dist. 1.* Proxima sunt belligerantes, qui quâdam justâ causâ moti gerendo bello & expeditioni ad tempus renuntiant. Sicut autem Belliducibus citra consensum Principis aut populi superioris concessum non est pro arbitrio contrahere pacem, ita nec de induciis liberum erit

paciſci arg. *l.* 122. *§. Calimachus ff. de Verb. oblig.* Quæ tamen prohibitio noſtra de induciis longioribus erit ſubaudienda: breviores enim, ſuadente maximè neceſſitate, acciperc & largiri Duces non puto prohiberi. Gentil. *de J. B. lib.* 2. *c.* 10.

§. IV.

4 *Materia* ſeu *objectum* Treugæ eſt bellum defenſivum vel offenſivum; ſive juſtum ſive injuſtum. Dicitur autem bellum defenſivum, quo vis injuſtè illata repellitur. Et hoc eſſe licitum & juſtum, nemo negat, cùm vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant. *l.* 3. *ff. de J. & J.* Bellum offenſivum ſeu aggreſſivum eſt, quo vis infertur injuriæ vindicandæ cauſæ; ad cujus juſtitiam tres communiter conditiones deſiderantur. *Prima* eſt legitima belli indicendi authoritas, quàm habet omnis & ſolus is, qui nec in criminalibus, nec in civilibus cauſis ordinarium ſuperiorem habet: inferiores verò ſine conſenſu ſupremi Principis bellum gerere non poſſunt, niſi defenſivum; idque ideò, quia in propria cauſa nemo debet eſſe judex, niſi careat ſuperiore, à quo jus ipſi dicatur. Molina *de J. & J. l.* 2. *diſp.* 10. *Secunda* eſt cauſa belli gerendi gravis & juſta. Juſtæ autem cauſæ ſunt publica in Principem & ipſius ſubditos, maximè in Legatos contumelia: occupatio aut detentio iniqua alicujus civitatis: violatio pacis, aut fœderis initi pro re magni momenti: denegatio eorum, quæ jure gentium videntur omnibus conceſſa: auxilium hoſti latum, niſi fortè peculiaria fœdera id permittant: injuſta defenſio hominis ſcelerati ad mortem poſtulati: oppreſſio iniuſta innocentium, & ſimiles. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 96. Qui rectè ſubdit gloriam, dilationem Imperii & aliam Regni utilitatem haud eſſe ſufficientem belligerandi cauſam: alioquin enim totus orbis deberet ſemper eſſe in armis. Graves verò cauſæ cenſentur, quæ belli damnis proportionantur. *Tertia* conditio eſt recta intentio, ut nempe ſuſcipiatur bellum non ex odio, ſed ex amore boni communis. Quamquam defectus hujus conditionis non impediat, quò minùs bellum à parte rei ſit juſtum; nec inducat obligationem reſtituendi damna hoſtibus illata, ſicut inducunt defectus primæ & ſecundæ conditionis, ut docent Theologi communiter.

§. V.

Formam Treuga conventionalis accipit à conventione inter Principes belli celebrata, ſicut quilibet contractus. *l.* 23. *ff. de R. J. c.* 85. *Eod. in* 6.

§. VI.

Finis Treugæ eſt belli dilatio, & ne ad tempus breve & præſens hoſtes ſe invicem laceſſant.

§. VII.

Effectus eſt obligatio naturalis, quâ fides, etiam hoſti, contra quem bellum geritur, ſanctè ſervanda eſt. D. Auguſt. relatus *in c.* 1. *causâ* 23. *q.* 1. Nihil enim quidquam divinius eſt, quàm promiſſorum, conventionúmque conſtantia. Jaſon *in l.* 1. *ff. de Pactis.* Magnâque & perpulchra res eſt, quàm aliis omnibus, tum viro Principi fas fidémque ſervare, Xenoph. *Orat de Ageſil.* Ut non immeritò deteſtentur probi improbum Machom. III. Turc. Imperat. dictum: præſtare fidem Mercatorum eſſe, non Principum, quòd illi à fide, hi ab armis pendeant & viribus.

§. VIII.

Contraria Treugæ conventionali ſunt juſtæ ac probatæ cauſæ, quibùs ſolvitur. Solvitur autem I. ſi ceſſet conditio: defectus enim conditionis omnem contractum reddit irritum *arg. l.* 37. *ff. de Contrah. empt.* II. Si tempus ſit elapſum; quod non, uti aliàs in civilibus plerumque fieri ſolet, de die in diem, ſed præciſè de momento in momentum numerandum, Gentilis 2. *de J. B. c.* 12. III. Si ab alterutra parte treuga fuerit violata; cùm omnis pro-

promissio intelligatur rebus sic stantibus, & per neutram partem contra promissionem factam immutatis: illa enim vox vulgi, juris & æquitatis est: frangenti fidem, fides frangatur eidem. Quod verum in eodem negotio, & in correlativis, sed non in divisis, ne aliàs perfidia perfidiæ accumuletur. Conferatur Panorm. *in c.* 1. *h. t. n.* 3. *& in addit. lit. a.*

§. IX.

7 *Affinis* Treugæ, & pars altera rubricæ est *Pax*, quæ describitur, quòd sit hostium inter se certis conditionibus de bello in totum tollendo legitimè facta transactio.

8 *Quæri* hìc potest: num Princeps pro pace consequenda damna subditis tempore belli illata remittere, aut etiam quædam eorundem bona hosti dimittere possit? negant Hostiens. Bartol. & alii *in c. quantò de jurejur.* Affirmant Gail. 2. *observ.* 57. & Mynsing 4. *observ.* 9. quos sequor, supposito, quòd aliter pax obtineri nequeat, & Reip. intersit pacem iniri: habet enim Princeps jus in bona subditorum, quoties in publica utilitas vel necessitas exposcit, cui privata postponitur. *Auth. res quæ C. communia de Legat.* præsertim, quia pax in subditorum quoque commodum redundat. Interim in tali casu damnum quibusdam in particulari illatum proportionaliter aliunde resarciri deberet, vel à Principe, vel à communitate, cujus scil. gratiâ pax inita est: suadet namque naturalis æquitas, ut commodum pacis sentientes, onus quoque propterea impositum proportionaliter substineant. Quod verum est, si bellum fuerit justum: quia si Princeps injustum bellum contra vel præter voluntatem subditorum inchoâsset, teneretur ille solus ex propriis suis bonis damna subditorum resarcire, eò quòd sine justa & publica causa jus nullum habeat subditos privandi bonis, quæ Princeps jurisdictione tantùm, non dominio possidet. An autem, & quo jure Imperator *Pacem Religiosam* inire, ac Hæreticis Episcopatus, Monasterio, & bona Ecclesiastica tam priùs ablata, quàm tempore pacis à Catholicis pacificè possessa cedere potuerit? Sabbathina quæstio est, à qua consultò abstineo.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

SUMMARIA.

1. Pacti etymologia. 2. 3. 4. Definitio. 5. usque 11. Et multiplex divisio.
3. In quo pactum à pollicitatione differat?
9. Promissio præsenti & tacenti facta est pollicitatio, non pactum.
11. Contractûs definitio. 12. usque 20. Et divisio.
14. 15. In contractu innominato utroque jure pœnitere dicet.
20. usque 31. Qui pacisci possint?
31. 32. 33. Alteri nemo paciscitur.
34. usque 44. Quænam res. 44. usque 47. Et facta in pacta deduci possint?
47. usque 52. Pacta incuntur purè, in diem, sub conditione aut modo.
52. Cur Pacta incantur?
53. 54. Neque ex Jure Civili, neque de Jure Can. ex pacto nudo datur actio.
55. Et seqq. De præstatione doli, culpæ & casûs.

§. I.

1 *Pactum* deducitur variè. Baldo à pace: Hotomano à pacione: aliis à percussione manuum. Sed convenientiùs Ulpiano à pactione; unde etiam pacis nomen appellatum est. *l.* 1. *§.* 1. *ff. h. t.*

§. II.

2 *Definitur* Pactum, quòd sit duorum, vel plurium in idem placitum consensus. *d. l.* 1. *§.* 2.

3 Dicitur I. *duorum vel plurium*: ad differentiam pollicitationis; quæ est unius & solius offerentis promissio ab altera parte necdum acceptata, atque hinc ante acceptationem nullam obligationem inducit, sed semper revocari potest, & exspirat, si promittens moriatur.

l. 21

l. 2. §. 6. ff. de Donationib. post acceptationem verò mox naturam & definitionem pacti participat, consequenter obligationem ex naturali æquitate producit. *d. l. 1. ff. h. t.* Excipitur casus unicus, quo favore boni communis pollicitatio etiam ante acceptationem obligat, & irrevocabilis est: si nimirùm fiat alicui Civitati, vel Reip. ex justa aliqua causa v.g. graditudinis, aut propter incendium, seu ruinam, quæ Civitati obtigit. *l. 1. & 4. ff. de*
4 *Pollicitat.* Quod P. Engl *h. t. n. 4.* rectè extendit ad pollicitationem, seu promissionem piæ causæ factam: nam in favorabilibus à Rep. ad Ecclesiam, vel aliam piam causam procedere argumentum, passim tradunt DD. optimâ sanè ratione, quòd promisso facta piæ causæ censeatur principaliter fieri ipsi DEO, qui statim eandem acceptat, ideóque non secùs, ac votum irrevocabiliter obliget, licèt administrator Ecclesiæ illâ necdum accepta verit.

Dicitur II. *in idem placitum consensus*: hoc est, in eandem conventionem ad aliquid dandum vel faciendum, quia placitum idem significat, quod conventum,

§. III.

5 Summa pacti *divisio* est in *Pactum in specie seu simplex, & in contractum.*

Pactum in specie seu simplex est conventio carens speciali nomine, & causâ. *Conventio* generis nomen est, omnes obligationum & contractuum species sub se concludens. *d. l. 1. §. 3. ff. h. t.* Particulæ, *carens speciali nomine & causâ*: excludunt Contractum, qui ab alterutro horum specificatur, & distinguitur à Pacto in specie, ut satis colligitur ex *l. 7. §. 1. & 2. ff. h. t.* Dicitur autem *nomen speciale*, quon à Jure ad certum, & specificum negotium contractum est, nec potest dici de pluribus contractibus specie, sed numero solùm differentibus. Tale nomin est, v. g. mutuum, quippe quod à Jure alligatum est ad significandum illud negotium, quo res fungibilis datur cum obligatione reddendi rem ejusdem generis; nec potest dici de ullo alio contractu specie diverso, sed tantùm de pluribus mutuis numero ab invicem distinctis. Et ita discurrendum de omnibus aliis contractibus nominatis. *Per causam* intelligitur datio vel factum, quo conventio ab uno paciscentium impletur ex intentione, ut alter vicissim ad quid præstandum incipiat esse obligatus. Ut ecce! placuit inter nos permutare nostros libros; si ego tibi dem meum, vel tu mihi tuum, hæc datio dicitur causa, fundatque contractum innominatum. *d. l. 7. §. 2.*

Dividitur Pactum in specie I. in pactum nudum, & non nudum, seu vestitum. Pactum nudum est, quod in sola conventione consistit, & neque in proprium contractûs nomen transit, neque obligationis causam, neque ullam de jure vim obtinet producendi actionem. *d. l. 7. §. 4. l. 27. C. de locato & conducto.* Hujusmodi pactum v. g. est promissio de mutuando, commodando, permutando &c. antequam res mutuanda, commodanda, vel permutanda tradatur. Pactum vestitum est, quod ab extrinseco, puta vel ex speciali legis assistentia, vel ex cohærentia contractûs dignendæ actionis efficaciam consecutum est. Et quidem si hanc vim & virtutum acceperit à speciali lege, indigitatur pactum legitimum. *l. 6. ff. h. t.* Quale est promissio dotis: *l. 6. C. de Dotis promiss.* Donatio simplex: *l. 35. §. fin. C. de Donationib.* Constitutum. *t. 1. ff. de Constit. pecun.* Hypotheca seu pactum pignoris. *l. 17. §. 2. ff. h. t.* Sin verò pactum ad actionem producendam firmetur ex cohærentia contractûs, dicitur pactum contractui adjectum, & est illud, quod vel inter contrahendū vel in continenti post contractum initum est. *d. l. 7. §. 5.* Uti est lex commissoria, & additio in diem; de quibus *ad Tit. de empt. & vend.* agemus. Num verò pactum nudum juramento vestiatur? diemus *ad Tit. de jurejur.*

M.

7 II. Dividitur pactum in expressum & tacitum. Illud est, quod expresso consensu verbis, vel literis declarato initur. Tacitum, quod re ipsa sine verbis aut epistola fit, atque ex præsumpta paciscentium voluntate & conjecturis elicitur. Exemplum elegans taciti pacti occurrit in redditione chirographi: *si enim debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos convenisse, ne peterem, profuturámque ei cautionis exceptionem placuit*, 8 inquit JCus Paulus *in l. 2. ff. h. t.* Diversum in pignoris restitutione receptum est: nam ut Modestini verbis utar, *postquam pignus debitori redditur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse, dubium non est, nisi specialiter, contrarium actum esse probetur. l. 3. ff. eod.* Ratio differentiæ hæc nonnullis placet, quòd chirographi redditi nulla utilitatis esse possit, nisi remissionis debiti; pignoris autem usus multiplex sit, sive ad utendum, sive ad vendendum. Bartol. ad *d. l. 2. n. 3.*

9 *Dubitatur*: an promissio præsenti & tacenti facta eo ipso censeatur tacitè acceptata, & consequenter intervenire tacitum pactum, quo promittens obligetur? Ita existimaveris, tum quia juxta *c. 43. de R. J. in 6.* in favorabilibus tacens habetur pro consentiente: tum quia in *c. 3. h. t.* promissa adimpleri jubentur, quod necessum non foret, si in terminis nudæ pollicitationis permanerent, & nisi tacitum pactum intercederet. Sed negativa verior est, eò quòd aliàs nulla inter præsentes pollicitatio daretur. Vel enim is, cui promissio facta est, immediatè dissentit, vel non? si priùs: tunc nulla est pollicitatio, ut patet. Si posterius: tunc juxta priorem sententiam & regulam in favorabilibus haberetur pro consentiente, in odiosis pro dissentiente arg. *l. 8. §. invitus ff. de Procurator.* consequenter nunquam foret nuda pollicitatio. Confirmatur ex *l. 1. §. 4. ff. de V. O.* Ubi dicitur: si stipulanti mihi 10. tu 20. promittas, non esse contractam obligationem, nisi in 10. subsumo: atqui si tacita semper acceptatio & pactum subesset, quando promittitur aliquid præsenti, & tacenti, tunc obligatio (naturalis saltem) nasceretur etiam ad alios decem. ergo Non obstat *d. c. 43. de R. J. in 6.* quia tacens etsi agatur de ejus commodo, absolutè tamen non habetur pro consentiente, si non factum aliquod concurrat, sive ex parte tacentis, sive ex parte promittentis, ex quo consensus præsumi possit: sicuti contingit, cùm quis alteri rem custodiendam tradit, ac ille eandem in domum suam recipit. Tunc igitur solùm procedit illa *Regula* 43. Si verò nullum simile factum interveniat, neque ex circumstantiis, vel aliis conjecturis consensus sufficienter colligi queat, tacere est quasi medium inter affirmare & negare, consentire, & dissentire per *Reg. 44. Juris in 6.* ubi is, qui tacet, nec fateri, nec negare dicitur, adeóque adhuc deliberare præsumitur. Ad *d. c. 3. h. t.* dico, id accipiendum esse de promissis acceptatis, non verò de nudis pollicitationibus: verba enim juris regulariter cum effectu sumenda sunt: neque ibidem Jus Canonicum novam tribuit promissis efficaciam, sed jam aliàs ex naturali obligatione (quæ ex pacto tantùm & consensu duorum oritur, non autem ex nuda unius promissione) competentem solùmodo confirmat. Confer Fachin. 8. *controv.* 64.

III. Dividitur pactum in specie in obliga- 10
torium, seu promissorium, & liberatorium. Promissorium est, quo paciscentes ad aliquid dandum vel faciendum obligantur. Liberatorium, quod liberationem ab obligatione inducit: quale est pactum de non petendo. Vid. Eckolt *ad ff. h. t. §. 6.* ubi plures alias pactorum species recenset.

Contractus est conventio habens speciale 11
nomen, vel causam. Quid autem sit habere speciale nomen, quid habere causam, supra *n.* 5. declaravimus.

12 *Dividitur* Contractus I. in contractum verum, & quasi contractum. Verus est, qui vero & reali contrahentium consensu perficitur. Quasi contractus est, qui facto, ac dispositione juris inducto consensu constat; cujus generis 6. enumerantur in *Tit. Instit. de Oblig. quæ ex quasi contractu.* nempe negotiorum gestio: tutelæ administratio: communio rerum singularium: communio hæreditatis: aditio hæreditatis, & solutio indebiti.

13 II. Dividitur in contractum nominatum & innominatum. Ille est, qui speciale nomen habet. *l.* 7. §. 1. *ff. h. t.* Quò pertinent omnes pene contractus reales, omnes verbales, literales, & consensuales. Innominatus est, qui non habet nomen proprium, sed causam. *d. l.* 7. §. 2. Cujus species sunt contractus æstimatorius: permutatio: do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias.

14 Est autem contractibus innominatis peculiare, quòd re sive integrâ, sive non integrâ, ei, qui implevit contractum, pœnitere liceat, & suum repetere, esto qui accepit neque in mora sit, neque in culpa: imò etsi paratus sit, ex sua quoque parte implere contractum: & ampliùs, etsi jam fecisset aliqua præparatoria in ordine ad implendum. *l.* 3. §. 2. & 3. *l.* 5. *princ.* §. 1. & 2. *ff. de Condict. causâ datâ, causâ non sec.* Molina 2. *de J. & J. disp.* 258. *n.* 3. Ratio est: quia qui dicto modo dedit, non obligat se accipienti, sed tantùm hunc sibi obligat ad vicissim quid dandum vel faciendum. Ergo potest, qui dedit, jure suo activo cedere, & nolle alterum ampliùs obligatum esse, adeóque liberè pœnitere. Econtra ei, qui necdum implevit contractum non licet pœnitere comparatione ejus, qui implevit, sed hic potest alterum convenire, vel *actione præscriptis verbis* ad implendum contractum, vel, si malit, *condictione causâ datâ, causâ non secuta* ad repetendum, quod datum est.

An autem hæc dispositio Juris Civilis procedat etiam de Jure Canonico, itémque in foro conscientiæ, ut quis liberè possit pœnitere in contractu innominato, licèt, qui non implevit, non sit in mora, sed paratus ad implendum? inter partes dissidentes hæret. Negat post alios à se relatos Molina *d. disp.* 158. *n.* 7. Affirmat P. Engel *h. t. n.* 13. Affirmo & egotum quia jure Can. non extat decisio contraria juri Civili, consequenter intrat vulgaris regula, quòd SS. Canones non dedignentur imitari leges civiles. *c.* 1. *de N. O. N.* tum quia dispositio juris civilis in proposito non fovet peccatum, vel quid bonis moribus contrarium, ut constat ex ratione præallegata.

III. Dividitur contractus in realem, verbalem, literalem, & consensualem. Realis est, qui actuali rei traditione absolvitur, ut mutuum, commodatum, depositum, pignus. *t. t. Instit. Quib. mod. re contrah. oblig.* item contractus innominatus. *d. l.* 7. §. 2. *ff. h. t. & l.* 1. §. 2. *ff. & l.* 3. *C. de Rerum permut.* Verbalis est, qui verbis, hoc est, interrogatione præcedente, & responsione congruâ in continenti subsequente completur. Et hic uno nomine dicitur *stipulatio*; de qua latè Interpp. *ad ff. d. V. O.* Literalis est, qui perficitur literis, id est, datione chirographi continentis professionem pecuniæ creditæ, quæ tamen credita non est. De quo est *Tit. Instit. de liter. oblig.* Contractus consensualis est, qui solo consensu absque interventu rei, verborum, vel literarum constituitur, ut sunt emptio venditio, locatio conductio, emphyteusis, feudum, societas, mandatum.

IV. Dividitur contractus in unilateralem & bilateralem. Unilateralis est, qui tantùm unam contrahentium partem obligat, ut mutuum, stipulatio, literarum obligatio, aditio hæreditatis, solutio indebiti, & contractus innominati omnes. Bilateralis est, qui utramque contrahentium partem obligat; estque

vel per se talis, vel per accidens. Contractus per se bilateralis est, qui utrumque contrahentem statim initio æquè primò & principaliter obligat, ut est emptio venditio, locatio conductio, societas, communio hæreditatis, & communio rerum singularum; quibus omnibus hoc commune est, quòd pariant actionem utrinque directam. Contractus per accidens bilateralis est, qui initio tantùm unum contrahentem, postea verò & per accidens etiam alterum incipit obligare: quo numero sunt commodatum, depositum, pignus, mandatum, negotiorum gestio, tutelæ administratio, quibus omnibus hoc commune est, quòd pariant actionem directam & contrariam; directam illi, qui initiò statim obligatur; contrariam verò illi, qui ex post facto & per accidens incipit obligari.

18 V. Dividitur contractus, quòd alius sit bonæ fidei, alius stricti juris. Bonæ fidei contractus est, in quo Judex liberam habet potestatem etiam de iis ex bono & æquo statuendi, de quibus inter contrahentes nominatim nihil actum, aut ne cogitatum quidem est, modò æquitas præstari postulet. §. 30. *Instit. de Actionib. L. 5. pr. ff. de O. & A.* Quò spectant omnes contractus, quorum actiones recensentur *in §. 28. Instit. de Action.* & tales sunt omnes contractus bilaterales. Contractus stricti juris est, in quo potestas Judicis est alligata ad terminos conventionis, ita ut eosgem judicando excedere nequeat; neque adjudicare, vel condemnare possit ultra id, quàm à partibus est expressum. *l. 3. ff. h. t. l. 99. ff. de V. O.* Cujus generis sunt omnes contractus, quorum actiones *in d. §. 28. Instit. de Action.* non enumerantur; ut mutuum, stipulatio, aditio hæreditatis, solutio indebiti &c. & omnis contractus unilaterales, exceptâ permutatione, & contractu æstimatorio. Pluribus de hac divisione disserit. P. Engel *h. t. §. 5.*

VI. Et ultimò dividitur contractus in one- 19
rosum, & lucrosum. Onerosus est, quo utrique contrahentium imponitur onus aliquod, seu obligatio mutua quid præstandi. Et huc ferè omnes contractus referuntur. Lucrosus est, qui tantùm unam partem gravat, alteri verò lucrum seu commodum gratis affert. Quò revocari solent commodatum, depositum, mandatum &c.

§. IV.

Causa efficiens Pacti est vel remota, vel pro- 20
xima. *Remota* est Jus, aut Gentium, aut Civile: quia pacta aut contractus, & quidem penè omnes originem suam trahunt à Jure Gentium; & nonnulli etiam ut stipulatio, & contractus literarum, à Jure Civili. *§. 2. Instit. de I. N. G. & C. Proxima* sunt paciscentes. Paciscì autem possunt omnes, qui vel naturâ, vel lege non prohibentur.

Natura prohibentur I. infantes, quibus te- 21
nella ætas intellectum denegat. II. furiosi, si continuâ mentis alienatione omni intellectu careant; aliàs si furoris intervalla habeant, id temporis rectè paciscentur. III. Mente capti, nisi dementiæ inducias impetraverint. IV. Ebrii, ad exilium mentis usque poculis obruti; qui à Seneca rectè insanis comparantur. V. Multi & surdi, qui nequeunt consensum suum exprimere per signa ab aliis perceptibilia. Ratio est: quia omnes hi aut non habent, aut non possunt accommodare consensum, essentialiter ad valorem pacti, aut contractûs requisitum *l. 1. §. 2. ff. h. t.*

Lege prohibetur I. pupillus infante major, 22
qualis est, qui jam excessit septennium. *l. si infanti. C. de Furt delib.* Hic enim sive sit infantiæ, sive pubertati proximus, si sine sui Tutoris authoritate paciscatur, aut contrahat, alterum quidem sibi obligat, ipse verò vicissim non obligatur saltem civiliter. *princ. Inst. de Authorit. Tutor. l. 28. pr. ff. h. t.* Imò valdè probabiliter nec naturaliter, & in conscientia.

l. 41. *ff. de Condictione indeb. l.* 59. *ff. de Oblig. & Act.* Ad Textus contrarios potest breviter responderi, illos vel loqui aut supponere de pupillo locupletiore facto ; quo pertinent. *l.* 21. *pr. ff. ad leg. Falcid. l.* 64. *pr. ff. Ad Senat. consult. Trebel.* vel in illis pupillum saltem fictione juris haberi pro obligato, non in suum, sed tertii alicujus præjudicium ; quò pertinent *§.* 3. *Instit. quib. mod. toll. oblig. l.* 1. *§.* 1. *ff. de Novat. l. ult. pr. ff. sin verò creditor ff. de Jurejur. l.* 128. *ff. de V. O. l.* 95. *§.* 2. *ff. de Solut. l.* 44. *ff. Eod. l.* 25. *§.* 1. *ff. Quando dies legator.* vel denique sermonem ibi esse de pupillo, qui dolosè in contractu versatus est, ut *in l.* 13. *§.* 1. *ff. de Dolo l.* 1. *§.* 15. *ff. Depositi.*

23 II. Prohibetur minor 25. annis : hic enim si curatorem habeat, & sine consensu ejus paciscatur, aut contrahat, æquè parum, ac pupillus, & consequenter nec civiliter, nec naturaliter obligatur. *l.* 3. *C. de in Integr. restit. minor.* ibi : *hunc contractum servari non oportet.* Quæ phrasis idem significat, ac contractum ipso Jure nullum esse, ut constat ex *l.* 7. *§.* 16. *ff. h. t.* Atqui quando contractus nullus est ipso jure ob resistentiam legis, tunc neutra obligatio nascitur, neque civilis, neque naturalis, ut fatentur omnes, ergo. Quòdsi minor curatorem non habeat, se solo valide paciscitur, aut contrahit, & obligatur tam civiliter, quàm naturaliter, sed læsus habet beneficium restitutionis in integrum intra legitima tempora. *d. l.* 3. *§. sin verò sine curatore.* Ad *l.* 43. *ff. de O. & A. l.* 101. *ff. de V. O.* & alia similia jura responderi potest, ea loqui aut supponere, vel de minore non habente curatorem ; vel de tali, qui habuit, sed contrahit cum ejus consensu ; vel de obligatione merè personali, & quæ nec terminativè realis est, ut est obligatio sponsalitia, matrimonialis, ascendendendi Capitolium &c.

24 III. Prohibetur prodigus juridicè ; qualis est, cui à Judice bonorum suorum administratio interdicta est, & datus curator. Hic enim æquè invalidè sine curatore paciscitur, aut contrahit, ac pupillus sine tutore, minor sine curatore, consequenter nec naturaliter obligatur ex pacto nocibili, absque curatore inito. *L.* 6. *ff. de Verb. oblig.* Ubi dicitur, nec fidejussorem pro prodigo sic contrahente intervenire posse, sicut nec pro furioso : evidenti argumento, quòd nec naturaliter obligetur, cùm etiam pro naturaliter obligatis fidejussor queat accedere. *§.* 1. *Instit. l.* 16. *§.* 3. *ff. de fidejussorib.* Aliud dicendum est de eo, qui tantùm ethicè prodigus est, hoc est, qui nec tempus, nec finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando, & dissipando profundit : hic namque non minùs valide paciscitur, quàm homo frugi : nec quà talis habet restitutionem in integrum adversus actus imprudenter, ac damnosè gestos : quia non extat lex, quæ taliter prodigum inhabilitet ad contrahendum, aut læso faveat ad restitutionem. Confer. P. Haunold. *de J. & J. tom.* 3. *tr.* 8. *c.* 3.

IV. Prohibetur filiusfamilias, præsertim impubes, quod ut exactiùs ventilem.

Dico I. Filiusfam. impubes ne quidem authore Patre paciscens obligatur. *§.* 10. *Instit. de Inutil. stip. l. ult. §.* 2. *ff. de V. O.* Neque dicas : Paterfamilias impubes, modò sit infante major Tutore auctore paciscens obligatur. Ergo etiam Filiusfam. impubes paciscens auctore Patre. Diversa siquidem est ratio : quia non sicut pupillus tutorem, ita etiam filiusfam. Patrem suum convenire potest ob consensum malè præstitum, cùm lis nulla inter Patrem & filiumfam. esse possit. *l.* 4. *ff. de Judiciis. l.* 7. *ff. de O. & A.*

Dico II. Filiusfam. pubes validè paciscitur aut contrahit de bonis castrensibus & quasi etiam inconsulto Patre : & paciscendo obligatur tam civiliter, quàm naturaliter. Ratio est

est: quia quoad hæc bona reputatur pro patrefam. habétque plenam & liberam eorum administrationem, tum inter vivos, tum mortis causâ, perinde ac si verè sui juris esset. *l. 2. ff. l. ult. §. 1. C. ad SCtum Maced. l. 7. §. fin. ff. de Donat.*

Dico III. Filiusfam. pubes validè quoque. etiam inconsulto patre paciscitur de bonis adventitiis extraordinariis: qualia sunt, quorum & proprietas, & ususfructus spectat ad ipsum filium. Ratio est: quia licèt quo ad hæc bona filiusfam, non habeatur pro patrefam. cùm nulla sit lex, quæ hoc fingat, habet tamen licentiam de illis disponendi eô modò, quo vult. *Novel. 117. c. 1.* ergo & paciscendi aut contrahendi facultatem, cùm ea non sit minima pars liberæ dispositionis. Excipitur dispositio testamentaria, ut quæ nulli est concessa, nisi patrifam. vero vel ficto; de qua plura suo loco.

Dico IV. Filiusfam. pubes, sive majorennis, sive minorennis validè cum consensu Patris pactô alienat bona adventitia ordinaria; qualia sunt, quorum proprietas ad filium pertinet, ususfructus ad Patrem. Ast invalidè sine omni concensu Patris *l. fin. §. 5. C. de Bonis, qua lib.* Dixi tamen: *sine omni consensu*: sufficit enim consensus tacitus; qualem haberet, si libera illorum bonorum administratio ei commissa esset; item si Pater procul abesset. Molina *de J. & J. disp. 261. n. 3.*

Dico V. Si filiusfamilias habeat peculium profectitium, quale est, cujus & proprietas, & ususfructus ad Patrem spectat, validè paciscitur ex ejus causa, ob generalem & interpretativum consensum Patris, qui concedendo administrationem hujus peculii intelligitur quoque concessisse jus paciscendi & contrahendi de illo *l. 46. ff. de Peculio.* Et ideò si filius ex hac causa contrahit, uterque obligatur, ipse & pater: ipse nempe filius in solidum; pater verò peculiotenus, hoc est, secundùm vires, & mensuram peculii. *l. 44. ff. Eod. §. 10. & ibi DD. Instit. de Actionib.*

Dico VI. Filiusfam. pubes etiam inscio Patre potest se personaliter obligare civiliter quovis contractu (*mutuo excepto*) non solùm operas suas locando, sed & aliquam rem suam vendendo, promittendo &c. ita ut teneatur obligationi satisfacere, saltem postquam sui juris erit, aut bona liberè alienabilia acquisiverit. §. 6. *Instit. de Inutil. stipul.* ibi: *filiifam. verò obligari possunt. l. 39. ff. de O. & A.* ibi: *Filiusfam. ex omnibus causis, tanquam Paterfam. obligatur.* Haunold. *d. c. 3. controv. 5. n. 239.* ubi rationem reddit: quia licèt jura non permittant filiofamilias alienationem bonorum, non vetant tamen, sed permittunt obligationem personalem ad alienandum tunc, cùm sui juris erit.

Dixi: *mutuo excepto*: ob Senatusconsultum Macedonianum, quo cavetur, ne creditoribus, qui filiofam. mutuam pecuniam dederunt, efficax actio detur. *l. 1. pr. ff. de SCto. Maced.* Latè P. Engel *h. t. §. 9. à n. 36.*

V. Lege paciscí prohibetur servus; qui, 26
si contrahat, naturaliter tantùm, non civiliter obligatur, & obligat. *l. 22. ff. de R. J. l. 14. ff. de O. & A.*

VI. Prohibetur Religiosus, de quo

Dico I. Religiosus paciscens cum licentia 27
expressa, vel tacita Superioris sui validè paciscitur, & obligatur tam civiliter, quàm naturaliter: nec postea Superior, vel Successor ejus ejusmodi pactum vel contractum semel validum potest irritare: quia per tale pactum jam est alteri jus quæsitum, quod jus Superior nequit remittere, cùm non gerat vices ejus, cui quæsitum est; quamvis adhuc retineat dominium tum in voluntatem Religiosi, tum etiam in rem, necdum realiter traditam.

Dico II. Religiosus contrahens sine omni licentia Superioris sui invalidè init pactum aut contractum tendentem ad alienationem, vel

acquisitionem rei alicujus temporalis : nec obligatur inde, neque civiliter (in quo omnes conveniunt) neque probabiliùs naturaliter. Ratio est : quia voluntas Monachi ita subjicitur voluntati Prælati sui, ut sine ea nec velle, nec nolle habeat *c. non dicatis. causâ* 12. *q.* 1. *c. si Religios. de Elect. in* 6. *c.* 2. *de Testam. in* 6. Deinde obligatio, quam afferret pactum initum à Religioso de re aliqua temporali danda, vel recipienda esset iniqua, nec posset absque peccato impleri, & violatione voti paupertatis, quod prohibet Religioso quidquam dare vel accipere sine licentia Superioris. Atqui obligatio iniqua, & quæ sine peccato non est implebilis, est omni jure Divino, & humano nulla. Ergo

Dico III. Econtra Religiosus validè sine consensu Superioris init pactum, ex quo nascitur obligatio merè personalis, ut est obligatio orandi Rosarium, legendi Missam &c. quia nulla lex ejusmodi pacto resistit : & ideo, quàm diu Prælatus obligationem inde ortam non irritat, tenetur ea Religiosus, debétque implere, nisi Superior contradicat.

28 VII. Prohibetur mulier pro alio sive Marito, sive extraneo intercedere, id est, res suas, vel personam suam obligare. Quòd si defacto intercedat, succurritur eidem Senatusconsulto Vellejano ; quo cavetur, ne contra mulierem, quæ pro alio intercedit, detur efficax actio. *l.* 2. §. 1. *ff. de SCto. Vell.* & ibi interpp.

29 VIII. Miles fidejubere, mandatum suscipere, & prædia conducere prohibetur. *l.* 8. §. 1. *ff. Qui satisdare cog. l.* 8. *§.* 2. *ff. de Procurat. l.* 31. *ff. Locati.* Sine dubio ideo, ne milites per ejusmodi negotia abstrahantur ab armorum usu cum damno publico.

30 IX. Prohibentur Præsides provinciarum, & qui circa eos sunt. *l.* 23. *ff. h. t.* item Magistratus tum urbani, tum provinciales. *t. t. C. de Contract. Jud.* Sed has salutares prohibitiones usus contrarius jam dudum obliteravit.

§. V.

Subjectum pacti est is, cui paciscimur. Potest autem quisque sibi paciscì, non alteri; nisi vel ad id mandatum habeat, vel ei, cui paciscitur, subjectus sit, aut aliàs suâ interest, per *§.* 4. *&* 19. *Instit. de Inutil. stipul. l.* 38. *§.* 17. *ff. de V. O.* Ratio est : quia conventiones omnes ad id comparatæ sunt, ut quisque acquirat sibi, quod sua interest ; ut verò alteri detur, alterius nihil interest. Unde etiam Pater filiofamilias non aliter acquirere potest stipulando nisi in iis, quæ juris sunt, & mediante filio ipsi Patri acquiruntur : nam si factum conferatur in personam filii, puta ut ei ire, agere liceat, inutilis stipulatio est *l.* 130. *ff. de V. O.* Et hoc quo ad jus civile expeditum est. Sed

Dubitatur I. An idem obtineat de Jure Can. ut neque hoc jure alter alteri rectè paciscatur ? Affirmo cum Fachinæo 3. *Controvers.* 19. neque enim inter jus unum & alterum discrimen temerè adstruendum, sed quando clarè aliquid traditur jure Civili, jure Can. verò subobscure, assurgere oportet juri Civili claro, ac ad normam ejus Canones expendere. arg. *c.* 1. *de N. O. N.* atqui nullibi jure Canonum expressum est, pactum alteri factum validum esse, ergo. Neque dicas : jus Canonicum solùm attendit ad hoc, an fides data sit ? & si data est, vult servari, sed in proposito data est fides à promittente. Ergo. Nam etiam Jus civile vult servari fidem datam, sed ita demum, si data est, secundùm leges : secùs, si jure resistente, ut contingit in pacto alteri facto.

Dubitatur II. An saltem naturalis obligatio oriatur ex pacto alteri facto ? Sunt, qui affirmativam sustinent, quos inter est Covarr. *ad c. quamvis. p.* 2. *§.* 4. *n.* 2. *h. t. in* 6. Sed negativa magis probatur : quia quando lex simpliciter resistit pacto aut contractui, tunc neque naturalis obligatio inde oritur, ut ab om-

omnibus receptum est. Atqui pacto alteri facto lex absolutè & simpliciter resistit, ut constat ex *d.* §. 4. *Instit. de Inutil. stipul.* ubi habetur, eum, qui alii stipulatur, nihil agere, & ex *l.* 126. §. 2. *ff. de V. O.* ubi dicitur, per liberam personam nullam obligationem nobis acquiri. Ergo. Adde, quòd ad pactum requiratur consensus duorum, hic verò sit unius tantùm, nempe promittentis, non item ejus, cui fit promissio: neque hujus consensus suppletur per tertium, cujus factum lex non habet ratum. *d.* §. 19. *Instit. de Inutil. stipulat.* Harprecht. *ad* §. 18. *Instit. Eod. n.* 3. *& seq.* Zoësius *h. t. n.* 3. cum aliis.

§. VI.

34 *Materia, seu objectum* pacti est duplex: Res & facta.

Quod *res* attinet, in pacta deduci possunt omnes, tam corporales, quàm incorporales: tam mobiles: quàm immobiles: tam futuræ: quàm præsentes.

35 Excipiuntur I. res spirituales, quæ ùt sic, sive ratione solius spiritualitatis pretiô humanô omninò inæstimabiles sunt, & ideò de his præsertim obtinendis, omnis pactio & conventio onerosa interdicta est ob labem simoniacam. *c.* 2. *causâ* 1. *q.* 2. *c. sin. h. t. c.* 9. *de Transact. c. tua. de Simon.*

36 II. Excipiuntur res, quæ non sunt, nec esse possunt, ut vulpanser, hircocervus, item quæ fuerunt, sed non ampliùs erunt, ut homo mortuus, domus combusta: hæ enim res adeò inutiliter in pactum veniunt, ut ne quidem æstimatio rei promissæ debeatur. §. 1. *Inst. de Inutil. stipul. l.* 15. *pr. l.* 57. *ff. de Contrah. empt. l.* 69. *& l.* 103. *ff. de V. O.*

37 III. Excipiuntur res exemptæ à commercio hominum. Unde non valet promissio de re sacra, aut religiosa, itémque de re aliqua publica in communem usum deputata, ut de foro vel theatro &c. ita quidem, ut licèt res promissa mutet statum, incipiendo esse in commercio hominum, ipsa tamen promissio non convalescat. §. 2. *Instit. de inutil. stipul.*

IV. Excipiuntur res incertæ. Incerta au-38 tem res est *primò* genus generalissimum, ut res, ens, substantia. Et hoc genus omninò ineptè in pactum deducitur, cùm debitor etiam vilissimam rem, & quam habere nil interest creditoris, v. g. festucam solvendo, liberari possit. *Secundo* genus subalternum, ut est animal, vinum, frumentum &c. & de hoc genere idem jus est, quod de generalissimo, cùm debitor etiam muscam, vel guttam vini, aut granum frumenti præstando satisfacere queat. *Tertiò* genus infimum, (Logici vocant speciem specialissimam) ut est servus, equus, bos, &c. Ubi tamen distinguendum: an species huic generi subjectæ corpus sint, an quantitas? Si corpus sunt, interest, an habeant terminos individuantes à natura, an ab arte, vel operâ humanâ? Si priùs, hoc est, si habent terminos individuantes à natura ut equus, bos, servus, utiliter deducuntur in pactum, cùm ejusmodi res saltem aliquô modô certæ sint, ob determinationem naturæ. Sin posteriùs, hoc est, si terminum & finem habent ab arte, vel facto hominis; ut est domus, fundus, ineptè sine omni alia determinatione videnter deduci in contractum, cùm debitor etiam minimam v. g. partem seu glebam fundi (nam & hæc fundus est) præstando liberaretur. Porrò si species huic generi subjectæ quantitas sunt, ut est vinum Austriacum, triticum Africum, interest, an cum expressione quantitatis deducantur in pactum? & pactum valet: an sine ea? & pactum ob nimiam incertitudinem inutile est: *l.* 94. *l.* 115. *pr. ff. de V. O. l.* 69. §. 4. *ff. de jure dotium.*

V. Excipiuntur res alienæ: si enim con-39 tractus ex dispositione Juris ordinatus sit ad dandum, id est, ad transferendum dominium, ut est mutuum, permutatio, &c. res alienæ inu-

inutiliter interveniunt. Secùs est, si contractus non ex natura sua ad dandum, sed solùm ad tradendum ordinatus sit, ut sunt emptio venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum &c. *l. 15. & seq. ff. commodati l. 28. ff. de Contrah. empt.*

40 VI. Excipiuntur res, super quibus paciscì Canone, aut lege specialiter est prohibitum. Sic Canone prohibetur pactum de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia. *c. 5. h. t.* Ratio est: quia Canones successionem quasi hæreditariam in Ecclesia DEI execrantur. *c. 3. & 7. de Filiis Presbyt.* Lege prohibetur

41 I. pactum de hæreditate viventis, nisi sit initum inter milites, aut de voluntate ejus, de cujus successione conventum est. *l. 15. 19. & alt. C. h. t.* tum quòd adimat liberatem testandi: tum quòd contineat votum captandæ mortis: tum quòd certi fint constituti modi, quibus hæreditas deferatur, lex scilicet & testamentum. Verùm usu Germaniæ passim super hæreditate vel tota, vel pro parte pactis dotalibus, & confraternitatibus (ut vocant)

42 aliisque conventionibus disponitur. II. Prohibetur pactum, quo filia dote contenta renuntiat hæreditati paternæ. *l. fin. ff. de suis & legit. l. 3. C. de collat.* Ratio est: quia retrahit liberos à paterno obsequio, quod spe futuræ successionis retinetur. Ut taceam, quòd tale pactum potiùs reverentiâ paternâ extortum, quàm spontaneum videatur. Quòdsi tamen juramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit, omninò servari debebit, cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. *c. 2. h. t.*

43 *in* 6. III. Prohibetur pactio inter Advocatum & clientem de quota litis, hoc est, de lucranda certa parte rei controversæ in eventum victoriæ. *l. 5. C. de postulando.* partim propter suspicionem concussionis, quòd cliens metuens causæ suæ nihil non sit facturus; partim quia Advocati ita ad litem calumniosè pertractandam, & prosequendam invitarentur. Ad honorarium tamen, quod ratione victoriæ promittitur, hoc extendendum non est. Zoës. *ad ff. de Postulando n. 7.*

Quod *facta*, quæ in pactum deducuntur, attinet, debent esse propria, possibilia, & honesta. *Propria*: nam alienum factum inutiliter promittitur. §. 3. & 21. *Instit. de inutil. stipul. l. 38. pr. l. 83. pr. ff. de V. O. Possibilia*: impossibilium enim sicut nulla est obligatio, *l. 185. ff. de R. J.* ita nec quæ conventio. *Honesta*, quoniam facta turpia, inhonesta, & quæ contra bonos mores sunt, fictione juris habentur pro impossibilibus. *l. 15. ff. de Condit. instit.* Unde benè monet Isidorus *in c. in malis causâ 22. q. 4. in malis promissis rescinde finem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias: impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.*

Amplia I. ut nec valeat pactum de non faciendo delicto, puta de non furando, non mentiendo, non occidendo &c. cùm gratia bonum esse conveniat, & turpe reputetur pro pretio demùm abstinere à malo. *l. 7. §. 3. ff. h. t. l. 2. ff. de Condict. ob turp. causam.*

Ampla II. ut etiam non teneat pactum de delicto nondum patrato remittendo; ut si promittam, ne furti agam, si mihi in futurum furtum feceris: vel ne injuriarum, si injuriam: vel ne ex dolo, si me dolo quandoque deceperis. *l. 27. §. 3. & seq. ff. h. ti* Ratio est: quia tales promissiones præbent manifestam occasionem ruinæ, laxant habenas scelerum, & eos, quibus fiunt, reddunt alacriores ad delinquendum; quod sanctitas juris non patitur, nec debent similes conventiones in ulla bene instituta Rep. tolerari. Post admissum autem delictum præsertim privatum, puta furtum, injuriam, dolum &c. rectè paciscimur, ne nobiscum ex his causis agatur. *d. l. 27. §. 4.* nam sic paciscendo non datur occasio peccandi, sed debitum, vel delictum jam ante commissum

dum-

duntaxat remittitur delinquenti. Zoës. *ad ff. h. t. n.* 18.

§. VII.

47 *Forma* Pacti vel est externa, vel interna. *Interna* desumenda est, & intelligitur ex singulis pactorum definitionibus. *Externa* stat in eo, quòd pactum *pure. in diem, sub conditione, aut sub modo* ineatur.

48 *Purè* initur pactum aut contractus, si neque conditio, neque dies, neque modus eidem adjiciatur, ut si dicas: 10. *dare spondes*: & ego, *spondeo.* Atque ex tali pacto, ut dici solet, dies statim cedit, & venit: cedit, hoc est, confestim debetur, quod ita promissum est; venit, hoc est, adest dies, quo promissum peti potest. *l.* 213. *ff. de V. S.* Ex humanitate tamen pro expedienda solutione tempus aliquod, arbitratu Judicis determinandum, debitori concedendum est. *§. ult. Instit de Inutil. stipul. l.* 150. *ff. de solut.*

49 *In diem* pactum iniri dicitur, cùm ei dies adjicitur, quo pecunia solvatur. *l.* 42. *ff. de V. O.* Refert autem, an dies adjectus sit certus, vel inertus? dies certus, qui nempe certo extiturus est, vel apponitur ut terminus à quo, v. g. *Calendis Augusti* 100. *dare promitto*: vel ut terminus ad quem, v. g. 10. *aureos annuos, quo ad vives, dare promitto.* Si apponitur ut terminus à quo, protinùs cedit dies, sed non dum venit: hoc est, statim quidem promissum debetur; & obligatio oritur, sed peti priùs, quàm dies venerit, cum effectu non potest. *d. l.* 213. *ff. de V. S. §.* 2. *Instit. de Verb. oblig. l.* 14. 42. *&* 73. *ff. eod.* Si apponatur ut terminus ad quem, purè facta obligatio intelligitur, & perpetuatur: cùm ad tempus deberi non possit; hæres tamen, si post mortem creditoris petat, doli vel pacti exceptione submovebitur. *§.* 3. *Inst. eod.* Dies incertus, vel est incertus incertitudine, an sit extiturus? ut si dicam: 100. *dabo, cùm Titius puberus*; vel est incertus incertitudine, quando sit extiturus, ut si dicam: *promitto tibi* 100. *cùm Titius morietur*; vel est incertus utraque incertitudine, an & quando sit extiturus? ut si dicam: *promitto tibi* 100. *in diem, quo Titius religionem ingredietur.* Primi & tertii generis dies resolvitur in conditionem, adeóque ante ejus adventum nec obligatio, nec actio nascitur. *l.* 21. *&* 22. *ff. Quando dies legat.* Secundi generis dies æquivalet diei certo. Argumento est, quòd soluta ante diem mortis pecunia repeti nequeat. *l.* 16. *cum* 2 *seqq. ff. de condict. indeb.* cùm tamen, quod pendente conditione solutum est per errorem, repeti possit. *d. l.* 16. 18. *&* 48. *ff. eod.*

Sub conditione initur pactum, seu contractus, quando ei à partibus conditio additur. Ubi inter est, an conditio sit de præsenti, præterito vel futuro. Conditio de præsenti, ut: *promitto tibi* 10. *si vere pauper es*, aut de præterito, ut: *dabo tibi* 100. *si tibi ædes conflagraverint*; Pactum vel contractum non suspendit, sed, siquidem vera sit, pactum statim valet: si falsa, statim nullum est. §. 6. *Instit. de V. O. l.* 100. *ff. Eod.* Conditio de futuro est de futuro vel contingente, vel necessario, vel impossibili. Conditio de futuro contingente, seu possibili, ut: *dabo tibi* 100. *si religiosus fias: si navis ex Asia venerit*; pactum suspendit, & pendente eâ conditione neque cedit, neque venit dies, consequenter nihil debetur, nihil peti potest, sed tantùm spes est, debitum iri. *d. l.* 213. *ff. de V. S.* & si quid solutum sit, repeti potest, *d. l.* 16. 18. *&* 28. *ff. de Condict. indeb.* Conditio de futuro necessario, ut: *dabo tibi* 100. *si cras sol oriatur, si Antichristus nascatur*: pactum non suspendit, sed statim impleri debet, modò ponens talem conditionem sciverit eam certò extituram, aut non alligârit suam intentionem ad actualem ejus existentiam. *l.* 9. §. 1. *ff. de Novat.* P. Haunold. *d. J. & J. tom.* 3. *tr.* 8. *c.* 4. *controv.* 3. *n.* 270. Conditio de futuro impossibi-

sibili, sive secundùm naturam, ut *si digito cœlum attigeris*, sive secundùm jura, aut mores, ut: *si homicidium feceris*: reddit pactum, cui additur, ipso jure nullum. *l.* 31. *ff. de O & A.* ubi ratio redditur: quia *omnium ea est cogitatio, ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciunt esse impossibilem.* Excipitur I. matrimonium, cui cui si opponatur conditio impossibilis & turpis (modò non sit contra substantiam matrimoni, puta contra bonum prolis, fidei, vel Sacramenti) in favorem matrimonii pro non adjecta habetur. *c. fin. de Condit. appos.* II. Excipiuntur ultimæ voluntates, quibus apposita conditio impossibilis quæcunque censetur non apposita. *l.* 4. 6. 8. & 9. *ff. de Condit. Instit.* De quibus exceptionibus plura suo loco.

51 *Sub modo* denique fit pactum, seu contractus, si ei gravamen aliquod adjiciatur, à comparte in futurum præstandum, ut si dicas: *promitto, aut dono huic Monasterio mille, sed cum obligatione, ut pro me quotannis Sacrum faciat.* Et tale pactum statim purum est, habétque vim, antequam modus impleatur, ut colligitur ex *l.* 1. & *seq. C. de donat. quæ sub modo.* Est autem difficile cognoscere, utùm limitatio dispositioni, aut promissioni apposita sit *conditio an modus?* præsertim cum iisdem verbis jam exprimatur *modus*, jam *conditio*, v.g. *promitto tibi* 100. *eâ conditione ut Religiosius fias.* Communis sententia est, mentem & verba paciscentium, attendenda esse: & si de his non constet, in dubio præsumi, esse conditionem juxta *l. à testatore ff. de condit. & demonstrat.*

§. VIII.

52 *Finis* Pacti, aut contractûs est acquisitio, aut remissio obligationis, sublevatio humanæ indigentiæ, & quod inde quæri solet, honestum lucrum.

§. IX.

53 *Effectus* omnis pacti est obligatio naturalis: *quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare l.* 1. *pr. ff. h. t.* Est tamen inter pacta nuda, & vestita, ac contractus notabile ac discrimen, quòd pacta vestita & contractus præter obligationem naturalem etiam actionem tam Jure Canonico, quàm Civili generent, pacta nuda verò, licèt in foro interno non minùs, quàm vestita sint reservanda *c.* 1. & 3. *h. t.* quo ad forum fori tamen de Jure saltem Civili ex eis exceptio duntaxat, nulla autem actio detur, *l.* 7. §. 4. *l.* 45. *ff. h. t. l.* 10. 21. & 28. *C. eod.* Ratio est, ne omnia litibus redundent, si homines temerè, & ex solis verbis fortè inconsideratè prolatis, obligentur, ac conveniantur. Neque propterea, quòd Jus Civile ex pacto nudo actionem deneget, directè fovet peccata: quia non vult, ut non servetur pactum, sed tantùm ob majus commodum non punit peccatum, quæ legislatorem posse ex justa causa in confesso est.

Disceptari video: num ex pacto nudo de Jure Canonico detur actio propriè dicta? ita quidem probari videtur ex *c.* 1. & 3. *h. t.* in quibus pactis custodienda esse dicuntur: quæ id sit accipiendum tam quoad actionem, quàm quo ad exceptionem arg. *l.* 41. *ff. de acquir. rer. dom.* Sed magis proponendo in sententiam negativam, eò quòd inter Jus Civile & Canonicum non sit statuenda differentia sine canonis authoritate. *c.* 1. *de N. O. N.* At hic nullus est canon, qui contrarium tradat: quod enim attinet *d. c.* 1. & 3. plus non evincunt, quàm quòd pacta sint servanda propter obligationem naturalem: neque novum aliquod robur pactis tribuunt, sed tantùm antiquum corroborant, ut patet ex illis verbis *cit. c.* 1. *pacta suam* (id est, quàm aliàs ex natura sua habent) *obtineant firmitatem*: ut autem pacta de jure Civili, vel Canonico legitimentur, necesse est, ut actionem & novum robur ab eo accipiant.

Je-

Interim inficias non jerim, ob non servatum pactum officium Judicis implorari posse per text. *in d. c. 3. h. t.* cujus verba expressè ad ipsum Judicem diriguntur, dum studiosè agere, & curare jubetur, ut promissa, seu pacta observentur. Et ratio est: quia principalis juris Canonici finis est impedire peccatum qualecunque: ergo Judex in foro Canonico ad hoc vi officii tenetur; atqui pars pactum implere recusans peccaret, eò quòd ageret contra obligationem naturalem. ergo ad implectionem judex ex officio cogere potest, ac tenetur paciscentem quemcunque arg. *c. novit. 13. de Judiciis* Atque vi hujus officii non minùs promissum consequimur quàm per actionem propriè dictam, consequenter in effectum parùm interest, de Jure Canonico loquendo: sufficit enim, quòd per Judicem Ecclesiasticum etiam laicus compelli possit ad observantiam pacti.

Planè hodie de consuetudine & praxi Germaniæ, ob singularem fidem & candorem hujus Nationis, videmus & comuniter DD. testantur, ex nudo pacto actionem nasci, & dari condictionem ex moribus in utroq; foro.

Alter Effectus Contractûs est præstatio *doli. culpæ & casûs fortuiti*, de qua in singulis contractibus frequens mentio occurrit.

55 *Dolus* est machinatio consultò ad nocendum alterum adhibita. *l. 1. & 2. ff. de Dolo malo.* Et hunc omnes contractus recipiunt seu hic in omni contractu præstatur. *l. 23. ff. de R. J.* Imò nec conventione effici potest, ut dolus non præstetur: quia talis conventio esset contra bonos mores, & invitaret ad delinquendum. *l. 27. §. 3. & 4. ff. h. t. d. l. 23. ff. de R. J.*

56 *Culpa* in genere est negligentia hominis; cum vel non facit, quod debet facere: vel facit quod non deberet facere.

57 Dividitur passim in *latam, levem, & levissimam. Culpa lata* est omissio diligentiæ à diligentibus adhiberi solitæ: vel juxta *l. 213. §. 2. l. 223. ff. de V. S.* cùm quis non intelligit, quod omnes intelligunt. Itaque in lata culpa est, qui non prospicit, curat, cavet quod omnes, qui modò sensu communi præditi sunt, providere, cavere, & curare deberent: veluti si quis noctu ædium ostia, vel fenestras, per quas de plano intrari posset, apertas relinqueret: aut si quis rem fidei suæ commissam in loco publico, vel tali, quo quilibet accedere potest, incustoditã jacere pateretur, credens neminem venturum, qui auferat. Verbo: quicunque non facit in re aliena, quod vel minimùm diligens faceret in re sua, hujns culpæ reus est. *Culpa levis* est omissio diligentiæ à providentioribus, & diligentioribus adhiberi solitæ: vel est admissum in re aliena, quod diligentior Paterfam. non admitteret in re sua. Hujus culpæ reus est v. g. qui non clausit fenestras altiores, quàm ut de plano intrari possit, si fortè fures admotis scalis ingressi res aliquas subtraxerint. Denique *culpa levissima* est omissio diligentiæ à diligentissimis adhiberi solitæ? vel est admissum in re aliena, quod diligentissimus Paterfam. non admittere in re sua. Hanc culpam committit, qui v. g. fenestras versus publicum remotiores à locis, in quibus familia dormit, non munivit clathris, aut ferreis perticis. Quibus positis.

Dico I. Lata culpa in omni contractu perinde ut dolus præstanda est: quia lata culpa æquivalenter dolus est. *l. 29. ff. Mandati l. 7. §. 1. ff. de Suspect. tutorib. l. 32. ff. Depositi. l. 1. §. 1. ff. de O. & A. l. 226. ff. de V. S.* Atque hæc æquiparatio doli, & latæ culpæ in tantùm procedit, ut licèt dicatur in lege dolum tantùm, vel duntaxat præstandum esse, non tamen excludatur lata culpa. *l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 23. ff. de R. J. l. 8. §. 3. ff. de Precario l. 5. §. 2. ff. Commodati.*

Dico II. Sola lata culpa præstanda est in illis contractibus, qui tendunt ad utilitatem

solius principaliter obligantis; ut est depositum. Culpa lata & levis vindicatur in illis contractibus, in quibus vertitur utilitas utriusque cotrahentis, ut sunt emptio venditio, locatio conductio, societas, pignus, &c. Culpam latam, levem, & levissimam recipiunt contractus illi, qui unicè vergunt in utilitatem principaliter obligati, ut est commodatum. *d. l. 5. §. 2. ff. commodati.* Exceptiones suis locis dabimus.

58 *Casus fortuitus* est inopinatus eventus, quem quis, cùm accidit, vel non potuit humano consilio prævidere, vel saltem prævisum non avertere. *l. 18. l. 19. ff. Commodati. l. 1. & 4. ff. de O. & A.* Quò pertinent naufragia, inundationes, terræ motus, incendia ex fulmine orta, mortes animalium, ruinæ ædium, incursus hostium, prædonum impetus, fugæ servorum, violentiæ ventorum, turbinum, pluviarum, grandinum, immodicus solis æstus, insolitum frigus, & hujusmodi tempestates, quæ cœlitus solent immitti. De his & similibus casibus fortuitis universim tenendum est, quòd per se loquendo in nullo contractu præstentur. *l. 23. ff. de R. J.*

Dixi: *per se loquendo:* nam fallit I. si conventum sit ab initio, ut accipiens etiam de casu fortuitò teneatur, idque sive illa conventio expressa sit, sive tacita. *l. 5. §. 3. ff. Commodati. l. 1. §. 35. ff. Depositi.* Fallit II. Si dolus vel culpa casui causam dederit. *d. l. 5. §. 4. & 7. ff. Commodati. l. 1. §. 4. ff. de O. & A.* Fallit III. Si culpabilis mora casum præcesserit. *c. un. de Commodato. l. 12. §. 3. Depositi.* Confer. P. Engel *ad h. 1. §. 7.*

§. X.

59 *Contraria* Pacto sunt metus, dolus & error. *Metus:* quia conventio metu facta de jure mero subsistit quidem, sed quoniam æquitas eidem deficit, effectu est ineffica. *l. 3. §. 1. ff. de Constit. pec.* & licèt producat actionem, eadem tamen exceptione perpetuâ metûs est elidibilis. arg. *§. 3. Instit. de Except. Dolus:* ita enim Prætoris edicto cautum est: *Pacta conventa, quæ dolo malo facta non erunt, servabo. l. 7. §. 7. ff. h. t. Error;* qui vel versatur circa ipsum corpus, quod in pactum, aut contractum venit: vel circa materiam, ex qua illud corpus est; vel circa accidentia corporis. Si primum, pactum omni jure nullum est: ut si emam vitrum, putans esse gemmam. Ratio est: quia excludit omnem consensum, errantis quippe (circa substantiam) nullus est consensus. *l. 8. & 9. C. de Juris, & facti ignor.* Si secundum, pactum, aut contractus pariter nullus est. Sic si emam scyphum putans esse aureum, cum totus sit æneus, emptio nulla dicitur in *l. 9. §. 2. ff. de Contrah. empt.* Secùs foret, si tantùm ex parte esset æneus. *l. 14. ff. Eod.* Excipiuntur stipulatio, & pignus, qui duo contractus non vitiantur per errorem in materia. *l. 22. ff. de V. O. l. 1. §. 2. ff. de Pignor. act.* Si tertium, id est, si error sit circa accidentia corporis, pactum & contractus quicunque ille sit, valet: quia hic adest sufficiens consensus; hoc ipso enim, quòd error tantùm versetur circa qualitates accidentales, jam substantia rei est sufficienter voluntaria. Unde sequitur tale pactum aut contractum alterâ parte nolente non posse rescindi, sed tantùm debere ad æqualitatem reduci per *l. 2. C. de Rescind. vendit.*

TITULUS XXXVI.
De Transactionibus.

SUMMARIA.

1. Transactionis homonymia. 2. Et definitio.
3. Usque 8. Quis transigere possit?
8. Regulariter nemo cogitur transigere.
9. Usque 17. De quibus transigi possit?
18. Quomodo fiat transactio?
19. Finis. 20. Usque 23. Et effectus transactionis.
23. Quibus modi rescindatur transactio?

Tran-

§. I.

1 *Transactionis* nomen generale est, & dupliciter sumitur; latè & strictè. Latè sumptum quamcunque actionis terminationem, ideóque etiam juramentum litis decisorium, compromissum, amicabilem compositionem, præscriptionem, sententiam Judicis, aliósque modos finiendarum litium complectitur per *l.* 229. *&* 230. *ff. de V.S.* Specialiter verò & strictè usurpatur pro rei dubiæ, & litis incertæ non gratuita remissione, in qua acceptione.

§. II.

2 *Definitur* transactio, quòd sit rei dubiæ, & litis incertæ, nec finitæ conventa decisio, aliquo dato, retento, vel promisso. Colligitur ex *l.* 1. *ff. &* 38. *C. h.t.*

§. III.

3 *Causa efficiens* Transactionis sunt Transigentes. Possunt autem transigere omnes, quibus vel *natura*, vel *lex* impedimento non est. *A natura* est consensûs defectus: transisactionamque in se conventionem & consensum includit *l.* 1. *§.* 3. *ff. de Pactis.* *Lege* transigendi facultas adimi censetur iis, qui non habent liberam rerum administrationem: transactio enim species quædam est administrationis & alienationis *arg. l.* 4. *C. de Prædiis minor.* Hinc

4 *Deduces* I. Prælatos Ecclesiasticos non posse transigere super rebus Ecclesiarum immobilibus, vel mobilibus pretiosis, sine solennitatibus alienationis de Jure Can. requisitis *arg. c.* 5. *de Reb. Eccles. alien. extrav. ambitiosa eod.* Panormit. *c.* 1. *de Deposito. num* 8. Et hoc verissimum censeo, quando Ecclesia est in possessione rei, vel si non sit in possessione, saltem aliud jus in re habere videtur, & vi transactionis possessionem, vel alius jus in re dimittere deberet, quantumvis in vicem receptâ pecuniâ. Quòdsi verò Ecclesia nec possessionem, nec aliud jus in re obtineat, sed tantùm spem, & jus ad rem dubium, non improbabile est, quod docet Quarant. *cit. alienatio rer. Eccles. n.* 43. sine aliqua solennitate transigi posse: quia hoc casu non agitur de aliquo amittendo, sed magis de non acquirendo; constat autem, quòd licèt Prælatus amittendo vel alienando Ecclesiam damnificare non possit, nihilominùs, vel maximè nocere valeat negligendo, & non agendo, vel acquirendo, quod posset, vel deberet.

Deduces II. Oppidum, seu universitatem 5
non posse sine Principis facultate transigere super bonis & juribus suis immobilibus, si ex tali transactione sequatur alienatio: quia communitates, oppida, & universitates quo ad suos contractus reputantur pro pupillis & minoribus. Ergo sicut pupilli & minores nequeunt transigere sine Curatorum & Tutorum auctoritate, & quo ad immobilia, quando sequitur alienatio, sine judicis decreto *l.* 25. *&* 33. *C. h.t. d. l.* 4. *C. de Prædiis minor.* ita nec communitates seu oppido sine Principis facultate validè per transactionem alienare poterunt. *arg. l. fin. C. de Vendend. reb. civit.*

Dixi: *Si ex tali transactione sequatur alienatio*: quia si transactio fieret ita, ut res controversa remaneret penes universitatem, traditâ duntaxat pecuniâ adversario ad sedandas lites, tunc non incongruè asseruerim, tenere hujus modi transactionem; etiam irrequisitâ Principis licentiâ, quandoquidem sic possessio potiùs firmatur.

Deduces III. Possessores majoratûs, va- 6
sallos, & hæredes fideicommisso gravatos transigere non posse super bonis, quibus respectivè gaudent. Molina *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 557. *vi. qui alien. non potest.* Ratio est: quia circa hujusmodi bona absolutè prohibita est alienatio. Ergo & prohibita est circa eadem transactio. *arg. d. l.* 4. *C. de Prædiis minor.*

Sunt tamen casus excepti, in quibus vasalli, hæredes gravati, & possessores majoratûs

transigere valent. *Primus* est, si transactio fiat inter fideicommissarium, & hæredem gravatum, inter dominum directum & vasallum: quia tunc cessat finis prohibitionis, ne scilicet bona vinculata transeant in extraneas manus, nescio eo, in cujus favorem intelliguntur vinculata. *Secunda* est, quando in transactionem consentiunt illi omnes, in quorum gratiam interdicta est alienatio & transactio accedentibus debitis solennitatibus: quia tunc nulli fit præjudicium, definitque prohibitionis ratio. *l.* 11. *C. de Fideicommiss. Tertius* casus est, quando res, de qua transigitur, remanet penes possessorem feudi, vel majoratûs, collatâ adversario certâ pecuniæ quantitate ad conciliandam controversiam. Panorm. *in c.* 3. *n.* 3. *h. t.* idque ideo: quia per talem transactionem nullum jus fideicommissarii, domini directi, vel successorum in majoratu læditur. *Quartus* est, si transactio sit necessario, vel ex necessitate aut præscripto statu, seu legis: vel ex jussu, aut sententia judicis: regulare enim est, in omnibus rebus à jure alienari prohibitis, quòd voluntariè nequeant alienari, benè tamen necessariò: quia jura quidem obsistunt privatis contrahentium conventionibus, non autem juridicis coactionibus. Atque juxta has exceptiones explicari possunt textus in *l.* 36. *ff. Ad SCtum Trebell. in l.* 104. *ff. de Solut.* Item textus in *c.* 5. *§. penult. si de feudo defuncti & c. lib.* 2. *f. tit.* 26. *& tit.* 43. *c. un. de controvers. inter vasallum & c.* nisi dicere malis hæc duo capita per *cap. Imperialem de prohibita feudi alienatione per Fridericum* 2. *f.* 55. recantata esse.

7 *Deduces* IV. Procuratorem in rem alienam non posse transigere sine speciali mandato ad alienandum, sive fuerit generalis ad omnes lites, omniáque negotia; sive specialis ad aliquas lites, vel certa negotia. Covarr. *l.* 1. *V. R. c.* 6. *n.* 3. Textus de Procuratore generali sunt *in l.* 60. *&* 63. *ff. de Procuratorib. c.* 4. *Eod. in* 6. de speciali *in l* 13. *ff. de Pactis. l.* 7. *C. h. t. l.* 4. *C. de Novation.* Nec incongruè nè ratione hoc decernitur, siquidem mandatum ad augendum, vel defendendum non est ad transigendum, vel alienandum *d. l.* 63. *ff. de Procurat.* sicque procurator transigens excederet limites mandati. Plerique tamen hanc prohibitionem limitant, asserúntque, Procuratorem generalem *cum libera* (intelligitur Potestate administrandi) posse transigere, eò quòd mandatum generale cum illa clausula assumat vires specialis mandati, & ad omnia sufficiat, ad quæ requiritur speciale mandatum per *l.* 58. *ff. de Procuratorib. d. c.* 4. *Eod. in* 6. *l.* 17. *§. fin. ff. de Jurejur.* Sed non libenter sine exceptione huic limitationi annuo: quia in his negotiis, quæ possunt Domino maximum detrimentum afferre, requiritur individuum, & specialissimum mandatum. Vide Barb. *in clauss.* 35. *n.* 26.

Quæstio supereſt: num partes etiam nolentes ad transactionem compelli possint? Quod negandum per expressum textum *in Novell.* 124. *in fine.* Ratio est: quia regulariter nemo invitus tenetur cedere jure suo; quemadmodum nec contrahere *l invitum* 11. *C. de Contrah. empt.* atqui transigendo jus aliquod dimitti debet, cùm quævis transactio fiat aliquo dato, aliquo retento. Ergo

Verùm ut hoc ita se habeat, ita certis casibus contrarium obtinet. Nam I. si partium jura sint omnino æqualia, & lis ita intricata, ut aliter expediri, & decidi nequeat, rectè a Judice pro concordatione per modum quoque sententiæ transactio imponitur *arg. c. I. dist.* 90. ubi discordantes vel ratione, vel potestate ad concordiam trahendi dicuntur; aliter enim ad æqualitatem juris proportionaliter utrique parti competentis perveniri haud poterit. Zoës. *de Treuga & pace n.* 2. II. Si ex continuatione litis timeatur periculum armorum, vel perturbatio pacis publicæ, ut si ma-

magnæ familiæ & civitates pertinaciter inter se litigent: tunc enim pro conservatione boni comunis potest Superior litigantes ad concordiam cogere juxta *Novell* 17. *c* 2. quod mediante transactione facillimè fieri potest. III. Ad transigendum quis cogi poterit, si de tali re lis sit, circa quam Judex liberam habet disponendi facultatem, quemadmodum S. Pontifex circa beneficia Ecclesiastica: tali siquidem casu jus, quod transigens aliqualiter remittere cogitur, non habet nisi dependenter à voluntate cogentis. Colligitur ex *c. cùm inter* 16. *de Elect.* ubi Papa litigantem super beneficio, & sententiam instanter postulantem, ad componendum invitum coëgit.

Planè licèt regulariter nolentem ad transigendam compellere nemo valeat, suadere tamen transactionem in dubio non solùm potest sed quasi ex officio tenetur Judex, præsertim si causa sit valde ardua: ne lites cum magnis partium sumptibus protrahantur, & forsan neutri per sententiam plùs acquiratur, quàm per transactionem, sicque frustra fiant litis expensæ.

§. IV.

9 *Materia, seu Objectum* Transactionis est res dubia, & lis incerta, & necdum finita. *l.* 1. *ff. h.t.*

Dicitur I. *res dubia:* nam si alicui ex transigentibus certò constaret, rem, de qua agitur, ad alterum pertinere, non subsisteret transactio, nec in foro interno, nec in foro externo. Non in interno: quia nullus esset titulus, per quem transigens posset aliquid recipere, ob quod recederet ab actione, si esset actor; vel retinere, si esset reus: non enim verus Dominus præsumitur omninò liberè acquiescere illi acquisitioni, vel retentioni, sed involuntariè mixtè, eô modô, quo mutuatarius acquiescit solutioni usurarum. Non in externo: quia jura expressè irritant transactionem de re certa, quæ scilicet certè & determinatè pertinet ad alterum ex transigentibus; consequenter si quid ejus nomine datum vel remissum est, condictione indebiti repetere licebit. *l.* 65. *§.* 1. *ff. de Condict. indeb. l.* 12. *l.* 19. *C. h.t.* Panormit. *in c. super eo. h.t. in fin.*

Dicitur II. *Et lis incerta:* ubi per litem in- 10
certam non tantùm intelligimus litem, quæ de præsenti jam mota, & in judicium deducta est, sed etiam quam timemus, ne moveatur, & in judicium aliquando deducatur. *l.* 2. *C. h.t.* Molina *de J. & J. disp.* 556. *in princ.*

Dicitur III. *Et nondum finita:* censetur au- 11
tem lis nondum finita tunc, quando sententiâ Judicis finem nondum accepit. Super re itaque judicata transactio fieri non potest. *l.* 32. *C. h.t. l.* 23. *§.* 1. *ff. de Condict. indeb.* sine dubio ideo: quia res judicata non est res dubia, non lis incerta, sed liquida, & certissima constituitur: cùm res judicata pro veritate habeatur. *l.* 207. *ff. de R. J.* Quòdsi appellationis, vel in integrum restitutionis solennitate sententia suspensa fuerit, vel aliàs remedio quodam infirmari, sive dubia reddi possit, quin transactio interposita valeat, dubitare non sinunt *l.* 7. *ff. & l.* 32. *C. h.t. d. l.* 23. *§.* 1. *ff. de condict. indeb.* Ampliùs, etsi appellatum non sit; si tamen negetur judicatum esse, vel ignorari possit, an judicatum sit? transactio procedet. *l.* 11. *ff. h.t.*

Tametsi verò regulariter de quibuslibet 12
rebus & causis controversis transigere permissum sit; quædam tamen, licèt & ipsæ dubiæ & incertæ sint, transactionem respuunt. Sic I. *in c. fin. h.t.* prohibetur omnis transactio vel compositio de Matrimonio dissolvendo: quia Matrimonium semel contractum non ampliùs subest dispositioni contrahentium, sed Ecclesiæ. Latè Sanchez *de Matrim. l.* 2. *disp.* 14. ubi docet prohibitionem hanc procedere, quando per transactionem vel compositionem aliquid fit contra vinculum matrimoniale; secùs, si fiat pro matrimonio, ut

si

si partes contendentes de matrimonio per transactionem vel compositionē inducuntur ad contrahendum de novo, si non adsit impedimentum, vel tale, quod dependeat ab earum voluntate. Alia ratio est in sponsalibus de futuro: hæc enim inter puberes mutuo consensu seu remissione rursus dissolvi possunt, consequenter desuper transigi, si dubia sint. Quod addo: quia si duo sponsi ultrò à sponsalibus validè contractis recedant, licet non gratis, sed unus v.g. det certam pecuniā, ut alter obligationem quæsitā remittat, transactio non erit.

13 II. Quamvis in causis beneficialibus amicabilis compositio, imò etiam transactio (modò non interveniat quid temporale) non sit absolutè prohibita, eam tamen citra labem simoniæ, saltem contra Jus Canonicum, privatâ authoritate fieri nunquam posse, textus sunt in *c.* 4. 6. & 7. *h.t.* Secùs se res habet in aliis rebus Spiritualibus, in quibus privatâ quoque authoritate tam compositio, quàm transactio absque omni simonia fieri potest; modò nihil temporale interveniat, aut tradatur pro spirituali, sed res spiritualis detur pro spirituali, *c.* 6. *& ult. de rer. permut.* & modò res illa, quæ alteri in compensationem ceditur, sit pars litis. Quod addo: quia si non sit pars litis, & insuper talis, ut in alterum transferri, aut alienari nequeat sine Prælati auctoritate, omninò ad valorem transactionis non minùs, quàm in materia beneficiali, requiritur auctoritas legitimi superioris. Quod idem dicendū, si transigentes intendant transactionem perpetuam, quæ etiam successores afficiat juxta *c.* 5. *h.t.* Quomodo etiam, si super decimis cum Laicis fit transactio, ex speciali juris dispositione confirmatio S. Pontificis requiritur, vel saltem Episcopi. *c.* 2. & 8. *h.t.* Azor. *Instit. Moral. p.* 1. *l.* 7. *c.* 26. *q.* 5. & 6.

14 III. Non procedit transactio super testamento, & super iis, quæ complectitur, nisi testamento inspecto, iisque plenè cognitis, quæ in eodem continentur. *l.* 6. & 12. *ff. h.t.* & hoc tum propter periculum fraudis, ne captiosè fiat transactio, tanquam super re necdum cognitâ: tum etiam favore testatoris defuncti, ut ejus ultima voluntas agnoscatur.

IV. Non valet transactio super alimentis alicui testamento, codicillis, vel etiam donatione mortis causâ relictis, nisi fiat decreto Judicis cognitâ causâ, & probata, per quam constet, alimentarium fieri melioris conditionis. *l.* 8. *ff. l.* 8. *C. h.t.* maximâ certè æquitate: plerumque enim hi, quibus alimenta relicta erant, facilè transigebant, contenti modico præsenti unde fiebat, ut postea laborarent egestate contra testatorum voluntatem, qui vix aliquando legant alimenta, nisi egentibus, aut iis, quibus prospectum velint, ne in egestatem incidant. Quare tota hæc prohibitio de alimentis futuris, noe præteritis, quæ scilicet jam præstari debuissent, agit, eò quòd non ampliùs habeant rationem alimentorum, cùm in præteritum nemo sit alendus, sed potiùs pura, ac simplicia debita censeantur.

V. Non admittitur transactio in quibusdam causis criminalibus; de quibus Diocl. & Maxim. Imperat. *in l.* 18. *C. h.t.* in hæc verba rescribunt: *Transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est, in aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem.*

§. V.

Forma Transactionis est vel essentialis, vel accidentalis. *Essentialis* duo concernit: nempe, ut transactio fiat de re omninò dubia, & jure incerto, sive lis jam sit intentata circa illud, sive possit intentari. *l.* 2. *C. h.t.* & constat ex dictis. Deinde, ut utrique transigenti onus aliquod imponatur: si enim uni res concederetur absque ullo onere, aut compensatione, esset vel donatio, vel compositio. *l.* 18 *C. eod.* P. Engl *h.t. n.* 3. Forma *accidentalis* stat in modo

modo transigendi: post autem transactio fieri non tantùm pacto nudo, sed etiam contractu nominato, & innominato. *l. 2. ff. l. 6. & 15. C. h. t.*

§. VI.

18 *Finis* Transactionis est, ut eâ finis litibus imponatur, & animi collitigantium invicem concilientur. Hinc DD. *in l.* 10. *C. h. t.* tradunt transactionem adeo esse favorabilem, ut pro hac in dubio sit judicandum *per l. cùm tu. 5. & l. 39. C. eod.* & ita interpretari debere, ut sustineatur per *c. constitutis. de Procurar. c. venerabilis. de dolo, & contum.*

§. VII.

19 *Effectus* Transactionis varii sunt, ac multiplices: *Primus est*, quòd habeat vim rei judicatæ. *l.* 20. *C. h. t.* ibi: *non minorem auctoritatem transactionum esse quàm rerum judicatarum, rectâ ratione placuit: siquidem nihil ita rationi congruit humanæ, quàm ea, quæ placuerant, custodiri.*

20 *Secundus est*, quòd rebus, ac litibus incertis finem imponat. *c. 1. h. t. l. 10. C. Eod.* Et quidem si acceptilatione vel simplici, vel Aquilianâ stipulatione fuerit facta, ipso jure actionem perimit. *l. 4. C. h. t.* Si verò pacto solùm convento inita sit, prior actio non ipso jure sublata censetur, sed ad eam excludendam, si actor agere perrexerit, exceptio reo competit. *l. 17. & 39.*

21 *Tertius* est, quòd lis, ac controversia semel legitimâ transactione finitâ, nec rescripto Principis. *l. 15.* nec prætextu instrumentorum postea repertorum retractari possit. *l. 10. l. 20. l. 29. C. h. t. c. 1. Eod.*

22 *Quartus* effectus est obligatio & actio ex transactione actori nata. Interest verò, an transactio celebrata sit mediante stipulatione, an pacto convento? Si mediante stipulatione datur condictio certi, aut ex stipulatu. *l. 6. 17. 28. & 33. C. h. t.* Si mediante pacto, refert, litne transactio ab alterutra parte impleta vel non? Si priùs, datur actio præscriptis verbis, sicut ex alio contractu in nominato *d. l. 6. & 33.* Si posteriùs, datur condictio ex moribus, de Jure communi autem tantùm exceptio: quia de consuetudine solùm, & non ex dispositione Juris communis pacta nuda actionem pariunt per *l. 7. §. 4. ff. de Pactis.* Panorm. *in c. 1. n. 4. Eod.*

§. VIII.

Contraria Transactionis sunt modi, quibus 23
rescinditur. Rescinditur autem I. utriusque transigentis consensu per *l. 14. C. h. t.* II. ob beneficium restitutionis in integrum: nam hoc etiam adversus transactionem conceditur, si exinde læsio contigerit. *t. t. C. Si adversus transact. &c.* III. Si transactio fuerit inita per metum cadentem in constantem virum. *l. 3. C. h. t. l. 7. & l fin. C. de his, quæ vi.* IV. propter dolum; ut si instrumenta noviter reperta fuissent dolosè occultata, vel si quis aliàs dolo malo inductus fuisset ad transigendum. *l. 4. 19. & 22. C. h. t.* V. si transactio fuerit inita ex falsis instrumentis, etiamsi tempore transactionis neutra pars falsitatem sciverit, sed utraque fuerit in bona fide, existimans instrumenta esse vera. *l. penult. c. eod.*

An autem transactio rescindi possit, si absquo dolo re ipsa per eam altera pars immodicè, & ultrà dimidium lædatur? difficilis *quæstio* est. Affirmativæ impensè favere videtur *l. 5. C. de dolo malo.* ubi in transactione propter immodicam læsionem tribuitur actio in factum. Nihilominus negativa magis probatur ob apertissimum textum in *l. Lusius. 78. §. ult. ff. ad SCtum Trebell.* ubi negatur rescissio transactionis factæ super fidei commisso universali totius hæreditatis, etiamsi ex instrumentis postea repertis appareat, quadruplo plùs in hæreditate fuisse, quàm interveniente transactione fuerit restitutum nomine totius hæreditatis. Accedit ratio: quia non minor est authoritas transactionis, quàm

rerum judicatarum. *l.20. C. h.t.* Atqui sententia rescindi non potest prætextu cujuscunque læsionis. *t.t. C. Sententiam rescindi non posse.* ergo. Neque obstat *d.l. 5. C. de dolo malo* loquitur enim tantùm de eo casu, quo aliàs daretur actio de dolo, ut patet ex ultimis verbis legis, sícque supponit, quòd in transactione dolus intervenerit, quo casu ultrò admittimus rescissionem, quemadmodum etiam *in l.65. §.1. ff. de Condict. indeb.* conceditur repetitio, si evidens calumnia subfuerit, vel aliàs transactio imperfecta invalida sit.

TITULUS XXXVII.
De Postulando.

SUMMARIA.

1. Quid sit Advocatus?
2. Advocatum constituunt Partes, vel Judex.
3. Usque 17. Qui advocare seu postulare possint?
17. Usque 21. Advocatus non nisi causas probabiles suscipere potest.
21. Capita juramenti ab Advocato præstandi.
22. Advocati est tueri Clientem.
23. 24. 25. Advocatus negligens tenetur ad restitutionem. 26. Nequit deserere causam susceptam.
27. Potest petere justum salarium.

LIte per pactum, aut transactionem non decisâ judicium procedit, ubi causa etiam per alios agitur, & quidem *primò* per *Advocatum*, cujus munus est postulare pro alio, nempe ut jus suum reddatur Clienti.

§. I.

Definitur Advocatus, quòd sit vir gravis, authoritate & existimatione præditus, qui propter excellentem juris cognitionem, nativam prudentiam, eloquentiam, & rerum multarum usum ad causas forenses agendas, vel defendendas quasi Patronus vocatur, ut in negotiis gravibus, & arduis patrocinium litigantibus præbeat, idque plerumque in scriptis pugnando, & consulendo, ut notatur *in tit. C. de Advocat. diversi judic.*

§. II.

Causa efficiens sunt partes litigantes, quæ pro libitu sibi advocatos eligere possunt. *l.2. C. h.t.* Quandoque tamen etiam Judex ex officio constituit, veluti si partes ob inopiam, vel ob metum potentis adversarii advocatum habere, aut invenire nequeant. *l.1. §.4. ff. & l.7. C. h.t.* Et hoc in tantum procedit, ut si advocatus sine probabili causa patricinium suum alicui deneget, ipsi forô in perpetuum interdicatur, nec unquam ad agendum admittitur: est enim munus advocatiæ publicum, & ideo nemini sine causa recusandum. *d.l.7.* Gail. 1. *Obser.43. n.1. & 11.*

§. III.

Subjectum advocatiæ est persona, quæ a Patribus vel à Judice ad postulandum constituitur. Constitui autem possunt omnes rerum forensium periti, nisi nominatim prohibeantur. arg. *l.43. ff. de Procurat.* Prohibetur verò I. minor 17. annis: quia necdum habet perfectum judicium, quô opus in postulando. *l.1. §.3. ff. h.t.*

II. Fœmina: quia in civile est, fœminas promiscuè se civilibus & virilibus negotiis immiscere. *d.l.1. §.5.* Excipitur, ut possit postulare pro filio condemnato per *l.4. §.2. ff. de liberali causa.*

III. Mutus, surdus, aut cœcus. Mutus: quia orare; & per orare causam in judicio nequit. Surdus: quia decretum Judicis exaudire non potest, eóque non exaudito, quasi non obtemperâsset, ut contumax puniretur. Cæcus: quia insignia Magistratûs videre, & revereri non potest. *d.l.1. §.3. & 5.*

IV. De gravibus criminibus damnatus: quia cùm iste nec erga DEUM, nec erga se ipsum justitiam exercuerit, multò minùs censendus est, velle illam in aliorum negotiis exercere. *d.l.1. §.6.* Sylvest. *V. advocatus. n.3.*

V. Pro-

8 V. Prohibentur excommunicati, & hæretici. *l. fin. C. h.t.* ne Judex cum illis communicet cum periculo animæ. Quæ tamen prohibitio limitari debet ad excommunicatos & hæreticos non toleratos; sicut quoque in Camera Imperiali in numerum advocatorum recipiuntur, qui sunt Augustanæ confessionis. *Ordin. Camer. p. 1. tit. 18.*

9 VI. Infames: quia officium advocati est honorificum, & nobile, ut DD. colligunt ex *l. 7. C. h.t.* infames autem ab omnibus dignitatibus submoventur per *l. 38. C. de Decurionibus. l. 2. C. de Dignitat.*

10 VII. Judices & arbitri in ea causa, in qua judicaturi sunt. *l. 6. pr. C. h.t.* Ratio est: quia cùm advocati ordinariè faveant suæ parti, suspicio est, tales laturos sententiam in favorem sui clientis: Judices autem oportet esse deputatos ab omni affectu, & utriusque causæ merita ad justitiæ bilancem trutinare.

11 VIII. Prohibentur potentiores. *t. t. C. Ne liceat potentioribus patrocinium litigatoribus præstare.* Idque ideo: ne mole potentiæ opprimant jura adversæ partis.

12 IX. Et principaliter *in h. tit.* interdicitur quibuscunque Clericis in SS. Ordinibus, quin & in Minoribus constitutis, si beneficium habeant, ne in foro sæculari postulare præsumant, nisi pro se ipsis: vel Ecclesia sua: vel, si necessitas exigat, pro personis conjunctis, ac miserabilibus. *c. 1. & 3. h.t.* Nomine autem personarum conjunctarum intellige non tantùm consanguineas, sed etiam conjunctas conjunctione spirituali, uti sunt Canonici ejusdem Ecclesiæ. Panorm. *in d. c. 1. n. 4.* & Barb. *ibidem. n. 2.* Sola tamen affectionis conjunctio sufficere non videtur: quia prætextu illius facilè eluderetur tota prohibitio. Per miserabiles personas intelliguntur omnes illæ, quæ per se, vel per alios sese sufficienter defendere nequeunt, aut quarum natura & conditio alios movet ad justam commiserationem; quod in dubio Judicis arbitrio relinquitur. Barb. *l. cit. n. 4.*

Porrò in foro Ecclesiastico postulare Cle- 13
rici non prohibentur, sed potiùs à sensu contrario universim admittuntur, prout notat idē Barb. *in d. c. 1. n. 5.* ubi ita quoque in Curia Romana & consuetudine receptum esse testatur. Quòd si etiam in Sacris constituti congruam sustentationem ex beneficio, vel aliunde habere nequeant, indistinctè advocare possunt in utroque foro, modo abstineant à causis criminalibus, quemadmodùm rursus à contrario sensu *ex d. c. 1. h.t.* arguit Panorm. *ibidem n. 4.* Ratio est: quia si Clerico advocare licet pro pauperibus & miserabilibus personis, ut illarum necessitati subveniat, multò magis erit illi licitum & honestum, ut propriæ necessitati & egestati consulat: nam charitas ordinata incipit à se ipsa.

X. Prohibentur Religiosi; circa quos illud 14
speciale est, quòd propter singularem subjectionem, & obedientiæ votum ne quidem in foro Ecclesiastico postulare possint, nisi utilitas Monasterii id exigat, & simul adsit specialis licentia immediati Superioris. *c. 2. h.t.* Hâc verò licentiâ obtentâ non solùm pro Monasterio, sed etiam pro amicis & benefactoribus Monasterii ex rationabili causa in causis civilibus etiam coram Judice laico postulare queunt. Laym. *lib. 4. tr. 5. cap. 11. n. 2.* redundat enim id saltem indirectè in utilitatem Monasterii, adeóque in propriam; pro se autem, vel Ecclesia sua in utroque foro postulare secundùm dicta conceditur Clericis. Ergo etiam Religiosis, modò adsit Superioris licentia, quæ facit cessare periculum nimiæ, ac inordinatæ abstractionis à Divinis, propter quod Clericus ordinariè in foro sæculari advocare prohibetur; etiamsi forsan indirectè quædam utilitas propria interveniret.

Planè allegationes juris, & consilia etiam 15
in scriptis Patribus communicare, neque Cle-

ricis, neque Religiosis à Jure interdictum est, cùm per hoc advocare, seu postulare non censeantur; postulare namque est desiderium suum, vel amici sui in jure, apud eum, qui Jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. *l. 1. ff. h.t.* Nec quempiam turbat *l. 1. §. 11. ff. de Extraord. cognit.* ubi dicitur, advocaos intelligi omnes omninò, qui causis agendis quoquo studio operantur: siquidem subintelligendum est: in judicio sicut ex immediatè sequentibus verbis liquet.

16 Cæterum prudenter in benè constitutis judiciis, & tribunalibus certus servatur, & habetur definitus numerus Advocatorum, inter quos non recipitur, nisi qui habeat ingenium liberale, bonum judicium, peritiam & scientiam juris, & legum, nec non juris municipalis, & præter vitæ, morúmque integritatem etiam publicum alicujus Academiæ testimonium, & vel gradum Licentiatûs, vel Doctoratûs. §. IV.

17 *Materia, seu Objectum* Advocati sunt causæ quarum defensionem suscipit. Quod ut dilucidiùs explicem.

Dico I. Advocatus non potest defendere causam injustam juxta illud *Paralip. 19. impio præbes auxilium, ideo iram DEI mereberis.* Peccat autem talis advocatus contra justitiam, & consequenter ad restitutionem tenetur etiam expensarum sui clientis, si cùm injustam causam comperit, eum de injustitia non monuerit. Quòd si monuerit, & ille pervicaciter in causæ prosecutione stare voluerit, si eam perdat, ad nihil illi tenebitur: quia scienti & volenti nulla fit injuria. At verò parti adversæ obligatur restituere non solùm litem principalem, si vincit, sed etiam expensas: nam in isto casu actio advocati est injuriosa parti adversæ. Ergo tenetur ad restitutionem totius. *D. Th. 2. 2. q. 71. a. 3.*

18 *Dico* II. In causa dubia, & æqualis probabilitatis ex utraque parte licet advocato, cui maluerit, parti patrocinari: tum quia si in hujusmodi causi dubiis non liceret advocato patrocinari, ferè nunquam liceret; cùm hinc lites sumant initium & pendeant, quòd res, aut jure, aut facto in dubio versentur: tum quia munus advocati non est causam definire, & sententiam proferre, sed solùm legum sensa bonâ fide ad alterutram partem applicare, & rationes, & omnia ea, quæ sui clientis jus ostendere, & confirmare possunt, proponere Judici, ad quem posteà spectat juxta merita causæ cognita pronuntiare; sola autem propositio rationum & jurium sui clientis sine dolo, fraude & coactione Judicis ad ferendam sententiam pro alteta parte, non continet injustitiam, sicut injustè non ageret cliens ipse, seu pars ipsa, si per se proponeret Judici, ut juxta causæ merita justitiam administret. Bannes 2. 2. q. 11. a 4. *dub. 6 concl.* 2. & communiter omnes.

Dico III. Advocatus potest licitè suscipere & defendere causam quamcunque, quam scit, & judicat minùs probabilem, seu pro qua stat opinio minùs probabilis. arg. *Auth. hodiejurant. §. patroni. C de Judiciis* ubi advocatis prohibetur solùm defendere causam improbam & penitùs desperatam, qualis utique non est causa dubia, vel minùs probabilis. Deinde pars habens causam probabilem, licèt pars adversa habeat probabiliorem, potest se ipsam defendere, nec tenetur causam deserere: cùm liceat unicuique, jus suum defendere, quando non certò constat de jure alterius: & pars, quæ videtur jure potior, non semper ipsa re ipsâ. Ergo & advocato licebit illi patrocinari: nam quis potest per alium, quod potest facere per se ipsum. *c. 68. de R. J. in 6.* Ad hæc, munus advocati (ut paùlò ante dictum) non est, sicut Judicis, rem definire, tradendo unì, quod petitur, & alteri offerendo, sed præsentare & proponere Judici fundamentum pe-

tis

ris, ac facti, & rationes quæ causæ sui clientis favere possunt, ut Judex ipse examinet, & videat, an possit pro illo sententiam ferre; nec advocatus Judicem rogat, aut persuadet, ut talem sententiam ferat, nisi quatenus judicaverit justa, quæ illi proponit Azor. *Inst. moral. p. 1. l. 2. c. 17. q. 12.* cum aliis communiter.

20 Notant verò DD. hujus sententiæ, Advocatum teneri admonere clientem de sua minori probabilitate causæ, aperiendo illi veritatem juris; & cavere, ne certiùs illi promittat sententiam, quàm debeat: quia cliens sic monitus fortè aut alium eliget Advocatum, aut causam non prosequetur. Quòd si contrariæ partis probabilitatem occultaverit, aut clienti certam victoriam promiserit, atque ita ad litigandum incitaverit, ipso succumbente tenebitur advocatus ad omnes expensas & damna, quæ eidem clienti ex tali lite evenerint.

§. V.

21 Ad *formam* pertinet modus constituendi advocatum. Debet autem constituens Advocatum juramento ipsum sibi devincire, ne solutus, & discinctus, sine omni solicitudine spatietur. Formulam juramenti præscripsit Justinianus *in l. rem non novam 14. §. 1. C. de Judiciis.* prout hoc etiam in Camera Imperiali servatur juxta *Ordinat. Cam. p. 1. tit. 64.* ubi proponitur forma juramenti desumpta ex *d. l. rem. non novam.* Cujus præcipua capita sunt hæc: *Primò*, quòd non velit suscipere causam injustam. *Secundò*, quòd in patrocinando & advocando velit præstare fidem & diligentiam clienti suo. *Tertiò*, quòd nolit uti fallis allegationibus, aut calumniationibus *Quartò*, quòd non velit paciſci, vel de tota lite, vel de salario immodico. *Quintò*, quòd arcana & merita causæ nolit revelare parti adversæ. *Sextò*, quòd personas judicii debitâ reverentiâ, ac observantiâ velit prosequi. *Septimò*, quòd velit abstinere ab omnibus convitiis, injuriis, & petulantia verborum, eáque tantùm tractare, quæ pertinent ad merita causæ. *Octavò*, quòd velit esse contentus ordinato stipendio, & acquiescere in moderatione ac arbitrio Assessorum. *Nonò*, quòd sine justa causa non velit deserere litem, & causam, antequam per sententiam finita sit. Tandem Judex advocatum juratum in matriculam advocatorum inserat. *l. 13. C. de Advocat. diverſ. Judic.* Et ideò praxis habet, ne quis causas oret, vel agat, aut defendat in eo tribunali, in cujus albo advocatorum scriptus non est.

§. VI.

22 *Finis* Advocati est, patrocinio clientem suum, qui se, suáque in judicio tueri nequit, defendere, ejúsque nomine postulare.

§. VII.

23 *Effectus* sunt: I. Advocatus debet commoda litigantium ut sua curare: lites non differre, vel extendere: diligenter & accuratè videre instrumenta litis & acta: prævidere, quæ adversarius pro se adducere potest, quid contra proponere, & paratas adferre solutiones. Hinc

24 *Inferes* I. Advocatum, qui propter imperitiam perdit causam sui clientis, peccare contra justitiam, & teneri restituere totum damnum quod inde evenit clienti: quia ex officio tenetur esse instructus convenienti peritiâ, cùm pro idoneo advocato se gerat. Bannes 2. 2. q. 71. a. 4. *dub.* 2. *concl.* 1. Quod intelligitur, si cliens ignoravit ejus inscitiam; secùs est, si novit: siquidem in hoc casu non tenetur, nisi de dolo, vel lata culpa. Sylvest. *V. advocatus. n.* 16. *q.* 24.

25 *Inferes* II. si advocatus sit negligens in procuranda causa, peccat mortaliter, & tenetur restituere damnum non solùm de lata, sed etiam de levi culpa: quia talis diligentia vergit in utilitatem utriusque partis; advocati recipientis stipendiũ, & clientis accipientis, quod suum est: sicut ille, qui conducit domum, tenetur illam custodire, & restituere damna de lata & levi culpa. Bannes *l. cit. conclus.* 2.

26 II. Advocatus litem susceptam nequit deserere, & pro adversa parte meliorem forsan causam habente postulare. *l.* 13. *§.* 9. *C. de Judiciis.* adhibitâ tamen distinctione: vel enim prior causa ex postfacto advocato appareret manifestè injusta, & falsa, ita ut eam tutâ conscientiâ fovere ampliùs non possit: vel est justa & probabilis? *Priori* casu variare potest: quia obligatio nata nulla est, tanquam de re illicita: nec propterea, quòd ab initio susceperit causam, quam tunc putavit esse justam, debet esse deterioris conditionis, quàm alius, qui alterius causæ patrocinium suscipere potest. Insuper bonum publicum exigit veritatem manifestari, ut justum judicium ferri queat. *Posteriori* verò casu probabilem causam semel susceptam ampliùs deserere non potest invita illa parte: ex pacto enim, vel quasi contractu sese ad id obligâsse censetur: & prævaricatio est, quando advocatus causam clientis prodit, colludendo cum adversario. *l.* 1. *ff. de Prævaricat.* Quòd autem quidam permittant advocato ob non solutum salarium transire ad partem adversam, secundùm illud Poëtæ. *ibi fas, ubi plurima merces:* ea non JCti, sed proditoris sententia videtur.

27 III. Advocatus potest petere, & recipere justum salarium. Ubi refert: an hoc stipendium seu salarium à lege, aut consuetudine taxatum sit, vel non? Si primum, certum est, quòd majus recipere nequeat, nisi fortè liberaliter donetur: quia quivis tenetur legere juste taxantem pretium servare. Si secundum, tunc tantùm recipere potest, quantùm habitâ ratione laboris, dignitatis, scientiæ, & difficultatis causæ arbitrio prudentis viri videbitur, non ultra. Imò gratis tenetur, non quidem ex justitia, sed ex misericordia operam suam impendere, & advocare pro pauperibus, saltem suæ civitatis, ut supponitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *a.* 1. cum Azor. *p.* 3. *l.* 13. *c.* 29.

IV. Clericus, qui contra Ecclesiam, à qua beneficium habet, advocat, tanquam ingratus beneficio privatur. *c. fin. h.t.* & ibi DD.

TITULUS XXXVIII.
De Procuratoribus.

SUMMARIA.

1. Procurator qualiter differat ab Advocato?
2. Procuratoris definitio. 3. Usque 7. & divisio.
7. Usque 16. Quinam constituere. 16. Usque 24 Quinam constitui possint procuratores?
24. 25. Ad quæ negotia, & causas procuratores constituere liceat?
26. Procurator sine mandato non admittitur.
27. & seqq. De obligatione, officio, & potestate Procuratoris.

Secundò in judicio agere possumus per Procuratorem; qui differt ab Advocato, tum quòd ipse mandato, iste precibus constituatur. *l.* 1. *ff. h.t.* tum quòd procuratoris officium ut privatum & vile, advocati nobile & publicum. *l.* 2. *ff. de R. J.* tùm quòd Procurator lite contestatâ fiat dominus litis. *l.* 22. *ff. h.t.* non item Advocatus. Verùm hodiernis moribus Advocati & Procuratoris Officium coaluit, ut jam idem sit in judicio advocatus & Procurator, præsertim in Camera. Gail. 1. *obs.* 44. *n.* 8.

§. I.

Definitur Procurator in genere, quòd sit ille, qui aliena negotia mandato domini administrat. *d. l.* 1. *pr. ff. h.t.*

§. II.

Dividitur Procurator I. in generalem, & specialem. Generalis est, cui universorum negotiorum, seu omnium rerum administratio committitur. Specialis, cui negotium unum vel plura, certa tamen, & determinata nominatim sunt mandata.

Procurator generalis subdividitur in eum, qui constitutus est *cum libera*, & in illum, qui con-

constitutus est *sine libera*. Constitutus *cum libera* dicitur, cui non solùm omnium bonorum administratio, sed plena quoque ac libera potestas bona ista administrandi commissa est, prout ipsi Domino res suas administrare licet: unde talis Procurator etiam potest alienare, & ea omnia perficere, quæ mandatum speciale cæteroquin exposcunt arg. *l. 58. & 59. ff. h.t. c. 4. Eod. in* 6. Procurator verò sine libera appellatur is, cui quidem & ipsi universorum bonorum administratio concessa est, sed non libera administratio & plena potestas omnia prorsùs agendi, quæ agere potest dominus: unde talis nequit alienare, nisi fructus & res, quæ facilè corrumpi possunt. *l. 63. ff. Eod.*

5 II. Dividitur Procurator in judicialem, qui Procurator ad lites; & extrajudicialem, qui Procurator ad negotia salutatur. Ille litem mandato Domini gerendam suscipit: Iste extrajudicialia negotia mandato Domini curat.

6 *Procurator judicialis* (de quo potissimum *hoc tit.*) iterum vel est in rem propriam, vel in rem alienam. Procurator in rem alienam nuncupatur, qui litem eâ intentione gerit, ut emolumentum ad mandantem redeat. In rem suam verò; qui litem alienam in commodum proprium administrat, sive cui actio ex titulo, ad transferendum dominium habili, cessa est; Talis est, qui aliquam obligationem vel debitum emit, aut quoquo modo sibi comparavit, quod deinde in judicio pro se exigere possit. *l. 34. ff. h.t.*

§. III.

7 *Causa efficiens* Procuratoris est consensus constituentis & constituti: quia ut nemo regulariter procuratorem constituere cogitur, ita nec aliquis invitus Procuratoris officium, utpote privatum, subire compellitur. *c. 7. h.t. in* 6. *l. 8. §. 1. ff. Eod.* In Camera tamen, ubi ordinarios habent Procuratores, inviti pro re nata adigi possunt ad subeundum tale munus, nisi quis procuraturæ in genere renuntiare velit; dum scilicet hoc negotium ipsis est quasi publicum. Mynsing. *cent. 4. obs. 32.* Sed

Quæres I. Quinam Procuratorem constituere possint? R. Omnes & soli rerum, de quibus agitur, domini, in quantum liberam habent earundem administrationem, se séque obligare possunt. 8 Et ideo I. in judicio absque Tutoris vel Curatoris authoritate vel consensu non possunt sibi constituere procuratorem pupillus; minor, & prodigus. *l. 11. Cod. h.tit.* 9 Si tamen à minore datus procurator sententiam pro minore obtinuerit, ea tenebit. *l. 14. C. eod.* II. Filiusfam. non aliàs 10 rectè constituit procuratorem, nisi in iis causis, in quibus potest agere. *l. 8. ff h tit.* III. Servus prohibetur dare procuratorem, nisi de 11 statu suo litiget, hoc est, pro libertate asserenda. *l. 33. §. 1. ff. eod.* IV. Excommunicatus 12 nequit agere per Procuratorem, ne communicare quis cum eo cogatur. *cap. fin. h.t.* Ad defendendum se verò, & potest, & debet constituere; potest: quia cùm defensio sit juris naturalis, excommunicatio non denegatur: debet, quia alioquin ex suo delicto commodum reportaret, nempe ne durante excommunicatione conveniri possit. V. An- 13 te litem contestatam actorem solum, non Procuratorem constituere possunt Tutor, Curator, aut Syndicus Universitatis; lite verò contestatâ ii etiam Procuratorem dare permittuntur: quia tunc fiunt domini litis. *l. 11. C. h.t.*

Excipiuntur Prælati, qui in bonis commu- 14 nibus, licèt eorum domini non sint, sed tantùm administrationem habeant, constituunt Procuratorem etiam ante litem contestatam. *c. 6. de juram. calum.* An autem, & quando ad hoc requiratur consensus Capituli? vide Panorm. *ad cap. 21. n. 8. & 9. de Rescript.* & Honor. *ad h.t. n. 3.*

Illud

15 Illud hic in *disquisitionem* venit: num Procurator Procuratorem substituere possit? Affirmo de Procuratore extrajudiciali. *c.* 1. *in fin. h. t. in* 6. nisi dominus nominatim prohibuerit demandare; vel nisi ex verborum conceptione, aut negotii commissi qualitate intelligatur, electam esse personæ industriam. arg. *c.* 12. *de Officio Deleg. in* 6. quod toties videtur intelligi, quoties negotium commissum est valdè arduum, ut est causa matrimonialis. *c. fin. h. t. in* 6. Nego de Procuratore judiciali nisi sit vel in rem suam datus; vel litem jam contestatus, & ita dominus litis effectus: vel potestas substituendi ei nominatim à principali concessa. *d. c.* 1. *ỳ. licet h. t. in* 6. *l.* 23. *C. eod.*

16 *Quares* II. quinam Procuratores constitui possint? R. omnes mandati negotii exequendi capaces, nisi specialiter à jure prohibeantur Prohibentur verò specialiter procurare in judicio I. fœminæ: quia alienam defensionem suscipere munus virile est, nec sexui muliebri conveniens *l.* 18. *C. h. t.* Nisi vel in rem suam, vel in necessitate pro parentibus, liberis, aut deserto marito agere velint. *l.* 41. *ff Eod.*

17 II. Minores 25. annis saltem de Jure Canonico, ut disertè habetur *in c.* 5. *h. t. in* 6. ibi: *licèt autem quis post* 17. *annum procurator ad negotia licitè deputetur; ad judicia tamen, nisi major* 25. *annorum fuerit, deputari nequibit.* Et meritò: tum ne propter beneficium restitutionis in integrum eluforium reddatur judicium arg. *l.* 51. *ff. h. t.* tum quia, cum non habeant legitimam personam standi in judicio *l.* 1. *&* 2. *C. qui legit. person. &c.* non censentur idonei ad alienas lites peragendas. III.

18 Absolutè prohibentur milites, nisi agant in rem suam, aut nomine cohortis suæ; ne disciplina militaris sub umbra forensi diffluat. *l.* 7.

19 *&* 9. *C. h. t.* IV. non sunt admittendi potentiores, hoc est, qui favore, opibus & authoritate pertem adversam antecedunt; ne ejusdem jura per potentiam Patronorum supprimantur. *l.* 1. *C. ne liceat potentioribus.* Unde nec actiones in illos alienare licet. *l.* 2. *C. Eod.* nec fiscus, vel Resp. procuratorum suscipere potest. *l.* 3. *& t. t. C. ne fiscus vel Resp.* V. excluduntur banniti, & rei criminis capitalis. *l. C. h. t.* sicut & excommunicati, nisi sint tolerati. *c.* 7. *de Judiciis* VI. Procuratores ad lites esse nequeunt notoriè infames. *c.* 4. *de Juram. calum* c. 1. *& 2. causâ* 3. *q.* 2. Nec Officit *ſ. fin. Instit. de Except.* utpote, qui de infamia dubia est actipiendus, sensu *ſ. cit.* resultante hoc: quòd si alicui Procuratori infamiæ exceptio opponatur, eáque statim probari nequeat, quòd ob id non debeat retardari processus, sed quòd non attentâ illâ exceptione altioris indaginis, sit in lite ulteriùs procedendum; id quod etiam praxis præ primis in superioribus Dicasteriis servat, ut scil. semoveantur à procuratorio munere notoriè infames Gail. 1. *Observ.* 43. *n.* 8. VII. Redemptores alienæ litis procuratores non permittuntur in lite redempta. *l.* 25. *C. h. t.* Quæ tamen constitutio locum non habet, si emptum sit debitum liquidum: vel si actio litigiosa verè & re ipsâ donata sit: vel si creditori nomen datum in solutum: vel si inter collegatarios, aut cohæredes cessio fiat in divisione hæreditatis; neque enim tunc propriè redemptio litis dicitur arg. *l.* 22. *C. Mandati.* VIII. Denique omnes prohibentur qui non habeant personam standi in judicio, ut servus *l.* 33. *ff. h. t.* Religiosus sine Superioris licentiâ. *Cl.* 3. *eod. &c.*

§. IV.

Materia seu Objectum aliud est Procuratoris extra judicialis, aliud Procuratoris judicialis.

Objectum Procuratoris extrajudicialis sunt negotia gerenda extra judicium, vel certa, vel universa. *l.* 1. *ſ.* 1. *ff. h. t.* vel temporalia, vel spiritualia: nam etiam matrimonium per Procuratorem speciale ad id mandatum habentem contrahi posse, textus est *in c. fin. h. t. in* 6.

Objectum Procuratoris judicialis sunt causæ in

in judicio controversæ. Licèt autem olim non nisi in certis causis per alium agere licuerit, *pr. Instit. de iis per quos agere poss.* hodie tamen in omni causa civili etiam famosa, v. g. injuriarum, & etiam criminali civiliter intentata, & amplius, etiam criminaliter intentata, per Procuratorem agere permissum est. *l.* 1. §. 2. *l.* 42. §. 1. *ff. h. t.* Imò in causis famosis expedit semper per Procuratorem litigare, ut evitetur infamia juris, quam aliàs incurreret per sententiam in persona propria condemnatus: nam tali casu sententia ferri debet in procuratorem, proinde ipse principalis per sententiam infamis non fit, quippe non condemnatus; neque etiam Procurator, quippe non condemnatus ex facto & delicto proprio. *l.* 1. *ff. de his, qui not. infam.* Excipitur causa criminalis, si pœna infligenda relegationem excedat, in qua neque ex parte rei, neque ex parte accusatoris procurator admittitur. *l.* 1. *ff. an per alium causa appell. reddi poss.* Non ex parte rei: ne judicium reddatur elusorium, si reus fortè aufugeret: & quia ex pallore vultûs, consternatione, mutatione loquelæ, & similibus sæpe probationes desumi possunt. Non ex parte accusatoris: quia ad inscriptionē, actalionem sive paritatem supplicii tenebatur ex SCto Turpilliano. *l.* 7. *ff. de Accus.* hinc sublatâ hâc pœnâ talionis in criminibus per Procuratorem proponi valet accusatio. *Constitutio crimin. Caroli V. a.* 12.

§. V.

26 *Forma* consideratur in mandato, quo Procurator constituitur: ex eo namque apparet, quam potestatem habeat, & in quibus acta Procuratoris ratificet Principalis. Debet verò Procurator judicialis se à Domino constitutum docere, id est, procuratorium (uti vocant) proponere. Quod si liquidum sit, de rato cavere non tenetur. *l.* 65. *ff. h. t.* si illiquidum, cavere tenetur de rato. *l.* 1. *C. Eod.* si nullum, repellitur à limine judicii. *c.* 1. *h. t.*

Sed hoc regulariter verum est: fallit siquidem I. in marito, qui sine ullo mandato procuratorio actiones uxoris in judicio exercere potest, cum cautione tamen de rato: ne fœminæ prosequendæ litis causâ in contumeliam matrimonialis pudoris irreverenter irruant & conventibus virorum, vel judiciis interesse cogantur. Textus *in l.* 21. *C. h. t.* Fallit II. in aliis quoque personis conjunctis; quales sunt Parentes, liberi, fratres, consanguinei &c. quia & hæ absque mandato, cum cautione tamen de rato, pro se invicem agere possunt. *l.* 35. *l.* 41. *ff. h. t.* junctâ *l.* 12. *C. Eod.* Quod ipsis concessum videtur tum propter officium his personis invicem debitum, tum ob præsumptam fidelitatem. Fallit III. in consortibus; qui pariter pro se invicem sine mandato procurare possunt in judicio per text. *in l.* 2. *C. de Consortib. ejusd. lit.*

Disputant Canonistæ: an Clericus respectu suæ Ecclesiæ dici possit persona conjuncta, & consequenter ad agendum pro sua Ecclesia sine mandato admitti debeat? Affirmat Glossa *in c.* 1. *h. t.* arg. *c. non liceat. causâ* 12. *q.* 2. in quo omnibus Clericis datur potestas sine mandato reposcendi bona alienata à Prælato, & unà cum fructibus ad Ecclesiam revocandi. Verùm cùm *Canon* ille tantùm loquatur de revocatione malè alienatorum, ideo alii cum Panormit. *ibid.* rectiùs respondent, admitti quidem Clericum, sit ita causa exigat, ad procurandum, non tamen ut conjunctam personam sed cum legitimo mandato.

§. VI.

Finis, ob quem Procurator constituitur, est, 27 ut quia Domini rebus suis superesse nolunt, vel nequeunt, eorum negotia tum judicialia: tum extra judicialia per alios idoneos expediantur, arg. *l.* 1. §. *usus. ff. h. t.*

§. VII.

Effectus procurationis mandatæ, & suscep- 28 ptæ varii occurrunt. *Primus* est, quòd Procura-

curator, qui susceptit litem, aut negotium demandatum, & tractare incœpit, etiam invitus absolvere & exequi cogatur, nisi justissimâ causâ se excusare possit. *l.* 8. § *fin. l.* 35. §. *fin. ff. h. t. l.* 5. §. 1. *l.* 8. §. 6. *ff. Mandati.* Hinc

29 *Secundus* effectus est, quòd Procurator judicialis teneatur à sententia interlocutoria appellare, eámque appellationem prosequi, cùm tunc necdum substantia finita sit; à sententia definitiva autem non teneatur appellare, sed vel appellare, vel domino ante elapsum decendium sententiam latam denuntiare: aliàs obligabitur Domino actione mandati ad interesse. licèt appellationem prosequi non cogatur *c.* 14. *& ibi* Interpp. *h. t. l.* 17. *C. Eod.* nisi esset constitutus generaliter ad omnes causas, tam præsentes, quàm futuras. Panorm. *in d. c.* 14. *n.* 13.

30 *Tertius* est, quòd Procurator judicialis post litis contestationem fiat Dominus litis, & omnia agere bonâ fide possit, quæ Dominus facere posset, *l.* 22. *&* 23. *C. h. t.* Unde ipse ad omnes actus vocari debet, non Dominus. Mynsing. *cent.* 2. *observ.* 44. Ipse quoque sententiam excipit, saltem de Jure communi loquendo. *l.* 1. *C. de sentent. & interlocut.* Quamvis teste Gail. 1. *observ* 11. *n.* 2. *&* 3. de consuetudine & praxi Cameræ sententiæ non ampliùs in Procuratorem, sed in principalē ferantur, exceptis causis famosis.

31 *Quartus* est, quòd Procuratoris factū Domino prosit, & noceat *l.* 46. §. 4. *ff. h. t. l.* 10. *C. Eod.* quia ab eo gestum quasi à Domino gestum habetur, quatenùs mandati fines non excessit, non etiam, si quid extra fines mandati gerat. *l.* 27. *pr. l.* 49. *ff. h. t. & ibi* Zoës. *n.* 18. *& seq.* quem vide.

32 *Quintus* denique effectus est actio mandati directa, & contraria, quæ ex obligatione inter Dominum & Procuratorem contractâ proficiscitur. *Directa* datur Domino mandanti, ejúsque hæredi, contra Procuratorem & ejus hæredem ad consequendum id, quod illius interest ratione mandati negotii, aut litis neglectæ, vel non exactissimè administratæ. *l.* 13. *& 21. C. Mandati. Contraria* datur Procuratori & ejus hæredi contra Dominum, & ejus hæredem ad consequendum id, quod ex causa mandati bona fide præstitit, & impendit. *l.* 46. §. 5. *& 6. ff. h. t.* & ad resarcienda damna dolo, vel culpâ etiam levissimâ mandantis data *l.* 61. *ff. de furtis.* junctâ *l.* 5. §. 2. *ff. comodati.*

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

SUMMARIA.

1. *Quid sit* Syndicus?
2. *Syndicus à quo constituatur.* 3. *& quis, ac qualis constitui possit?*
4. *In quibus causis, quomodo, & ob quem finem constitui debeat?*
5. *Quæ sit potestas Syndici?*
6. *Quomodo differat Syndicus à Procuratore, Actore, Administratore, & Oeconomo universitatis?*
7. *Qualiter finiatur officium Syndici, & an solus ab eo revocare possit?*

TErtiò inter personas, quæ alienas causas suscipiunt, est Syndicus.

§. I.

Definitur Syndicus, quòd sit Procurator qui communi mandato causas & lites Universitatis prosequitur, & administrat. Colligitur *ex l.* 1. §. 1. *ff. Quod cujusque univers. nom.*

§. II.

Causa efficiens est commune mandatum Universitatis, quo Syndicus constituitur. Intelligitur autem hic nomine Universitatis omnis communitas unum moraliter corpus constituens, v. g. Civitas. Monasterium, Collegium Clericorum, Studiosorum, Civium vel Opificum. Consensus constituti non exigitur: quia officium Syndici est publicum, adeóque etiam invitis imponi potest. arg. *l.* 1. *ff. de Munerib. & honorib.*

Qui

Quæres I. Utrùm omnes de communitate concurrere debeant in constitutione syndici? R. omnes quidem de communitate, qui jus suffragii habent, convocandos esse, arg. *c. quod omnes tangit. 29. de R. J. in 6.* Si tamen aliqui vocati se absentent, de Jure communi posse præsentes Syndicum constituere, modò duæ partes ex tribus de universitate sint præsentes, & major pars præsentium consentiat. *l. 3. & 4. ff. Quod cujusque universit. nom.* junctâ *l. 19. ff. Ad municipal. & c. 1. de his, quæ fiunt à majore parte Capit.* Verùm de consuetudine in numerosis præsertim communitatibus, tantùm præcipui quidam conveniunt. v. g. Senatus Civitatis; imò alicubi etiam Princeps, vel alius jus constituendi Syndicum speciali jure sibi vendicat; ut ita hujus quæstionis decisio ex diversis locorum consuetudinibus & particularibus statutis desumenda sit. P. Engl *h. t. n. 4.*

Quæres II. an universitas, cujus Majores, Rectores, vel jurati excommunicati sunt, ad agendum syndicum, vel procuratorem constituere possit? R. breviter, quòd hoc nomine Universitatis possint reliqui de Universitate, qui non sunt excommunicati; modò in literis procuratoriis non exprimantur ipsi excommunicati, neque etiam ipsorum authoritate Procuratoris constitutio fiat, per text. *in c. fin. de Procuratorib.* Dixi autem notanter: *ad agendum:* quia in constitutione procuratoris ad defendendum etiam excommunicatos concurrere posse, manifestum est ex *c. 7. de Judiciis.*

3 *Quæres* III. Quis, ac qualis ab Universitate Syndicus constituendus sit? R. constitui posse fermè omnem, qui postulare, aut procuratorem agere potest. Neque refert, an sit de universitate, à qua Syndicus deputatur, an extraneus. Pirrhing. *h. t. n. 4.* In Monasteriis tamen potiùs extraneus est accipiendus, quàm Religiosus, quem à fori strepitu abstinere, & à Divinis non avocari convenit. *c. un. h. t.* Quòd si tamen extraneus satis idoneus haberi nequeat, vel aliàs notabile aliquod damnum, vel periculum Monasterio immineret, nil obstat, quin, sicut alii Clerici suarum Ecclesiarum, ita etiam Religiosi cum licentia sui Abbatis Syndici Monasterii constituantur, arg. *c. Monachi. 35. causâ 16. q. 1.* Panormit. *in d. c. un. n. 4.* Planè in particulari aliqua causa actorem, vel procuratorem cum licentia Abbatis absolutè deputari posse Religiosum, aperte deciditur *in Clem. 3. de Procuratorib.*

§. III.

Objectum Syndici sunt causæ Universitatis, præsentes & futuræ, tam civiles, quàm criminales: etsi enim in criminalibus universim procurator non admittatur, juxta *l. 1. ff. An per alium causa appell. reddi poss.* Universitas tamen, cùm ipsa ut privatus accusator & reus in judicio comparere nequeat, per Syndicum rectè etiam in criminalibus defenditur, agitque. arg. *l. 27. §. fin. ff. de Peculio & l. 5. §. 7. ff. Judicatum solvi.* 4

§. IV.

Forma spectatur in mandato & decreto universitatis, quo Syndicus constituitur, & in instrumento syndicatûs, quod secundùm Speculatorem *h. t.* continere debet, quis syndicum constituat: quis constituatur: ad quas causas & lites, contra quos, denique quo modo & quare constitutus sit. Illum autem necessarium non est, ut in eo subscribantur nomina singulorum consentientium, præsertim in numerosa universitate, sed sufficit, si de legitimo universitatis consensu mentio fiat, & ipsum instrumentum ejusdem sigillo muniatur. Pirrhing. *h. t. n. 2.* Panormit. *ad d. c. un. h. t. n. 9.*

§. V.

Finis, ob quem Syndicus constituitur, est necessitas, & utilitas, tum universitatis, tum etiam eorum, quibus lis cum eadem intercedit, quoniam Universitas neque agere, neque uti-

liter conveniri potest, nisi commnni nomine pro se aliquam personam, seu Syndicum constituat. *l.* 1. §. 1. *ff. Quod cujusq; universi. nom.*

§. VI.

5 *Effectus* est I. quòd Syndicus accepto instrumento syndicatûs obtineat parem potestatem, quàm Procurator. *l. item* 6. §. *fin. ff. Quod cujusq; universi. nom.* imò omnia expedire possit, quæ aliàs speciale mandatum exigerent: quia censetur constitutus cum libera, & ampla potestate, etsi id in instrumento non fuisset expressum. Gail. *l.* 2. *observ.* 72. *n.* 11.

Alter effectus est, quòd Syndicus non teneatur cavere de rato, nisi probabiliter dubitetur de mandato. *d. l. item* 6. §. *fin.* nec cogatur satisdare, judicatum solvi; cùm publicâ authoritate constitutus sit, sicut Tutor, ut notat Gloss. *in d. l. item* 6. *V. rata.*

§. VII.

6 *Affinis* Syndico est Procurator, Universitatis actor, Administrator, & Oeconomus. Differt tamen ab his: à Procuratore, quòd hic causas privatorum, Syndicus verò Universitatis prosequatur; ab Actore, quòd & hic quidem ab universitate, sed non nisi ad causam, vel causas præsentes tantùm, Syndicus verò tam ad præsentes, quàm futuras ab eadem detur; ab Administratore, quòd hic præsit pecuniæ, curámque rerum, ac negotiorum extrajudicialium demandatam habeat, Syndicus verò in litibus persequendis occupetur; denique ab Oeconomo, quòd hic sit dispensator Ecclesiæ, cui administratio rerum Ecclesiasticarum, spiritualium & temporalium committitur; ut consequenter laicus esse nequeat, arg. *c. judicatum.* 35. *dist.* 89. *& c. in nova.* 22. *causâ* 16. *q.* 7. quod Syndico non competit, potestque laicus esse syndicus in causis etiam spiritualibus, quia non exercet munus propriè spirituale juxta *c.* 1. *de Procuratorib. in* 6.

§. VIII.

7 *Contraria* sunt modi, quibus Officium syndici finitur. Finitur autem iisdem fermè modis, quibus officium Procuratoris. *d. l. item* 6. *in fine ff. Quod cujusque universi. nom.* nisi quòd morte constituentium non cesset, eò quòd communitas semper permanere censeatur, per *l.* 7. §. 2. *ff. Eod.*

Dubium connexum est, an solus Abbas syndicum cum consensu Capituli constitutum revocare possit? Affirmo cum Panorm. *h. t. n.* 6. quia Prælatus Ecclesiasticus etiam habens syndicum solus potest agere causas sui Monasterii; cùm eidem per electionem plena administratio sit tributa. *c. edocebit.* 21. *de Rescript.* Neque obstat, quòd cum consensu Capituli fuerit constitutus, & consensus iste, si non de consuetudine, saltem de Jure communi videatur necessarius ad constituendum syndicum. Siquidem diversa ratio est in constitutione, & revocatione syndici: nam in constitutione agitur de particulari & proximo Capituli præjudicio, cùm in certis casibus syndicus ei nocere, illúdque obligare possit; at verò per revocationem nullum vertitur Capituli præjudicium, eò quòd Abbas syndicum habere non teneatur, ut dictum, sed possit per se omnia administrare, & in se actionem assumere.

TITULUS XL.

De his, quæ vi, metûsve causâ fiunt.

SUMMARIA.

1. Metûs definitio. 2. 3. Et divisio.
4. Conditiones metûs gravis,
5. Et seqq. Quid metus operetur?

Vidimus de Pactis, Transactionibus, & Mandatis procuratorum, quæ sponte agimus; nunc videamus de iis, quæ vi, metûsve causâ fiunt.

§. I.

Definitur Metus juxta Ulp. *in l.* 1. *ff. Quod me-*

metûs causâ. Quòd sit instantis, vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. Adeóque metu id fieri dicitur, quod quis mali declinandi causâ facit, alioquin non facturus. Vis autem juxta Paulum in *l. 2. ff. Eod.* est majoris rei impetus, qui repelli non potest. Rectè: quia quamvis subinde, uti hic, unum pro altero accipiatur, vis tamen propriè intelligitur, quando externum agens necessitatem voluntati contrariam alicui invito imponit, omnémque ejus consensum excludit; ut si cui per violentiam incurrentur genua ad idolum adorandum; metu verò gesta voluntaria sunt, cùm in agentis optione sit, fierine debeant, nec ne? unde dicitur: voluntas coacta, voluntas est. *l. 2. §. 1. ff. Quod metûs causâ. c. 5. & ibi* Layman. *h. t.*

§. II.

2 *Dividitur* metus I. in eum, qui ab intrinseco provenit, scil. à causâ naturali, vel infortunio, ut morbo, tempestate, feris animalibus, naufragio, & similibus; & in eum, qui incutitur à causa extrinseca libera creata, scilicet ab homine. Quod dupliciter fieri potest, nempe justè, & injustè. Justè quidem ab eo, qui jus inferendi talem metum habet, ut si Judex per incarcerationem, aut alias pœnas compellat nolentem implere contractum. Injustè, si injuriosè, & directè ab aliquo metus inferatur ad actionem aliquam extorquendam, ut si latro tibi mortem intentet, nisi pecuniam des, aut promittas: si privatus mortem minetur, nisi filiam suam uxorem ducas, &c.

3 II. Dividitur metus, præsertim qui ab extrinseco injustè incussus est, in gravem, & levem. Metus gravis, seu (ut alii loquuntur) metus justus, probabilis, aut cadens in constantem virum est timor majoris mali. *l. 5. ff. Quod metûs causâ.* Qualis est metus mortis, mutilationis, cruciatûs atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, violenti stupri, gravis infamiæ, amissionis statûs honorifici, amissionis omnium bonorum, vel notabilis partis, excommunicationis injustæ, & ejusmodi. *l. 3. 4. 7. 8. & 9. ff. Eod.* Metus levis, vanus, injustus, seu improbabilis est, qui non in constantem, sed abjectum, vecordémque hominem cadit, qui facilè movetur, & non timenda timet. Talis est metus reverentialis per *l. 22. ff. de Ritu nupt.* metus infamiæ levis, vel alicujus vexationis, &c. *d. l. 7. pr. ff. Quod metûs causâ.*

Porrò quia sæpissimè incidit mentio de metu gravi, non erit abs re, indicare, quæ conditiones ad illum requirantur. *Prima* est, ut malum, quod timetur, sit ex se magnum & grave. *l. 5. ff. Quod metûs causâ. Secunda,* ut metuens non vanè & leviter credat, malum sibi imminere, sed rationabiliter existimet, illud eventurum. *l. 7. §. proinde. ff. Eod.* quia vani & meticulosi hominis est, timere ex levibus conjecturis, aut rationibus. *Tertia,* ut metum incutiens potens sit revera malum exequi, quod minatur, vel saltem prudenter existimetur, posse exequi: quia non est viri fortis & constantis terreri minis hominis senis, debilis, aut inermis, si ipse alioquin sit juvenis, fortis, ac armatus, &, ut dicitur *in l. famosi. §. 3. ff. Ad leg. Jul. Maj.* semper persona spectanda est, an potuerit facere. *Quarta* est, ut præterea, qui metum, aut minas incutit, solitus sit, eas exequi, non autem illas inaniter jactet, & irâ illicò sopitâ parùm aut nihil opere compleat: nam *metum non jactationibus vel conestationibus: sed atrocitate facti probari* convenit. *l. 9. C. h. t.* *Quinta,* ut metus incutiatur vel propriæ personæ, vel alteri valde conjunctæ, puta uxori, liberis, parentibus. *l. 8. §. ult. ff. Quod metûs causâ.* *Sexta,* ut qui patitur metum, non possit facilè malis occurrere, quæ metum faciens comminatur v. g. monendo, aut superiorem consulendo, vel implorando auxilium alterius: viri siquidem constantis non 4

est, sed ignavi, ac timidi, ea timere, quæ facili negotio possunt vitari: nec dignus est excusatione, qui illa non vitat.

Planè hæ conditiones non absolutè, & eodem modo in omnibus, qui metum gravem pati dicuntur, considerari debent, sed respectivè & habitâ ratione ad qualitates, & statum cujusque: utique enim non eadem magnitudo & gravitas mali, neque eadem certitudo & probabilitas, quòd tale malum immineat, & eventurum sit, requiritur ad hoc, ut metus sit gravis v. g. in fœmina, vel puero, aut in sene, quæ requiritur in viro firmatæ ætatis ac roboris. Glossa *in c. cùm locum V. metus. de Sponsalib.* Sanchez *l.* 3. *de Matrim. disp.* 3.

§. III.

5 *Effectus* Metûs est vel nullitas actûs gesti, vel actio, aut exceptio quod metus causâ. Ubi examinandum est, an, & in quantum valeant, adeóque servanda sint, quæ metu gerimus. Proinde

Dico I. Spectando jus Naturæ metu etiam gravi & injusto gesta valent: quia si essent irrita, vel id proveniret ex defectu consensûs, vel ex injuria per metum injustum illata? Non ex defectu consensûs: quia metus non tollit consensum, & voluntarium simpliciter, cùm etiam coacta voluntas sit voluntas. *l.* 21. *ff. Quod metûs causâ* S. T. 1. 2. *q.* 6. *a.* 6. Neque ratione injuriæ: quia injuria non est causa immediata actûs, sed consensûs agentis, qui subsistit simul cum injuria. Ergò Excipiunt aliqui actus, qui postquam semel validi fuerunt, ampliùs rescindi non possunt, ut sunt Matrimonium, & Professio religiosa, illósque metu injusto gravi initos contendunt, ipso jure naturæ esse irritos, an rectè? alibi discutietur.

6 *Dico* II. Gesta ex metu ab intrinseco, aut ab extrinseco, sed justè incusso omni jure subsistunt, nec irritari possunt. Sanchez *l.* 4. *de Matrim. disp.* 9. Et quidem quòd gesta ex tali metu valeant, inde constat, quòd metus non tollat voluntarium: quòd verò irritari nequeant, ratio est: quia unica radix, ex quâ metu gesta rescinduntur, est injuria per metum illata. Hinc valet votum, quòd metu naufragii aut periculosi morbi concepisti: & matrimonium, quod post contracta sponsalia metu intentatæ excommunicationis, vel morte plectendus ex justitia, cum meretrice, ut alicubi mos est, contraxisti, arg. *c.* 10. *de Sponsalib.*

Dico III. Gesta ex metu levi injusto jure quoque positivo valent, nec ulla hujus metûs ratio in foro externo habetur: hoc ipsò enim, quòd levis sit, ab homine constanè contemni debet. *l.* 6. *ff. Quod metûs causâ. l.* 13. *ff. de Rejudic. l.* 184. *ff. de R. J.* Quamvis in foro conscientiæ etiam levi metu extorta restituenda sint; modò talis metus revera fuerit causa, sine qua aliàs res data non fuisset: hoc quippe natura justitiæ exigit, quæ in proposito casu immutata non fuit: nec etiam talis metus à legibus approbatur, sed tantùm in foro externo nulla actio concessa est propter diminuendas lites, ut pluribus docuit Sanchez. *d. l.* 4. *c.* 9. *n.* 4.

Dico IV. Etiam gesta ex metu gravi injusto jure positivo regulariter tenent, ita tamen ut irritari possint. Probatur satis ex *c.* 2. & 4. *h. t. l. ult. C. Eod. l.* 1. *l.* 24. *§.* 1. *ff. Quod metûs causâ* in quibus adversus metum conceditur restitutio, quæ est remedium actum summo jure validum rescindens; quod enim validum non est, rescindi non potest; ergo omnes textus supponunt actum metu factum non esse irritum, sed irritabilem. Quando itaque actus metu gestus irritus & nullius momenti dicitur, ut *in l. penult. ff. Quod metûs causâ. & in l.* 1. *C. de Rescind. vend.* dicitur talis non quoad substantiam, sed tantùm quoad effectum, inspecto scilicet eventu restitutionis, si metum passus velit rescindere. Quod addo: quia jura infirmando hujusmodi actus

pro-

procul dubio voluerunt favere innocenti læso; magis verò per se loquendo favent, si non simpliciter irritent, sed ad instantiam jubeant rescindi: quia is expostfacto potest gaudere de contractu metu inito. Haunold. *de J. & J. tom. 3. tr. 8. c. 2. controv. 2. n. 125.*

9 Dixi autem: *regulariter* ipso jure valere per metum gesta: quædam enim, si metu gravi fiant, sunt ipso jure nulla; ut sunt I. matrimonium arg. *c. 2. de eo, qui duxit &c.* & valde probabiliter etiam sponsalia de futuro per *c. ex literis de Desponsi. impub.* II. Professio Religiosa. *c. 1. h. t.* quod etiam ad votum simplex extendit Glossa *in c. 2. Eod.* Azor. *Inst. moral. tom. 3. l. 6. c. 7.* III. Aliqui excipiunt promissionem dotis per *l. 21. §. si dos. ff. Quod metûs causâ.* interpositionem auctoritatis tutoris per *l. 1. §. 1. ff. de Author. Tutor.* prorogationem jurisdictionis per *l. 2. in pr. ff. de Judiciis* absolutionem ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto per *c. un. h. t. in 6.* Electionem Prælatorum per *c. 14. de Elect. & c. 3. §. cæterùm Eod. in 6.* testamentum, Procuratoris constitutionem, pronuntiationem sententiæ, alienationem rei Ecclesiasticæ, manumissionem &c. Vallens. *h. t. n. 7.* De quarum tamen exceptionum veritate, ac valore cum aliis non immeritò dubitaveris.

10 *Dico* V. Ex metu gravi injusto datur metum passo exceptio, aut actio Prætoria; quæ vocatur, *quod metûs causâ.* Nempe re adhuc integrâ, & si nihil datum est, sed tantùm promissum, contra petentem competit exceptio, *l. 1. ff. de Dolo mali, & metûs except.* Re verò non integrâ, & si metûs causâ quid datum est, actio competit, quâ metum passus, ejúsq; hæredes agere possunt, non tantùm contra illos, qui metum intulerunt, sed contra quoscunque rei metu extortæ possessores, intra annum à tempore metûs illati (casu quo Adversarius Judicis sententiæ non obtemperavit) in quadruplum, post annum autem in simplum. *l. 14. §. 1. & 3. ff. Quod metûs causâ. §. 27. & ibi.* Interpp. *Instit. de Actionib.*

TITULUS XLI.

De in integrum restitutione.

SUMMARIA.

1. 2. Quid sit restitutio in integrum. 3. Et à quo concedatur?
4. Usque 8. Datur regulariter omni minori. 8. Ecclesiæ. 9. Reip. 10. Et majoribus ex justa causa.
11. Quando alius pro alio petere possit restitutionem?
12. Usque 21. In quibus causis, vel negotiis admittatur?
21. Coram quo Judice. 22. Et intra quod tempus peti debeat?
23. Restitutio non conceditur, nisi causâ cognitâ.
24. Finis restitutionis in integrum.
25. Pendente restitutione nihil innovandum.
26. Eâ obtentâ redintegratur pristinum jus.

POst restitutionem adversùs gesta per metum modò expendamus *restitutionem in integrum* in genere.

§. I.

Definitur Restitutio in integrum: quòd 1
sit remedium extraordinarium, Prætorium, quo læsi in eum statum, in quo ante læsionem fuerunt, justa & probabili de causa per officium Judicis reducuntur. Colligitur ex *l. 1. & seq. ff. h. t.*

Dicitur *remedium extraordinarium*: quip- 2
pe ad quod non devenitur, nisi deficiente remedio ordinario. *l. 16. ff. de Minoribus.* Limita: nisi hoc remedium extraordinarium sit pinguius, quàm ordinarium, arg. *l. 3. §. 1. ff. Nautæ, caupones, stabularii &c.*

§. II.

Causa efficiens Restitutionis in integrum 3
est vel remota, vel proxima. *Remota* est edictum Prætorium: ex hoc enim omnis restitutio in integrum descendit. *l. 1. l. 3. & passim ff. h. t. Proxima* est Judex restituens. Potest

au-

autem jure novo, & noſtris moribus quilibet ordinarius Magiſtratus reſtituere. *l. fin. C. ubi & apud quem.* Quoad delegatum diſtinguendum eſt: aut ſermo eſt de delegato à Principe, & ſine dubio poteſt reſtituere. *d. l. fin.* aut de delegato à Judice inferiore; & iſte poteſt reſtituere ſolùm incidenter, non verò principaliter, niſi ſpecialiter cauſa reſtitutionis ei commiſſa ſit, vel delegatus ſit ad univerſitatem cauſarum. *c. 9. & ibi* DD. *h. t.*

§. III.

4 *Subjectum* Reſtitutionis in integrum ſunt illi, quibus ex juſta cauſa indulgetur. Quibus autem indulgeatur, indicat *l. 1. & 2. ff. h. t.* ibi: *Prætor hominibus vel lapſis, vel circumſcriptis ſubvenit: ſive metu, ſive calliditate, ſive ætate, ſive abſentiâ inciderint in captionem, ſive per ſtatûs mutationem, aut juſtu errorem.*

5 I. Igitur ob ætatis fragilitatem reſtitutio conceditur minori 25. annis, ſi vel Curatorem non habeat, vel interveniente ejusdem conſenſu læſus ſit, in aut extra judicium: ita quidem, ut toto quadriennio poſt exactum 25. annum, nempe usque ad annum 29. completum hoc remedium implorare poſſit. *t. t. ff. de Minorib. c. 8. h. t.*

6 Reperias tamen caſus, quibus minor læſus non reſtituitur. *Primus* eſt, ſi minor major factus ratum habuerit, quod cum eo in minorennitate geſtum eſt, quia talis actus à majori geſtus eſſe cenſetur. *l. 3. §. 1. ff. de Minoribus l. 1. & 2. C. Si major factus ratum habeat. Secundus* eſt, ſi minor falsò ſe majorem dixerit: quia jura deceptis ſuccurrunt, non decipientibus. *l. 2. & 3. C. Si minor ſe majorem. Tertius,* ſi minor impetraverit veniam ætatis, quæ maſculis anno 20. fœminis verò anno 18. completo concedi ſolet. *l. 2. C. de his, qui veniam ætatis. Quartus,* ſi minor actum juramento firmaverit, propter religionem juramenti. *l. 1. & auth. Sacramenta C. Si adverſus vendit. Quintus* eſt, ſi minor minorem læſerit. *l. 11. §. penult. ff. de Minorib.* Ratio fundatur in decantata regula, quòd privilegiatus contra æquè privilegiatum non gaudeat privilegio. Secùs eſt, ſi alteruter pinguius privilegium habeat, ut puta, ſi alteruter tantùm læſus ſit, & hic de lucro captando, alter verò de damno vitando certet. Et ita accipienda eſt *l. 34. ff. Eod. Sextus* eſt, ſi minor huic beneficio juramento renuntiaverit citra dolum adverſarii. Carpz. quem laudat & ſequitur Eckolt. *ad ff. de Minorib. §. 7.* alii plures alios caſus exceptos refert, quos facilè ex dicendis colliges.

Dubitatur: an Minor, Doctor Juris, læſus reſtituatur? Negant plures apud Gonzal. *ad c. 1. h. t. n. 1.* Affirmat Fachin. *3. controv. c. 5.* Ego diſtinguo: an læſus ſit errore facti, an juris? Si prius, erit reſtituendus: quia facta etiam prudentiſſimos poſſunt fallere. *l. 2. ff. de juris & facti ignorantia.* Si poſterius, reſtituendus non erit: quia allegans ignorantiam juris propriam allegaret turpitudinem. *l. 9. §. 3. ff Eod.* adeoq; ipſi credendū non foret.

II. Reſtitutio in integrum ad exemplum minorum datur Eccleſiis ex quacunque cauſa notabiliter læſis. *c. 1. & ibi* DD. *h. t. c. 1. Eod. in 6.* Ratio eſt: tum quia magnus & publicus eſt Eccleſiæ favor, tum quia etiam rebus Eccleſiæ adminiſtratores præficiuntur, ſicut pupillis tutores, minoribus curatores. Licèt verò Eccleſiæ nomine hoc loco veniant generaliter omnes Eccleſiæ, tam ſuperiores, quàm inferiores; item Monaſteria, Hoſpitalia, aliáque loca pia ob identitatem rationis. arg. *l. 35. C. de Epiſc. & Cler.* ipſæ tamen perſonæ Eccleſiaſticæ non comprehenduntur quoad propria bona, ac proinde, etſi in illis lædantur, non tamen eis competit reſtitutio. Covarr. *V. R. l. 1. c. 4. n. 3.* Panorm. *in d. c. 1. n. 15. h. t.*

III. Jure minorum quoque beneficium reſtitutionis tribui ſolet Reipublicæ. *l. 4. C. quibus ex cauſis majores. l. 3. C. de Jure Reipublicæ.*

Quod

Quòd non de Romana tantùm, sed etiam de aliis Rebuspublicis, & civitatibus maximè Imperialibus hodie procedit, ut probat Gonzal. *ubi supra n.* 11. contra Gloss. *in d. l. 4. V. Respublica.* per jura allegata, quæ generaliter Reipub. restitutionem in integrum indulgent. Imò ad castra quoque, villas, & vicos (quæ civitatibus æquiparantur. *l. 73. §. 1. ff. de Leg. 1.*) extenditur; dummodo tamen Jurisdictionem, seu subditos habeant, sive per syndicos & administratores regantur. Gail. *l. 4. Obs. 62.*

10 IV. Datur restitutio subinde majoribus graviter læsis, modò præter læsionem etiam justam causam probent, ut est dolus, metus gravis, absentia justa, vel saltem involuntaria, & denique quælibet causa comprehensa sub generali clausula edicti Prætorii: *si qua alia mihi justa causa esse videbitur. l. 1. ff. ex quibus causis majores.* Ad quam clausulam recurrendum, quotiescunque æquitas restitutionem suggerit, eò quòd singulariter omnes casus enumeri non potuerint. *l. 26. §. 9. ff. eod.*

11 Cæterùm hic breviter noto, quòd restitutio petenda sit ab eo, qui læsus est. Procurator non audietur, nisi mandatum speciale, aut cum libera (quod mandatum æquiparatur speciali *c. 4. de Procurat. in 6.*) habeat. *c. 7. & ibi.* Panorm. *n. 4. h. t.* Mandatum generale non sufficit. *l. 25. §. 1. ff. de Minorib.* id quod obtinet etiamsi conjuncta persona sit, quæ aliàs citra mandatum admittitur; excepto tamen patre per textum *l. 27. pr. ff. de Minoribus.* Item exceptis tutoribus, curatoribus, Prælatis & cæteris administratoribus, qui pro illis, quorum bona administrant, etiam sine mandato speciali restitutionem petere possunt. Innocent. Panormit. aliique *ad c. 6. h. t.*

§. IV.

12 *Materia seu objectum* Restitutionis in integrum est actus, seu negotium civile, aliquo modo validum, & rescindibile, in quo, & ex quo læsus restituitur.

Dicitur I. *negotium civile:* in criminalibus 13
enim & delictis restitutio denegatur: quia malos mores infirmitas animi non excusat. *l. 1. C. Si adversus delicta.* Hinc si minor dolo aliquid fecerit in re v. g. depositа, commodata, vel in quolibet alio contractu, tunc ei non subvenietur, sicuti nec si furtum commisserit, & in duplum, aut quadruplum condemnetur. *l. 9. §. 2. l. 37. §. 1. ff. de Minoribus.* Hoc tamen ad Ecclesiarum administratores minimè extendendum est: delictum namque personæ non debet in detrimentum Ecclesia redundare. *c. 76. de R. J. in 6.* Panorm *in c. 3. n. 15. h. t.*

Quæstio connexa est, an minor restituatur 14
contra suam confessionem; ut si de crimine adulterii accusatus illud fateatur? Sunt, qui affirment. Sed rectiùs negat Fachin. *l. 1. controvers. 72. per l. 37. ff. de Minorib.* eò quòd contraria dicenti non sit credendum. Limita: nisi in continenti ostendat, se ex metu, aut præcipitantia juventi falsum dixisse, tunc enim restituennus est. *l. 6. §. 5. ff. de Confessis. & l. 1. §. siquis ultrò. 27. ff. de Quæst.*

Dicitur II *Aliquo modo validum:* nam si 15
nullum est non potest per restitutionem rescindi. *l. 2. & 4. C. in quibus causis in integ. rest. necess. non est.* Unde si minor lædatur ex contractu inito sine authore curatore, aut ex alienatione rei immobilis sine decreto Judicis, ei per restitutionem non succurritur: quia dum habetur remedium ordinarium nullitatis, ista tanquam extraordinarium locum non habet per *l. 16. ff. de Minoribus.*

Dicitur III. *Et rescindibile:* etenim si re- 16
scindi nequeat, restitutionem non admittit. Hinc *primò* non datur restitutio in causa manumissionis contra datam libertatem, vel sententiam pro libertate latam, nisi fortè ex magna causa à Principe concedatur. *l. 9. §. fin. fin. l. 10 ff. de Minoribus. t. t. C. Si adversus libertatem.* Ratio est favor libertatis, cujus causa præ omnibus est valde favorabilis.

17 *Secundò* denegatur restitutio in matrimonio, etiamsi erratum magnopere sit circa fortunam, & qualitates personæ: cùm semel validè contractum sit indissolubile. Covarruv. *V.R. l. 1. c. 5. n. 1.* Divérsum procedere existimem in sponsalibus, contractu dotali, aliisque quibusdam pactis, quæ ad matrimonii substantiam non spectant, utpote quæ ex ra-
18 tionabili causa dissolvi possint. *Tertiò* non conceditur restitutio in matrimonio spirituali id est, in Professione religiosa: professio siquidem semel valida instar matrimonii carnalis est indissolubilis. Sanchez *de Matrimonio l. 7. disp. 37. n. 21. & 22.* Dico: *semel valida:* quia si error intervenerit circa substantiam, aut ex metu gravi facta sit, irrita est professio. *cap. 1. & ibi* Barbos. *de his quæ vi, metúsve causâ.* Verùm ut taliter professus audiatur, intra quinquennium à die professionis computandum has causas nullitatis coram Ordinario oportet proponere. Trid. *sess. 25.*
19 *de Regul. c. 19.* *Quartò* cessat restitutio in statu Clericali, & SS. Ordinibus semel susceptis: tum quia character ordinis est indelebilis: tum quia in susceptione ordinum læsio esse non intelligitur: tum etiam quia, si qaretur restitutio, videretur dari contra DEUM quod à recta ratione alienum *arg. c. sine causâ 22. q. 3. & c. 14. de Convers. Conjug.*

20 Dicitur IV. *in quo, & ex quo læsus restituitur:* ut autem restituatur, non sufficit qualiscunque læsio minima. *l. 4. & 9. ff. de Minoribus.* sed debet esse notabilis, sive infra sive supra dimidium: quoniam de minimis, ut dici solet, non curat Prætor, à quo hoc beneficium provenit. Præterea non sufficit læsionem quocunque modo contigisse, sed necesse est, ut vel culpa aliqua adversarii saltem præsumpta, vel inconsulta facilitas læsi, vel ejusdem administratoris negligentia aut ignorantia intervenerint; nam si præcisè casu aliquo fortuito damnum acciderit, v.g. res empta incendio absumpta, aut furto ablata sit, tunc ipsâ æquitate dictante restitutio non procedit; alioquin cum minore vel Ecclesia contrahens nunquam securus esse posset, quamcunque adhiberet diligentiam. *l. 11. §. 4. ff. de Minoribus.*

§. IV.

Forma restitutionis stat in modo eam petendi, & indulgendi.

Ut ritè petatur, duo observanda sunt. I. ut petatur à Judice competente illius, contra quem petitur: in hoc enim casu petens est actor, qui sequitur forum rei. *l. 2. & fin. C. ubi & apud quem &c.* Ideóque si Clericus contra Laicum circa res proprias, seu bona patrimonialia in integrum restitui velit, Judicem Laicum adibit. Covar. *d. l. 1. c. 4. n. 3.* Ecclesia tamen, vel Clericus in bonis Ecclesiæ potest contra Laicum restitutionem in integrum petere etiam coram Judice Ecclesiastico. *c. 1. h. t. c. penult. de rebus Eccles. non alienandis.* quia Ecclesia agit ex proprio & speciali privilegio rebus Ecclesiæ concesso, & ita titulus petendi est Ecclesiasticus, ac exemptus. II. ut petatur tempore legitimo, quod olim ex edicto Prætoris erat annus utilis. *l. 19. ff. de Minoribus.* postea verò ob difficiliem dierum utilium computationem à Justiniano in quadriennium continuum translatum est. *l. fin. C. de Temporibus in integr. restitut.*

Currit autem hoc quadriennium Minori à die elapsæ minorennitatis, hoc est, à primo die anni 26. usque ad extremum diem anni 29. *d. l. fin.* aut si veniam ætatis impetraverit, à die insinuationis. *l. 5. C. Eod.* Ecclesiæ, Civitati, & aliis Jure Minorum utentibus currit à die factæ & innotescentis læsionis. per *c. 1. & 2. h. t. in 6.* Majoribus currit à tempore cessantis impedimenti, puta absentiæ vel captivitatis. *l. 1. & l. fin. C. de Temporib. in integr. restitut.* Excipitur restitutio ex causa metûs & doli; illa enim anno. *l. 14.*

§. 1.

§. 1. ff. Quod metûs causâ; hæc biennio continuò finitur. *l. fin. C. de Dolo.*

23 Quantùm ad formam indulgendi restitutionem attinet, ea aliter concedenda non est, nisi causâ cognitâ, & justitiâ causæ ritè examinatâ, *l. 3. & ult. ff. h. t.* Et quidem si major restitutionem petat, Judex principaliter cognoscet de læsione, & justa causa restitutionem petendi, quam utramque ceu fundamentum intentionis restitutionem petens probare debet. *c. 4. h. t. l. 2. ff. de Probat.* Si minor ex capite minorennitatis petat, duo itidem à Judice cognoscenda, & à minore probanda sunt, nempè minorennitas: hæc enim non præsumitur, nisi quid aliud aspectus demonstret, *l. 4. C. de in integr. restitut. minorum. l. 9. C. de Probat.* deinde læsio, nec enim utique qui minor est, hoc ipso statim & circumscriptum se docuit. *l. 9. §. 4. ff. de Jurejur.* cùm tamen causa principalis restitutionis sit læsio. Videatur Mynsing. *Cent. 4. obs. 16. & 17.*

§. VI.

24 *Finis* Restitutionis in integrum est, ut hoc remedio extraordinario lapsis ætate, vel errore, aut aliâ justâ causâ, vel dolo deceptis subveniatur.

§. VII.

25 *Effectus* Restitutionis in integrum alius est, si consideretur ut postulata; alius est, si ut impetrata.

Effectus Restitutionis postulatæ est, quòd eâ pendente omnia in eodem statu manere debeant. Quare nec sententia poterit executioni mandari, quàm diu restitutionis quæstio manet indiscussa. *l. un. C. in integ. restit. postul. ne quid novi fiat.* nisi præsumptio sit, malò animò, & causâ impediendi effectum sententiæ restitutionem peti: tunc namque sententia executioni mandabitur, receptâ tamen à victore idoneâ cautione, se universa, quæ occasione sententiæ perceperit, si adversarius in restitutionis judicio prævaluerit, restituturum. Text. Gloss. & Panorm. *in c. 6. h. t.*

Effectus Restitutionis impetratæ est, quòd 26
quilibet jus suum salvum habeat, tam is, qui restituitur, quàm alter, adversus quem restitutio fieri postulatur: *l. un. C. de Repet. quæ fiunt in judicio in integrum restitutionis.* Hinc restitutione contra venditionem factâ sicut restitutus rem venditam recuperabit, sic vicissim emptori pretium restitui debebit. *l. 27. §. 1. ff. de Minoribus.*

Difficultas supereſt, an, & quinam fructus 27
impetratâ restitutione in integrum restituendi veniant? quam diligenter versat P. Engel *h. t. n. 18.* Covarr. *d. l. 1. V. R. c. 3.* & Gibal. *de Univers. rer. hum. negot. l. 3. cap 4. §. 6.* quos, si lubet, consule.

TITULUS XLII.

De Alienatione Judicii mutandi causâ factâ.

SUMMARIA.

1. Ex hac alienatione datur actio in factum.
2. Qualis sit hæc actio? 3. Unde descendat?
4. Cui 5. contra quem 6. & ad quid detur?
7. Quænam in hac actione probanda?
8. Finis 9. & effectus hujus actionis.

PEr restitutionem in integrum jure com- 1
muni succurritur etiam ei, in cujus damnum res, de qua lis timetur, causâ mutandi judicii alienatur: pollicetur enim Prætor *actionem in factum*, nisi res in pristinum statum restituatur per *l. 1. ff. h. t.*

§. I.

Definitur hæc actio in factum, quòd sit 2
personalis, prætoria, arbitraria, rei persecutoria, quâ is, qui rem futuri judicii mutandi causâ alienavit, convenitur in omne id, quod interest, rem alienatam in duriorem adversarium non esse. Colligitur ex *d. l. 1. l. 3. §. 4. & l. 4. §. 5. l. 8. ff. Eodem.*

§. II.

Causa efficiens hujus actionis est vel remota 3
vel proxima. Proxima est obligatio. Remota est vel principalis, vel instrumentalis. Prin-

cipalis est Prætor: ex hujus enim edicto hæc actio & restitutio descendit. *l.* 8. *§. ait. Prætor. ff. h. t.* Instrumentalis est delictum, nempe dolosa alienatio judicii mutandi causâ facta; quæ tunc contingit, cùm adversarius rem, super qua conveniri posset, ante acceptum judicium alienat in personam potentiorem, vel quæ sit alterius fori, ut actori duriorem litem constituat. *l.* 1. 2. 3. *&* 4. *ff. h. t.*

§. III.

4 *Subjectum* Actionis hujus est, vel activum, vel passivum. *Activum* est is, cui competit. Competit autem ei, in cujus fraudem res est alienata; & quia ex parte ejus hæc actio est rei persecutoria, etiam ejus hæredi datur. *l.* 4.

5 §. *fin. h. t. Subjectum passivum* est is, contra quem datur. Datur autem contra illum, qui timens futurum super re certa judicium, dolosè illam rem alienat in adversarium duriorem, potentiorem, vel alterius fori. Contra ejus hæredes verò non datur, quia descendit ex delicto alienantis. *l.* 4. § *fin.* junctâ *l.* 7. *ff. h. t.*

§. IV.

6 *Objectum* actionis hujus est id, quod actor eâdem persequitur. Persequitur autem, quod ipsius interest. rem non esse alienatam, & adversarium alium non habuisse, ut si quis fortè impensas fecerit, aut si quam aliam incommoditatem passus erit, alio adversario substituto. Textus *in l.* 3. §. 4. *ff. h. t.*

§. V.

7 *Forma* consistit in modo hanc actionem deducendi in judicium. Ut autem ritè deducatur, tria probanda sunt. I. Quòd alienatio facta sit futuri judicii mutandi causâ, id est, propter litem, quæ super re timebatur. *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* nam quæ litæ jam cœptâ, & intentatâ sit alienatio, ipso jure nulla est, utpote rei litigiosæ. *l.* 2. *C. de Litigiosis.* & consequenter hæc actio superflua. II. Quòd alienatio facta sit in fraudem, atque ita animo doloso. *l.* 1. *ff. h. t.* nam si quis alia de causa, puta ex necessitate solvendi creditores, ob adversam valetudinem, senectutem, aut alias occupationes necessarias rem alienaverit, cessat hæc actio. *l.* 4. §. 1. *&* 3. *&* *l.* 10. *ff. Eod.* Idem est, si res alienetur per actum ultimæ voluntatis. *l.* 8. §. 3. *ff. Eod.* quia talis alienatio præsumitur facta esse sine dolo, cùm nemo censeatur in ultimis esse immemor suæ animæ. III. Probari debet, quod ex facta alienatione conditio auctoris reddita sit deterior & durior. *l.* 4. *§.* 5. *ff. h. t.* unde si alienans rem alienat in hominem paris secum conditionis; aut si rem alienatam ante motam litem iterum recuperet; vel paratus sit pati judicium, non dabitur hæc actio. *l.* 3. §. *fin. l.* 4. §. 1. *&* *l.* 8. §. 4. *ff. h. t. & ibi* Zoësius *à n.* 3. Gonzalez ad *c.* 2. *h. t. n.* 15. *&* 26.

§. VI.

Finis hujus actionis exprimitur in sæpe d. *l.* 1. *ff. h. t.* in illis verbis: *Omnibus modis Proconsul id agit, ne cujus deterior causa fiat ex alieno facto, & cùm intelligerit judiciorum exitum interdum duriorem nobis constitui, opposito nobis alio adversario; in eam quoque rem prospexit, ut si quis alienando rem alium nobis adversarium in loco substituerit, idque datâ operâ in fraudem nostram fecerit, tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostrâ interfit, alium adversarium non habuisse.*

§. VII.

Effectus est ipsa restitutio, quâ actor consequitur, quatenùs ipsius interest, rem per fraudem alienatam non fuisse.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

SUMMARIA.

1. *Arbitri homonymia.* 2. *Et definitio.*
3. *Qualiter differat arbiter compromissarius ab arbitro juris, & ab arbitratore?*
4. *Usque* 9. *Quibus.* 9. *Usque* 15. *In quos* 15. *In quibus causis.* 16. *Quo modo?* 17. *Et cur compromittere liceat?*

18. Si

18. Si plures sint Arbitri & dissentiant, cujus sententia stetur? 19. Usque 22. Effectus suscepti compromissi, & sententiæ Arbitrorum.

22. Sententiæ Arbitri standum est. 23. Nec datur ab ea appellatio. 24. Aut reductio ad arbitrium boni viri.

25. Quibus modis cesset potestas arbitri?

CUm arbitria ad judiciorũ formam redacta sint. *l. 1. ff. de Receptis qui arbitr.* ideo titulo de *Judiciis*, hic *de Arbitr.* præmittitur.

§. I.

1 *Arbiter.* sumitur vel genericè, vel specificè. Genericè arbiter dicitur omnis ille qui ad aliquod negotium æstimandum, & terminandum constitutus est. Specificè autem & propriè accipitur pro arbitro compromissario; de quo potissimùm in præsenti agitur.

§. II.

2 *Definitur* arbiter compromissarius, quòd sit is, qui ex liberâ partium voluntate, ac compromisso eligitur ad litem servato juris ordine dirimendam. Colligitur ex *l. 13. §. 2. ff. de Receptis, qui arbitr.*

3 Dicitur I. *qui ex liberâ partiũ voluntate, &c.* ut excludatur arbiter, qui ex legis, aut statuti necessitate à Judice, vel à Partibus suscipitur, & hinc arbiter juris, vel arbiter necessarius salutatur; quales sunt illi, qui recusato Judice tanquam suspecto eliguntur, ut de causa suspicionis cognoscant. *c. 39. de Offic. deleg. c. 11. Eod. in 6.* Gail. 1. *Obs. 33. in fine.*

Dicitur II. *Ad litem servato Juris ordine dirimendam:* ita ut coram eo libellus offerri, lis contestari, & reliqua solennia observari debeant, quæ ad judicium requiruntur. *d. l. 1. ff. de Recept. qui arb.* Et per hæc distinguitur arbiter ab Arbitratore, qui à partibus assumitur, ut de plano, & sine longo sufflamine litis ex bono & æquo contractus, & controversias super iis amicè componat, & determinet. *l. 76. ff. Pro socio.* Gail. 1. *Obs.* 150. *n.* 4.

§. III.

4 *Causa efficiens* Arbitri ex una parte est compromissum, id est, promissio, quâ litigantes sibi invicem cavent, quòd sententiæ electi arbitri stare velint; ex altera consensus arbitri, cùm nemo invitus in se arbitrium recipere cogatur. *l. 3. §. 1. ff. de Recept. qui arbitr.*

Compromittere possunt omnes, qui possunt 5 contrahere, & quibus est libera rerum administratio, eásque alienandi facultas: compromissum namque est species conventionis, & ad alienationem tendit. Unde alii nequeunt compromittere in causa propria, alii in causa aliena.

In causa propria compromittere nequeunt, 6 I. Servus. *l. 32. §. si servus ff. de Recept. qui arbitr.* II. Pupillus sine tutoris authoritate. *l. 35. ff. Eod.* III. Minor, si habeat curatorem, sine ejusdem consensu, & Prætoris decreto; quòd si curatorem non habeat, compromittere quidem potest, sed læsus restituetur in integrum. *l. 34. §. 1. ff. de Minoribus.* IV. Furiosus & prodigus. *l. 27. §. coram. ff. de Recept. qui arbitr.*

In causa aliena compromitter nequeunt. 7 I. Fœmina; quamvis super re sua possit. *d. l. 32. §. 2. Eod.* II. Tutor, aut curator sine Judicis decreto, aut prætermissis solemnitatibus illis, quæ in alienatione rerum minorum. aut pupillorum desiderantur. III. Prælati, aut alii Beneficiarii in præjudicium Ecclesiæ, cùm tantùm administratores sint, non Domini rerum Eaclesiæ. *c. 3. h. t.* IV. Procurator, nisi sit procurator in rem suam, vel habeat speciale mandatum; aut mandatum generale cum libera. *c. 9.* junctâ Glossâ *h. t.* & *l. 58. ff. de Procur.*

Dubium est: an vasallus absque consensu 8 Domini super re feudali possit compromittere? Et verius est, non posse; tum quia in controversia super re feudali tantùm Dominus est judex competens. *c. 6. & 7. de Foro compet.* tum etiam quia vasallus non potest rem feudalem alienare invito Domino.

c. imperialem. de Prohibita feudi alienatione per Frid. l. 2. f. tit. 55.

9 *Arbitrium recipere* possunt omnes, qui de jure non prohibentur *arg. l. cùm Prator. ff. de Judiciis.* Neque refert, sitne Pater, an filius-fam. *l. 5. & 6. ff. de Recept. qui arbitr.* laicus, an Clericus. *l. 32. §. 4. ff. Eod.* integræ famæ, vel infamis. *l. 7. pr. ff. Eod.* Expressè verò prohibentur alii *Jure Civili*, alii *Jure Canonico.*

10 *Jure Civili* arbitri officiô fungi prohibetur. I. Servus. *d. l. 7.* II. Minor 20. annis. *l. 41. ff. Eod.* III. Surdus, mutus, furiosus, & mente captus. *l. 9. §. 1. ff. Eod.* IV. Mulier. *l. fin. C. de Receptis arbitris*, nisi de jure, vel consuetudine jurisdictionem habeat, puta nisi sit Regina, Ducissa, Marchionissa, Abbatissa, &c. *c. 4. h. t.* V. Judex ordinarius illius causæ, in qua Judex est. *l. 9. §. 2. ff. de Recept. qui arbitr.* Etsi de Jure Canonico recipiatur, juxta *c. 5. c. 7.* & ibi Laym. *h. t.* VI. Nemo in propria causa potest esse arbiter, sicut nec judex. *l. 51. ff. de Recept. qui arbitr.* Diversum est de arbitratore, cùm is non procedat judicialiter, sed ex æquo & bono.

11 *Jure Canonico* arbitri officiô fungi prohibetur. I. Laicus in causa spirituali. *c. 8. h. t.* authoritate tamen Delegati Pontificii compromissum factum in laicum & clericum valet. *c. 9. Eod.* II. Notorie excommunicatus. *c. significâsti. cum vulgatis de Sentent. excom.* quia huic est interdicta communicatio etiam in humanis, nisi in necessariis. Panorm. *in c. Quintavallis. n. 29. de Jurejur.* III. Religiosus, cùm arbitrium formam judicii postulet, quam exercere non convenit Religiosis: non enim Monachus judicii forensis debet esse susceptor. *c. 20. & 35. causâ 16. q. 1.* Si tamen Monasterii utilitas expostcat, & legitimi Superioris accedat licentia, Religiosus hujusmodi munere fungi poterit.

12 Planè compromitti potest in unum, vel plures, sive pares sive impares numerô, convenientiùs tamen in numero impares compromittitur, ne contingat arbitrium per paritatem impediri. *c. 1. h. t. l. 17. §. 6. ff. de Recept. qui arbitr.* Sed

Quares I. cujus sententia prævaleat, si plures arbitri electi inter se dissentiant? R. Illam valere, in quam major pars convenerit. *d. c. 1. h. tit. & l. 27. §. 3. ff. de Recept. qui arbitr.* Quòd si verò tres v. g. fuerint electi, & circa summam aliquam pecuniariam determinandam quilibet diversam ferat sententiam, & unus 15. alter 10. tertius 5. pronuntiet, tunc juxta *d. l. 27. & c. 1. h. t. in 6.* dicitur prævalere illius sententia, qui minimam quantitatē pronuntiavit: ex ea ratione, quòd minor summa contineatur in majori, sicque reliqui majorem summam determinantes censeantur implicitè etiam in minorem consensisse. Atque ita indistinctè tenet Vallensis *h. t. §. 4. n. 1.* & alii. Verùm hoc quidem ob allegatos textus sustineri potest, si minor summa adhuc sit intra terminos justi pretii, & æquitatis; vel is, qui majorem summam pronuntiat, possit rationabiliter præsumi, non esse invitus contra sum̃am minorem: absolutè autem & indiscriminatim videtur salvâ æquitate defendi haud posse, multò minùs practicari. Quid si enim ex 5. arbitris à se invicem dissidentibus unus pronuntiaret, deberi 5. reliqui verò omnes ultra 100. anne prævalebit sententia prioris? Certè hoc ab æquitate absonum foret, neque reliqui ulla ratione præsumi possent, in tam parvam summam consentire. Igitur qui vult majorem summam, vult quidem etiam minorem, prout hæc in illa includitur, non verò vult minorem tantùm, & prout spectatur separatim à summa majori: sicut qui vult vendere domum pro 1000. non vult vendere pro 100. tantùm, & quatenùs sunt summa separata. Proinde in præsenti potiùs æquitas, & mens legis attendi debet, quàm verba.

Quares II. num omnes arbitri præsentes

esse debeant, ut plurimum sententia subsistat? Aliud Jure Civili, aliud Canonico constitutum reperitur. Hoc satis est, omnibus legitimè vocatis adesse majorem partem, v.g. duos è tribus. *c.2. h.t. in 6.* Illo autem omniũ præsentia requiritur. *l.17. §.ult. & l.18 ff. de recept. qui arbitr.* Debet verò quodlibet in suo foro observari, exceptis causis Ecclesiasticis, & Clericorum, circa quas in utroque foro prævalet Jus Canonicum. *c.9. de foro compet.*

§. IV.

15 *Materia, seu objectum* arbitri sunt causæ controversæ, ejusdem arbitrio per compromissum submissæ. De his regula esto, super quibusvis causis compromissum valere. Excipitur I. causa criminalis. *c. penult. de in integrum restit.* quia crimina non privato arbitrio remittenda, sed publicâ authoritate condignè vindicanda sunt. II. Causa matrimonialis. *d. c. penult.* quia conjuges facilè compromitterent, ut à vinculo matrimonii per arbitros solverentur, contra illud: *quod DEus conjunxit, homo non separet.* III. Causa libertatis. *d.c. penult.* quia requirit majorem judicem. *l. fin. C. ubi causa status.* IV. Causa beneficialis, ne sine canonica institutione aperiatur via ad beneficia Ecclesiastica contra *c.1. de R. J. in 6.* V. Causa exemptionis. *c.5. h.t.* ne jus eximentis per arbitrorum sententiam lædatur ex facto exempti contra *c. nimis. de Jur. Patron.* VI. Res judicata *c.11. h.t.* interest enim Reipub. lites semel Judicis sententiâ decisas, ac sopitas non resuscitari. VII. Causa restitutionis in integrum. *l. fin. C. ubi & apud quem.* Quia restitutio in integrum continet in se publicam utilitatem, teste Barth. *in l.1. ff. de in integr. rest.* arbitri autem sunt tantùm judices privati. In summa compromitti non potest in quibusvis causis arduis, & magni præjudicii. Panorm. & Laym. *in d.c. penult. de in integrum restit.*

§. V.

16 *Forma*, seu modus, quo in arbitros compromittitur, est vatius: etenim vel simpliciter stipulatione aut nudô pactô: vel sub stipulatione certæ pœnæ, aut additô juramentô, vel definitè cum adjectione certæ diei, ad quam causa definiri debeat: vel indefinitè in unum, vel plures compromitti potest. *l.11. §.3. l.27. §. fin. & passim ff. de Recept. qui arb. &c.*

§. VI.

17 *Finis*, ob quem communi consensu arbitri assumuntur, est, ut per eos controversiæ sine publico judiciorum strepitu sedentur, atque hoc modo impediatur litis ingressus, evitenturque judiciorum moræ, & sumptus, aliique incommoda *arg. l.1. & l.37. ff. Eod.*

§. VII.

18 *Effectus* plures occurrunt. Alii ex parte arbitri, alii ex parte compromittentium.

19 *Effectus* ex parte arbitri sunt. I. Quòd susceptum semel officium rectè ab ordinario Judice compellatur implere, licèt ab initio ad id suscipiendum cogi nequeat. *l.3. §.1. ff. de recept. qui arbitr. & ibi* Zoësius *n.20.* II. Quòd debeat procedere secundùm tenorem compromissi, ejúsque fines non possit excedere. *l.32. §.15. l.46. l.50. ff. Eod.* Hinc cùm arbitri tantùm sit de expressis in compromisso judicare, mutuas petitiones & reconventiones, quas quilibet Judex ordinarius admittit, ipse admittere nequit. *c.6.* & ibi DD. *h.t.* III. Quòd arbiter debeat juris servato ordine 20 litem disceptare, eámque suâ pronuntiatione omninò terminare per *l. penult. C. de receptis arbitris.* Honorius *h.t. n.1.* IV. Quòd sen- 21 tentia per arbitrum lata (quæ *laudum, placitum*, aut *arbitrium* nuncupari solet) ab eodem corrigi nequeat. *l.20. ff. de recept. qui arbitr.* nam ubi primum fuit pronuntiatum, suô officiô functus est, & ita nihil mutare valet. *l.19. §.2. ff. Eod.*

22 *Effectus* ex parte compromittentium est. I. Quòd arbitri sententiæ stare debeant, sive æqua sit, sive iniqua. *l.27. §.2. ff. eod. c.9. h.t.*

Quòd

Quòd si detrectent, conveniri possunt: & quidem, si stipulatione compromissum factum fuerit & adjectâ pœnâ certâ, condictio certi, scilicet ad præstandam pœnam. *l. 2. ff. de Recept. qui arbitr.* si citra pœnam, actio ex stipulatu ad id, quod interest, contra eum, qui non paret sententiæ, datur. *d. c. 9. d. l. 27. §. fin.* Sin autem compromissum factum sit pacto nudo, & partes sententiæ arbitri vel subscripserint, vel intra 10. dies non contradixerint, atque ita eam tacitè, aut expressè homologaverint, hoc est, approbaverint, fugienti exceptio pacti, agenti verò actio in factum conceditur. *l. 5. C. de Recept. arbitris.*

23 II. Quòd à sententia arbitri appellari nequeat. *l. 1. C. Eod.* & hoc ideo: quia appellatio suspendit jurisdictionem, quæ nulla est in arbitro: & partes sibi imputare debent, quòd in arbitrum consenserint, ejúsque sententiam approbaverint. Id tamen intelligendum est de arbitro compromissario: ab arbitro enim juris appellari posse, constat *ex c. 11. de Offic. Deleg. in 6. l. fin. C. de Judiciis. l. 9. ff. qui satisd. cog.* Mynsing. *Cent. 4. Obs. 68.* Ratio diversitatis est: quia arbiter juris ex necessitate assumitur, & est adinstar Judicis ordinarii, habétque à lege jurisdictionem *arg. c. 39. de Offic. Deleg. & ibi Panorm. n. 8.*

24 Illud hic *disquiri* potest: an non saltem ob gravem læsionem à parte probatam ab arbitri sententia detur reductio ad arbitrium boni viri, nimirùm Judicis, qui remoto compromisso fuisset ordinarius; ita ut is de novo causam expendere, & arbitrium corrigere valeat? quod nego: tum quòd laudo, seu sententiæ arbitri præcisè standum sit, sive æqua sit, sive iniqua, ut dictum: tum quòd non modo per compromissum fieri videatur quædam transactio, quæ rescindi nequit, sed etiam, quòd reductio ad arbitrium boni viri pertineat ad sententiam arbitratoris, *quæ arbitramentum* appellatur. *l. 76. & seq. ff. pro socio.* P. Engl. *h. t. n. 7.* Si tamen iniquitas omninò manifesta ac notoria sit, & constet, arbitrum per sordes, dolum, vel inimicitiam, sententiam dixisse, contra executionem à condemnato exceptio doli agenti opponi poterit. *l. 32. §. 14. ff. & l. 3. C. de Receptis arbitris.* Et hic dolus præsumitur ex enormi læsione, *arg. l. 36. ff. de V. O.* Ratio discriminis, quare prædicta reductio contra arbitratorem absolutè detur, etiamsi iniquitas non sit manifesta, forsan est, quia arbitrator, cùm non servet juris ordinem, facilius iniquam sententiam ferre potest, quæ correctione indigeat, & propterea partes sibi reservare præsumuntur arbitrium boni viri. Accedit quòd jura magis faveant arbitramento, eò quòd amicabiliter, & absque speciali rigore judiciali fieri soleat.

§. VIII.

Contraria sunt modi, quibus cessat officium arbitri. Cessat autem I. morte arbitrorum, etiam unius, si plures fuerunt electi, & res adhuc sit integra *arg. l. 35 ff. de Receptis, qui arbitrium & c. 42. de Offic. Deleg.* II. Morte alterutrius compromittentium: censetur enim compromissum pactum merè personale, nisi in compromisso utrinque hæredum sit facta mentio. *c. 10. & c. fin. h. t.* III. elapso tempore, ad quod arbiter constitutus est. *l. 1. C. de Receptis arbitris.* IV. finitâ causâ & latâ sententiâ *c. 11. h. t. l. 19. & seq. ff. de Recept. qui arbit.*

DEO Supremo Judici, Deiparæque Advocatæ nostræ Honor & Gloria.

FINIS.

LIBER II.
DECRETALIUM.
Gregorii IX. Pontificis M.
TITULUS I.
De Judiciis.

SUMMARIA.

1. *Judicii homonymia.* 2. *Definitio.* 3. *usque* 16. *multiplex divisio.* 16. *Et origo.*
17. *Licèt Princeps non adstringatur ad ordinem judiciarium.* 18. 19. *Singulariter tamen nequit condemnare non citatum.* 20. 21. *Vel non convictum.*
22. *Judex.* 23. *Actor.* 24. *Reus quis?*
25. *Usque* 43. *Qui possunt agere, qui conveniri?*
43. *Causa quælibet coram suo Judice tractandæ est.*
44. *Decausis spiritualibus judicat solus Judex Ecclesiasticus.* 45. *Nisi de mero facto, vel possessione juris spiritualis quæratur.*
46. *Similiter Judex Ecclesiasticus cognoscit de causis Clericorum.* 47. 48. *Neque ejus negligentiam Laicus supplere potest.*
49. *Causæ temporales Laicorum pertinent ordinariè ad Judicem Laicum.* 50. *usque* 56. *Extraordinarii etiam ad Judicem Ecclesiasticum.*
56. 57. 58. *Quæ sint causæ mixti fori.* 59. *Et num talis sit causa dotis?*
60. *Lite ortâ inter convasallos judex est Dominus.*
61. *Licèt agatur de sola possessione feudi.* 62. *Et vasallus sit Clericus.*
63. *Usque* 67. *In lite inter Dominum & vasallum judicant Pares Curiæ.*
67. *Quibus casibus causæ feudales ventilentur coram Judice ordinario?*
68. *Causæ connexa non sunt dividendæ.* 69. 70. 71. *Quæ connexio venit vel à personis.* 72. 73. 74. *Vel à conditione actionis.*
75. *Recensentur solennitates processûs judiciarii.*
76. *Judicia inter Christianos sunt licita.*
77. *Judicium finit lites.* 78. *Et semel cæptum non licet deserere.*
79. *Quando probent acta unius judicii in alio?*
80. *Judicium perit mutuâ voluntate partium.* 81. *Absolutione ab observatione judicii.* 82. *Et lapsu temporis.* 83. *Etiam Jure Canonico.* 84. *Non verò de consuetudine.*

DIusquam Judicii telam, & Processum, quem II. hic Liber complectitur, aggrediamur, ut ordinatè procedamus, ab ipso Judicio in genere auspicemur, oportet.

§. I.

Judicii vocabulum in jure non unius significationis est: aliquando enim accipitur pro discretione mentis, sive animi. *l.* 12. § 2. *ff. h. t.* §. *præterea Instit. Quibus non est permissum fac. testament.* nonnunquam pro ultima voluntate *c. licèt in fine de Sepult. in* 6. *l. fin.* §. 1. *ff. de Inoffic. testam. l.* 2. *C. de Sacrosanct. Eccles.* alibi pro examinatione. *c. si officia in fine. dist.* 59. quandoque pro foro judiciali. *c* 3. *h. t. & rubr. tit. ff. Si quis caution. in judicio sist.* alicubi pro juris ordine *c. sicut causa* 2. *q.* 1. sæpe pro jurisdictione, seu auctoritate judicandi. *c.* 2. *h. t. l.* 2. §. *fin. ff. Eod.* sæpiùs pro actione

c. 3. de Probat. l. 13. ff. h. t. non rarò pro sententia Judicis, *c. 4. de Appellation.* Denique hoc loco potissimùm sumitur pro judiciali discussione totius causæ; in quo sensu

§. II.

2 *Definitur* Judicium, quòd sit legitima controversiæ inter actorem & reum apud Judicem dispensatio, & dijudicatio. Colligitur ex *c. forus. 10. in fine de Verb. Signific.*

§. III.

3 *Dividitur* multifariam, partim *à causa efficiente*, seu *Judice*: partim *ab objecto*, seu *materia*: partim *à forma*, seu *modo procedendi*: partim *à fine.*

A causa efficiente, seu Judice dividitur judicium. I. in ordinarium, & extraordinarium, seu delegatum. Ordinarium est, quod peragitur coram Judice ordinario habente jurisdictionem ordinariam in reum conventum. Extraordinarium, quod perficitur coram Judice delegato, *c. quoniam* 11. juncta Glossâ *V. extraordinario*, id est, *delegato de Probation.*

4 II. Dividitur in judicium Ecclesiasticum, & sæculare. Illud est, quod coram Judice Ecclesiastico agitur, si videlicet lis sit vel de rebus spiritualibus inter litigantes sæculares, vel de rebus temporalibus, si aut duo Clerici se mutuò conveniant, aut Laicus actor reum Clericum. Sæculare dicitur, quod instituitur coram Judice Laico, non tantùm inter Laicos, sed & inter Clericum actorem ex una, & Laicum reum ex altera parte: cùm tali casu Clericus actor sequi debeat forum rei Laici per *c. 8. de Foro competent.* Idque tametsi de re non merè temporali, seu sæculari sit disceptatio. Quod addo: quia sicut judicium Ecclesiasticum necessariò non præsupponit causam spiritualem, aut Ecclesiasticam, ita vicissim judicium sæculare constituitur, licèt de re non merè sæculari, seu civili, sed utriusque, seu mixti fori, puta de usura, blasphemia, & id generis aliis controversia sitò, e ipsò quòd hæc divisio judicii non ex re, seu materia, circa quam versatur, sed ex persona Judicum desumpta sit.

Ab Objecto seu Materia dividitur judicium I. in spirituale & temporale. Spirituale est, in quo causa spiritualis, aut spiritualibus annexa tractatur, uti sunt causæ Matrimonii, tituli beneficialis, juris patronatûs, decimarum, hæreseos, simoniæ, jurisjurandi, & similes. Temporale est, in quo de re mere temporali & profana contenditur, nimirum de aliquo fundo, domo, equo, pecunia &c. P. Pirrhing *h. t. n. 5.*

II. Dividitur in universale, generale, & speciale. Universale est, in quo petitur universitas quædam plura jura activa, & passiva, debita & credita sub se continens, ut est hæreditas, vel bonorum possessio. Generale, in quo agitur de uno quidem jure, sed quod plures species comprehendit, ut fit in judicio tutelæ, negotiorum gestorum, pro socio &c. Speciale est, in quo lis movetur, vel de re singulari, & certa, v. g. de equo, vel de certa specie continente plura individua, v. g. de grege ovium. Differunt autem judicium generale, & speciale ab universali: Illud, quòd in judicio universali, licèt sit actum ad certum speciem, nihilominùs veniat omne id, quod tempore sententiæ quis invenitur possidere; in generali verò, si actum sit ad unam speciem tantùm, non veniat, quod aliâ specie continetur. Specul. *tit. de Actionibus. §. sequitur num. 45.* Istud, quòd bonæ fidei possessor conventus in judicio singulari tantùm tenetur ad restitutionem fructuum existentium, & necdum consumptorum. *§. 35. Institut. de Rerum divis. §. 2. Institut. de Officio Judicis. l. 22. C. de Rei vindicat. l. 4. §. 2. ff. Finium regundor.* Secùs in judicio & actione universali, ubi & de consumptis tenetur, quia in judiciis universalibus pretium [illegible]

cedit in locum rei *l.* 25. §. 11. *l.* 40. §. 1. *ff. de Heredit. petit. l.* 1. *C. Eod.* Clariſſ DD. Gletle 2. *p. ff. q.* 9. *ſub n.* 21. Qua de re tamen alibi videbimus.

7 III. Dividitur in Judicium perſonale & reale. Perſonale dicitur, in quo inſtituitur actio in perſonam, nempe ex contractu, quaſi contractu, delicto quaſi delicto, pacto legitimo, pacto contractui in continenti adjecto: ut ſi intentetur actio empti, depoſiti, commodati, vel alia hujusmodi. Reale eſt, in quo agitur actione in rem, puta ex dominio, ſervitute, hypotheca, poſſeſſione. Eckolt *ad ff. h. t.* § 3. & alii tertiam ſpeciem adſtruunt, ſcil. judicium mixtum; num rectè? independer, an actio familiæ erciſcundæ, communi dividundo; finium regundorum & petitio hæreditatis actiones mixtæ ſint? quam diſputationem libenter Civiliſtis relinquo: quia in praxi nihil intereſt, utrum judicium harum actionum ſimplex, vel mixtum in theoria nuncupetur.

8 IV. Judicium reale ſubdividitur in petitorium, & poſſeſſorium. Petitorium eſt, in quo directè de dominio & proprietate rei, vel de alio jure rei alicujus extra poſſeſſionem quæritur, ut ſi res vindicetur, hæreditas petatur &c. Poſſeſſorium eſt, in quo de ſola poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione ſive adipiſcenda, ſive retinenda, ſive recuperanda diſceptatur: veluti ſi actor ſolum petat, vel ut adipiſcatur poſſeſſionem, quam antea nunquam habuit; vel ut retineat poſſeſſionem rei quietam, nec in ea turbetur; vel ut recuperet poſſeſſionem amiſſam. Vallenſ. *h. t. n.* 8. Expedit autem potiùs poſſeſſorio, quàm petitorio judicio experiri per *l. is, qui* 24. *ff. de Rei vindicat.* ubi JCtus monet, *eum qui deſtinavit rem petere, advertere debere, an aliquo interdicto*, id eſt, remedio, ſeu judicio poſſeſſorio, *poſſit nancisci poſſeſſionem: quia longè commodius eſt, ipſum poſſidere, & adverſarium ad onera petitoris compellere, quàm alio poſſidente petere.* Sine dubio ideò: quòd dominium ſeu proprietas difficillimè probetur, cùm in probatione dominii titulus v. g. empti, privilegii, donationis, præſcriptionis, aut alius adduci debeat, qui mille modis impugnari poſſunt.

V. Dividitur in judicium bonæ fidei, & ſtricti juris. Judicium bonæ fidei eſt, ubi libera poteſtas Judici à lege indulgetur ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reſtitui debeat. *arg.* §. 30 *Inſtit. de Action. l.* 7. *ff. de Negot. geſt.* adeóque adjudicare quid poteſt, de quo inter partes haud conventum, & quod in libello non petitum. Stricti juris judicium eſt, ubi reſtricta eſt Judicis pronuntiationis facultas ad conventionem & negotium partium, ita ut ultra id, quod vel nominatim inter eas actum, vel ſpecialiter legibûs de negotio cautum eſt, ſententiâ ſuâ progredi non poſſit. *l.* 3. *ff. de Reb. credit. l.* 99. *ff. de Verb. obligat.* Quænam autem judicia bonæ fidei, vel ſtricti juris ſint, colligitur ex §. 28 *Inſtit. de Actionib.* in quo omnes actiones bonæ fidei enumerantur, & quæ ibi poſitæ non ſunt, ſtricti juris cenſentur. 9

VI. Denique ratione materiæ aliud eſt judicium commune, ſeu duplex; in quo uterque ligantium eſt actor & reus, ut in judicio familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum. *l.* 10. *ff. Fin. regund. l.* 2. §. 1 *ff. Com. divid.* Aliud ſimplex, in quo unus ſubit vicem actoris, alter vicem rei, ut in actione mutui, in actione ex empto, vel in rei vindicatione, vel in alia. Nicol. Calvol. *in Communib. Concluſ. in prælud. n.* 30. Emeric. Rosbach. *in Praxi civili. tit.* 1. *n.* 30. 10

A *forma*, ſeu *modo procedendi* dividitur judicium in ordinarium, & extraordina- 11

rium sive summarium. Ordinarium (quod à quibusdam etiam solenne, aut plenarium vocitatur) est, in quo solenniter, & servato solenni juris ordine, ac formâ proceditur: scilicet cùm non tantùm intervenit solennis oblatio libelli, solennis litis contestatio, cum conclusione in causa & similibus, sed etiam alia omnia vel à jure, vel à stylo Curiæ, aut consuetudine præscripta, atque introducta observantur in forma & terminis consuetis; quem processum Practici *viam judicii regiam* nuncupant. Judicium summarium, seu extraordinarium est, in quo prætermissâ subtili solennis ordinis judiciarii observatione, simpliciter & de plano absque strepitu & figura judicii, solâ rei veritate inspectâ proceditur, unde in tali summario judicio omittuntur omnes solennitates juris positivi, & illæ duntaxat observantur, quæ de jure naturæ requiruntur ad valorem processûs, ut sunt citatio, aliqualis petitio locò libelli probatio, defensio &c. per *clem. sæpe 2. de Verb. signific.*

12 Porro licèt de jure certæ causæ sint expressæ, in quibus judicio summario locus est: ut sunt causæ electionum, postulationum, beneficiorum, decimarum, usurarum, & matrimoniorum juxta *clem. dispendiosam 2. h. t. c. quoniam. 5. Ut lite non contestatâ.* causæ Rusticorum juxta *Novel. 80. c. 1.* causæ mercedum, & honorariorum, juxta *l. 1. ff. de Extraordin. cognit.* causæ alimentorum, juxta *l. 2. ff. de Feriis.* missio in possessionem bonorum, quæ decernitur ventris nomine. *l. 1. §. 14. ff. de Ventre in possession. mittendo.* missio in possessionem ex primo decreto, juxta *l. 2. C. Ubi in rem actio.* Si ad exhibendum agatur juxta *l. 3. §. 9. ff. Ad exhibendum.* Item causa hæresis juxta *c. fin. de Hæretic. in 6.* & læsæ Majestatis juxta *extravag. Henrici VII. quomodo in læsa Majestat. &c.* Nil tamen obstat, aut impedit, quin in aliis quoque tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus causis, atque negotiis summariè procedi possit, si vel ita à Principe aut Papa committantur: vel sint modici præjudicii, aut celerem expeditionem desiderent, uti desiderant causæ miserabilium personarum, pupillorum, viduarum, studiosorum, naufragorum, mercatorum, tributorum, vel collectarum &c. Imò passim jam obtinuit in foro, ut etiam sine commissione Principis in quibusvis causis summariè liceat procedere, adeò ut arbitrio partium sit, utrùm summario, an ordinario judicio contendere, & supposito, quòd elegerint summario contendere, & defacto contenderint, adhuc sine appellatione valeant finito summario judicium ordinarium coram eodem judice instituere. Confer. Matth. Kautt *in Processs. judiciar. c. 1. th. 3.*

A *fine* dividitur judicium in civile, & criminale. Civile dicimus, quando principaliter agitur ad commodum privatum, sive jam actio descendat ex delicto, vel crimine aliquo, sive ex contractu. arg *l. 4. ff. de Publicis judic. l. un. C. Quando civilis actio.* junctâ *l. fin. ff. de Feriis* Criminale tunc est, quando de crimine vel delicto aliquo agitur principaliter ad commodum publicum seu vindictam publicam, vel, ut alii loquuntur, ad pœnam fisco applicandam. arg. §. 10. *Instit. de Injur. l. servos C. Ad leg. Jul. de Vi. l. ubi C. de falsis.* Idque patet in exemplo furti: siquidem ex furto alii quis contra furem agere potest, vel ut illud, quod furto abstulit, sibi restituat etiam in duplum, aut quadruplum per §. *Instit. de Oblig. quæ ex del.* vel ut pœnam Reip. debitam, nimirum suspendii persolvat: priori casu actio, adeóque judicium civile, posteriori criminale erit. *l. fin. ff. de Pri-*

15 *Privatis delictis. d. l. fin. ff. de Furtis.* Unde, ut obiter insinuem, licèt Felin. & Panorm. *in c. 32. de Simon.* per illum text. existiment, non esse judicium criminale, quando in foro Ecclesiastico agitur ad degradationem, vel privationem beneficii, officii, privilegii fori, vel Canonis, tanquam ad pœnam; affirmativa tamen ex eo magis arridet, quòd ejusmodi pœnæ infligantur in terrorem aliorum, & sic ratione exempli Reip. Ecclesiasticæ utilitatem concernant. arg. *c. 4. & 10. h. t.*

Cæterùm de judicio & processu criminali ex instituto tractatur *in Libro V. Decretalium*; in præsenti verò præcipuè tantùm de iis, quæ ad processum civilem spectant, quamvis pleraque hìc dicenda proportionaliter etiam criminali applicentur.

§. IV.

Causa efficiens Judicii est vel remota, vel proxima.

16 *Remota* est Jus, tum naturale, tum positivum: quædam enim judicii partes ex naturali ratione, quædam ex jure Canonico, aut Civili prodierunt. Quæ ex jure naturæ ducuntur, sunt citatio, aliqualis actoris petitio, probatio, exceptio, seu defensio, & sententia, ejúsque executio. Postulatio autem actoris in libello, solennis litis contestatio, juramentum calumniæ, dilationes, vadimonium, sequestratio, relatio, & alia multa his similia jure humano & positivo introducta sunt. *clem. sape. de Verb. signif.* Hinc

17 *Infero* I. Principem, quia legibus solutus est. *l. 31. ff. de Legib.* & ordinem judiciorum magna ex parte constituit. arg. *l. 1. l. ult. C. de Constitut. Princip.* ad ordinem istum adstrictum non esse; modò illa observet, quæ juris potiùs sunt naturalis, quàm positivi. Gail. 1. *observat. 75. in fine.* Hodie tamen Imperator per modum contractûs in ordinationem Cameræ consensit, ideóque ad ejus observantiam etiam de jure communi obligatur per text. *in l digna vox C. de Legib. & ibi* DD. Gail. *d. l. 1. observ. 41. n. 4.*

Infero II. non licere Principi, & minùs 18
inferiori Judici ferre sententiam contra non citatum, nec auditum. *clem. pastoralis. §. cæterùm de Sentent. & re jud.* ubi ratio insinuatur, quòd delato de gravi crimine non possit adimi facultas defensionis, quæ juris est naturalis, in quo nec Imperator potest aliquid immutare. At condemnare reum priùs non citatum, & non auditum est ipsi eripere arma defensionis, quibûs jure defendere se potest, vel negando crimen, si occultum, aut non semiplenè probatum fuerit, vel excusando delictum eo modo quo poterit. Excipitur ca- 19
sus, quo periculum rebellionis, aliúsve gravis perturbationis imminet, si procedatur juridicè: tunc enim Princeps potest sententiam ferre contra non citatum, dum modo causa privatim discutiatur, nisi fuerit omninò evidens: nam crimine plenè, aut evidenter probato, reo jus defensionis in judicio non supereſt. Sylvester *in V. homicidium. 1. q. 2.* Inde excusari potest multorum Principum praxis, qui Magnates Regni, & Belliduces indictâ causâ nec citatos, nec defensos jubent trucidari, si non expediat, longum processum judiciarium contra illos instituere.

Infero III. Nec supremum Principem 20
posse condemnare reum ex sola scientia privata, absque alia probatione, ut expressim cavetur *in c. 1. 2. 4. & 20. causâ 2. q. 1. in c. 10. & 11. causâ 30. q. 5.* idque ideò, quia Princeps non potest tollere solennitates judicii, quæ jure naturæ desiderantur, ut probatio. Sed hoc regulariter verum 21
est: quoniam si delictum sit notorium, &

nullâ tergiversatione celari possit, reus sine ulla probatione, & processu condemnari potest, quemadmodum frequenter puniuntur latrones, & alii in crimine deprehensi, eò quòd factum notorium & publicum habeat vicem accusatoris & testium, neque reo justam aliquam defensionem relinquat, cùm notoreitas delicti faciat publicam scientiam, & instruat potestatem publicam ad publicum justitiæ actum exercendum, *c.* 15. 16. *&* 17. *causâ* 2. *q.* 1. *c.* 21. *de Jurejurando c.* 9. *de Accusat. c.* 11. *de Simonia.* Distinctè Fagnan. *in c. vestra sub num.* 101. *de Cohabit. Cleric. & mulierum.* Similiter quando non agitur de puniendo delicto, sed de amoliendo imposterum malo impendente innocenti, seu Reipublicæ, si alia via non sit malum avertendi, integrum est Principi id privatim scienti jubere occidi hujusmodi mali auctorem: quia in eo casu procedit, non ut Judex ex auctoritate publica, sed tanquam quicunque privatus defendens rem sibi commissam. Less. *de J. & J. lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 11. *n.* 98. *& seqq.*

Causa efficiens proxima judicii sunt personæ illud constituentes. Constituunt autem principaliter Judex, Actor, & Reus. *c.* 10. *de Verb. signific.*

22 *Judex* salutatur, qui judicio præest, & causam cognoscit, ac jure definit. *d. c.* 10. Estque vel sæcularis, vel Ecclesiasticus, vel feudalis, vel criminalis vel ordinarius, vel delegatus vel commissarius, vel compromissarius; de quorum potestate & officio, vide quæ suprà *in lib. præced.* dicta sunt.

23 *Actor* indigidatur, qui actionem proponit, & alteri litem in judicio movet. Quòdsi incertum sit, uter ex litigantibus litem intendat, ut fit in judiciis duplicibus, jure constitutum est, ut is intelligatur esse actor, qui priùs ad judicium provocavit, aut si de hoc non appareat, & uterque litigans simul provocaret, is quem sors designavit. *l.* 13. *&* 14. *ff. h. t. l.* 2. §. 1. *Communi div. l.* 51. *ff. de Oblig. & action.* Id verò tantùm accipiendum est quoad litis ordinationem, non etiam quoad litis definitionem, ita ut non probante eo, qui provocavit; aut fortè superior fuit, reum absolvi oporteat, ut probat P. Engel *infra de Causa possess. & proprietat. subn* 8. cui se opponit Vim. *ad* §. *penult. in fin. de Interdictis.*

Reus, ita appellatus à re, vel causa & controversia, quæ ipsi movetur, est, qui convenitur, & ab actore ad judicium provocatur. *d. c.* 10. *& ibi* Gloss. *V. reus de V. S.* Ex quo actorem inter & reum non una differentia deducitur: nam imprimis actor ab initio semper est volens, cùm nemo invitus agere cogatur. *l. un. C. Ut nemo invitus.* Econtra judicium redditur in reum invitum. *l.* 83. §. 1. *ff. de Verb. Obligat.* Sed ejus locò hoc beneficium vicissim habet reus, ut actor forum ipsius sequi teneatur: *c. cùm sit generale. de foro compet.* Deinde licèt Actoris partes in exordio litis sint favorabiliores, ut etiam in dubio ad agendum admittatur, & processus petiti ipsi decernantur; in medio autem pariter utrique & actori, & reo faveatur, ut nimirum veritas controversiæ indagetur; in fine tamen magis favetur reo, quàm actori, ut absolvatur. *l.* 125. *ff. de R. J.* Gail. 1. *Observ.* 31. *n.* 11. Quod obtinet, etiamsi reus in excipiendo sit actor. *l.* 1. *ff. de Except.* & in probanda exceptione Actoris partes sustineat. *l.* 19. *ff. de Probat.* quia revera actor non est, sed impropriè.

Sanè tam actor, quàm Reus debet ha- 25
bere legitimam personam standi in judicio: alioquin judicium cum iis agitatum nullum est *t. t. C. Qui legitim. person. stan-*

di

di in judic. hab. vel non. Regula autem est, omnes habere legitimam personam standi in judicio, qui nullo jure prohibentur: ipsa quippe æquitas dictat, quemvis jus suum privatum, vel publicum Reipub. tueri posse, aut sub persona actoris petendo, quod vel suum, vel Reipublicæ est: aut sub persona rei repellendo injurias sibi intentatas, vel illatas. In prohibitorum numero sunt.

26 I. Servus; qui nec agere, nec conveniri potest in judicio, nisi causa aut statum, aut utilitatem publicam concernat. *l. 6. & 7. C. h. t. l. 53. ff. Eod. l. penult. §. 1. l. ult. §. 1. Cod. ad leg. Jul. Majest.* Aliud dicendum de hominibus propriis, vulgò Leibeigne; hi enim, cùm nuspiam reperiantur prohibiti, rectè in judicio consistunt: quia quamvis in nonnullis servis videantur similes, servi tàm non sunt, neque adeò horum jure utuntur, sed potiùs jure hominum liberorum, participantes de natura adscriptitiorum, colonorum, capite censorum, statu liberorum, ac libertorum. Gail. *de Pignorationibus. observ.* 8. Vult. *lib. 1. de Judiciis. c. 5. n.* 9.

27 II. Pupillus; qui si infans, aut absens sit, Tutor nomine ejus suscipit judicium, *l. 1. §. 2. ff. de Administr. & periculo tutor.* Sin jam infante major, & præsens, tunc vel ipse tutor agit nomine pupilli, vel ipse pupillus tutore auctore. *d. l. 1. & 2. C. Qui legit. person. standi in judicio.*

28 III. Minor 25. annis; cum quo judicium esse non potest, nisi assistente Curatore. *d. l. 2.* quô si careat, etiam invito curator ad litem obtruditur, licèt aliàs de jure communi ad negotia extrajudicialia minores inviti non teneantur accipere Curatores, nisi forsan res suas dilapidare inciperent. §. 2. *Instit. de Curatoribus l. 12. §. fin. ff. de Tutorib. & Curatorib.*

Repe ias tamen casus aliquos, in quibus 29
minor per se & sine Curatore in judicio stare potest. *Primus* est, si minor veniam ætatis impetraverit; quæ masculis anno 20. fœminis anno 18. transacto indulgetur. *l. 2. pr. & §. 1. e Cod. de his qui veniam ætatis. Secundus*, si minor prosequatur suam injuria, vel mortem propinquorum defendat. *l. 8.* junctâ *l. 11. in princ. ff. de Accusation.* Quamvis de cætero minor neque in criminalibus solus stare in judicio permittatur. *l. 4. Cod. de Authoritat. præstandâ. Tertius* est, si minor intentet judicium possessorium *l. ult. Cod. Qui personam standi in judicio.* Quam legem Glossa quidem restringit ad casum retinendæ, vel recuperandæ possessionis, statuitque, minorem interdictô adipiscendæ possessionis sine Curatore experiri non posse; Rodriquez verò *ad c. causam 9. quæst. 13. num. 18. h. t.* id indistinctè de quolibet possessorio affirmat: neque enim major est ratio de uno, quàm de altero; ideo siquidem id minori videtur concessum, quia judicium possessorium est minoris præjudicii, & magis favorabile, neque requirit tantas solennitates quemadmodum petitorium: quæ ratio in omni possessorio militat. *Quartus* casus est, si minor pubes sive Clericus, sive Laicùs contendat super beneficio, jure decimandi, matrimonio, aut aliis causis spiritualibus, vel etiam super fructibus beneficii, vel decimarum, aut super dote, tanquam ab iisdem dependentibus. *c. ult. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. generaliter rescribit: *si annum 14 tua peregisti ætatis, in beneficialibus & aliis causis spiritualibus, nec non & dependentibus ab eisdem, ac si major 25. annis existeres ad agendum & defendendum per te, vel per Procuratorem, quem ad hoc constituendum decreveris, admitti debebis.*

Illud

30 Illud communiter concluſum eſt, quòd ſi Pupillus ſine Tutore, Minor in caſu non excepto ſine Curatore egerit, ſententia contra ipſos pronuntiata ipſo jure nulla ſit. *l. 54. pr. ff. de Re judicat. l. 1. C. Qui leg. perſ. ſtandi in J.* at pro illis lata tenet. *l. 14. C. de Procurat.* ubi ſimul ratio redditur: quia *Minoribus ætas in damnis ſubvenire, non rebus proſperè geſtis obeſſe conſuevit.* quod enim favore alicujus introductum eſt, non debet in ejus odium detorqueri. *l. 6. C. de Legibus.* Ummius *ad Proceſſum judic. diſputat. 1. th. 4. num. 19.*

31 IV. Prohibitis accenſentur furioſus & mente captus, qui quoad intellectûs & judicii capacitatem infanti adæquantur, ac cum eo pari paſſu ambulant per § 10. *Inſtitut. de Inutilib. ſtipulat.* Et cùm iſti absque ſuis Curatoribus pro abſentibus reputentur. *l. 27. §. 5. ff. de Recept. qui arbitr. recept. l. 2. §. 3. ff. de Jure codicill.* nec in eos præſumptio animi ratum habenti cadat, *l. 2. §. 1. ff. de Procuratoribus.* ideo ſententia non ſolùm contra, quin imò in favorem quoque talium omninò incapacium, absque legitimæ perſonæ interventione, eorundem defectum ſupplente, lata ipſo jure non valet, ex quo non reperitur perſona habilis, ſuper qua poſſit ſubſtantiari, & radicari judicium, per *l. furioſo 9. & ibi* Gloſſ. *ff. de re judicat.* junctô §. 8. *Inſt. de Inutil. ſtipul.*

32 V. Prodigus, cui bonorum ſuorum administratione lege eſt interdicta: nam hic quoad alienandum, & conditionem ſuam deteriorandam æquiparatur furioſo, & infanti. *l. 6. ff. de Verbor. obligat.* in cæteris autem magis ſimilis habetur Pupillo, qui ſibi prodeſſe poteſt, ſed non obeſſe *princ. Inſtitut. de Auctorit. Tutor. §. 9. Inſtit. de inutilib. ſtipulat.* junctâ *l. cui bonis 3. ff. de Novationib. & deleg.* unde ſequitur, quòd nec contra ipſum ſententia absque interventu ſui Curatoris lata ſubſiſtat, inſtar aliorum, qui ſub cura ſunt. *t. t. C. Qui legit. perſon. ſtandi in jud. l. cùm & minores 4. C. Si adverſus rem judicat. reſtitut. poſtulat. l. clarum 4. C. de Authorit. præſtand.* lata tamen in ejus favorem erit valida, eíque proderit, juxta regulam in *d. l. 14. C. de Procuratoribus* fundatam; cùm, ut dicitur *in cit. l. 6. ff. de V. O.* ad ſui commodum ſat habilis ſit, nec non capax ad acquirendum.

VI. Filius Familias in poteſtate Patris exiſtens, etſi major 25. Annis, ita quidem, ut non teneat ſententia contra illum pronuntiata, ſi nomine ſuo ſine conſenſu Patrisfamilias vel egerit, vel actionem ſuſceperit, ſuperiis ſcilicet rebus, ſive bonis, quorum uſusfructus, & actionum ſeu jurium nec le rium exercitium ad patrem de jure ſpectat, veluti in peculio profectitio, & adventitio, quo caſu cùm Patri, & non Filio exercitium actionum acquiratur, nil mirum, ſi filius absque conſenſu Patris in Judicio comparens, tanquam is, cui minimè competit juris exercitium, fruſtra litigaverit. *l. 9. ff. de O. & A. l. ult. in pr. & neceſſitate. C. de Bonis. quæ liberis. l. 1. §. fin. Cod. de Annali except. l. fin. Cod. Ad SCtum. Macedon.* In reliquis verò cauſis, puta de peculio caſtrenſi, vel quaſi, & in aliis, in quibus Patris nihil intereſt, filiusfamilias liberè, etiam Patris aſſenſu non requiſito, actionem tam intentare, quàm excipere poterit, quia caſu iſto exercitium actionum & jurium à nemine ſibi eſt præoccupatum, vel impeditum. *l. 4. l. 18. §. 1. ff. h. t. l. 8. ff. de Procuratorib. l. 4. §. 1. ff. de Caſtrenſi pecul. l. 6. C. de Bonis, quæ lib. Novel. 117. c. 1.* Idem de Jure Can. obtinet in cauſis beneficialibus, ſpiritualibus, & ab his dependentibus, vel connexis: neque enim ad has cauſas ſe extendit patria poteſtas. *c. fin. in fin. h. t. in 6.* Et hoc licèt filiusfamilias minor ſit 25. annis, modò an-

annum 14. compleverit, quoniam tunc pro majorenni habetur. Hunnius *in Encyclop. juris p. 2. tit. 5. c. 9. n. 4. & seq.* Quin filiusfam. alieno, id est, procuratorio, aut tutorio nomine sine consensu Patris in judicio experiri possit, dubitare non sinunt textus in *c. 5. §. nedum de Procurator. in 6. l. 8. in fin. princ. ff. eod.* Haunold. *de J. & J. tom. 5. tr. 2. c. 2. controv. 9. n. 290.*

34 VII. Religiosus, qui nec per se, nec per alium potest suscipere judicium sine licentia sui Superioris, utpote è cujus nutu & voluntate vi Religionis ita dependet, ut secundùm se neque velle, neque nolle habeat. *c. non dicatis. 11. causâ 12. quæst. 1.* DD. *in c. 22. de Rescript.*

35 Verùm ut hoc ita se habeat, ita certis casibus fallit. Sic enim *primò*, si Religiosus habeat beneficium, licèt manuale, & ad nutum revocabile, cui aliqua annexa est administratio, v. g. Prioratum, super juribus illius per se agere, & conveniri potest juxta text. & Panorm. *in c. 16. h. t. Secundò* si Religiosus de licentia sui Superioris extra Monasterium in studiis, vel Parochia degens injuriatus, vel spoliatus sit, agere & se defendere potest: eò ipsò namque quòd talem licentiam habeat, censetur habere facultatem faciendi ea, sine quibus ibi commodè esse nequit. P. Engl. *h. t. n. 4. Tertiò* permittitur Religiosus, si velit, Prælatum suum de crimine accusare. *c. ex parte. 11. de Accusat.* Sed caveat, ne per talem accusationem plùs sibi obsit, quàm prosit, cùm plerumque causa Prælati, aut sit melior aut potentior. *Quartò* Religiosus per se admittitur ad judicium, si velit agere vel pro defensione sui Prælati incarcerati, vel pro rebus sui Monasterii malè alienatis, vel pro se injustè forsan ejecto, ad hoc ut iterum restituatur, vel pro alimentis necessariis, si fortè denegentur &c. Nicol. Rodriquez ad *d. c. 9. q. 2. h. t.* Semper tamen meliùs faciunt Religiosi, si in causis notabilioribus sui Superioris voluntatem requirant, nisi periculum aliquod in mora sit. Expensæ verò judiciales in casibus similibus de rebus Ecclesiæ vel Monasterii subministrari debent per *d. c. ex parte 11. de Accusationibus.*

Dubitatur I. Possitne Religiosus injuriatus Prælato non consentiente actionem injuriarum intentare? Negant Sanchez. *lib. 6. Moral. c. 12. n. 6.* & alii ab eo citati: quia Religiosus filiofamilias comparatur, cui actio non datur, si Pater præsens agere nolit, vel quia differt, vel quia remittit injuriam filio impactam. *l. 17. §. 11. ff. de Injuriis.* consequenter nec Religioso actio injuriarum competet, si Prælatus præsens agere nolit, vel quia differt, vel quia condonat injuriam Religioso suo illatam. Nescio, an satis benè: cùm enim Religiosus retineat dominium suæ famæ, ut probat S. T. 2. 2. *q.* 106. *a.* 7. *ad* 4. quo jure Abbas actionem injuriarum Religioso injuriato adimere poterit? deinde, cùm honor & vita pari passu ambulent. *l. 9. ff. d. Manumiss. vindicta.* sicut Abbas non potest Religioso tollere jus defendendi vitam, ita nec sine injuria poterit adimere defensionem suæ famæ, & honoris, ad quam tendit actio injuriarum. *c. 56. causâ 11. q. 3.* 36

Dubitatur II. Num Prælatus sine consensu Capituli vel Conventûs agere possit de bonis pertinentibus ad Ecclesiam, aut Monasterium suum? & quoniam Prælato sine consensu Capituli interdicta est alienatio rerum immobilium, & mobilium pretiosarum, ideo eidem super his non permitti actiones exercere, *ex l. 7. §. 2. ff. de jure deliberandi.* concludit Glossa *in c. 21. V. dubitant. de Rescript. & in cap. 1. V. legaliter, de Procuratorib.* Plerique tamen 37

transeunt in sententiam contrariam, cui praxis opitulatur, dum passim Prælati irrequisito Capitulo in judiciis agunt, & respondent super bonis ad Ecclesiam, vel conventum pertinentibus, sive deinde bona Capituli & Prælati sint distincta, sive communia, modò generalem desuper habeat administrationem; id quod exigere videtur ipsa ratio legitimæ & universalis administrationis, *arg. c. 5. de Procurator. in 6° & l. fin. ff. Quod cujusque universit. nom.* & patet in tutore, qui pro bonis pupilli, in patre, qui pro bonis adventitiis filii; in marito, qui pro bonis dotalibus uxoris agunt, & conveniuntur. Unde *ad d. l. 7. §. 2. ff. de jure delib.* in qua se fundat Glossa, respondeo, illam duntaxat loqui de illis, qui non habent generalem administrationem: in administrationibus enim universalibus diversa est ratio: nam ut legitimè omnia administrare valeant, necessariò debent posse in judicio convenire, & conveniri ab aliis, cùm hoc frequentissimè eveniat; alienatio verò rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum illis ita necessaria non est, igitur in his administratoribus alia est ratio alienationis, alia instituendarum actionum, & sic nec absonum, illâ negatâ Prælato citra Capituli consensum actionum exercitium concedi. Exceptio est, nisi causa sit omninò ardua & è qua Monasterio magnum præjudicium generari posset; quo casu communiter placuit, requiri consensum, vel saltem consilium Capituli *arg. c. 4. & seq. de his, quæ fiunt à Prælat.* Panorm. *in c. edoceri 21. n. 6. de Rescript.* Felin. *ibid. n. 2. & 5.*

38 VIII. Inter prohibitos referuntur mulieres; quæ in causis criminalibus ob defectum judicii, & impotentiam affectuum agere seu accusare nequeunt, nisi suam, vel suorum injuriam persequantur. *l. 1. l. 8. l. 11. ff. de Accusat. l. 4. §. & 12. C. de his, qui accusare non poss.* In civilibus negotiis agere possunt quidem, & se defendere, si velint, sed cogi à Judice non debent, ut personaliter compareant, nisi ex causa valde urgente, & necessaria. *c. 2. & ibi.* Interpp. *h. t. in 6.*

IX. Excommunicatus excommunicatione majori, qui licèt conveniri queat, ne ex malitia sua commodum reportet, nequit tamen alium sive per se, sive per procuratorem convenire, aut reconvenire, *c. 7.* & ibi Gloss. *h. t. cap. 5. in fine. de Excep.* potéstque Judex etiam non opposita exceptione excommunicationis, imò reo reclamante actorem vel accusatorem excommunicatum à judicio repellere. *cap. 1. in fin.* & ibi Dominicus *eod. in 6.* Socinus. *in cap. sacris. n. 338. De his, quæ vi, metúsve causâ.*

An verò ad hoc, ut excommunicatus à judicio submoveatur, desideretur publica denuntiatio? rationem dubitandi suppeditat Extravagans Martini V. *Ad evitanda*, quæ statuit, excommunicatum non aliter vitandum esse, quàm si sit notorius Clerici percussor, vel publicè denuntiatus fuerit. Negant Bonacina *de Censuris puncto 7. num. 5.* Suarez *de censuris disp. 1. sect. 3. num. 5.* & Laym. *1. p. tr. de Excomm. c. 5.* quibus accedo: siquidem prædicta *Extravagans* non præcipit, sed solùm permittit fidelibus communicare tam in sacris, quàm prophanis cum excommunicatis toleratis absque periculo incidendi in excommunicationem, ut liquet ex illis verbis: *misericorditer indulgemus.* Ergo oppositâ, & probatâ excommunicatione reus non erit compellendus in judicio cum excommunicato consistere. Præterea Pontifex in *d. Extravag.* non intendit excommunicato non denuntiato directè favere, sed

sed communicantibus cum ipso, ut docet Gutierez *lib.* 1. *Can. c.* 1. *n.* 38. *&* 39. atqui si excommunicatus toleratus in judicio agere posset, non modicum commodum sentiret, contra mentem S.Pontificis. ergo etiam toleratus à Judiciis arceri potest, & si denuntiatus sit, quoque debet.

41 X. Huc pertinent deportati, & qui his suppares, banniti. Deportati: quia de iis *in l.* 17. § 1. *ff. de Pœnis.* expressim sancitum, *ut ea, quæ juris civilis sunt,* ut est susceptio judicii, *non habeant, quæ verò juris gentium sunt, habeant.* Banniti: quia similiter omnia bona amittunt, & civiliter pro mortuis habentur. Gail. 2. *observ.* 86. *num.* 9. unde nec litem ante banni denuntiationem inceptam continuare permittuntur. *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 9. §. So jemands. V. sollen Gail. 2. *de Pace publ. c.* 12. *n.* 12. *& seq.* Mynsing. *cent.* 3. *observ.* 30. Quam tamen prohibitionem. Hunnius *d. tit.* 5. *c.* 9. *n.* 37. restringit ad provinciam, è qua quis proscriptus, & bannitus est, ita ut extra illam & agendo, & actionem excipiendo legitimam habeat standi in judicio personam.

42 *Denique* agmen prohibitorum, ac excludorum à judicijs claudunt illi, qui accusare nequeunt, de quibus Civilistæ *in Tit. C. de Ijs, qui accusare non possunt*, & nos infrà *in tit. de Accusat.* plenâ manu tractabimus.

§. V.

43 *Materia*, seu *objectum* Judicii sunt causæ quælibet tam Ecclesiasticæ, quàm sæculares; tam civiles, quàm criminales; tam petitoriæ, quàm possessoriæ, tam feudales, quàm allodiales; tam connexæ, quàm disparatæ; modò quæque coram suo Judice disceptetur: pro diversitate namque causæ alia unius, alia alterius jurisdictionis propria censetur. Ut dilucidiùs resolvam.

Dico I. In causis & negotiis spiritualibus indistinctè Judex Ecclesiasticus adeundus est, sive inter Clericos, sive inter Laicos contentio sit, *c.* 2. & ibi DD. *h.t.* Sic si inter virum & mulierem circa valorem, aut dissolutionem matrimonii lis suboriatur, nullô modô laicus cognoscere potest juxta Trident. *Sess.* 24. *de Matrim. can.* 12. Sicut etiam, si incidat quæstio nativitatis, an aliquis sit legitimè natus, nec ne, ad Judicem Ecclesiasticum referenda est, licèt principalis quæstio sit merè temporalis, veluti si agatur de hæreditate, & successione inter personas sæculares. *c.* 3. *de Ordine cognit. c.* 5. *&* 7. *Qui filii sint legit.* Idem est, si de juramento, ejúsque valore & obligatione controvertatur. *c. fin. de Foro compet. in* 6. Similiter controversias circa vota, & professionem Religiosam, circa electiones, circa beneficia Ecclesiastica, circa limites Parochiales, circa jus sepulturæ, jus decimandi, jus patronatûs, aliáque jura spiritualia ad Judicem, & forum Ecclesiasticum spectare, explorati juris est per *c.* 1. 6. *&* 11. *dist.* 96. *c. contingit. de Arbitris. c.* 2. *&* 3. *h.t.* Ratio est: quia causarum spiritualium cognitio dependet à spirituali potestate, cujus laici omninò incapaces sunt. Bellarminus *tom.* 1. *controvers. l.* 1. *de Clericis. c.* 28. 44

In *disquisitionem* vocatur, quis Judex adeundus, quando non de potestate, vel ipso jure spirituali lis est, sed tantùm de facto, vel de possessione juris spiritualis; v. g. si quæritur: quisnam sit in possessione juris patronatûs, aut juris decimandi? an decimæ hoc anno ab aliquo parochiano ex integro persolutæ sint? num juramentum in aliquo contractu intervenerit? utrùm filius durante matrimonio natus sit? &c. Has quoque & similes causas esse spirituales, adeóque in foro, & à Judice Ecclesiasti- 45

co decidendas, suadere videntur *d. c. 2. h. t.* ubi decernitur, ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant. *& Clem. un. de Sequestrat. possess.* ubi supponitur, causam possessionis coram Ecclesiastico Judice ventilandam. Verùm quòd, quando contra Laicum nudè de possessione, vel facto ipso agitur, & quæstio proprietatis nullo modo involvitur, non tantùm Judex Ecclesiasticus, sed etiam sæcularis cognoscere possit, in praxi receptum est, de jure probabiliter sustinere potest cum Covar. *Practic. qq. 35. n. 2.* Fachin. *illustr. controv. l. 8. c. 15.* Canisio *in Prælect. Academ. ad tit. de Decimis. c. 18. à n. 12.* quia quæstio facti, & causa possessionis nihil habet spiritualitatis; & quamvis v. g. jus decimandi sit res spiritualis, possessio tamen, vel solutio decimarum res temporalis censetur. Gloss. *in c. literas, de Furam. calumn.* Quod ipsum perspicuè firmat textus in *cap. fin. h. t.* ubi S. Pontifex approbat sententiam pro Actore Clerico contra communitatem Laicam à Magistratu sæculari latam in causa possessionis juris eligendi Rectorem, quæstionem vero proprietatis ad judicem Ecclesiasticam avocandam decernit. Nec quempiam turbent jura in contrarium adducta; Nam quod attinet *c. 2. h. t.* negatur quæstionem facti, aut causam possessionis esse inter spiritualia strictè sumpta numerandam. Ad *Clem. un. de Sequestr. possess.* respondetur, ibi reum fuisse Clericum, utpote qui beneficium possederat, & ideo coram alio, quàm judice Ecclesiastico conveniri non potuisse, cùm actor debeat sequi forum rei.

46 *Dico* II. Causæ Clericorum criminales, & civiles (exceptâ causâ feudali) non nisi apud judicem Ecclesiasticum ventilandæ sunt *auth. statuimus. C. de Episcop. & Cleric. c. 5. 6. 8. & 14. causâ 11. q. 1. c. 4. 8. & 10. h. t. c. 2. & 7. de Foro comp.* sine dubio ideo: quia Clerici Jure Divino exempti sunt à jurisdictione Laicorum juxta *c. nimis 30. de Jurejur. c. quamquam 4. de Censib. in 6.* & Trid. *Sess. 25. de Reform. c. 20.* Quære Clericos in enormissimo quoque crimine ante degradationem non esse puniendos per Judices laicos, etsi esset læsa Majestas humana, disertè tradunt Gigas *tr. de Crim. læs. Majest. in rubr. Quis de crim. læs. Majest. cognosc. poss. n. 12.* Roland. à Vall. *consil. 4. n. 6. vol. 1.* aliique.

In facto non semel *disputatum* est: possitne Clericus saltem tunc trahi ad sæculärem Judicem, quando in foro Ecclesiastico justitia à Prælatis negligitur?

Affirmativè subscribit Menoch. *de Retin. possess. remed. 3. n. 355.* quæ probatur *primò* ex *c. 41. causâ 2. q. 7.* ubi Leo Pontifex Legatos Imperatoris alloquens ait: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & subditis justa legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio.* *Secundò* ex *c. 2. de Regularib.* ubi in causa Ecclesiastica ob negligentiam Judicis Ecclesiastici dari recursum ad Principem supponitur. *Tertiò* ex *c. 31. causâ 16. q. 7.* ubi constat, Episcopis, & Archi-Episcopis negligentibus punitionem eorum Rectorum, qui bonis Ecclesiasticis abutuntur, posse Regem adiri, ut illi malo medeatur. *Denique* id nominatim cavisse Justinianum, liquet ex *Novel. 123. c. 21. §. 2.* relata *in c. si quis cum Clerico 45. causâ 11. q. 1.*

Sed opinioni huic vehementer obluctatur *c. 17. h. t.* ubi Innocentius III. Prælatis Ecclesiasticis præcipit, ut plenariam justitiam faciant Laicis conquerentibus de Clericis, additque: *ne pro defectu justitiæ Clerici trahantur à laicis ad judicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus.* Optimè cer-

certè ratione: quia major minoris, non minor majoris Judicis negligentiam ac defectum supplere debet; Ecclesiasticus autem Magistratus major est sæculari per *c. duo sunt dist.* 96. ergo Judex sæcularis non supplet negligentiam, aut defectum Judicis Ecclesiastici, sed econtra, ut habetur in *c.* 6. *de Foro compet.*

Neque vim habent argumenta contraria. Nam ad *c.* 41. *causâ* 2. *q.* 7. respondeo, Leonem III. Pontificem, si quid injustè erga subditos commisit, se submisisse Imperiali judicio, non coactivo, sed arbitrario ad vitandum fortasse scandalum. In *c.* 2. *de Regularib.* sub nomine *Principis* non intelligi Principem sæcularem, sed S. Pontificem, ut *ibidem* exponit Glossa, quippe Pontifex Princeps Sacerdotum est juxta *c. cleros. ℣. Pontifex dist.* 21. Ex *c.* 31. *causâ* 16. *q.* 7. nil aliud colligitur, quàm quòd Episcopo res Ecclesiæ malè administrante, id Regi intimandum sit, non ut judicet, sed ut admoneat, & instet apud Ecclesiasticos Prælatos, eósque adjuvet tanquam supremus Ecclesiarum sui Regni Patronus & Advocatus, ut ait Panormit. *in d. c.* 17. *in fin. h. t.* Authoritas Justiniani relata *in c.* 45. *causâ* 11. *q.* 1. ideò nihil evincit, quia procedit de jure civili, cujus dispositiones in hac parte non attenduntur.

48 Ex sponte fluit, vix defendendam esse opinionem Covarr. qui *pract. qq. c.* 35. *n.* 3. *℣. cæterùm in hac Regia.* docet, casu, quo aliquis laicus sive Ecclesiasticus vi, aut censuris opprimatur à Judice Ecclesiastico, licere simplicem querelam deferre ad Judices regios, qui ad se processum causæ Ecclesiasticæ avocare, examinare, & si quid injustè factum compererint, Ecclesiasticum Judicem ad actorum rescissionem compellere valeant: hoc enim sine speciali privilegio, aut commissione S. Pontificis citra sacrilegam usurpationem alienæ jurisdictionis, immunitatisque Ecclesiasticæ violationem fieri nequit; unde necesse est, ut injuriam passus ad superiorem judicem Ecclesiasticum suam querelam deferat. Quod tamen si in extraordinario casu fieri non possit, vel delatâ querelâ Episcopus, aut S. Pontifex remedium nullum adferre velit, tunc ipse injuriam passus naturali jure se ipsum defendere, & alios quoscunque etiam laicos ad sui defensionem interpellare potest. Idem dicendum de Republica, cui si petulantes Clerici suis criminibus periculum, aut modestiam creent, & remedium neque ab Episcopo, neque à S. Pontifice impetrari, aut exspectari queat, licèt ei uti naturali jure defensionis suæ, modò nihil faciat per modum usurpatæ jurisdictionis, sed solùm per modum justæ, & necessariæ defensionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ. arg. *c.* 20. *causâ* 23. *q.* 5. *c.* 1. *de Offic. Jud. Ordin. V. cùm opus est.* & *Clem. quia contingit.* junctâ Gloss. *V. remedio de Relig. domib.*

Dico III. In causa Civili & merè tempo- 49
rali Laicus tam à Clerico, quàm à laico conveniendus est coram Judice sæculari, nec potest regulariter coram Judice Ecclesiastico conveniri. *c.* 15. *&* 16. *causâ* 11 *q.* 1. *c.* 13. *h. t. c.* 5. *de Foro compet.* Ratio est: quia judex ordinarius laicorum non est judex Ecclesiasticus, sed sæcularis, & generale est, ut actor forum rei sequatur. *c. cùm sit generale* 8. *Eod.* Unde bene advertit Delbene *de Immun. p.* 1. *c.* 7. *dub.* 2. *sect.* 1. *n.* 8. quòd licèt per S. Pontificem Clericis concedi possit privilegium conveniendi suos debitores coram Judicibus Ecclesiasticis, non debet tamen fieri concessio, nisi urgente magnâ causâ, ne Ecclesia videatur Clericorum avaritiam fovere, jurisdictionem sæcularem affectare, Ecclesiastica-

judicia litibus occupare, & laicos offendere.

50 Dixi: *regulariter*: nam assertio hæc non unam exceptionem admittit. Sic enim *primò* Judex Ecclesiasticus potest laicos judicare in causis temporalibus, quatenus ordinantur ad spiritualia: veluti cùm Ecclesiæ interest: cùm de peccato, perjurio, ac fœdere violato agitur. *d. cap.* 13. *h. t.* ubi Pontifex ait: *Nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere.* Hinc

51 *Secundò*, si constet, quòd Judex sæcularis desit officio suo in administranda justitia actori sive Clerico, sive Laico, potest is recurrere ad Judicem Ecclesiasticum, & ad hunc reum laicum etiam in causa civili trahere. *cap.* 6. 10. *&* 11. *de Foro compet.* Modò nullus Judex sæcularis reperiatur, qui judicis inferioris negligentiam suppleat; quàm diu enim recursus est ad judicem sæcularem superiorem, de jure communi Judex Ecclesiasticus se immiscere non debet, nisi fortè in causis personarum miserabilium. Panorm. *in d. c.* 10. *n.* 9. Laym. *in d. c.* 11. *sub n.* 1. P. Engel *de Foro compet. §.* 2. *n.* 73.

52 *Tertiò* Viduæ, Pupilli & Orphani, aliæque personæ miserabiles vi oppressæ, vel spoliatæ possessione suâ statim, & irrequisito judice sæculari possunt coram judice Ecclesiastico ad possessionem recuperandam agere, earúmque causam, etsi feudalis sit, Judex Ecclesiasticus cognoscere potest. Text. & DD. *in c.* 15. *de Foro compet.* Ratio est, quòd causæ viduarum, & aliarum miserabilium personarum, quæ per injuriam & vim sunt oppressæ, earúmque defensio ad Ecclesiam spectet, saltem cumulativè. *c.* 1. *&* 2. *dist.* 87. *c.* 21. *causâ* 24. *q.* 3. *c.* 26. *in fin. de V. S.* Sed hoc tantùm obtinet, si agatur judiciô possessoriô, sive interdictô recuperandæ possessionis: quoniam motô judiciô petitoriô Judex Ecclesiasticus procedere nequit, si causa temporalis sit, & reus conventus laicus, nisi propter negligentiam Judicis sæcularis, per *d. c.* 15. & notat ibi Innocent. *in fin.* Imola *n.* 7.

Quartò Clericus actor reum laicum adire Judicem Ecclesiasticum trahere potest, si is vel res Ecclesiæ, vel res suas injustè detineat; dummodò certò constet de injusta detentione. Quòdsi hoc dubium aut incertum sit, ut si laicus res ipsas non Ecclesiæ, aut Clerici, sed suas proprias adseverat, de rigore juris actio coram Judice laico instituenda est, nisi consuetudine aliter receptum sit. *c.* 5. *de Foro compet.* ex quo prædicta exceptio ita arguitur: juxta hoc *cap.* Judex sæcularis cognoscit, quando laicus negat, rem esse Ecclesiæ, vel Clerici, ergo à sensu contrario, si id non neget, vel per evidentiam negare non possit, etiam Ecclesiasticus Judex cognoscere poterit; & sic secundùm omnes decidi testatur Fagnan. *in d. c.* 5. *n.* 25. eò quòd ex mala detentione causetur quoddam quasi sacrilegium, cujus ratione Ecclesia quoque sibi vendicat jurisdictionem. *c.* 8. *&* 16. *Eod.*

Quintò causæ merè temporaneæ etiam coram Judice Ecclesiastico ventilari possunt, quoties juramentô muniuntur. *c. fin. de Foro compet. in* 6. *c. licèt mulieres.* 2. *de Jurejur. in* 6. Ita tamen, ut jurisjurandi vinculum, utpote personale hæredes non obstringat, ut propterea vocari possint in causis temporalibus ad Judicem Ecclesiasticum, nisi pro casu, quo Judicis Ecclesiastici officium imploratur ad hoc, ut hæres animam defuncti exoneret, exequendo ejusdem obligationes juxta *c. fin. de*

de Sepult. vel etiam pro casu, quo causa coram Judice Ecclesiastico jam incœpta fuit contra illum, qui contractum juramentô confirmavit, tunc siquidem hæres quoque obligatur ad standum coram tali Judice, litémque ibi perficiendam, Farinac. *tit. de Inquisit. q.8. n.141.*

55 *Sextò* plerique DD. cum Menoch. *de Arbit. Judic. casu 371. n.12.* opinantur, posse Judicem Ecclesiasticum procedere contra Laicos complices in delicto à Clericis commisso; quibus assistit S. Congregatio Immunitatis, tum in *una Policastren. 30. Augusti 1641.* tum in *una Urbevetana 19. Julii 1661.* tum in *una Ferentilli 28. Septemb. 1666.* ac sæpè alibi; idque ob causæ connexionem: & ne contrariæ sententiæ proferantur: & quia magis dignum trahit ad se minùs dignum. Verùm quia delicta suos semper tenent Authores, & multiplicantur secundùm numerum delinquentium, in eo casu non est unum individuum delictum, sed aliud Clerici, & aliud Laici; debet proinde uterque judicari in foro, & à Judice sibi competente. *arg. l. si quis uxori §. 2. §. 1. ff. de Furtis.* ubi decernitur, quòd, si quis unacum uxore subtrahat res mariti, is actione furti teneatur, quamvis uxor tantùm actione rerum amotarum conveniri possit. Atque huic sententiæ praxis suffragatur teste Covarruv. *pract. qq. c.34. n.1. circa fin.* Haun. *de J. & J. tom.5. tr.1. c.4. contr.6. n.285.* & aliis.

56 *Dico* IV. Sunt quædam causæ mixtæ, seu mixti fori, quæ licèt ex se, & ex sua natura temporales sint, aliquâ tamen lege civili, seu canonica, vel rationabili consuetudine, non privativè, sed cumulativè judicio Ecclesiæ sunt reservatæ, & ideo judicari possunt tam à Judice Ecclesiastico, quàm sæculari, ita ut præventioni sit locus, & qui prævenit, non possit in judicando ab altero impediri, juxta communiter notata *in c.1. de Officio Ordinar.* Marth. *de Jurisdict. 2. part. cap.1.*

Porro causæ mixtæ in duo genera distri- 57
buuntur: nempe *in criminales & civiles. Ad Criminales* referuntur blasphemia, sortilegium, divinatio, seu magia illicita, perjurium, sacrilegium, crimen spolii Ecclesiastici, vel invasionis rerum Ecclesiæ, usura, falsificatio literarum Apostolicarum, adulterium, concubinatus, fornicatio simplex, incæstus, sodomia, assasinatus, & similia, de quibus prolixè Bapt. Fragosus *de Regim. Reip. Christiana p.1. l.2. disp.4. §.5. & seq.* Farinac. *in Praxi crim. l.1. tit.1. q.8. à n.127.* Jul. Clar. *§ fin. q.73.* Horum igitur rei Christiani Laici non à sæculari tantùm, ut plerumque solet, sed ab Ecclesiastico etiam Magistratu puniri possunt; quia non solùm bono Reipub. sed supernaturali quoque fini, & fidei præsertim, ac Religioni, cujus Ecclesia curam gerit, speciatim adversantur. Laym. *in Theolog. Morali lib.4. tr.9. c.2. à n.4.*

Ex Civilibus mixtæ censentur testa- 58
menta Laicorum, si legata ad pias causas inserta sint, juxta Trident. *Sess.22. de Reform. cap.8.* contractus sæcularium juramento firmati, si de executione quæstio fuerit, per *c. fin. de Foro compet. in 6. & c.2. de Jurejur. in 6.* Causa restitutionis in integrum, si ab Ecclesia petatur contra Laicum. *cap.1. de integr. restitut. cap. penult. de Rebus Ecclesia. non alien.* Item quæstiones meri facti, & causæ possessoriæ rei spiritualis, si agatur contra Laicum *arg. cap. fin. h. tit.* Denique causæ miserabilium personarum, si vel vi oppressæ aut spoliatæ sint, vel Judex sæcularis fuerit negligens in administranda justitia juxta *c.10. 11. & 15. de Foro compet.* supra *num.51. & 52.* exposita.

De

59 De *causa dotis*, num mixti fori sit? frequens *dissidium* est. Equidem affirmativam propugnat Panormit. *in c. 3. de Donat. inter vir. & uxor. n. 8. per c. ex litteris. de Pignorib.* ubi Judex Ecclesiasticus principaliter de dotis causa cognovit. Crebriùs tamen placuit, causam dotis principaliter motam non esse mixti fori, sed ejus cognitionem tantùm spectare ad judicem sæcularem per *l. in contractib. 14. §. quòdsi in provincia. C. de non numerata pec.* Sanch. *de Matrim. lib. 10. disp. 8. sub n. 15.* Nec favet contrariæ sententiæ textus *d. c. ex literis.* nam in ejus specie Judex Ecclesiasticus in causa dotis potuit adiri, quia agebatur de vidua oppressa à judice sæculari, qui eam dote exspoliaverat propter mariti delictum, quo casu ad judicem Ecclesiasticum recurri posse, probatum ex *d. c. 15. de Foro compet.* Neque dicas, mulierem illam viduam non fuisse, utpote cujus maritus superstes fuerat; siquidem cùm ipse fuerit proscriptus, & bannitus, ejus uxor pro vidua habebatur: idem enim est, non habere maritum, ac habere inutilem. Covarr. *Pract. quæst. c. 7. n. 7. ¶. est & in hoc.* Planè si de dote accidentaliter, seu incidenter agatur, puta ratione divortii instituendi, palàm & extra controversiam est, causam hanc coram Judice Ecclesiastico ventilandam esse. *d. c. 3. de donation. inter vir. & uxor.* & tenet ibi Glossa *in V. accessoriè.*

60 *Dico* V. Causæ feudales disceptantur vel coram ipso feudi Domino vel coram Convasallis, seu Paribus curiæ, vel coram Judice illius loci ordinario. Vultejus *de Feud. lib. 2. c. 2. n. 2.*

61 Primò omnium itaque feudi *Dominus*, sive *Senior* Judex competens est, cùm de feudo contentio oritur inter pares Curiæ, *c. caterùm h. t. tit. 55. §. præterea Feud. 2.* Nec interest, sive agatur judiciò peritoriò sive possessoriò: cùm enim jura allegata indistinctè asserant, de feudo apud Dominum controversiam esse terminandam, idem de possessione intelligitur, maximè cùm idem debeat esse Judex proprietatis, & possessionis. *c. 1. de causa possess. & proprietat. l. nulli. C. de Judiciis.* Fachin. *lib. 7. controvers. c. 100.* contra Bald. & alios relatos. Sicuti nec refert, an vasalli litigantes sint Clerici, vel Laici: quia in causis feudalibus etiam Clericis coram Domino feudi, licèt is Laicus sit, conveniri, & comparere debet. *d. c. caterùm & ibi* Gonzal. *n. 2. h. t. c. ex transmissa. c. verùm & ibi* Felin. *n. 3. de Foro compet.* Clarus *§. feudum. q. 90. n. 8.* Modò causa feudalis sit merè civilis; secùs verò si contra Clericum vasallum agatur ad amissionem feudi criminaliter, vel Civiliter propter crimen: tunc etenim de hoc Dominus feudi cognoscere nequit, sed remittenda est cognitio ad Prælatum ipsius Clerici: cùm Laicus de crimine Clerici nec directè, nec incidenter possit cognoscere, sicut nec de legitimitate arg. *c. 8. h. t. c. 14. de Foro compet.* & in terminis tradit cum Innocent. Panormit. *in d. c. verùm n. 17.*

Pares curiæ sunt Judices legitimi, quando lis vertitur inter Dominum & Vasallum de investitura, de Felonia, aut simili causa Feudum concernente, *d. tit. 55. §. præterea Feud. 2. & tit. 16. Eod. tit. 21. Feud. 1. Mynsing. Cent. 4. observ. 89.* Nullo habito respectu ad qualitates Domini, num Superiorem recognoscat, vel non, adeò ut lite inter Imperatorem & Vasallos suborta Pares Curiæ cognoscendi potestatem habeant. Schrader *de Feud. p. 10. sect. 5. n. 40. & seqq.* Omnes autem Parens Curiæ simul cognoscunt, nisi placuerit quosdam eligi, coram quibus causa expediri debeat

beat; quo casu Dominus quosdam eligit, & quosdam Vasallus, *d. titul. 16. Feud. 2.* Nec soli Domino electio competit, nisi Vasallus circa electionem contumax existat, & vel eligere nolit, vel in electione tergiversari, tunc enim in ejus pœnam soli electi à Domino judices erunt. Vult. *d. c. 2. n. 27.* Mynsing. *de observ. 89. n. 6.* quemadmodum viceversâ, si Dominus in eligendo tergiversetur, vel eligere nolit, facultas eligendi ad Vasallum trans-66 fertur. Ritershus. *de Feud. c. 9. q. 13.* Quibus electis non opus est, ut aliud juramentum de rectè judicando præstent, veluti de judicibus jure civili cautum est *in l. rem non novam. C. h. t.* cùm in juramento fidelitatis ad rectè judicandum expressè obstricti sint. *tit. 5. 6. & 7. Feud. 2.* P. Engl. *de Foro compet. p. 2. §. 4. n. 92.*

67 *Ordinarius loci Judex* cognoscit, & judicat de causis feudalibus extraordinariè, itaque in certis tantùm quibusdam casibus: quorum *primus* est, si Vasallus coram Domino feudi non possit justitiam consequi. *d. c. caterùm. h. t. Secundus*, si Dominus aut Pares curiæ ex rationabili quadam causa suspecti arguantur, per *tit. 15. & 46. Feud. 2. Tertius*, si Dominus nullos alios habeat Pares Curiæ. Panorm. *in d. c. caterùm. n. 14. Quartus*, si Pares Curiæ in eadem causa testimonium perhibere debeant. Borch. *de Feud. c. 10. n. 12. Quintus.* Si Dominus conveniatur ab extraneo, eóque qui Vasallus omninò non est, nec se ratione rei controversæ Vasallum esse ostendit; & viceversâ, si extraneus à Domino conveniatur, tanquam de re non feudali: tunc enim non Pares Curiæ, sed ordinarius judicat, sicut si lis sit inter Vasallum, & extraneum. *tit. 27. §. 2. ℣. quòdsi. & tit. 43. Feud. 2.* Fagnan. *in d. c. caterùm. num. 13. h. t.*

68 *Dico* VI. Quando plures causæ inter se sunt connexæ, fortè quòd unius cognitio, ac beneficio ad alterius tractationem, cognitionem, perfectionem, & finem conferat, coram eodem judice agitandæ sunt. *c. fin. de Rescript. t. t. ff. de quibus rebus ad eund. jud. eatur. l. 10. C. h. t.* Expedit siquidem, judicia non nimiùm multiplicari, & molestum foret, ac durum in eadem prope causa diversis judiciis distringi. Atque inde est vulgare brocardicon; *causæ continentiam dividi non debere.*

Venit autem hæc continentia vel *à personis*, contra quas agitur, vel *à conditione actionum* quibus agitur.

69 *A personis* venit, quando sunt plures rei ejusdem causæ, puta plures cohæredes, socii, tutores, correi debendi diversis jurisdictionibus subjecti; quo casu propter litis consortium Judex ipsorum proximè superior adeundus est, *l. 1. & 2. ff. de quib. reb. ad eund. jud. eatur. l. omnes 5. C. de Arbit. tut.* Menoch. *de arbit. jud. casu 371. n. 12.*

70 Quare diversorum statuum Imperii subditi, & sic mediati omnes, super communi hæreditatis causa, vel alia sui naturâ indivisa conveniendi sunt, non alibi, quàm coram Aula Cæsaris, aut Camera Imperiali. Quod factum in præjudicio, cujus meminit Mynsing. 1. *Observ. 4. n. 3.*

71 Similiter cùm plures sunt litis consortes: quorum unus tantùm immediate, reliqui verò omnes sunt mediatè Imperio subjecti, omnes in Camera in prima instantia forum sortiuntur; quo ipso tamen casu in decernendis processibus judicem cautum esse debere, monet Gail. *lib. 1. observ. 32. n. 2.*

72 *A conditione actionum* venit continentia causæ I. quando actio est generalis, ut est actio tutelæ, negotiorum gestorum, petitio hæreditatis, & res, de quibus est quæstio, sub diversis diversorum judicium jurisdictionibus

risdictionibus sitæ sunt. Hoc casu, ne executio lite finita sit inanis, & actor & reus novis litibus implicentur, coram omnium superiore, hoc est, si v. g. bona litigiosa sub uno quidem principe, at diversis illius judiciis, unter unterschidenen Regierungen / Cantzley / oder Aembtern sita, coram illomet Principe: sin autem sub diversis immediatis Imperii statibus sita fuerint, coram Camera Imperiali lis intentanda, & finienda erit, per *d. l.* 1. *ff. de quib. reb. ad eund. jud. eatur. l.* 10 *& ibi* Gloss. *V. continentiam. C. h. t.* Mindan. *tr. de continentia cauſ. c.* 3. *n.* 3. *& ſeq.* Gail. *d. obſerv.* 32.

73 *n.* 5. II. Quando actiones sunt cognatæ, ut si una est alterius præparatoria, ut est judicium possessorium ad petitorium, actio ad exhibendum, ad rei vindicationem; vel si una actio alteram explicat, quod fit, si quis agat ex negotio producente plures actiones se invicem non consumentes, ut est actio furti, & condictio furtiva &c. His enim casibus & cognata actio debet apud eundem Judicem tractari, & quæstio præjudicialis, vel incidens mover apud illum, ad cujus jurisdictionem pertinet causa principalis, esto is aliàs de præjudiciali vel incidente quæstione non valeat cognoscere. *l.* 3. *C. h. t. l* 1. *C. de ordine judiciorum.* Nisi tamen illud incidens aut connexum esset spirituale; quoniam tunc, si causa principalis vertitur apud Judicem Laicum, is debet interim cassare & punctum incidens remittere ad Judicem Ecclesiasticum, cujus est de rebus spiritualibus decernere. *c. novit.* 13. *h. t. c. pen. de Ord. cognis. c.* 5. *c.* 7. *Qui filii sint legit. c.* 15. *de excessib. Prælat.* Plura Mindan. *de Contin. cauſ. tot. lib.* 3. & plerique *in d. l.* 10. *C. h. t.*

74 Unum illud addo, hanc tractationem causarum connexarum apud eundem judicem olim fuisse necessitatis. *d. l.* 10. at hodie esse in arbitrio actoris, an causas connexas velit conjungere, an dividere. Quod si dividat, potest nihilominùs reus ante litem contestatam opponere exceptionem continentiæ; eâ verò omissâ processus coram diverso Judice agitatus tenet. Bald. *in d. l.* 10. *n.* 3. Jason. *ibid. n.* 6. Felin. *in fin. n.* 8. *h. t.* Mynsing. *cent.* 1. *obſerv.* 97. Gail. *d. obſerv.* 32. *n. ult.*

§. VI.

Forma Judicii stat in processu judiciario, qui variat; stylus tamen & consuetudo curiarum potissimùm ita habet.

I. Actor Judicem adit, oblatóque libello, quem supplicationem vocant, summariè Judicem de causa litis informat, rogátque, ut processum admittat, & adversarium citet.

II. Decernitur à Judice citatio, & per publicum, juratúmque Ministrum jubetur reus ad certam diem comparere jure experiendi causâ.

III. Citatio reproducitur ab actore in judicio, & reo comparenti ab eodem edetur, seu offertur libellus; sed hoc in praxi non ubique obtinet: nam alicubi præcedit libellus citationem, alicubi verò mittitur una cum citatione.

IV. Libello taliter edito reo dantur dilationes deliberatoriæ, hoc est, inducie deliberandi, num velit contendere, vel potiùs liti cedere.

V. Si reus elapsô terminô deliberandi denuò compareat, & contendendum petet, proponit primô locô, si quas habeat, exceptiones fori declinatorias, vel judicii dilatorias; quandoque verò instituit mutuam petitionem, seu reconventionem.

VI. Deficientibus his exceptionibus, & reconventione reus respondet ad libellum actoris, quo facto dicitur *contestata.* In-

terea exigitur à Partibus satisdatio, seu cautio *de judicio sisti, & judicatum solvi*, & insuper à Procuratoribus *de rato*; de quibus cautionibus vid. Interpp. *ad Instit. de Satisdationib. & ad ff. Qui satisdare cog.*

VII. Ante, vel etiam post litis contestationem ab utraque parte præstatur juramentum calumniæ. Deinde fiunt positiones seu positionales, id est articuli, super quibus pars adversa examinatur, ut veritate sic compertâ non sit necessum procedere ad alias probationes; antequam tamen actor articulos exhibeat, deponit *juramentum dandorum*, quo se obstringit ad nullos articulos dandos, quos non sciat, vel credat veros esse: econtra reus, antequam respondeat, deponit *juramentum respondendorum*, scilicet se nihil negaturum, quo non sciat, aut credat falsum esse.

VIII. Si contingat actorem, ac reum in aliquibus articulis propositis discrepare, inducuntur testes, aliæque probationes juridicæ; quibus reus opponit exceptiones, quas actor replicatione diluit, hanc reus duplicando, & sic deinceps. *l. 2. §. fin. de Except.*.

IX. Post deductas probationes, exceptiones, replicationes, duplicationes, vel ulteriores allegationes Partes concludunt in causâ, hoc est, Judici causam, ut eam suâ sententiâ definiat, submittunt.

X. Denique sequitur, & à Judice profertur sententia, quæ, nisi intra 10. dies appelletur, aut si appellatio facta deseratur, lapsis fatalibus transit in rem judicatam, & mandatur executioni, ut judicium finem suum, ac effectum sortiatur. Atque hæ sunt solennitates & actus præcipui processûs judiciarii, subinde enim etiam alii intervenire solent, ut patebit ex dicendis.

Nec tamen passim, nec semper hanc processûs tam exactam observationem requirimus: sed tunc, quando propositum, & disceptandum negotium plenam cognitionem desiderat, ut sine ea de jure pronuntiari non ita possit, cùm ex facto jus oriatur; quapropter in iis, quæ notoria sunt, aut per se liquent, atque item in summariis causis ipsam non exigimus. *c. manifesta. cum 2. seqq. causâ 2. q. 1. c. 21. de Jurejur. c. 9. de Accusat. Clem. sæpe. & ibi* Interpp. *de V. S.*

§. VII.

Finis Judicii consistit in justitiæ administratione circa personas, & causas controversas secundùm juris, & æqui rationem per elegantem text. *in c. 1. de Sent. & rejud.* Perfidè igitur judicia quidam Christianis interdicere conantur: quia DEUS ipse ea institui jussit, & Magistratus, ut suos vicarios, DEOS appellavit. *Psalm. 81.* ipsique Apostoli adiêre Judicia civilia, ut videre est *Act. 5. ℣. 26. & c. 25. ℣. 10.* 76

§. VIII.

Effectus Judicii præcipuè sunt hi: *Primus* & primarius est, quòd litibus & controversiis finem imponat, ac eò rem deducat, ut suum quisque consequatur. 77

Alter effectus est, quòd judiciô cœptô inducatur obligatio instantiæ, ita ut adversartio dissentiente à judicio recedere non liceat per *l. 5. C. de O. & A.* & si discedere velit, tanquam temerarius litigator omnes expensas refundere cogatur. *§. 1. Instit. de Pœna temerè litigantium.* 78

Tertius effectus est, quòd acta coram Judice incompetente sint invalida, nec probent coram Judice competente. *c. 4. in pr. h.t.* Clarus *in Pract. crim. §. fin. q. 46. n. 40.* acta autem coram Judice competente teneant, ac fidem quoque faciant in alio judicio; dummodo inter easdem personas & in ordine ad eundem finem, eundémque 79

que effectum producantur arg. *c.* 18. *causâ* 2. *q.* 1. *c.* 2. *de Except. in* 6. Panorm. *in d. c.* 4. *n.* 5. Layman. *ibid. n.* 3. *&* 4. ubi colligit, si actum sit coram Judice sæculari contra criminosum ad pœnam legalem, postea verò agatur super eodem crimine coram Ecclesiastico ad pœnam canonicam, seu Ecclesiasticam, acta prioris judicii non probare in posteriore propter variatum modum agendi, & quia ad aliam pœnam agitur.

§. IX.

Contraria Judicii sunt modi, quibus judicium perimitur.

80 Perimitur autem I. mutuâ voluntate partium renuntiantium ulteriori processui cum intentione nunquam repetendi litem; quod eas facere posse tralatitium est.

81 II. Absolutione ab observatione judicii, ut quando in progressu litis apparet, quod intentio, ac petitio actoris in libello ineptè proposita fuerit; quo casu reus debet absolvi ab instantia hujus tantùm judicii, eáque dissolvi, reservato interim actori jure iterum agendi, & libellum, ac petitionem aliter, & aptè formandi. *c.* 15. *h. t.*

82 III. Lapsu temporis: nam in jure civili saluberrimè cautum est, ut causæ criminales biennio terminentur à die litis contestatæ numerando. *l. ult. C. Ut intra cert. temp. crimin. quæst. term.* Causæ verò civiles triennio. *l. properandum* 13. *C. h. t.* ubi tamen excipiuntur causæ fiscales, & quæ ad publicas pertinent exactiones, vel tributa.

83 An autem hæc juris civilis dispositio procedat etiam de Jure Canonico? sub lite est. Sunt, qui negent, adducti text. *c. penult. h. t.* ubi descurso triennio jubetur nihilominus delegatus causam cognoscere. Sed huic sententiæ nolim adstipulari: eò quòd sine textu expresso inter Jus Canonicum & Civile non sit discrimen constituendum per *c.* 1. *de Novi op. nunciat.* & ratio abbreviandarum litium utroque Jure subsit. *c.* 5. *de Dolo & contum.* Covarr. *ad c. quamvis p.* 2. *§.* 1. *n.* 10. Zoës. *h. t. n.* 13. Neque obstat textus *d. c. penult.* quia non simpliciter dicit, instantiam judicii triennio non perimi, sed loquitur de subterfugiis, & cavillationibus adversarii, quibus lis per triennium prorogata, dolô malô, eóque consiliô, ut post illud tempus possit objicere præscriptionem triennii; quæ dolosa protractio ipsi prodesse nequit, cùm nemo ex dolo suo debeat lucrari, nec in *d. c. pen.* habentur verba novum jus inducentia. Ut ut sit, hodie hic modus finiendi lites à foro recessit, nec ullum primæ instantiæ tempus consideratur præsertim in Camera Imperiali. Zanger. *de Except p.* 1. *c.* 1. *circa fin.* Gail. 1. *observ.* 141. *n.* 8. Minsing. *cent.* 2. *observ.* 48.

TITULUS II.

De Foro Competenti.

SUMMARIA.

1. 2. 3. Romæ quatenus Advena conveniri possit? 4. 5. 6. Ubi quis domicilium originis. 7. Et an ibi forum sortiatur? 8. Usque 20. Quomodo alicubi domicilium habitationis. 20. 21. ibique forum constituatur? 22. 23. Num quasi domicilium forum tribuat? 24. Ubi vagabundi sint conveniendi? 25. Usque 34. In loco rei sitæ actio realis, & in rem scripta moveri potest. 26. Licèt res sit mobilis. 29. Et licèt possessor nominet auctorem suum. 30. Aut sit Clericus. 31. Vel etiam ei loco non moretur. 33. Ibi tamen institui non debet. 34. Usque 47. In loco, quo quis contraxit, vel solvturum promisit, regulariter conveniri potest. 38. 39. 40. Modò ibi reperiatur. 47. Usque 55. Quilibet delinquens excepto fidioso. 55. Usque 61. In loco delicti inchoati vel consummati. 61. Si ibi reperiatur. 62. Conveniri & puniri potest. 63. 64. 65. Immò etiam ubicunque deprehenditur.

61.

66. *Prorogatio ex judice incompetente facit competentem.*
67. *Usque 72. Quinam possint, qui non possint prorogare jurisdictionem?*
72.73.74. *Ad prorogationem necessarius est saltem tacitus Partium consensus, & aditio judicis incompetentis.*
75. *Cujus Judicis. 76.77.78. Et quæ jurisdictio sit prorogabilis?*
79. *Usque 84. Quot modis fiat prorogatio?*
84. *Usq; 89. Quæ causæ gaudeant foro privilegiato?*
89. *Et seqq. recensentur personæ ratione fori privilegiatæ.*

IN omni judicio prima ratio fori competentis habenda est: cùm generale sit, actorem sequi forum rei. *c.* 5. & 8. *h.t.* Forum autem reus sortitur *domicilio*, *re sita*, *contractu*, *delicto*, *prorogatione*, & *privilegio*; de quibus ordine.

§. I.

1 *Primus* itaque modus sortiendi forum est domicilium, & hoc triplex: *Primum* Respublica: *alterum* Origo: *tertium* sua cuique voluntas facit.

Respublica: commune domicilium atque forum nobis Romam facit, sed extraordinariè; ut propterea advena Romæ repertus ibidem conveniri possit, quacunque ex causa, sive delicto agatur, etiam alibi commisso exceptis legatis, & iis, qui ex causa necessaria, puta judicandi, testimonii dicendi, rationis reddendæ, appellationis, petendæ restitutionis in integrum &c. Romam evocati sunt: his enim, nisi periculum in mora sit, jus litem revocandi domũ suam, ad forum nempe domicilii, ubi melius instructi sunt, datum est. *c. ult. h.t. l.* 2. *§. legatis. l.* 8. *l.* 24. & *seqq. ff. de Judiciis.*

2 Verùm hodie hoc commune forum in causis temporalibus quoad subditos Imperii cessat; obtinet tamen adhuc quoad personas, & causas Ecclesiasticas, ita ut in his etiam Laici Romæ existentes ibidem forum acquirant. Barb. *in d. l.* 2. *§. legatis*, *n.* 33. Roma autem hìc non intelligitur de muris, parietibus, aut ædificiis Urbis, sed de Curia Romana: unde etiamsi Curia degat extra Urbem, ibi erit Roma; sicut & olim ibi censebatur esse Roma, ubi Romanus fuerat Imperator: sic etenim Romam Vejis aliquando fuisse canit Lucanus: 3

Veios habitante Camillo
Illic Roma fuit.

Similiter etiam Romam nonnunquam in Galliis fuisse dicitur, quando Pontifex residebat Avenione: nam, ut inquit Catellinus Cotta *rer. memor. in V. Imperat.* ubi persona Pontificis cum legitimo Cardinalium cœtu moratur, ibi Roma repræsentatur. Confer. P. Engel *de Præbend.* §. 2. *num.* 11.

Origo in eo cuique loco domicilium, forúmque tribuit, ubi Pater ejus tempore nativitatis est civis, seu municeps. *l.* 1. *prin. §.* 1. & 2. *l.* 6. *pr.* & §. 1. *ff. Ad municipalem. l.* 3. *C. de Municipib. l.* 7. *C. de Incolis.* 4

Dicitur I. *ubi Pater ejus*: Quin etiam forum quis sortitur ratione orginis avitæ, si nepos natus sit vivente avo, & in ejus potestate; tum enim originem non Patris, sed avi, in cujus potestate natus est, sequitur: secus est, si mortuo avo natus sit. Aliorum verò ascendentium, seu Parentum aut majorem originem liberi non sequuntur, ne quis tandem cogatur sequi originem Adami. Pirrhing. *h.t. n.* 10. Multò minùs liberi sequuntur originem Matris. nisi vel illegitimè nati sint. *l.* 19. & 24. *ff. de Statu hom. l.* 1. §. 2. *l.* 9. *ff. Ad municipal.* vel materna civitas hoc privilegium habeat, ut legitimè editi sequantur originem matris *d. l.* 1. *§.* 2. *ff. Eod.* Quòdsi uterque parens nesciatur, ut fit in expositis, pro loco originis haberi locum, in quo inventi sunt, supra *in Tit. de Temporib. ordinat. num.* 21. contestati sumus. 5

6 Dicitur II. *est civis seu municeps.* quoniam ad id, ut quis ex loco suæ nativitatis domicilium originis sibi adsciscat, necesse est, ut Pater in eo loco domicilium fixum tunc habuerit. Bartol. *in l. filii ff. Ad municip.* contrariam tamen sententiam post alios tuetur Franciscus de Caldas *in suo responso pro Illustri D. Joanne de Tassis.* quod habetur post tractatum, quem scripsit *ad l. si curatorum. C. De in integr. restit.* ut quamvis fortuitò quis alibi nascatur, transeunte forte Patre vel Matre, adhuc tamen in loco domicilium originis nanciscatur. Sed malè! Quid enim si quis ex Parentibus Germanis nasceretur Venetiis tantùm per modum transitûs ibi degentibus, an dicemus talem hoc ipso esse civem originarium Venetum? utique non; cùm lex civilis tribuens certos effectus loco originis nequeat operari in Republica aliena.

7 Quòd verò dictum est, originem forum tribuere originario, id procedit, si is in loco originis reperiatur. Panormit. *in c. proposuisti. num. 3. h. t.* Gail. *l. 2. observ. 96. num. 11.* Imò in Germania modus iste sortiendi forum fermè ab usu recessit, nec quoad facultatem conveniendi ampliùs consideratur domicilium originis, postquam originarius civitati renunciavit, & aliò domicilium transtulit. Vultejus *ad l. 2. num. 22. C. de Jurisdict.* ubi scribit: *ex notissima Germaniæ consuetudine vix alio in foro quis aliqua actione personali ex obligatione conventiones convenitur, quàm in foro habitationis, ut maximè reperiatur in loco originis, aut in loco bonorum.*

8 *Propria voluntas* habitationis domicilium, ac forum competens cuique constituit eo loco, in quo quis habitat animo perpetuo ibi consistendi, nisi quid avocet arg. *l. 204. ff. de V. S. & l. 7. C. de Incolis.*

Duo itaque requiruntur ad constitutionem domicilii, & ut inde quis forum sortiatur.

Primum est actualis habitatio: unde sola domûs possessio, quæ in aliena civitate comparatur, domicilium non facit. Text. *in l. 17. §. 13. ff. Ad municipal.*

Quamvis autem sine facto habitandi domicilium non quæratur, semel tamen quæsitum retinetur, & conservatur, esto quis aliquamdiu in loco non habitet, sive ex causa necessaria, sive ex voluntaria. *l. 7. C. de Incolis.* Ratio est: quia non omne, quod requiritur ad constitutionem actûs, protinus etiam requiritur ad ejus conservationem, ut patet in exemplo possessionis, quæ licèt sine corpore & animo quæri nequeat, solo tamen animo rectè retinetur.

Alterum requisitum est animus, seu propositum voluntatis perpetuò alicubi habitandi, neque discedendi rursus, si nihil avocet. *l. 27. §. 2. ff. Ad municip. l. 6. C. de Incolis.*

Hic verò animus, ac propositum variè declaratur: interdum apertâ protestatione: nam qui statim, ubi habitare urbem cœpit, velle se in ea domicilium constituere, affirmat, absque mora incolatum acquirit. Mascard. *de Probat. vol. 1. conclus. 534. num. 3.* nonnunquam ex aliis conjecturis; quarum septem enumerat Zangerus *de Except. p. 2. c. 11. à n. 5. Prima* desumitur ex domicilio originis, quod in dubio non præsumitur mutatum. arg. *l. 6.* junctâ Gloss. *V. mutare. & V. non domicilium. in fin. ff. Ad munici. Secunda* ex matrimonio: ubi enim maritus domicilium habet, habet & uxor, ac id etiam vidua retinet, quàm diu talis manet. *l. 65. ff. de Judiciis. l. 22.*

l. 22. §. 1. *ff. ad municip. l. fin. & ibi* Cujac.
15 *C. de Incol. Tertia.* Si Clericus alicubi habet beneficium, quod residentiam exigit; secus si hanc non exigat. arg. *c.* 29. *ubi* pro-
16 lixè Felin. *de Rescript.* *Quarta*, si quis in aliquo loco majorem bonorum suorum partem possideat per *l.* 2. *C. Ubi Senatores, vel Clariss. d. l.* 7. *C. de Incolis.* Quod procedit, si Paterfamilias sedem ibidem instruxit. *l.* 6. §. 2. *l.* 27. §. 2. *ff. Ad municip.*
17 *Quinta*, si quis venditis, quas alibi possidebat, rebus suis in aliam urbem cum familia demigrârit, & in ea habitet per *d. l.* 27.
18 §. 1. *ff. Ad municip. & l.* 203. *ff. de V. S. Sexta* ex eo, quòd quis in aliqua civitate jus civitatis, vulgò Das Burger-Recht, impetraverit; & ibidem habitaverit; quæ duo conjunctim necessaria sunt, cùm civis etiam sine domicilio esse possit arg. *d. l.* 27. §. 2.
19 *in fin.* *Septima* denique ex assidua & frequenti habitatione in aliquo loco deducitur. Mascard. *d. concl.* 534. *n.* 6. Non possum autem subscribere Accursio, Baldo & aliis, qui ex decennii lapsu, quo v. g. in Academia studiosus commoratus est, eundem domicilium ibidem contraxisse arguunt, per text. *in l.* 2. *C. de Incolis.* cùm Imp. Alex. *in d. l.* 2. expressè desideret, ut decem annis transactis studiosus eò loci sedem sibi constituerit, hoc est, habitationem perpetuam. Alciat. *in l.* 203. *n.* 3. *ff. de V. S.* Proinde, quia legibus tempus definitum non est, Judicis arbitrio relinquendum est. Menoch. *de Arbitr. Jud. l.* 2. *cent.* 1. *casu* 86. *post n.* 16.

20 Porrò forum, quòd in loco veri domicilii constituitur generale est, & concurrit cum aliis modis sortiendi forum. Unde, qui alicubi domicilium habet, potest ibi conveniri ex quacunque causa civili & criminali. Item quacunque actione, reali & personali, esto etiam absens sit, vel alibi contraxerit, aut deliquerit, vel res, quæ peritur, alibi sita sit. *l.* 19. *§. fin. ff. de Judiciis l.* 29. *ff. ad municip. l.* 2. *C. de Jurisdict. l. ult. C. ubi in rem actio. c.* 17. *h. t.* Quod 21
tamen ita intelligendum est, nisi alibi (ubi scilicet reus ex alio titulo forum sortitur) jurisdictio jam sit prævenia per citationem reo insinuatam: nam lis, seu judicium ibi finiri debet, ubi cœptum est. *c. pen. h. t. l. si quis* 7. *ff. de Judiciis.*

Planè in loco quasi-domicilii, nempe 22
ubi quis studiorum aut aliorum negotiorum causâ per longius tempus, absque animo tamen perpetuò manendi commoratur, probabilius forum non contrahit nisi ille, qui vel alibi domicilium verum non habet, vel ita remotum, ut ibi sine magnis sumptibus, & incommoditatibus conveniri nequeat: tunc enim æquitas suadet, ut nomen domicilii fori competentiam tribuens nonnihil latiùs accipiatur, & ad quasi-domicilium quoque extendatur, arg. *l.* 8. *C. de Judic.* etsi aliàs (cessante scilicet hujusmodi æquitate) appellatione domicillii non veniat quasi-domicilium, sed verum, quod incolas facit. *d. l.* 7. *C. de incolis.* P. Engl *h. t. p.* 1. §. 1. *n.* 10. Abstraho 23
autem hìc à foro pœnitentiali, in quo etiam quasi-domicilium jurisdictionem tribuit, ita ut à Parocho, vel Episcopo talis loci omnia Sacramenta rectè percipiantur præter SS. Ordines, prout *suprà de Tempprib. ordinat. n.* 22. insinuavimus.

Sed quid si vagabundus sit, qui nullibi 24
domicilium habet, sed hinc inde errat absque animo alicubi subsistendi, ubi ille conveniatur? illum ubique conveniri, & per edictum publicum in jus vocari posse, omnium Interpretum unanimis sententia est. Gloss. *in l.* 1. *C. ubi de crimin.* Covarr. *in Quæst. pract. c.* 11. *n.* 12. Et idcirco de tali dici solet: *ubi te invenero, ibi te judicabo.*

§. II.

§. II.

25 *Alter* modus sortiendi forum est *res sitæ* nam ubi res controversa constituta est, ibi actio realis contra possidentem instituì potest. *c. sanè. 3. c. fin. h.t. l. ult. C. Ubi in rem actio.*

26 Dicitur I. *Ubi res controversa constituta est:* Nec refert, res illa immobilis sit, an mobilis; quia *in d. l. ult.* simpliciter dicitur, in rem actionem rectè exerceri, ubi res est, ideóque à re mobili separari non debet. arg. *l. de pretio ff. de Public.* Deinde *in l. 38. ff. de Judiciis.* palam sermo est de legato rei mobilis, idque peti jubetur in loco rei sitæ. Ratio est: quia magis convenit, ut forensis ibi respondeat, ubi rem habet, quàm ut actor, qui rem suam præsentem videt, maximis sumptibus reum sequi ad forum sui domicilii cogatur. Et hanc sententiam teste Sichard. *ad d. l. ult. n. 3.* communis consuetudo Germaniæ arripuit.

27 Dicitur II. *Ibi actio realis*: actio enim simpliciter personalis non rectè movetur in loco, ubi est res debita; & proinde non rectè agitur ex empto ibi, ubi extat res vendita: non rectè ex stipulatu, ubi extat res promissa, & sic de cæteris; sed hæ actiones movendæ sunt, vel in loco domicilii, vel in loco contractûs. Laym. *ad c. 3. n. 2. h. t.* & Legistæ cum Bartolo in *d. l. ult. C. Ubi in rem actio.* Ratio disparitatis inter has, & in rem actiones est: quia actiones personales principaliter spectant, & diriguntur in personam obligatam, & non in rem ipsam, de qua præstanda agitur, quod in realibus contrario modo se habet. *l. 19. ff. de Jure fisci. l. 2. C. Si unus ex plurib. hæredib.*

28 Dixi autem: *Actionem simpliciter personalem non rectè moveri in loco rei sitæ*: actio namque in rem scripta (ut est actio quod metûs causâ) in loco rei sitæ institui potest: quia licèt hæc actio causaliter, & quoad originem personalis sit, cùm oriatur ex delicto, puta ex metu injusto, quoad effectum tamen imitatur, & induit naturam actionis realis; & adinstar datur contra quemcunque possessorem. *l 9. §. ff. Quod metûs causâ.*

Dicitur III. *Contra possidentem.* Neque obstabit, etsi possessor nominet authorem suum; v. g. si is, à quo equum meum repeto, dicat se eundem emisse à Titio, propterea non debeo agere contra Titium, sed contra possessorem equi mei, & quidem in illo loco, ubi equus est, actionem prosequi licebit. *l. 1. C. Ubi in rem actio.* Aliud est, si quis rem alieno nomine possideat, vel detineat, ut si contra inquilinum, qui domum conduxit, rei vindicatione experiri velim: talis enim non tenetur litem in se suscipere, sed satis est, si dominum nominet; quo facto induciæ concedentur, ut dominus certionari, & ad rem suam defendendam per se ipsum, vel per Procuratorem, in eo tamen loco, ubi res sita est, comparere possit juxta *l. 2. C. Eod.* P. Engl *h. t. n. 16.*

Dubitatur I. Annà Clericus quoque conveniri possit coram Judice Laico, in cujus territorio res controversa sita est? Affirmativa in praxi fermè prævaluit: quia in actione reali non tam persona, quàm res ipsa convenitur. arg. *l. 7. ff. de Publicanis. l. 19. ff. de Jure fisci.* Sed ad normam Canonum si expendatur, vix est, ut subsistat: siquidem *in c. 12. & passim. h.t.* sine omni distinctione decernitur, Clericos nec in criminalibus, nec in civilibus causis coram Judice Laico conveniri posse; sub qua generalitate ptocul dubio etiam causæ actionum realium comprehenduntur. Deinde, nominatim excepta est causa feudalis, ut in

ea

ea Clericus rectè conveniatur coram Judice feudali Laico. *c.* 6. & 7. *h. t.* ergo in aliis causis regula stat in contrarium, cùm exceptio firmet regulam in casibus non exceptis. Nec ratio adducta tanti esse videtur, ut contrariam praxim justificare possit, eò quòd res sint accessoriæ ad personam, sicque sequantur naturam & conditionem illius personæ, ad quam spectant, ut proinde etiam propter personam Ecclesiasticam ejus res gaudeant immunitate Ecclesiastica, quæ immunitas realis nuncupatur, & ab omnibus admittitur. *c.* 5. & *ibi* Panorm. *num.* 3. *Eod.* Taceo, quòd in actione quoque reali persona Ecclesiastica citanda, & judicanda sit, quæ ab eo fieri nequeunt, qui in ipsam personam jurisdictionem non habet, sicut judex Laicus respectu Clerici.

31 *Dubitatur* II. Si possessor in loco rei sitæ non moretur, utrùm nihilominùs actio realis ibi adversus eundem institui queat? Et non posse institui autumat Zoësius *ad tit. C. ubi in rem actio.* suadétque textus *in l. un. Cod. ubi de hæreditat.* ubi dicitur, hæreditatem petendam esse, ubi is, qui convenitur, domicilium habet, vel ubi res hæreditariæ sitæ, *si ibi degit.* ergo à sensu contrario, si ibi non degat, seu reperiatur, petitione hæreditatis impeti non poterit. Attamen contrarium longè verius est: tum quia *t. C. Ubi in rem actio. & t. C. Ubi de possess.* loquuntur generaliter & sine discrimine inter reum absentem, & præsentem: tum quia in hoc foro non tam persona convenitur, aut spectatur quàm res ipsa. *d. l.* 19. *ff. de Jure fisci.* tum maximè quia in *l.* 2. *C. Ubi in rem actio.* statuitur, reum absentem citandum, & si non compareat, immissionem in possessionem bonorum decernendam esse. Ergo supponitur in loco rei sitæ conveniri posse, esto ibi non inveniatur. Neque turbat argumentum à contrario deductum *ex l un. C. Ubi de hæredit.* argumentum quippe à sensu contrario sæpe valde infirmum est, neque concludit contra expressum textum alterius legis, & rationem generalem, qualis in proposito est. *d. l.* 2. *C. Ubi in rem actio.*

Dicitur IV. *Institui potest.* Ratio cur 32
possit, & cur judex fiat competens ratione rei controversæ, ubi ea sita est, hæc est, quia actio realis principaliter respicit rem, quæ vindicatur. *d. l.* 19. *ff. de Jure fisci.* Ergo rectè proponitur coram Judice, sub cujus jurisdictione res ipsa jacete Accedit, quòd plerumque in ipso litis exordio necessaria sit rei exhibitio: item limites ipsius probari debeant: & tandem post sententiam, ut executioni mandetur, res ipsa tradenda sit, quæ omnia expeditiùs peragentur coram Judice, in cujus territorio res constituta est, quàm alibi. *arg. c.* 7. *de Præsumpt. c.* 17. *de Appellatione.*

Quid verò, ánne ita eo in loco, ubi 33
res est, actio in rem institui potest, ut eodem illo loco etiam debeat, nec possit alibi? Affirmat Donellus *l.* 17. *Comment. c.* 15. & plures alii, quibus præprimis favet text. *in l.* 38. *ff de Judiciis:* ibi *si autem per in rem actionem legatum petatur, etiam ibi peti debet, ubi est.* Nihilominus recepta sententia est, quòd locus rei sitæ proprium quidem, & regulare actionis realis forum sit, interim tamen electio fori penes actorem est, in loco etiam alio, puta in quo rei possessor domicilium suum habet, experiri; à qua Ego non recesserim: quia domicilium tribuit forum generale, & concurrens cum aliis modis sortiendi forum, *ut supra numer.* 20. probatum. Præ-

terea satis colligitur ex *d. l. ult. C. Ubi in rem actio.* ubi ita Imperatores : *Actor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur. Sed in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constituta sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri.* Ex quo textu liquet, in eo duo diversa loca assignari, quibus in rem actio moveri queat, & forum possessor sortiatur : locum domicilii, quasi commune omnium actionum tam in rem, quàm in personam : & locum rei sitæ, ut proprium actionum in rem. Sícque jubetur reus ibi respondere, non ibi cogitur agere actor. Adde *l.* 10. *& seq. ff. de rei vindic. d. l. un. Cod. Ubi de hereditat.* Nec refragatur *d. l.* 38. *ff. de Judiciis.* sed potiùs interpretatur, & extendit regulam vulgarem, quâ dicitur, actorem sequi forum rei, argum. vocabuli *etiam*, quod habet vim amplificandi, sive extendendi, nullâ quoque aliâ collationis notâ expressâ. Barbos. *de dictionibus usu freq. dictione* 112. *num.* 8. Et quoque verbum *debet* aliquando exponitur pro *potest*, & sic sine necessitate. *l. observare. §. fin. & ibi* Glossa *V. debet. ff. de Officio Proconsul.* Barb. *dict.* 77.

§. III.

34 *Tertius* modus sortiendi forum est *contractus :* quoniam qui in aliquo loco contraxit, ibidem repertus conveniri potest. *cap. ultim. h. t. cap.* 1. *§. contrahentes. Eod. in* 6. *l.* 19. *§.* 1. *& 2. ff. de Judiciis. l.* 1. 2. *& 3. ff. de Rebus authorit. Judic. possid.*

35 Dicitur I. *Qui.* Quis ille sit, qui contraxit, nil interest, modò de Jure potuerit contrahere. Unde & Clericus, qui alibi se responsurum, aut soluturum promisit, ibi respondere debet, non obstante privilegio, eidem specialiter indulto, ut non nisi in certo loco possit conveniri. *c.* 17. *h. t.* quia alicubi se soluturum promittens speciali hujusmodi privilegio censetur renuntiare. Gloss. *in d. c.* 17. *V. certo loco* Panorm. *ibid. n.* 4. Nec moratur, quòd Clericus jurisdictionem Judicis, v. g. Episcopi alieni sine licentia proprii in se nequeat prorogare. *c. significâsti.* 18. *Eod.* quia etsi hoc nequeat expresse, potest tamen tacitè, & ipso facto ex concessione juris, quando promittit, se responsurum, vel soluturum in certo loco; qui casus specialis est, in quo plus operatur tacitus, quàm expressus consensus, ut notat Pirrhing. *h. t. n.* 46.

Dicitur II. *in aliquo loco.* Estque locus contractûs is, ubi quid promissum est dari, seu in quo solutionem fieri convenit, licèt contractus alibi fuerit celebratus. *d. l.* 19. *§. fin. ff. de Judiciis de l.* 3. *& ibi* Zasius *n.* 6. *ff. de Reb. Authorit. Judic. possid. l.* 21. *ff. de O. & A.* ubi ea hujus assertionis ratio redditur, quòd unusquisque intelligatur eo contraxisse loco, in quo ut solveret, se obligavit. Quòd si verò nihil de eo dictum sit expresse, locus contractûs is censetur, ubi negotium est gestum *d. l.* 19. *in princip.* §. 1. *& seqq. l.* 20. *ff. Eod.* Non etiam ubi confectum est instrumentum contractûs. argum. *l.* 38. *ff. de O. & A. & l.* 65. *ff. de Judiciis.* nisi, ut contractus in scriptis fieret, placuisse probetur, tunc enim contractus prius perfectus non habetur, nec quicquam operatur, quàm per Notarium instrumentum expeditum, & partibus absolutum fuerit. *princip. §. in iis autem Institut. de Empt. & vendit.*

Dicitur III. *Contraxit.* Contractus autem hìc generaliter accipitur pro quocunque contractu, vel quasi, quoties aliquis alicui ex aliqua causa obligatur, ut ex

ex negotiis gestis, vel ex tutela. *d. l.* 19. §. 1. & 2. *l.* 20. *l.* 36. §. 1. *l.* 45. §. 1. *ff. de Judiciis.* Imò etiam pro distractu. Everhard. *in Topic. in loco de contract. ac distract. n.* 3. Ummius *ad Proceff. jud. diff.* 4. *n.* 7.

38 Dicitur IV. *Ibidem repertus:* nempe si post contractum initum ibi diutiùs mansit, vel ex intervallo denuò illuc rediit: tunc etenim Judex illius loci tam in bona, quàm in personam omnimodam habet jurisdictionem. Idem statuendum est, si ibi sit constitutus in contumacia, puta si ibi existens sit citatus ad judicium, aut semel in judicio paruerit, & postea inde discesserit. *c. proposuisti h. t.* 39. 34. *ubi* Gloss. *ff. de Judiciis.* Sin autem in loco contractûs, vel destinatæ solutionis nunquam compareat debitor, refert, an ibi habeat bona, an alio in loco, an nullibi? *Primo* casu Judex loci contractûs, & destinatæ solutionis citare potest debitorem ad effectum, ut eo contumace, creditorem in bona ejus immittere queat. *d. c.* 1. §. *contrahentes. hoc tit. in* 6. Covarr. *Pract. quæst. c.* 10. *num.* 5. *Secundo* casu Judex loci contractûs citare poterit reum, eôque contumace decernere immissionem in possessionem bonorum alibi sitorum, & super ejus executione requirere Judicem loci, in quo bona sunt. Ita *d.* §. *contrahentes*, intelligit Covarr. *loc. cit.* addens hoc casu neque Judicem loci contractûs causam principalem definiri posse, neque locum esse remissioni. *Tertio* casu Judex loci contractûs & destinatæ solutionis debitorem extra territorium suum existentem citare non potest. *l. fin. ff. de Jurisdict. Clem. pastoralis.* §. *desiperet. de Sentent. & re jud.* licet possit requirere judicem loci domicilii, ut reum citet, hócque efficiat, ut coram judice loci contractûs compareat. Et, si reus citatus sua sponte compareat, res salva est; sin minùs, neque contumax dicendus est, neque adversus ipsum ceu contumacem Judex loci contractûs procedere potest. Covarruv. *d. l. n.* 3. contra Anton. Butri. *n.* 15. & Panorm. *n.* 36. *in c. fin. h. t.* Aliter tamen 40
servatur in Studiosis, qui à Rectore Universitatis ratione juramenti, quo promiserunt, quòd se sistere velint, quoties vocentur à suis creditoribus, ubicunque locorum sint, citari, & nisi compareant contumaces, & perjuri declarari possunt. Haunold. *de J. & J. tom.* 5. *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 358.

Dicitur V. *Convenire potest.* Ratio cur 41
possit, & cur forum in loco contractus adipiscatur contrahens, est partim, quia eo loco possunt haberi certiora & promptiora documenta rei gestæ; partim quia contrahens se obligavit, vel expressè, vel saltem tacitè ad solvendum in loco contractûs, adeóque etiam ad subeundem judicium, si non solvatur. Interim acto- 42
ri liberum est, debitorem potiùs coram Judice domicilii ratione contractûs convenire: forum namque acquisitum ex contractu in certo loco non tollit forum domicilii, sed forum foro accumulat, & jus electionem tribuit creditori debitorem in illorum alterutro, nimirum vel in loco contractûs, vel in loco domicilii conveniendi, non admissâ fori præscriptione. Text. *in c.* 17. *h. t. d. l.* 19. §. 1. *& ult. ff. de Judiciis. l.* 1. 2. *& 3. ff. de Bonis authorit Jud. possid.*

Cæterùm casus varios reperias, in 43
quibus contractus forum non facit. Sic enim I. si Legati conveniantur de contractibus ante Legationem initis, habent jus revocandi domum, hoc est, petendi,

ut causa remittatur ad Judicem loci, in quo domicilium habent, ne à publicis expeditionibus abstrahantur. *l.* 2. §. 3. *ff. de Judiciis.* II. Si quis constituerit, se soluturum, quod ipse, vel alius debebat, tunc etenim non tenetur respondere in loco constituti, sed ibi, ubi contractus principalis initus arg. *l.* 8. *ff. Eod.* III. Si viator, vel advenna mox iterum discessurus contraxerit in loco transitûs cum sciente ipsum talem esse, ibi conveniri nequit, tanquam in loco contractûs, sed conveniri debet in loco domicilii; ne à susceptо itinere divertatur, sæpe *d. l.* 9. §. 2. *ff. eod.* Quam tamen exceptionem rursus limitant DD. asserúntque, eam non procedere, si vel cum viatore contrahens ignoret eum esse viatorem: vel si viator, aut advena intentione contrahendi ad talem locum se conferat: vel si id, ratione cujus convenitur, in ipso statim contractu implendum sit, ut si pretio soluto nolit tradere rem venditam: vel etiam si ex intervallo post initum contractum ad talem locum denuo redeat, ibique ad tempus moretur. P. Engel *h. t. p.* 1. §. 3. *num.* 22. IV. Mulier in loco contractûs matrimonii, vel ubi pacta dotalia confecta sunt soluto matrimonio non potest agere ad repetendam dotem, sed eandem exigere, tenetur in loco domicilii mariti, utpote quem per matrimonium, migrans cum marito, consecuta fuit. *l. exigere* 65. *ff. de Judiciis.* Dominic. Arumæus *ad ff. disp.* 7. *th.* 14.

§. IV.

Quartus modus sortiendi forum est *delictum*: quilibet enim in loco delicti, si ibi inveniatur, potest conveniri, & puniri. *c.* 14. *& c. fin. h. t. c.* 1. *de Raptorib. l.* 1. *& ibi* DD. *& auth. qua in provincia C. Ubi de Crimin. agi oport.*

Dicitur I. *Quilibet*: Nam & Clericus delinquens potest conveniri in loco delicti, scilicet coram Judice Ecclesiastico illius loci. *d. c.* 14. Et miles, licèt ordinariè coram Magistratu militari conveniendus sit. *l.* 6. *C. de Jurisdict. omn. Jud. l.* 1. *& 2. C. de Officio Magistri milit.* quòdsi tamen crimen admissum non sit militare, præsertim atrox, ac enorme, ab ordinario loci puniri poterit. *l. ult. ff. de Accusat. l.* 3. *in princ. ff. de Re milit.* Quin etiam, si delinquens dignitate emineat, aut sit superior Judice loci, ut si Episcopus in aliena diœcesi, vel Archi-Episcopus extra Provinciam suam delinquat, nihilominus tamen adhuc coram eo, tanquam in foro delicti reste convenitur: quia reatus excludit dignitatem. *l.* 1. *C. Ubi senator. vel Clariss.* ne dicam, quod superior in alterius jurisdictione delinquens pro ptivato habeatur. arg. *l.* 1. *& 3. ff. de Officio Præsid.* Panormitan. *in c. fin. h. t. n.* 6. Clarus *in Praxi q.* 36. *n.* 14. Nisi fortè privilegio alicuo ab hoc jure exemptus sit per. *l.* 3. *C. Ubi Senatores, vel Clariss. c.* 1. *de Privileg. in* 6.

De Studiosis *disputatur*: An si delinquant extra locum studiorum, ibi forum nanciscantur, ita ut à Judice loci criminis puniri queant, an verò ad Magistratum Academicum remittendi sint? Et remittendos esse ad instantiam Academiæ concludit P. Engl *h. t. n.* 29. *ex auth. habita. C. Ne filius pro patre.* ubi probibetur, ne Studiosi, *propter cujuscunque provinciæ delictum* alibi damnum patiantur, sed si lis *super aliquo negotio* moveatur, Magistratum Academicum Judicem habeant. Dissentiunt Bald. Vult. Accurs. & alii apud Ummium *ad Proces. judic. disp.* 4. *num.* 66.

Sa-

52 Sanè in praxi attendi debet ad privilegia, & fundationes cujuslibet Academiæ, quæ interdum jurisdictionem à jure communi Universitatibus concessam restrin-
53 gunt, vel ampliant, aut declarant. Quia igitur teste Hunnio *in Comment. ad d. auth. habita. c. 2. q. 7. in fin.* quibusdam Universitatibus Germaniæ hoc jus petendi remissionem studiosi delinquentis per expressum privilegium concessum est, consequens est, id etiam Universitati Salisburgensi competere: cùm Ea ex Bulla Urbani XIII. & diplomate Ferdinandi II. amplissimam habeat communicationem *cum omnibus, & singulis aliarum quarumcunque Academiarum Italiæ, Galliæ, Germaniæ, ac aliorum studiorum generalium, & Universitatum privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, & indultis, non solum ad earum instar, sed pariformiter, & aquè principaliter, perinde ac si illa Universitati hujus, & illius Rectori, Doctoribus, Scholaribus, & personis in ea promotis nominatim concessa forent;* ut habet tenor dictorum Instrumentorum.

54 An verò Legati, si delinquant in loco legationis, ibi consequantur forum: grâvis Politicorum *Controversia* est; de qua non minùs solidè, quàm distinctè Clarissimus D. D. Gletle *in Quæst. select. ex 2. p. ff. q. 6.* & alii ab hoc laudati.

55 Dicitur II. *In loco delicti.* Locus autem delicti is appellatur, in quo maleficium inchoatum, vel consummatum est per
56 text. *in d. l. 1. Cod. Ubi de criminib.* Si itaque aliquis puellam rapuit in unius Judicis territorio, in alterius Judicis territorio eandem violenter cognovit, de raptu rectè prior, & de stupro alter Judex judicabit. Decian. *in tr. crim. l. 4. c. 17. n. 11.* Idem est, si quis in una Provincia 57
aliquem cepit, & apprehendit, & in alia Provincia eundem exspoliavit: nam quoad capturam prior, & quo ad spolium alter Judex competens est. Farinac. *tit. 1. q. 7. n. 45. & seqq.* Quòd si 58
idem individuum scelus in uno territorio cœptum, in altero perfectum sit, ut si alibi sit excussum tormentum, alibi occisus homo; probabilius est, Judicem utriusque loci concurrere circa puniendum hujusmodi delictum, & dari locum præventioni, quia *in d. l 1. C. Ubi de criminibus.* generaliter traditur, crimina illic vina dicari posse, *ubi commissa, vel inchoata sunt.* Panorm. *in c. licet. n. 25. h. t. Felin. ib. n. 11.*

Ingens inter DD. *dissensio* est: si in 59
confinio duorum territoriorum, auf der Gränz/ und Anwendung/ occisus aliquis reperiatur, quis sit locus delicti, & ad cujusnam territorii judicem cognitio de cæde pertineat? *Prima* sententia ei cognitionem defert, in cujus territorio caput occisi, ceu membrum principale situm est. Verùm decisio hujus nullo modo dependet à præstantia partis, sed petenda est ex conjecturis, quibus in hoc vel illo loco homicidium commissum colligatur: maximè si caput à trunco avulsum proponatur. *Altera* præfert illum, in cujus territorio cor, tanquam fons & sedes vitæ, reperitur; quæ doctrina eandem difficultatem patitur cum priore. *Tertia* jurisdictione ei tribuit, in cujus territorio pars corporis ima, seu pedes jacent, cùm pedes eundem locum retineant, quem antea occupabant, vel saltem ei quàm proximum. Sed nec ista placet; quia rarissimè contingit, ut occisus sine ulla commotione, ac provolutione protinus examinis fiat. Et

quid si cadaver ab Homicida ipso, quod sæpe evenit, aliò pertractum esset? *Quarta* vult ejus esse jurisdictionem, in cujus territorio homicida stetit, ubi verò steterit conjiciendum esse ex vulneris loco, & casu, an scilicet illud anteriori corporis parti sit inflictum, an posteriori, sive tunc pronus, sive supinus ceciderit. At etsi demus, prius verum esse, conjectura tamen de loco vulneris sumpta est incertissima, vix enim fieri potest, ut sine ulla agitatione, aut vacillatione vulneratum corpus rectè procubuerit. Ego missis his opinionibus illam amplector, quæ utriusque territorii judici cognitionem ac definitionem concedit, quòd in dubio semper mediâ viâ incedendum sit. Qui ergo horum diligentior erit, cadaver judicialiter tollendo, particulam vel de corporis, vel ejus vestis parte sanguinolenta (ein Freyß-Pfand/ oder auch Stich- und Wund-Maß) in tesseram jurisdictionis criminalis auferendo, is, quantùm ad hunc actum jurisdictionem prævention is jure in solidum habebit. Quod & ad casum, quando occisus in flumine publico utrumque territorium terminante, reperitur, extenditur. Treutl. & Bachov. *vol.* 1. *disp.* 19. *th.* 4. & alii. 60

Dicitur III. *Si ibi inveniatur.* Enim verò interest, an delinquens existat in territorio Judicis delicti, an non? *Priori* casu delinquens citari potest citatione, tam verbali, quàm reali: quia judex loci delicti in delinquentem constitutum in suo territorio ad omnes effectus juris jurisdictionem habet, adeóque non solùm in personam delinquentis, sed etiam in bona alibi existentia, ita ut in pœnam delicti per sententiam bonis privare possit delinquentem, licet executio sententiæ ab eo fieri nequeat, sed a Judice loci domicilii & bonorum sit facienda. *c. postulasti* 14. *ubi* Panormit, *h. t. l. à divo Pio* 15. *§.* 1. *ff. de re judic. Posteriori* casu aliâ distinctione opus est; vel enim citatio pervenit ad citatum in territorio judicis citantis, vel non? Si *prius*, frequentiori DD. calculo probatum est, citationem esse validam, atque contra citatum non comparentem processus instituj, sententiam annotationis bonorum in territorio existentium, item immissionem in bona, relegationis, banni, & excommunicationis ferri posse. *c. proposuisti* 19. *h. t. c. tua. Ut lite non contest. l. absentem* 5. *ff. de Pœnis.* quia per citationem in territorio factam præventus est, & subjectus in ordine ad hanc causam, ut dicit Dominicus *in c.* 1. *h. t. in* 6. Si *posterius*, cùm scil. citatio ad citatum in loco delicti non pervenit, rursum distinguitur: num reus habeat bona in loco delicti, aut non? *Primo* casu concluditur, citationem hactenus valere, ut absentis bona adnotari, & in ea immissio fieri queat, si requisitus aliter satisfacere nolit pro injuria & damno. Panorm. *in c. fin. n.* 7. *h. t. per c.* 1. *§. contrahentes. Eod. in* 6. *Altero* verò casu, & si delinquens bona ibi non habeat, citatio nullum parit effectum, nec citatum constituit in contumacia: quia extra territorium jus dicenti impunè non paretur. *l. fin. ff. de Jurisdict.* Utique si citatio facta sit per nuntium, aut per literas, vel cùm scitur, ubi sit reus, etenim si nesciatur, ubi sit reus, tunc per edictum publicum, seu proclama, etiam extra territorium existens, citari potest. Felin. *in d. c. fin. num.* 1. *h. t.* Gail. 1. *obser.* 55. *&* 57. Sed hæc ita de Jure communi, quæ praxis non ubique observat teste Haunold, *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 72. 61

Di-

62 Dicitur IV. *Conveniri poteſt.* Ratio cur poſſit, & cur delictum forum conſtituat, eſt quadruplex. *Prima*, ut purgetur ſcandalum, & exemplo pœnæ alii deterriti in illo loco abſtineant à ſimilibus auſis. *Secunda*, quòd Respublica in cujus territorio delictum perpetratum eſt, ſpeciali injuriâ ſit affecta, & Magiſtratus loci delicti vehementer offenſus, ac proinde conveniat, ut ab eo publica fiat vindicta, & ſatisfactio Reipublicæ læſæ. *Tertia*, quia in loco delicti faciliùs, & certiùs poteſt inquiri, & conſtare de criminis authore, ejusque expeditior probatio haberi. *Quarta* eſt, quia ex delicto injuriam paſſi, ſi cogerentur ejus publicam vindictam in alieno territorio proſequi, præſertim apud Judicem loci domicilii, ubi reus habet amicos & cognatos, à privata, & publica actione, ſeu accuſatione, quam expenſis multis in loco domicilii rei inſtituere cogerentur, facilè abſterrerentur. Covarr. *Pract. qq. c.* 11. *n.* 3.

63 Dicitur V. *Et puniri*, atqui ita qui Salisburgi furatur, Salisburgi ſuſpendetur, ſive civis Romanus, ſive Athenienſis ſit. Imò quia Reipublicæ intereſt, delicta non manere impunita, non tantùm in loco delicti ſed etiam in loco domicilii, *l.* 2. *C. Ubi de criminibus.* & ubicunque delinquens reperitur, ibi capi, & puniri poteſt

64 per *l.* 1. ibi: *vel ubi reperiuntur. C. Eod.* Quia tamen locus delicti eſt forum proprium delinquentium: & propterea Jure conſtitutum eſt, delinquentem alibi repertum, ad requiſitionem Judicis loci delicti eò remitti debere. *l.* 7. *§. fin. ff. de Accuſat. l.* 8. *l.* 11. *in fin. ff. de Cuſtodia & exhib. reor. l.* 3. *in pr. ff. de Re milit. Novel.* 134. *c.* 5. *c.* 1. *de Raptorib. Clem. paſtoralis.* 2. *§. quòdſi punitio. de Sentent. &*

65 *re jud.* Quamquam hodie in Germania mutato Imperii ſtatu remiſſio facinoroſorum ad locum delicti potiùs ex urbanitate, & jure amicitiæ, aut vicinitatis, quàm neceſſitate fiat: ideóque ſub antigrapho, ſeu literis, aut vocant, reverſalibus, auf einem Revers / oder Beweiß / und Gegen-Bekanntnuß / quibus petens remiſſionem cavet, nihil hoc facto derogatum iri jurisdictioni Judicis remittentis, ſimúlque ſpondet, ſe in ſimili idem quoque officium præſtitutum. Et plerumque fit in attrocioribus duntaxat delictis cum captivi elogio mit deß beſchuldigten Vergicht / oder Auſſage. Gail. *de P. P. c.* 16. *n.* 30. P. Engel *h. t. n.* 28.

§. V.

66 *Quintus* modus ſortiendi forum eſt *Prorogatio*; cùm ſcilicet Litigantium conſenſu in competentis Judicis jurisdictio extra fines proprios extenditur. *c.* 18. *h. t. c. P. & G.* 40. *de Officio delegat. l.* 14. *l.* 18. *ff. de Jurisdict. l.* 1. *l.* 2. *in pr. §.* 1. *& 2. l.* 74. *§.* 1. *ff. de Judiciis.*

67 Dicitur II *Litigantium.* Poſſunt autem in alterius Judicis jurisdictionem conſentire omnes, qui habent legitimam perſonam ſtandi in Judicio, niſi vel perſonæ, vel cauſæ ratio talis ſit, ut certos habeant Judices, nec ab aliis perſona vel cauſa poſſit judicari, eò quòd foro gaudeant ſpeciali, & privilegiato per ea, quæ tradit Gail. 1. *obſerv.* 49. *n.* 9. Vulteius *in l.* 1. *n.* 168. *C. de Jurisdict.* Hinc

68 *Inferes* I. Domino invito non poſſe vaſallum in cauſa feudeli conſentire in jurisdictionem alterius Judicis: quia ex privilegio juris cauſæ feudales non niſi coram Domino feudali tractandæ ſunt. *c.* 5. *& 6. h. tit.* Gothofred. *ad l. ſi quis.* 51. *lit. U. C. de Epiſcop. & Cleric.* Quòdſi contrà fecerit Vaſallus, Domino poteſtas eſt avocandi. Gail. *d. Obſevat.* 40. *n.* 45.

In-

69 *Inferes* II. Clericos jurisdictionem Judici Laici nunquam; Judicis autem Ecclesiastici incompetendis non aliter, quàm cum consensu Ordinarii sui in se prorogare posse. *d. c.* 18. junctô *c.* 12. *h. t.* quibus corrigitur, ac abrogatur. *l.* 51. *C. de Episcop. & Cleric. & l.* 29. *C. de Pactis* Ubi Justinianus decernit, non licere ei adversùs sua pacta venire, qui promisit, se non usurum fori præscriptione propter sacerdotii prærogativam.

70 *Inferes* III. Exemptos à Papa super articulis concernentibus libertatem, atque exemptionem suæ Ecclesiæ non posse prorogare forum alienum: in exemptione enim versatur non solùm favor partis, sed etiam præjudicium Superioris eximentis, cujus interest, exemptionem à se factam stare salvam: neque est in potestate subjecti, committere alteriùs arbitrio, quæ jus superioris tangunt; præsertim cùm jurisdictio ejusmodi in plenariè exemptos per Papam intelligatur reservata. arg. *c. cum tempore. 5. de Arbitris.*

71 *Inferes* IV. Neque Studiosum posse se alienæ jurisdictioni relicto, & invito Rectore submittere: quia competentia fori apud Rectorem Universitatis non tantùm favore privato Studioforum, sed potiùs favore Universitatis introducta est, Ipsiúsque etiam Rectoris honorem concernit arg. *auth. habita. C. ne filius pro patre.* Ubi in fine dicuntur Studiosi conveniendi coram eo, qui à principe specialiter jurisdictio concessa est. Nec huic sententiæ quidquam derogant *d. l.* 51. *C. de Episc. & Cleric. & l.* 29. *C. de Pactis.* juxta quas quilibet potest suo foro utiliter renuntiare, & hujusmodi renuntiationi stari oportet; solùm enim procedunt, si forum Partium favori attributum sit, non honori Judicum. Gail. *d. lib.* 1. *obser.* 40. *n.* 9. Vulteius *in l.* 1. *n.* 168. *C. de Jurisdict.* Et certè non puto, facile Magistratum Academicum prorogationem admissurum, sed magis inhibiturum, causámque ab alio Magistratu avocaturum esse, ut ipsa praxis ostendit. Dissentit Haunold. *de J. & J. tom.* 5. *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 75. & plerumque alii.

Dicitur II. *Consensu:* Subintellige, vel expresso, qui fit expresso pacto, aut stipulatione; vel tacito, qui monstratur reipsi & facto, id est ipsâ aditione Judicis incompetentis, omissâ fori præscriptione, sive, ut Pragmatici loquuntur, exceptione declinatoriâ. Vult. *in d. l.* 1. *n.* 149. Quin etiam, ut expresso consensu prorogatio efficaciter fiat, Judex incompetens adeatur necesse est: quippe ante aditionem alteri litigantium adhuc pœnitere licet, nec ei conventioni stare cogitur. *l.* 18. *ff. de Jurisdict.* Vin. *de Jurisdict. c.* 11. *n.* 5. & 6.

Variant autem DD. quando re verâ Judex aditus censeatur? Ego cum Bocero *tr. de Jurisdict. c.* 7. *n.* 31. distinguo inter prorogationem, quæ fit expresso partium consensu, & eam, quæ fit tacito. In illa quilibet actus in judicio etiam ante litis contestationem gestus v. g. libelli oblatio, satisdatio &c. ad aditionem sufficit propter verba *d. l.* 18. *ff. de Jurisdict.* In hac verò, ut aditio Judicis facta dicatur, litis contestatio est necessaria per *l.* 33. *l.* 52. *pr. ff. de Judiciis. l.* 4. *C. de Jurisdict.* Ratio distinctionis est: quia si prorogatio fiat expresso consensu, præcedit consensus, subsequitur aditio; si tacito, præcedit aditio subsequitur consensus, si non tempore, saltem naturâ.

Dicitur III. *Incompetentis Judicis:* quippe tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet. Text. *in l.* 1. *ff. de Judiciis.*

ciis. Qui Jurisdictione caret, in eum frustra prorogato fit, quia prorogatio nil aliud est, quàm extensio jurisdictionis extra fines suos; atqui quod non est, extendi nequit, cùm non entis nullæ sint qualitates, *l. 5. ff. de Precario.* Et licèt privatorum consensus possit eum, qui incompetens est, competentem facere, non tamen potest eum, qui Judex non est, Judicem facere, aut jurisdictionem tribuere. *l. 3. C. de Jurisdict.* Et si fortè fecerit, quod is statuerit, judicati authoritatem non habebit. Vin. *de Jurisdict. c. 10. n. 5.*

76 Dicitur IV. *Jurisdictio.* Nec refert, qualis illa sit: quia *in d. l. 1. ff. de Judiciis.* generaliter traditur, prorogationi locum esse, si partes in eum, qui tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet, consentiant. Unde

77 *Sequitur* I. Prorogationem procedere in jurisdictione tam voluntaria, quàm contentiosa, ita tamen, ut hujus prorogatio regulariter à quovis, etiam à Magistratu pari, vel majore illo, cujus jurisdictio prorogatur, facta subsistat. *l. 14. ff. de Jurisdict. l. 13. §. 4. ff. ad SCtum Trebell.* jurisdictionem autem voluntariam, qui omninò privati sunt, prorogare quidem possunt, non verò, qui ipsi jurisdictionem habent vel æqualem, vel majorem. *l. 14. ff. de Manumiss. l. 18. §. 1. ff. de Manumissis vind.* Ratio discriminis est, quòd actus contentiosæ jurisdictionis per alium exercere liceat, non item voluntariæ jurisdictionis. *l. 29. §. 1. ff. de Adoptionib.* Matth. Steph. *de Jurisd. l. 1. c. 24. num. 6.*

78 *Sequitur* II. prorogari posse jurisdictionem tum ordinariam, tum delegatam. De ordinaria non est dubium, idque Schrader. *tr. Feud. p. 10. sect. 3. n. 96.* verum esse ait, etsi judex ille ordinarius non habeat tribunal suorum majorum, nec etiam territorium, ut Rectores Academiarum. De delegata dissident DD. placet tamen communis distinctio inter Jurisdictionem delegatam universalem, & specialem. Illa potest prorogari: quia ordinariæ æquiparatur. Gloss. *in l. 12. ff. de Officio Proconsul.* Hæc prorogari non potest ultra personas, aut causas in instrumento delegationis expressas, nisi intercedat delegantis consensus. *c. 32. c. 40. & ibi* Panorm. *de Offic. Deleg.* Inter easdem autem personas, quarum causa delegata est, de earum consensu extendi potest de loco ad locum: *c. statutum 11. §. in nullo. de Rescript. in 6.* de tempore ad tempus: *c. 4. de Offic. delegati. l. 2. §. 2. ff. de Judiciis.* & de quantitate minori ad majorem per *l. 74 §. 1. ff. Eod. & l. 28. ff. ad municip.* Prolixè Pirrhing. *de Offic. deleg. à num. 130.*

Dicitur V. *Extra fines proprios extendi-* 79
tur: & hæc extensio, seu prorogatio 4. modis accidit: *de persona ad personam: de re ad rem: de loco ad locum: & de tempore ad tempus.* P. Engl. *ad Tit. de Offic. Jud. num. 30.*

De persona ad personam dicitur fieri 80
prorogatio, quando litigantes non subditi ultrò & scientes se subjiciunt jurisdictioni Judicis incompetentis, seu nonsui. Exempla extant *in c. 18. h. t. in l. 18. ff. & l. 1. C. de Jurisdict. l. 1. l. 2. ff. de Judiciis.*

De re ad rem: seu *de causa ad causam* 81
prorogata intelligitur Jurisdictio, quando Jurisdictio limitata ad certas causas conventione partium extenditur ad alias, & diversas, de quibus cæteroquin Judex jus dicere non posset. *l. 74. §. 1. ff. de Judiciis. l 28. ff. ad municip.* Ut verò prorogatio hæc subsistat, necesse est,

ut ille Judex alienus habeat aliàs aliquam jurisdictionem similem, sufficientem ad cognitionem, & decisionem causæ, quæ vertitur inter litigantes, puta spiritualem si causa sit spiritualis; criminalem, si causa sit criminalis; feudalem, si causa sit feudalis, arg. *l.* 61. §. 1. *ff. de Judiciis.* quia alioquin partes non tam veterem jurisdictionem prorogarent, quàm novam conferrent; quod non est in potestate privatorum. *d. l.* 3. *C. de Jurisdict.* Clariss. DD. Gletle *in Quæst. select. ex* 2. *p. F. q.* 1. *num.* 5.

82 *De loco ad locum* jurisdictionis apparet prorogatio, quando Judex, jussus de causa sibi commissa certo loco cognoscere, expresso partium consensu alio loco de ea jus dicit. Atque modus hic prorogandi firmatur expresso textu *in c.* 11. §. *in nullo. de Rescript. in* 6. Advertunt tamen Zasius & alii *in l. fin. ff. de Jurisdict.* ut forum ad locum diversi territorii transferatur præter conventionem partium opus esse consensu Judicis illius loci.

83 *De tempore ad tempus* Jurisdictio prorogatur, cùm partes intra certum illud tempus, quod Judici ad reddendum illud jus datum est, consentiunt in id, ut liceat ei etiam ultra illud limitatum tempus cognoscere, & judicare. Et hæc prærogationis species pro se habet textus egregios *in c.* 4. *de Officio delegati & in l.* 2. §. *ff. de Judiciis.* Quidquid reclamitet Vinnius *de Jurisdict. c.* 10. *n.* 8. *& seqq.*

84 Cæterùm moribus nostris jus prorogationes valdè restrictum est, & solent Judices proprii, sive ordinarii subditis suis, ne coram alio compareant, inhibere, causásque ad se evocare: cùm hodie fermè omnes jurisdictiones cœperint esse patrimoniales, ac feudales arg. *tit.* 1. §. *& quia Tit.* 33. *& seqq. F.* 1. Bocer. *in tr. de Jurisdict. c.* 7. *n.* 49. Accedit, quòd Imperator Electoribus, *Aur. Bull. Caroli IV. c.* 8. *in pr. & c.* 11. *in pr.* cæterisque statibus Imperii, Comitibus, Nobilibúsque privilegia exemptionum concesserit, ut nemo eorum subditos coram alio Tribunali in jus vocet, & si maximè vocatus contra privilegium coram alio Judice compareat, ac in ejus jurisdictionem consentiat, ex tali consensu partis nihilo magis prorogetur jurisdictio in præjudicium Domini, sed eam à tali Judice avocare, & si avocationi locus non detur, appellare possit. Gail. 1. *Obser.* 40. *num.* 2. & 3. per text. singul. *in c.* 5. *de Arbitr. qui ibid. n.* 4. scribit, in talibus casibum quotidie à Judicio Rotwilensi ad Cameram Imperialem appellari.

§. VI.

Sextus denique modus sortiendi forum fundatur *in privilegio*: enimverò causæ quædam, & personam ita privilegiatæ sunt, ut specialem, ac proprium judicem requirant, nec possint judicari ab illo, qui aliàs de Jure communi ratione domicilii, rei suæ, &c. competens foret, ideóque dicuntur habere forum speciale.

Causæ privilegiatæ sunt I. causæ Ecclesiasticæ, & spirituales, ubi scilicet directè & principaliter agitur de rebus spiritualibus, vel iisdem annexis, vel aliàs Ecclesiam respicientibus; isse namque etiam inter Laicos agitatæ tantùm ad tribunal & forum Ecclesiasticum spectant. *c.* 8. *de Arbitr. c.* 3. *c.* 11. *h. t. c.* 2. *&* 3. *de Judiciis*, ubi *n.* 44. id latiùs explanavimus.

II. Causæ fiscales; quales sunt, quibus quæritur de bonis fisco delatis, vel de pœna pecuniaria fisco inferenda, vel de eo, quod fisco debetur ex contractu: quoniam has causas, sive fiscus actor sit, sive reus, dijudicare oportet Procuratorem Cæ-

Cæsaris. *l. 1. & 2. C. Ubi causæ fiscal.* & hodie Judicem Cameræ Imperialis. *Ord. Cam. p. 2 tit. 20. §. fin.* ubi causæ fiscales in specie recensentur Gail. 1. *Observ. 20. per tot.*

87 III. Causæ statûs, videlicet de libertate, ingenuitate, legitimis natalibus &c. ut quæ non nisi coram majoribus Judicibus ventilari possunt, & debent; quales in Urbe erant Consules, in Provinciis Præsides. *l. 32. §. 7. ff. de Recept. qui arbitr. l. ult. C. Ubi causa status.*

88 IV. Causæ feudales; quales sunt, quando de ipso feudo constituto, vel ab ejus natura dependentibus, uti de servitiis præstandis culpa vasalli, aut etiam Domini &c. lis vertitur: de his siquidem jus dicendi potestas secundùm singularem juris feudalis dispositionem regulariter tribuitur vel Domino, vel Paribus Curiæ, quamvis laici sint, & litigantes Clerici. *c. 6. & 7. h. t.* Pirrhing *ibid. Sect. 5. per tot.* & nos supra *de Judiciis à n. 60.*

89 *Personæ Privilegiatæ* sunt I. Clerici, qui coram Judice Ecclesiastico conveniendi sunt, sive civiliter, sive criminaliter agatur. *c. 2. h. t. in 6.* ubi decernitur, Judicem laicum, si ad instantiam Creditorum & exhibitionem chyrographi Clericum compellat solvere sua debita, à temeritate hujusmodi per censuras Ecclesiasticas compescendum esse. Ampliùs: *in c. quoniam 4. de Immunit. Eccles. in 6.* ipso facto excommunicantur omnes Judices & Domini temporales, qui in causis ad forum Ecclesiasticum ratione personarum, aut negotiorum de jure, vel antiqua consuetudine pertinentibus, Partes ad litigandum in foro sæculari vel per captiones rerum, vel quocunque alio modo cogunt. Quôdsi Clericus sua sponte coram Judice laico respondeat, in causa criminali, dignitatem, vel beneficium suum amittet, licèt pro ipso pronuntiatum sit; si in causa civili, perdet totum, quod evicit, sibique adjudicatum est. *c. si diligenti 12. & ibi* DD. *h. t.*

II. Viri Illustres, qui aut summis digni- 90
tatibus functi, aut honorariis codicillis à principe decorati sunt: illi enim delinquentes in Consistorio Principis; isti verò in judicio prætorianæ, aut urbicariæ præfecturæ, vel Magistri officiorum convenire debent. *l. 3. pr. & §. 2. C. Ubi Senat. vel Clariss.* Hodie in Germania hac prærogativâ gaudent Status Imperii, quos de delictis in alterius statûs territorio commissis, si non coram Austrægis, vel in Camera, vel saltem coram Imperatore accusandos esse, docet Ummius *ad Proceff. judic. disp. 4. n. 9.*

III. Professores cum tota sua familia, 91
& Studiosi, eorúmque Præfecti & famuli, si quos habent, qui Jure civili habent forum Domini, vel Magistri Studiorum, seu Magistratûs Academici, vel ipsius civitatis Episcopi, ita ut sit in eorum optione, quem Judicem velint ex his accipere, si ipsis à quopiam lis moveatur: & si quis eos ad alium Judicem trahere tentaverit, etiamsi causa ejus foret justissima, à tali conamine cadere debeat. *Auth. habita & ibi* Interpp. *C. Ne filius pro patre.* Ve- 92
rùm hodie passim tam in Academiis Imperii Romani, quàm Galliæ, & Italiæ obtinet, ut qui suum nomen apud matriculam Academicam non sunt professi, nec se in numerum Studiosorum referri fecerunt, cùm id commodè potuerunt, intra tempus consuetum, & statuto expressum; non defendantur à Senatu Academico quoad fori privilegium, nec pro Academiæ Studiosis agnoscantur.

IV. Milites, qui, ne à signis suis avo- 93

centur, in causis Civilibus & criminalibus (excepta causâ facinoris atrocioris) apud Magistrum Militum conveniendi sunt, ad quem etiam remitti debent *l. 9. ff. de Custod. & exhib. reor. l. 6. C. de Jurisdict. l. 1. l. 2. C. de Offic. magist. milit.* Usus tamen in hac parte variat, & alibi Magister militum jus habet animadvertendi in omnia eorum crimina, alibi verò tantùm in delicta militaria, ut testatur Clarus *lib. 5. sentent. §. fin. q. 35. n. 54.*

94 V. Pupilli, viduæ, & aliæ personæ miserabiles, quæ sive agant, sive conveniantur, omissis judicibus mediis causam protinus trahere possunt ad supremum tribunal Principis, ubi nec violentiæ locus datur, nec avaritiæ labes formidatur: ubi innoeentia refugium, & calumnia jus potest invenire districtum. *l. un. C. Quando Imperator inter pupillos, viduas &c.* Quamvis praxis id non observet, sed experientia quotidianâ teste quilibet sine respectu personarum conveniatur coram suo immediato Judice. Gail. 1. *Observ. n.* 40.

TITULUS III.
De Libelli oblatione.

Circumspectâ fori competentiâ Judici offertur Libellus, & postea super eo expeditur citatio. Unde hic de *Libello*, & *Citatione* videndum est.

Pars I.
De Libello.

SUMMARIA.

1. Libelli homonymia. 2. Definitio 3. 4. & divisio.
5. A quo 6. & cujus sumptibus libellus offeratur?
7. Libelli oblatio est de substantia judicii. 8. Usque 17. Exceptis quibusdam casibus.
17. Usque 29. Quæ causæ seu actiones in eodem libello cumulari possint, quæ non?
29. Usque 45. Exponuntur requisita substantialia libelli.
45. Usque 50. Clausulæ Libelli quænam sint?
50. Libellus cur offeratur?
51. 52. 53. Recensentur effectus libelli.
54. Libellus non debet esse contrarius. 55. Obscurus. 56. Incertus. 57. Generalis. 58. Vel alternativus.
59. Quatenus libellum emendare, vel mutare liceat?

§. I.

Libellus in genere significat omnem scripturam: hinc sumitur pro tabula, quâ fidei commissum testator scribit: *l. 1. in pr. ff. de Tabul. exhib.* pro scheda supplici, quam vulgò *supplicationem* indigitant: *t. 1. C. Quando libell. Principi dat. litt. contest. fac.* pro scripto divortii causâ à Marito Uxori, vel vice versâ misso: *l. 7. ff. de Divortiis.* pro famosa scriptura: *Rubr. ff. & C. de Famos. libell.* item pro litteris dimissoriis, seu Apostolis: *t. t. ff. de libell. dimiss.* & si quæ sunt alia. Propriè autem & in præsenti accipitur pro scriptura, quæ actionem continet. *c. fin. h. t. l. 3. ff. de Accusat. auth. offeratur. C. de Litis contestat. Novel. 53. c. 3. §. sancimus.*

§. II.

Definitur Libellus, quòd sit brevis scriptura intentionem seu petitionem actoris complectens. Panormit. *ad rubr. h. t. num.* 1.

§. III.

Dividitur Libellus I. In civilem, qui conventionis, & criminalem, qui accusationis, & inscriptionis dicitur. Civilis est, qui offertur in causis civilibus, dum nempe quis de re familiari pecuniariter, & in privatum, ac proprium commodum agit, sive propter crimen admissum, sive propter aliam causam. Criminalis, qui porrigitur in causis criminalibus, quando videlicet quis agit de delicto aliquo ad pœnam corporis afflictivam, vel pecuniariam fisco applicandam. Vallens. *h. t. n. 5.*

II. Di-

4 II. Dividitur in libellum simplicem, seu summarium, & articulatum, sive positionalem. Ille est, qui summatim, & continuâ quâdam orationis serie actoris intentionem pertexit. Iste, in quo merita causæ per articulos proponuntur. Notat vero Frider. Andler *ad Instit. de Actionib. §. libellus.* ex novissimo Recessu Imp. *de Anno* 1654. §. disem negst. 34. rejecto articulato solùm summarium esse approbatum.

§. IV.

5 *Causa efficiens* Libelli est is, qui libellum offert. Debet autem offerre, qui adversus alium in judicio, sive suo, sive alieno nomine, agere intendit. *c.* 1. *h. t. c.* 4. *§. offeratur. causâ* 3. *q.* 3. *d. auth. offeratur. C. de Litis contest.* Et quidem causis expediendis magnoperè conducit, si reo ad supplicantis narrata citato, & comparente, actor libellum in duplo exhibeat; quorum alterum judex ipsi reo tradat, alterum sibi reservet, & ad acta deponat juxta usitatum stylum Cameræ Imperialis, ubi omnia producta in duplo sunt exhibenda per *Ordinat. Cam. p.* 3. *tit.* 40. *pr.* aliorumque quorundam Judiciorum. Nec stylus hic à ratione juris alienus est: cùm finis libelli sit, ut Judici & adversario speciem litis demonstret, & agentis desiderium exponat. *l.* 1. *ff. l.* 3. *C. de Edendo.* quem nunquam assequetur, nisi utrique edatur.

6 Connexa *quæstio* est, cujus sumptibus libellus edendus sit? Sichard. *in d. auth. offeratur. n.* 11. sumptibus Rei; Maranta *in Spec. p.* 6. *tit. de Libell. oblat. num.* 3. sumptibus actoris; Alex. in *l.* 1. *pr. n.* 8. *ff. de Edendo.* sumptibus utriusque libellum offerri volunt. Ego rem distinctione expediri posse video: scilicet, an reus statim, ac ipsi lis denuntiatur, aut intermissâ denuntiatione Libellus editur, liti cedat, an verò judicium suscipiat? Priori casu ad refusionem expensarum in libelli confectionem factarum haud tenetur. Casu posteriore refert, num reus justè, vel temerè seu injustè judicium susceperit? Si justè, non tantùm sumptus restituere non cogitur, verùm etiam quascunque pecunias ob temerariam litem sibi motam erogatas ab actore recipit. Si injustè, non solum ad libelli, sed ad omnium expensarum litis susceptæ causâ expositarum restitutionem, sicut quilibet improbus litigator, adstringitur. *§.* 1. *in fin. Instit. de Pœna tem. litig.* Ummius *in Process. judic. disp.* 6. *n.* 42.

§. V.

7 *Materia* seu *objectum* Libelli sunt causæ in judicio controversæ. De his regula esto, in omni causa tam civili, quàm criminali libello opus esse, adeò ut etiam de substantia judicii esse censeatur, nec ad judicium admittatur ille, qui sine libello vult agere. *c.* 1. *& ibi* Gloss. *V. Libellum. h. t. d. auth. offeratur. C. de Litis contest. ubi* DD. Gravett. 1. *p. consil.* 150. *n.* 2.

8 Sed ut omnis alia, & hæc regula suas patitur exceptiones: omitti enim potest libellus I. iu causis coram Principe, seu Imperatore, vel Papa agitandis, quorum præsentia omnem solennitatem supplet arg. *l. omnium.* 19. *C. de Testam.* Gloss. *in c. fin. V. illustrium. de Sentent. & re jud. in* 6.

9 II. Quando Judex sive Magistratus proprio motu, & ex officio procedit. Georg. Obrecht. *de form. & concip. libell. c.* 6. *n.* 7.

10 III. Ubi duo eandem rem possidere contendunt, & neuter libellum vult offerre, ne offerendo libellum alterum possidere fateatur: tunc quippe officio Judicis res à probationibus est inchoanda. *c.* 2. *de Ordine cognit. arg. l. si cujus* 13. *in fin. ff. de Usufr.*

11 IV. Cùm ex sententia vel transactione implorando officium Judicis agitur: ne executio per libelli oblationem differatur, néve novo libello admisso lis ex lite nascatur. *l. terminato* 3. *C. de Fructib. & lit. expens. l.* 11. *in fin. C. de Reb. cred.*

12 V. In notoriis: quia in iis nec ordo juris servandus, nec accusatoris clamor exspectandus est. *c. manifesta cum* 2. *seqq. causâ* 2. *q.* 1. *c.* 21. *de Jurejur. c. evidentia.*

13 *de Accusat.* VI. In causis modicis, & vilium personarum. *auth. nisi breves. C. de Sent. ex peric. recit. Novel.* 17. *c.* 3. *junctâ Novell.* 80. *c.* 1. *ℵ. & siquidem.* Quæ verò causa modica sit, cùm jura non determinaverint, judicis arbitrio relinquendum censeo arg. *l.* 1. *in f. ff. de Jure delib. l.* 8. §. 11. *ff. de Transact. l.* 52. §. 2. *ff. de Judiciis.* Mynsing. *Cent.* 1. *observ.* 68.

14 *n.* 4. VII. In quibusvis causis summariis; utpote in quibus de plano proceditur, & sufficit qualiscunque petitio, ex qua formari possit sententia. *Clem.* 2. *de Judiciis. Clem.*

15 2. *de V. S.* VIII. Si statuto cautum, vel consuetudine receptum sit, ut omnia in judicio oretenus petantur & proponantur: statutum namque & consuetudo in his etiam, quæ sunt circa judicia, valet, juríque scripto derogat. *l.* 32. *& seq. ff. de Legib. l.* 3. §. *fin. ff. de Testib.* Panorm.

16 *in c.* 1. *n.* 16. *h. t.* IX. In causis appellationum, quando in prima instantia libellus oblatus est, & ex iisdem actis proceditur. Scacc. *de Appellat. q.* 11. *a.* 4. *n.* 35. ubi ita stylum uniformem in Curia Romana servare testatur. Sed in Camera Imperiali, si à sententia interlocutoria simplici appellatum sit, libello opus non est: si à definitiva, vel ab interlocutoria vim definitivæ habente; liberum est actori vel libellum exhibere, vel ejus loco acta prioris instantiæ repetere. Christoph. Schwanman *in Processu Cam. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 8. Plures alias causas, in quibus libellus de necessitate non requiritur, vide apud Specul. *de Libell. concept.* §. *nunc dicendum, per tot.* Georgius Obrecht. *d. c* 6. *num.* 5. *cum seqq.* Hunn. *in Encyclop. Juris p.* 2. *tit.* 9. *c.* 1.

Cæterùm frequenter in uno, eodémque libello plures causæ, seu actiones conjunguntur; quod vulgò *cummulationem actionum* indigitant. Et verò hæc cumulatio regulariter permissa est. *l. si idem cum eodem. & ibi* Alex. *n.* 1. *C. de Jurisdict. omn. Jud.* atque optima ratione usu recepta, nempe quò lites diminuantur, & faciliùs ad exitum perducantur: frustra enim fit pluribus judiciis, quod uno absolvi potest.

Excipiuntur I. Actiones planè non cohærentes, & nullatenus connexæ: quandoquidem, si cumulatio non fiat in eadem vel causa, vel persona, omnino erit inepta, ridicula, rejicienda. Hinc pessima est cumulatio, si dicas unô libellô: *Domine Judex, Titius mihi* 100. *mutua debet, & Sempronius* 20. *Ergo rogo, ut ipsos ad solvendum & restituendum arctare velis, & compellere.* Frid. Mindan. *de Continent. causar. l.* 3. *c.* 10. *n.* 10. *&* 11.

II. Excipiuntur actiones contrariæ: quia positô unô contrariorum, necesse est tolli alterum. *l. hæc verba* 124. *ff. de V. S.* Unde simultaneè cumulari nequeunt querela inofficiosi testamenti, & actio ad supplementum: arg. *l.* 3. *l.* 5. §. 1. *ff. de Inoff. testament. & l. omnimodo* 30. *l. sicimus* 36. *C. Eod.* petitio hæreditatis ex testamento, & ab intestato, quàm diu enim hæreditas ex testamento peti potest, petitioni ab intestato locus non est: §. 7. *Instit. de Hæredit. quæ ab intest. l.* 17. §. 1. *l.* 21. *l.* 77. *ff. de Acquir. hæred. l.* 89. *ff.*

21 *ff. de R. J.* Item rei vindicatio, & actio Publiciana: arg. *l. in rem.* 23. *ff. de Rei vind. & l.* 1. *ff. de Publiciana in rem act. §.*

22 *namque* 4. *Instit. de actionib.* Interdictum seu judicium retinendæ possessionis, & judicium petitorium: quia & civilis & naturalis ratio facit, ut alius possideat, & alius à possidente petat, *§. retinendæ.* 4. *Instit. de Interdict. §.* 2. *&. nam in his. Instit. de Actionib. l.* 1. *ff. Uti possidetis.* arg. *c.* 15. *de Judiciis. & c.* 5. *de Causa possession. & proprietat.* Glossa *in l. naturaliter* 12. §. 1. *V. qui cepit. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Vid. Emer. Rosbach. *in Praxi civil. tit.* 34. *n.* 4. ubi exceptionem hanc pluribus modis limitat.

23 III. Excipiuntur actiones, quarum una, vel altera est præjudicialis: quia sententia absolutoria lata in actione præjudiciali parit exceptionem rei judicatæ in altera. Mynsing. *§. fin. minus. n.* 37. *Instit. de Actionib.* Hinc simul cumulari non potest quæstio statûs cum judicio noxali: *l. pen. ff. de Noxal act.* actio de partu agnoscendo cum causa alimentorum; *l. si quis.* 5. *§. si vel parens, & seqq. ff. de agnoscend. lib. l. pen. ff. de his qui sui, vel al. jur.* rei vindicatio cum actione confessoria, vel communi dividundo. *l.* 16. *l.* 18. *ff. de Except.* hæreditatis petitio cum judicio familiæ erciscundæ. *l.* 1. *§.* 1. *ff. Familia erciscund.* Eckolt. *ad ff. de O. & A. §.* 64. Haunold. *de J. & J. tom.* 5. *tr.* 2. *c.* 2. *controvers.* 8. *num.* 279. *& seqq.* ubi hujus exceptionis aliquas notabiles limitationes affert.

24 Excipiuntur actiones, quæ ex una eademque causa descendunt & ad eundem finem tendunt: quia unâ in judicium deductâ alterâ consumitur. argum. *l.* 9. *§.* 1. *ff. de Tributor. act. l.* 53. *ff. de O. & A. l.* 43. *§.* 1. *ff. de R. J.* Sic Domino rei de furto surreptæ competit rei vindicatio, & condictio furtiva; non tamen potest utrâque simul agere, sed unius electio alteram tollit. *§. fin. & ibi* DD. *Institut. de Obligat. quæ ex delict.* Similiter ex eodem legato tres prodeunt actiones: rei vindicatio, actio personalis ex testamento, & hypothecaria: non tamen in eodem libello proponi possunt, sed morâ unâ reliquæ perimuntur. *l.* 76. *§. pen. ff. de Legat.* 2. Confer. Hunn. *Var. Resol. lib.* 4. *p.* 8. *q.* 2. *per tot.*

V. Excipiuntur Actiones, quæ sic se 25
habent, ut unâ propositâ, & condemnatione secutâ, factâque executione contingat liberatio ab alia. Unde mixta actio rei persecutoriam, si cum ea concurrat, tollit: quoniam rem non ante per mixtam actionem actor consecutus est. *l. qui servum.* 34. *ff. de O. & A.* at bona fides non patitur, ut idem bis exigatur. *l. bona fides. ff. de R. I.* Econtra admittitur cumulatio, si 26
alterius solutio non liberet debitorem ab altera. Sic si actio purè pœnalis concurrat cum rei persecutoria, una non consumit alteram, nec quid impedit cumulativè conjungi in eodem libello: quia, cùm tendant non ad idem, sed diversa, non sequitur contra juris rationem; quòd quis eandem rem bis exigat, aut consequatur. Proinde furti actione, & condictione furtivâ, vel rei vindicatione, actione pro socio, locati, tutelæ, aut quavis aliâ actione bonæ fidei uti non prohiberis, neque actio sorti pœnam dupli, aut quadrupli continens, altetius electione tollitur. *l.* 7. *§.* 1. *ff. de Condict. furtiva §.* 18. *instit. de Action. l.* 54. *§. fin. ff. de Furtis. l. ancillæ.* 12. *C. eod. l. qui servum.* 34. *§.* 2. *ff. de O. & A. l. rei communis.* 54. *cum l. seq. ff. pro socio. l.* 42. *ff. Locati l.* 29. *ff. Depositi. l.* 1. *§. hunc tamen. ff. de Tut. & rat. distrah.*

Num

27 Num verò actio civilis & criminalis unà & simul intentando cumulari possint, sæpiùs *disceptatum* est? & communiùs obtinuit, quòd etsi utraque æquè principaliter simul institui nequeat, arg. *l. 54. ff. de Judiciis. l. un. C. Quando civil. act. crimin. præjud. l. adulterii. 33. C. ad leg. Jud. de adult.* attamen actione criminali principaliter intentatâ, actionem Civilem, puta ad restitutionem rei ablatæ, refusionem expensarum, & similia, incidenter cumulari posse per *l. pen. ff. de Calumniat. l. 4. §. 4. ff. Fin. regund. l. 3. ff. de Extraord. cognit. l. 3. C. de condict. ob turp. caus. l. 3. C. de his, qui accusare non poss.* Clar. *in*
28 *Pract. crim. §. fin. q. 2. n. 1. & 2.* Inde verò statuendum non est, actione civili principaliter motâ, criminale judicium incidenter moveri posse, cùm in hoc requirantur probationes luce meridianâ clariores. *l. fin. C. de Probat.* Accedit, quòd causa criminalis, utpote major, & dignior, bene possit ad se trahere causam civilem, velut minorem, non autem hæc illam, arg. *d. l. 54. ff. de Judiciis.* Dissentit Mindan. *d. l. 3. c. 11. n. 4. ubi n. seq.* plura de hac actionum cumulatione proponit.

§. VI.

29 *Forma* Libelli est vel substantialis, seu intrinseca, vel accidentalis, seu extrinseca.

Forma substantialis Libelli sita est in quinque horum versiculorum momentis:

Conventi nomen; nomen quoque convenientis;
Judicis & nomen scribit, causámque petendi.
Et quascunque petet res, istas scribere debet.

Ut habet Gloss. *in c. 1. V. libellum. h. t.* Quæ breviùs hoc disticho comprehenduntur.

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo.

Rectè compositus quisque libellus habet.

I. Itaque in libello exprimendum est *nomen Judicis*, ut constet, an is sit competens, nec ne? Non tamen necessum est, ut Judicis nomen proprium ponatur, licèt possit, sed sufficit, & solet hodie plerumque Judex à suo officio, ac jurisdictione compellari: ex officio enim, dignitate, vel magistratu quis plurimis notus esse potest, qui tamen nomen proprium ipsius ignorant, arg. *l. 28. ff. de Reb. dub.* Marant. *in Spec. p. 6. de Lib. obl. num. 8.* Schneid. §. 1. *num. 110. Instit. de Actionib.* Unde etiam, licèt in Judicis nomine, cognomine, prænomine, vel agnomine erratum sit, si certa sit persona ipsius, judicium firmum est. *l. 80. ff. de Judiciis.* & facit §. 29. *Instit. de Legat.*

II. Libello inserendum est *nomen* proprium *actoris*, quò Judex, quis agat, & reus, à quo conveniatur, sciat. Et quamvis Ummius *d. disp. 6. n. 49.* post Bald. Oldendorp. & Obrecht sustineat, expressionem nominis actoris necessariam non esse, si ipse in propria persona & causa libellum exhibeat, usu tamen contrarium invaluit; & rectè quoniam actoris malè sibi conscii est, nomen suum tacere, atque ita calumniis ansam præbere. Alieno nomine quando quis agit, v. g. Prælatus nomine Ecclesiæ, Syndicus nomine Universitatis, quin nomen quoque sui Principalis, cujus causam agit, exprimere teneatur, nemo ambigit, cùm eo omisso reus adversarium suum ignoraret, *per c. 3. de Dilat. c. 6. de Fide instr. l. 1. §. 1. & t. t. ff. Quod cujusque univers. nom.* Num verò in prima, vel tertia persona actoris nomen exprimatur, nil refert arg. *l. 3. ff. de his, qui in testam. del.* frequentiùs tamen in tertia persona libellus concipitur.

III.

32 III. In libello designandum est *nomen rei*, ut intelligat, se, non alium actione impeti. Quòdsi contra plures ex communi obligatione agatur, interest, an singuli in specie, an universim conveniantur? *priori* casu omnium, & singulorum nomina oportet exprimere, nec sufficit non expressos appellatione consortum nuncupare, vel in progressu causæ reliquorum nomina explicare arg. *l.3. §.2. ff. de Appellat. Posteriori* casu, satis est, nominare Præfectos in genere, arg. *l.97. ff. de Condit. & Demonstr.* imò & Syndicum, quia ut hic nomine Universitatis actiones instituere, ita & easdem excipere potest. *l.1. §.1. l.6. §.1. ff. Quod cujusque univers. nom. l. fin. §. defensores ff. de Munerib. & Honorib.* Brunneman. *in Processu civili. c.5. n.6.*

33 IV. Exponi debet *causa petendi*, seu jus ex quo agitur. *l.1. ff. de Edendo. c. fin. h.t.* nimirum ut reus secum consultare possit, utrùm ex causa allegata debeat, & an cedere, vel litigare expediat.

34 *Quæritur* autem, qualis causa in libello alleganda sit? Est enim causa petendi in qualibet actione alia remota, alia proxima. In actione personali causa remota est contractus, vel quasi-contractus, delictum, vel quasi-delictum. *l.25. §.1. ff. de O. & A.* Proxima est obligatio ei correspondens, & ex qua actio descendit. §.2. *Instit. de Oblig.* §.1. *Instit. de Action.* In actione reali causa remota est titulus, seu factum, ex quo acquiritur dominium, vel quasi-dominium vel aliud jus in re; proxima verò est vel dominium, ut in rei vindicatione, vel quasi-dominium, ut in actione Publiciana, aut aliud jus in re. *d. §.1. & ibi* Schneidvv. n. 109. P. Engl. *h.t. n.2.* Quibùs præmissis distinguo inter actionem personalem, ac realem, &

35 Dico I. In actione personali satis, & necessarium est exprimere causam remotam: v.g. *peto* 10. *ex mutuo, ex deposito. d. c. fin. h.t.* Satis est: quia ex causa remota præsumitur proxima, & illâ probatâ hæc necessariò infertur. Glossa in *c.2. V. significantibus. h.t.* Necessarium est: quia allegatâ solùm causâ proximâ: v.g. *peto* 10. *à Titio, ad quos mihi obligatus est*, libellus foret nimis generalis, cùm eadem res ex pluribus causis deberi possit, *l.14. §.2. ff. de Except. rei jud.* ideóque reus non posset ex illa causa tanquam incerta & non concludente, certum aliquod jus agendi colligere, neque proinde deliberare, an cedere, vel contendere velit, & debeat. Gail, *l.1. Observ. 61. n.5.*

Dico II. In actione reali sufficit expri- 36
mere causam proximam: ut *peto fundum quia meus est, vel quia ejus sum dominus:* inde enim satis reus certificatur, litigandum, an cedendum sit: cùm sciat, se restituere debere, ex quacunque demum causa actor dominus sit, aut si alleget quasi-dominium aut jus in re specificum, intelligat, quo titulo possideat ipse, ex quo sciet, an Publiciana, vel hypothecaria actio intentetur. Schambogen *ad instit. de Action. pr. ℣. sciendum.* Non prohibetur tamen actor 37
causam remotam cum proxima libello inferere, quin aliquando id consultum est: nam si causam etiam remotam actor exprimat, hoc modo: *peto fundum illum, quia meus est ex causa emptionis:* & ex defectu probationis allegati tituli causâ cadat, non obstabit ipsi exceptio rei judicatæ, quò minùs eundem fundum ex alia causa, & titulo denuo petere possit, *l.11. §.2. ff. de except. rei jud.* modò non ignoranter nec malitiosè, adversarii vexandi causâ titulum omiserit, alioquin non ampliùs audietur. arg. *l.43. ff. de Recept. qui arbitr.* Si autem solam causam proximam, puta dominium

nium exprimat, tum omnes causas remotas comprehendisse, & omne jus suum deduxisse videatur, consequenter succumbens ex nulla causa posthac fundum petere potest, sed agenti semper obstabit exceptio rei judicatæ. *d. l.* 11. *§.* 1. *ubi* Gloss. *V. hominem. l.* 14. §. 2. *ff. Eodem.* 38 At aliquando quoque utile est, rem, proximâ tantùm causâ allegatâ, in genere petere: siquidem si hoc fecerit actor, etiamsi ante litem contestatam dominus non fuerit, sed demum post litis contestationem ex causa aliqua dominus rei petitæ factus sit, vigore causæ proximæ, & generalis, libello insertæ, obtinebit, cùm tamen, si causam remotam, & specialem, quam non probaret, expressisset, licèt alia superveniret lite contestatâ, succumberet. *c. Abbate. ℣. cæterùm de Senten. & re jud. in* 6. Zoës. *ad ff. de rei vind. n.* 31. Viderit proinde actor, quam causam libello inserere expediat: equidem si certus sit de causa remota, eam consultò cum proxima junget; sin dubitet, ex sola causa proxima consultiùs rem petet.

39 *Quæstioni* præcedenti conjuncta est alia: an nempe etiam actionis nomen in libello exprimi opus sit? Quidam affirmant per *l.* 1. *ff. de Edendo.* quæ ait: *quâ quisque actione agere volet, eam edere debet.* Idem insinuant. *l.* 33. *ff. de Judiciis & l. fin. C. de Interdict.* Verùm meliùs alii negant per *l. tutor.* 69. *ff. de Fidejuss.* ibi: *non titulus actionis, sed debiti causa respicienda est.* nec non per *l. filiusfam.* 3. *C. ad SCtum Maced.* in qua dicitur *origo potiùs obligationis, quàm titulus actionis considerandus.* Certè Jure Canonico, & hodiernis moribus expeditum est, nomen actionis in libello omitti posse, & sufficere, modò de ipso jure agendi constet, *c.* 6. *& ibi* Panor. *n.* 12. *de Judiciis.* Quidni igitur ad claram hujus Canonis decisionem Jus Civile obscurum inflectamus arg. *c.* 1. *de N. O. N.* Neque contrarium evincunt *leges* oppositæ: cum non necessariò de ipso actionis nomine intelligi debeant, sed de apta libelli conceptione, *nihil enim refert, proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur.* Text. *in l.* 6. *ff. de Reb. cred.* Confer. Gail. *d. observ.* 61. *n.* 1. 1. *&* 21. ubi asserit, hanc novam sententiam procedere, si ex proposita facti specie unica tantùm oriatur actio; secus, si causa libellò contenta plures actiones speciales producat.

V. Libellus exhibeat, quid, quale, & quantùm debeatur, ac petatur. Observanda tamen hìc distinctio: agatúrne actione, seu judicio aliquo universali, generali, vel speciali? *in judicio universali* res singulas in petitione exprimi non est necessum, sed satis est, si exprimantur, & liquidentur tempore executionis, unde si in hæreditatis petitione actor se hæredem declarari, & reum officio Judicis ad restituendam totam, vel partem hæreditatis sibi debitam condemnari petat, rectè agit. *l.* 10. *§.* 1. *ff. de Hæred. pet. l.* 1. *pr. & §.* 1. *ff. Si pars hered.* Covarr. *Pract. quæst. c.* 12. *n.* 1. *In judicio generali*, videlicet tutelæ, negotiorum, pro socio, & hujusmodi, similiter non tenetur actor omnes res in specie libellò designare, sed rationem administrationis gestæ rectè generaliter postulat, modò tamen in progressu causæ saltem antequam sententia proferatur, res specificet, & ita in quaque re malè versatus sit adversarius declaret, arg. *l.* 2. *C. de Judiciis.* Imò caveat libellans, ne in istis actionibus generalibus vel universalibus se ad certam aliquam rem aut speciem restringat, sed generaliter & universaliter concludat, ut monet Panorm. *in c.* 2. *n.* 25. *h. t. In judicio* autem *specialis* res in specie petenda, simúlque exprimen-

dum est, an res tota petatur, an ejus pars, & quota: item si de quantitate agatur, numerus, mensura, & pondus. *d. c. 2. h. t. l. 6. pr. ff. de Rei vind. l. 1. §. 40. ff. depositi. l. 19. l. 52. §. 25. de Furtis.* Ratio est: quia in hoc generalis petitio pareret obscuritatem, & rem ambiguam faceret. arg. *l. 7. ff. Commun. præd.* Cephal. *l. 3. consil. 429. num. 145.*

42 Et hæc ita se habent in libello civili. Solennitates libelli criminalis extant in *l. libellorum 3. ff. de Accusat.* juxta quam præter nomen accusatoris, rei accusati, & Judicis coram quo, apponi debet delicti locus, annus, & mensis, adeò ut his omissis libellus ipso jure sit nullus, etiam parte non opponente. *d. l. 3.* & DD. comuniter. *l. 36. 43 C. Eod.* Dies tamen commissi criminis tutiùs omittitur ob difficultatem probandi. Obrecht. *in tr. de concip. & form. libell. c. 1. n. 48.* Nisi accusatus petat sibi diem & horam nominari ad eum finem, ut ex hoc indirectè suam innocentiam probare possit, probando v. g. se eo die, vel horâ, quâ crimen commissum dicitur, non fuisse in loco, vel cum aliis conversatum; quo casu verius est, accusatorem cogi ad diem manifestandum, ne alioquin reo defensio tollatur. Gail. *l. 1. observ. 64. n. 11.* Quamvis Maranta *de Libel. obl. n. 14.* & alii negativam sustineant, eáque in Camera Imperiali recepta sit, teste Mynsing. *2. observ. 44* 40. Porrò conclusio in libello criminali, sicut in civili, non est necessaria: nam hæc ad Judicem spectat, qui eam secundùm leges faciet per *l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* P. Engel *h. t. num. 5.*

45 Ad *formam accidentalem* libelli referendæ sunt *clausulæ* ut vocant, *salutares*, quæ in formandis libellis communiter adjici solent, & si non necessariæ, aliquæ tamen valde utiles sunt. Talis est.

I. Clausula: *Omni meliori modô, viâ, ac* 46 *formâ, quâ fieri potest, debet, utilíusque est actori*; quæ operatur, ut verba dubia benignâ interpretatione, in favorem libellantis, juventur & explicentur, ita ut intentionem ipsius contineant, actionem competentem iuducant, & libellum modo, quocunque potest, salvent. Zas. *pr. Inst. de act. n. 27.* Haunold. *de F. & F. tom. 5. tr. 3. c. 3. n. 176.*

II. Clausula: *cum expensis factis & fa-* 47 *ciendis.* Quæ clausula necessitat judicem, ut de expensis expresè pronuntiet; si enim expensæ petitæ non sint, licet quidem Judici reum in eas condemnare, de necessitate tamen non tenetur, maximè si ante litis contestationem factæ sint: nec quicquam ei imputari potest, si in sententia eas omittat, nisi vel expresè, vel tacitè petitæ fint. Mynsing. 4. *observ. 55. n. 3. 4. 7.*

III. Clausula: *Super quibus omnibus, ac* 48 *singulis peto mihi jus, & justitiam administrari.* Quæ tantæ efficaciæ esse dicitur, ut vi hujus omnis actio, quæ ex narratis colligi potest, ac omne jus actoris in specie in judicium deductum esse videatur. Imò si ex narratione facti plures actiones elici possint, in dubio omnium utilissima intentata censetur, licèt non sit expressa. Gail. *l. 1. observ. 61. n. 11.* & si una actio sit inepta, in eáque conclusio fiat, nihilominus libellus sustinetur, & interpretatio pro actore facienda est. Alex. *vol. 1. consil. 121. n. 11.* Haunold. *l. c. n. 175.*

IV. Usitatissima & utilissima clausula 49 est: *omni meliori modo & forma, quò de jure, statuto, vel consuetudine fieri potest, solet, & debet, petendo sibi jus & justitiam administrari, implorando desuper Judicis officium;* Quæ suo modo continet clausulas præcedentes. Reliquæ clausulæ, quas videre licet apud Schneidvv. *ad §. omnium*

à n. 120. *Instit. de Actionib.* & passim apud DD. ultra jus commune parùm operantur, ut proinde supervacaneum putem, iis multùm immorari. Circa ordinationem autem libelli stylus & consuetudo cujusque tribunalis attendi debet, & pro singulis ferme actionibus formulas præscribit Nicol. Calvol. *in Conclus. aur. §. libellus 9. concl. 6. & seqq.*

§. VII.

50 *Finem* Libellus hunc sortitur, ut agentis scopum ostendat. *l.* 1. *ff. de Postulando.* Judici, & adversario naturam litis aperiat. *l.* 1. *ff. de Edendo l.* 3. *C. eod.* totum processum vi suâ dirigat. *c.* 36. *de Testib.* Hostiens. *in rubr. de Probat. n.* 5. & sententiam ab omni vanitate vindicet. *l.* 18. *ff. Communi divid. l. fin. C. de Fideicommiss. libert.*

§. VIII.

51 *Effectus* Libelli varii sunt: I. actor post libellum per Judicem reo porrectum cogitur litem, seu causam prosequi, & ad finem perducere. *auth. qui semel. C. Quomodo & quando Judex.* dummodo rei conventi interesit, ut lis cœpta perficiatur: quia v. g. multas expensas fecit in litem; alioquin verò si ejus nihil interest, actor litem deserere potest etiam invito Adversario tam ante, quàm post litis contestationem per *l.* 4. *C. de Pactis.*

52 II. Libellus habetur pro litis contestatione, si Princeps ad eum rescribat, & ideò actionem temporalem perpetuat. *l.* 2. *C. Quando libel. Principi datus litis contestationem faciat.*

53 III. Sententia debet esse conformis Libello, alioquin non subsistit. *d. l.* 18. *ff. comm. divid.* arg. *l.* 21. *§. fin. l.* 32. *§.* 15. *ff. de Recept. qui arbitr.* Erit autem sententia libello conformis, si in tribus cum ipso conveniat, nempe *quoad rem petitam;* unde si quis petat equum, sententia non est ferenda super bove; *quoad causam,* ex qua res fuit petita: hinc si actor petat 1000. ex causa depositi, reus non est condemnandus ex causa mutui: & *quoad ipsam actionem* institutam, quâ libellus actoris constat. *arg. l.* 12. *cum seqq. l.* 27. *ff. de Except. rei judic.* Jason. *§. curare* 32. *Inst. de Action. n.* 32.

§. IX.

Contraria Libelli sunt *contradictio, obscuritas, incertitudo, generalitas,* & *alternativa locutio.*

Contradictio: nam sibi contrarius fraudem facere præsumitur, nec audiendus est. *c.* 54. *in fin. de Appellat.* Quòdsi tamen actor de genere actionis probabiliter dubitet, plures actiones eôdem libellô cumulare potest, etiamsi se invicem non compatiantur. Gloss. *in c. abbate. V. dominii. de Sent. & re jud. in* 6. sicut & si plures actiones contrariæ, vel cum protestatione, vel alternativè, vel sub conditione eôdem libellô proponantur, libellus admittitur, & altera in defectum alterius succedit. Menoch. *l.* 2. *præsumpt.* 41. *n.* 6.

Obscuritas: hæc enim in jure reprobata est, ne per eam alii capiantur. *Novell.* 107. *c.* 1. *pr. c. erit autem dist.* 4. Distinguendum tamen est inter causas civiles, & criminales: in illis libellus obscurus admittitur, nisi reus initio contradicat. Gloss. & DD. *in l. fin. C. de Annal. except.* In his verò libellus obscurus, parte etiam nil opponente, rejicitur arg. *l.* 3. *pr. & §.* 1. *ff. de Accusat.* Gail. 1. *observ.* 62. *n.* 13.

Incertitudo: etenim cùm Judex certam debeat ferre sententiam, quantùm quidem ei possibile est. *§.* 32. *Inst. de Action.* certum quoque libellum esse oportet, cui sententia conformanda est; aliàs & Judex & reus ex *c.* 6. *de Sponsalib.* ita respondebunt:

bunt: *certum nobis nihil expressisti, nihil certum inde tibi possumus respondere.* Si tamen incertitudo ex natura rei in judicium deductæ, vel ex facto & culpa rei conventi proveniat, vel actor ex quacunque causa probabiliter dubitet, nec incertitudinis declaratio in potestate ipsius sit, libellus incertus procedit. *l.* 76. §. 1. *ff. de Rei vindic. l.* 1. §. *fin. ff. Si pars hared. pet. l.* 8. §. 1. *ff. Communi divid.* Panorm. *c.* 2. *n.* 11. *h. t.*

57 *Generalitas:* in tantùm, ut libellus generalis accusatorius sit ipso jure nullus, per *d. l.* 3. *pr. &* §. 1. *ff. de Accusat.* Diversum obtinet in libello civili, qui parte contrà non excipiente recipitur. Panorm. *d. l. n.* 8. Reperias tamen casus, quibùs, parte licèt opponente, libellus generalis subsistit: veluti si agatur judicio, seu actione universali, vel generali juxta dicta *n.* 41. Si genus est in obligatione, ut si cui equus in genere debeatur: quia talis debet esse petitio, qualis est obligatio. §. *si quis* 33. *v. qua de causa. Inst. de Action.* Si fructus percipiendi, vel percepti, accessoria, & quæ rei principali accedunt, seu adhærent, generaliter petantur. *l.* 35. §. 1. *ff. de Rei vind.* & generaliter, ubicunque vel ex facto adversarii, vel ex alia justa causa species rerum ignorantur, arg. *l.* 76. §. 1. *ff. de Rei vind. l.* 1. §. *quia autem ff. Quorum legat.*

58 *Alternativa locutio:* hæc quippe incertitudinem & obscuritatem parit. *l.* 75. §. 8. *ff. de V. O. l.* 7. §. 4. *ff. de Injur.* Nihilominus libellus alternativus non solùm potest, sed etiam debet admitti, quotiescunque obligatio vel ex conventione partium, vel ex juris dispositione, ut in causa actionis noxalis, & remedio *l.* 2. *C. de Rescind. vend.* alternativa est, præsertim si electio sit debitoris: tunc enim simpliciter petendo actor plùs causâ peteret; de quo infrà *de plus petitionib. n.* 7.

Lubet subjicere: si libellus sit obscurus, 59
contrarius, vel ulla alia ex parte vitiosus, an, & quatenus, ac quamdiu corrigi queat? Communissima sententia est, refusis reo expensis actorem posse emendare, seu reformare libellum, salvâ ejus substantia ad sententiam usque. *l.* 67. *ff. de Judiciis. l.* 4. §. *fin. ff. de Noxal. action. l.* 3. *C. de Edendo.* mutare verò, id est, quoad substantiam variare, ac veteri actione relictâ proponere novam, vel omissâ re initiò petitâ aliam postulare, tantùm usque ad litem contestatam, quoniam *non potest videri in judicium venisse id, quod post judicium acceptum accidit, ideóque alia interpellatione opus est* Text. *in l.* 23. *ff. de Judiciis:* & per litis contestationem, tanquam per quasi contractum quis instantiæ jam cœptæ obligatur, adeò ut ab ea discedere nequeat. *l.* 3. §. *idem scribit. ff. de Peculio.* Gail. 1. *observ.* 51. *&* 74. Neque huic sententiæ quicquam derogat. §. 35. *Instit. de Actionib.* ubi *in eodem judicio* consequenter post litis contestationem, à qua judicium incipit, mutatio rei semel petitæ, actionisque propositæ admittitur. Nam verba: *in eodem judicio;* non supponunt pro judicio propriè dicto, nempe pro progressu judicii à lite contestata usque ad sententiam, qui instantia dici solet; sed pro judicio impropriè, & latè sumpto, id est, pro toto tractu litis, seu processûs forensis à citatione usque ad executionem, & sic dum *in eodem judicio* per *d.* §. 35. libelli mutatio permitti dicitur, intelligitur ante litis contestationem.

Pars II.
De Citatione.
SUMMARIA.

60. Citationis definitio. 61. 62. Dividitur 63. Quando citatio realis. 64. 65. 66. Quando

verbalis & edictalis adhiberi possit? 67. Origo citationis.

68. Citare potest Judex ordinarius & delegatus.

69. 70. Hic tamen tenetur ordinarie rescriptum delegationis citato transmittere.

71. Per quem. 72. 73. 74. ubi 75. Quando. 76. 77. & quomodo citatio insinuari debeat?

78. Usque 83. Quinam citari possint. 83. 84. quinam debeant?

85. 86. 87. Citatio fieri debet ad omnes actus, qui requirunt causæ cognitionem.

88. Usque 97. Exponuntur requisita citationis.

97. Finis. 98. & seqq. Effectus citationis.

§. I.

60 *Definitur* Citatio, quòd sit actus legitimus, quo quis mandatô Judicis juris experiendi gratiâ in judicium vocatur. Colligitur ex *l.* 1. *ff. De in jus voc. l.* 2. *ff. Si quis in jus voc. non jer. §. ult. Instit. de Pœna tem. litig.*

§. II.

61 *Dividitur* citatio I. In simplicem, seu dilatoriam, & peremptoriam. Simplex est, quæ absque præcisa comparitionis comminatioñe, & ulterioris termini denegatione concipitur. Qualis est, si Judex simpliciter alicui mandet, ut tali vel tali die in judicio compareat. Peremptoria contra dicitur, quæ ita concipitur, ut præcisam comparendi necessitatem imponat, omni ulteriori termino, seu citatione denegatâ. Et talis est illa, quæ vel tribus distinctis simplicibus citationibus fit: vel in qua simul tres distincti termini per certa temporis intervalla sunt assignati: vel in qua unicus terminus tantundem temporis, quantùm aliàs tres simplices, continens præfixus est, additâ voce *peremptoriè*, aut clausulâ: *si citatus non compareat, eo non obstante nihilominus progressum fieri debere in causa.* Vid. text. *in l.* 70. *ff. de Judic. l.* 8. *&* 9. *C. Quomodo & quando Judex* Gail. 1. *observ.* 53. *n.* 22.

62 II. Dividitur citatio in realem & verbalem. *Realis* est, cùm persona citanda injectâ manu apprehenditur, & ab apparitoribus Judici sistitur. Atque hæc citatio ut plurimùm adhibetur in causis criminalibus; in civilibus verò rarissimè, & non nisi adversus reum contumacem, qui verbaliter citatus sui præsentiam facere recusat, aut post acceptum judicium litem improbè deserit. *l.* 8. *&* ibi Bartol. *C. Quomodo & quando Judex.* vel adversus debitorem suspectum de fuga, nec possidentem bona immobilia. arg. *l.* 10. *§. si debitorem. ff. Quæ in fraud. credit.* Sed hoc casu ita demum realis citatio à Judice decernenda est, si constiterit de debito, & quòd illo contracto supervenerit inopia, fugæque præsumptio, seu suspicio probetur saltem jùramentô Creditoris, si aliis probationibus, vel conjecturis locus non sit; modò tamen is bonæ fidei, & integræ existimationis fuerit. P. Engel *h. t. §.* 2. *n.* 13. Peck. *de Jure sistendi c.* 11.

Citatio *verbalis* appellatur, quæ citrà personalem apprehensionem fit denuntiatione per literas, vel per nuntium, estque iterum alia privata, alia publica; *privata*, quando quis privatim in faciem, vel si ipsius copia haberi nequeat, ad domum citatur: *publica* quæ publicè per proclama seu vocem præconis; vel per tubam aut campanam; vel per edictum in publicis locis affixum fieri solet. Et hæc publica citatio, si maximè edictalis, ut liget, fieri debet ex causa necessitatis, quando videlicet aliter quis citari non potest, ut quia vel locus, in quo citandus moratur, est hostilis, aut intutus; vel ipse citandus est incertus, vel vagabundus; aut aliàs latet, aut impedit, sive per se, sive per alios quoque modo, ne ad eum possit citatio pervenire. *Clem.* 1. *de Judiciis. c.* 5. *§. porrò Ut lite non contest. c.* 11. *de Cleric. non resid. Clem. un. de Foro compet.* Latè Marant. *in Spec. p.* 6.

p. 6. tit. de Citat. à n. 82. Panorm. *consil.* 67. *l.* 1. Fragos. *de Regim. Reip. Christiana* 66 *p.* 1. *l.* 5. *disp.* 12. *sub. n.* 29. Ubi cum Tiraquel. *in l. boves.* 89. §. *hoc sermone. limit.* 28. *n.* 4. *&* 5. *ff. de V. S.* bene notat, semel citatum per edictum, quamvis postea deprehendatur, illum esse in certo loco, non debere ampliùs citari, si à principio revera non constabat de loco certo. arg. *c.* 73. *de R. J. in* 6. *l.* 8. *pr. ff. Mandati.* cum similib.

§. III.

67 *Causa efficiens* citationis est vel remota, vel proxima.

Remota est jus naturale: quia citatio respicit defensionem, quæ jure naturali cuicunque competit. *l. ut vim.* 3. *ff. de J. & J. l.* 1. §. 11. *ff. Si quadrup. paup. fecisse dic.* & nemini est deneganda. *l.* 7. *C. de Jure fisci. l.* 18. §. 9. *ff. de Quæstionib. &* 6. 5. *de Except.* Ita ut ne quidem S. Pontifex, vel Imperator ex plenitudine potestatis illam possit omittere, & dare sententiam partibus non citatis per text. *in c.* 1. *de causa possess. & propr. c. inter quatuor.* 8. *de Majorit. & obed. Clem. pastoralis.* 2. §. *cæterùm. de Sentent. & re jud. l. fin. in pr. C. de Legib.* quia in iis, quæ juris naturalis sunt, princeps utitur jure privatorum. Accedit, quòd ipse DEUS citatione uti voluerit, priusquam Adamum primum hominem & mala Sodomæ judicaret: non quòd aliquid sibi foret absconditum, sed ut Judicibus hujus sæculi in sententiis proferendis exemplum daret, ut inquit Text. *in c. DEUS omnipotens.* 20. *causâ* 2. *q.* 1. junctô *c. qualiter, & quando.* 17. *de Accusat.*

68 *Causa efficiens proxima* citationis duplex est: alia principalis, alia instrumentalis.

Principalis est Judex citans tum ordinarius, tum delegatus: cùm enim delegatus absque citatione mandatum jurisdictionis exequi nequeat, datâ jurisdictione eidem etiam potestas in jus vocandi concessa videtur per *l.* 2. *ff. de Jurisdict.* Negat tamen Maranta *in spec. p.* 6. *de citat. n.* 39. delegatum realiter, vel per edictum citare posse, nisi sit delegatus Principis, vel hoc specialiter ei concessum fuerit, vel consuetudo admittat, quæ tribuit jurisdictionem.

69 Planè ante legitimam factæ delegationis demonstrationem delegato absolutè credere, consequenter respondere, ejúsque sententiæ se subjicere nemo tenetur: quia delegatio, utpote facti, non præsumitur, adeóque probari debet, puta per exhibitionem mandati, vel authenticæ ejusdem copiæ, ut citatus ei se conformare possit, & deliberare, vel legitimas exceptiones ratione personæ, causæ, aut circumstantiarum forsan competentes proponere. *c.* 31. *de Officio deleg. l.* 1. *C. de Mandat. Princip.* Nisi delegatio ab ipso jure generaliter facta sit, quemadmodum sæpius, præsertim in Trident. ut *in Sess.* 5. *de Reform. c.* 2. *& in sess.* 6. *de Reform. c.* 2. *& seq.* Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati procedere jubentur contra privilegiatos, aliàs ab ordinaria jurisdictione exemptos.

70 *Dubitari* autem hoc loco potest: num citatus à delegato teneatur saltem comparere coram citante, & mandatum postmodum demonstrare volente? Glossa *in c. si Episcopus.* 8. *V. convocari causâ* 3. *quæst.* 2. *arg. d. c.* 31. contendit, citationem non valere, nec ad comparendum arctare, nisi citato simul transmittatur rescriptum delegationis: Alii ad obligationem comparendi autumant, sufficere simplicis copiæ transmissionem, vel etiam solam allegationem delegationis in citatorio: licèt enim talis simplex copia, vel allegatio authentica non sit, & plenam fidem non faciat, facit tamen citato probabilem jurisdictionis habita-

bitationem, ex qua obligationem comparendi suboriri, textus est in *l. si quis ex aliena. 5. ff. de Judiciis.*

Ego pro conciliandis his opinionibus distinguo: an agatur de gravissimo, gravi, vel levi præjudicio citati? *Primo casu*, ubi maximum subest præjudicium, ut si citatus longissimè distet, & sine maximo detrimento comparere nequeat; vel si timeat injustam incarcerationem, torturam, amissionem vitæ, vel famæ &c. assero cum Glossa, nullam esse obligationem comparendi, antequam de mandato plenè, & authenticè constet, licèt persona citantis sit in authoritate constituta: quandoquidem tale præjudicium non ita facilè iterum resarciri potest per regressum contra citantem. *Secundo* casu, quo agitur quidem de notabili præjudicio, non tamen graviori, vel gravissimo: ut si citatus multùm remotus sit, & cogatur subire onera itineris, sua negotia deserere, magnos sumptus facere, &c. puto sufficere transmissionem copiæ, non autem simplicem assertionem, & mentionem delegationis factæ: etsi namque omnino authentica non sit, facit tamen majorem præsumptionem pro jurisdictione delegata propter verba ibidem expressa, & usitatum stylum rescriptorum, atque etiam læsio facilius recuperari potest per regressum contra citantem, si ex post facto appareat, citationem legitimam non fuisse. *Tertio* denique casu, quo scilicet leve tantùm præjudicium vertitur: ut si citatus commoretur in loco citantis, aliunde nullo modo suspecti, tunc amplector posteriorem sententiam, quòd nempe satis sit, asserere se delegatum, non item simplex citatio absque tali assertione, & expressione factæ delegationis: quoniam exinde nascitur probabile dubium jurisdictionis, quale in absentia notabilis præjudicii potest citatum obligare ad comparendum arg. *l. si quis. 5. ff. de Judiciis.* Panorm. *in c. 2. de Dilation. n. 5.*

Causa instrumentalis est is, per quem citatio citato insinuatur. Ubi examinandum est, per quem: quo loco: quo tempore: & quô modo citatio insinuanda sit? Proinde

Dico I. Citationem aliquando insinuare, seu exequi ipsum judicem casu, quo citandus in conspectu est. Et habet talis citatio vim peremptoriæ, & trinæ citationis. ut tradit Marant. *d. p. 6. n. 49. per l. 2. C. Quomodo, & quando Judex.* Nonnunquam ipsum actorem, qui citationem impetravit; sed ita, ut ei citationem sibi commissam asserendi credere non sit necesse, eò quòd adversarii facilè mentiantur. *l. 1. §. 24. ff. de Quæstion.* & ob id melius sit, si à citatione abstineat. Frequentius tamen & ordinariè citatio, ejúsque insinuatio fit per destinatos & juratos nuntios, viatores, seu ministros publicos. Imò ex ordinatione, & stylo Cameræ præter alia singularia, citationes, aliique processus è Camera Imperiali, tam in causis appellationum, quàm simplicis querelæ, non aliter rectè insinuari possunt, quàm per nuntios Camerales Equestres, & Pedestres, singulariter ad hoc deputatos, & jurejurando obstrictos, sicuti & per Notarios Cæsareos immatriculatos; si secus executio facta fuerit, proclama denegatur, nec in contumaciam proceditur, Schvvaneman *de differ. inter Jus Civil. & Can. c. 35. n. 2.*

Dico II. Faciendam, seu exequendam esse citationem in loco subjecto jurisdictioni Judicis citantis. Quare nuntius, quamvis publicus, non potest commissam sibi citationem exequi extra territorium sui superioris, seu Judicis per *Clem. pastoralis. de Sentent. & rejud.* Ratio est: quia citatio,

tio, ejúsque insinuatio est actus jurisdictionis contentiosæ, qui in alieno territorio exerceri nequit. *c. fin. de Constit. in 6. l. fin. ff. de Jurisdict.*

73 Hinc sequitur, si ministri justitiæ criminosum in aliud territorium fugientem persequantur, desistere debere post fines sui territorii, ne alienam jurisdictionem invadant: atque comprehensum in alieno territorio, statim relaxandum esse. Gail. *lib.* 1. *de Pace publ. c.* 16. *n.* 27. Excipiuntur latrones, prædones, aut similes pacis publicæ violatores, quorum persecutio in Imperio extra territorium persequentis continuari potest. *Constit. Imperial. Anno* 1559. *Augustæ promulgata* §. und wiewol. Item Religiosi fugitivi, & apostatæ, qui à Prælato suo, ejúsque mandato ubique capi & reduci possunt ob personalem eorum obligationem. arg *l.* 1. *C. Ubi quis de curiali.* ubi Baldus statuit generalem regulam, omnes, qui debent obedientiam perpetuam, si fugiant ab obedientia, propriâ auctoritate capi posse; ut si Monachus fugiat à Monasterio, uxor à marito, servus à domino.

74 Quid verò factu opus sit, si citandus moretur extra territorium citantis, inter Juris Interpretes non omninò constat. Aliqui volunt nuntium tunc citationem insinuare posse, non quidem exercendæ jurisdictionis, sed notificandæ litis futuræ gratiâ ad eum effectum, ut Judex rei sitæ in contumaciam citati non comparentis ad immissionem bonorum procedere possit ob fundatam jurisdictionem ratione rei sitæ per *c.* 1. §. *contrahentes. de Foro compet. h. t.* Haunold. *de l. & l. tom.* 5. *tr.* 3. *c.* 1. *n.* 24. Sed tutius est, tali casu Judicem ejus loci, in quo citandus degit, per literas subsidiales, seu mutui compatsûs, ut vocant, requirere, ut vel nuntio misso facultatem tribuat citationem exequendi, vel ipse per suos Ministros exequatur. Quòdsi autem tali requisitioni judex requisitus deferre nolit, tum fieri potest citatio edictalis, ac edictum publicum in territorio citantis locis consuetis, puta in curia, prætorio, vel ad valvas Ecclesiæ (si causa sit Ecclesiastica) alióve in loco, uno, aut pluribus, prout Judici citanti videbitur, affigi; quod edictum hoc ipsò, quòd publicè affixum sit, præsumitur ad citati notitiam pervenire, atque adeò eundem constringere. arg. *c.* 1. *de Postulat. Prælator.* Emericus à Rosbach *in Praxi civili tit.* 23. *num.* 5.

Dico III. Insinuationem, seu executionem citationis fieri posse quovis tempore, modò de die fiat, & non de nocte: cùm nox in hujusmodi actibus meritò suspecta habeatur, prout textus est, & communiter docent DD. *in c. consuluit.* 24. *de Officio deleg.* Nicol. Cavol. *in Praxi* §. 8. *concl.* 3. *num.* 17. 75

Dico IV. Si fieri possit, faciendam esse executionem citationis in faciem & præsenti. Quapropter si absens sit citandus, nuntius in eo conquirendo omnem diligentiam adhibebit. Quòdsi eum reperire nequeat, tunc demum citationi ad domum locus est, & nuntius eam insinuare debet uxori, aliive domesticorum, adultiori tamen, non infanti; aut nemine fortassis conspicuo, eandem affigere in domo, in qua citandus habitare consuevit. arg. *l. aut qui aliter.* 5. §. *etsi fortè. ff. Quod vi, aut clam.* Blumen *in Process. Cam. tit.* 61. *n.* 41. Pirrhing. *de Foro compet. num.* 224. Hunn. *in Encyclop. Jur. p.* 2. *tit* 8. *c.* 5. Ubi verò neque ad domesticos, neque ad domum citandi nuntius pervenire potest, ut quia ei à Custodibus civitatis non permittitur ingressus ad civitatem, sufficit in portis civitatis citationem affigere: quia talis executio facit, ut citatio habeat vim edi- 76

cti per *l. 4. §. 4. ff. de Damno in fecto. & Clem. 1. de Judiciis.* Gail. *1. observ. 55. n. 1.* ubi refert, ita in Camera concluſum eſſe.

77 Cœterùm ſubinde conſultò nuntius fecerit, ſi citationem, maximè quando ad ipſum citandum venire nequit, exequatur vel affigat adhibitis duobus, vel tribus teſtibus, ut eam caſu, quo negaretur, probare poſſit; quamvis etiam ſine teſtibus aſſerenti, ſe citationem legitimè executum eſſe, *ordinariè* credendum ſit propter electam fidem perſonæ, & religionem juramenti, quo judici & judicio obſtrictus eſt. arg. *c. cùm parati. 19. & ibi* Gloſſ. *V. nuntius. de Appellat. l. apparitores. 5. C. de Exaction. tribut.* Addi: *ordinariè:* nam ſi citatus ſit perſona circumſpecta, & fide digna, juratóque aſſerat, ſe à nuntio citatum nunquam fuiſſe, huic magis, quàm nuntio credendum eſſe putant aliqui cum Panorm. apud Mynſing. *Cent. 6. obſer. 10. n. 7.*

§. IV.

78 *Subjectum* Citationis eſt citandus. Poteſt autem citari ſolus & omnis ille, qui jurisdictioni citantis ſubjectus eſt, cùm citatio ſit actus jurisdictionis. Non obſtat, quòd *in l. ſi quis ex aliena. 5. ff. de Judiciis* caveatur, eum, qui ex aliena jurisdictione ad Prætorem vocatur, debere venire, eò quòd ejus, ſcilicet Prætoris aut Judicis, ſit æſtimare, an ſua ſit jurisdictio: id enim non procedit, niſi cùm dubitatur, vel ignoratur, an citatus à Jurisdictione judicis exemptus ſit, nec ne? Secus, quando evidens, & notorium eſt, citantem non habere jurisdictionem in perſonam citati; ut ſi Clericus citetur à Judice laico, vel ſtudioſus à Magiſtratu civico: quia cùm ex Jure communi conſtet, tam ſtudioſos, quàm Clericos ſuos peculiares habere judices, ideo ab alio citati comparere neutiquam tenentur; ſicuti tenentur illi, de quibus probabiliter dubitatur, aut ignoratur, num ipſi exempti, & citans eorum Judex competens ſit? tales ſiquidem comparere, & privilegium exemptionis ſuæ, vel incompetentiam Judicis allegare, atque probare opus habent. Vid. P. Engel *de Foro compet. n. 96. & ſeqq.* Mynſing. *cent. 6. obſerv. 7. per tot.*

Excipiuntur duo ordines: *unus* eorum, qui in jus vocari, ſeu citari omnino vetantur; quo in numero ſunt Magiſtratus major, qui gladii poteſtatem habet: Pontifex, aut Clericus, dum ſacra peragit: & qui cœlibem vitam exuens uxorem ducit, muliérve dum nubit. Similiter qui aliò evocatus cauſam agit, & neceſſe habet propterea in certo loco ſiſti: aut qui funus ducit familiare, mortuóve juſta facit: vel qui equo publico in cauſa publica transvehitur. Denique furioſi, vel infantes, de quibus *inl. 1. 2. & 4. in pr. ff. De in jus voc.* Harprecht. *in Proceſs. judic. diſp. 1. concl. 172 & ſeqq.*

Alter ordo eſt eorum, qui quidem in jus vocari poſſunt, ſed non niſi permiſſu, aut veniâ Prætoris. Quo ordine comprehenduntur Parentes, & Patroni utriuſque ſexûs: item Parentes, liberique patronorum. *l. 4. §. 1. 2. & 3. l. 5. cum ſeqq. ff. De in jus voc. generaliter*, in quit Modeſtinus *in l. 13. ff. Eod. eas perſonas, quibus reverentia præſtanda eſt, ſine juſſa Prætoris in jus vocare non poſſumus.* Unde multi inferunt, nec Epiſcopum à Clerico, nec Abbatem à Monacho, nec quemlibet ſuperiorem à ſubdito; nec Præceptorem à Diſcipulo, nec Dominum feudi à Vaſallo, maritum ab uxore, novercam aut vitricum à privignis impunè in jus vocari, veniâ non impetratâ à Judice. Et quidem in eum, qui aliquem contra hoc edictum Prætoris in jus vocavit, quinquaginta aureorum judicium datur, vel ſi in ære non habet, quam inofficioſus caſtigatur. *l. pen. & ult. ff. Eod.*

Eod. Schambogen *Instit. de Action. ad* §. 12. Rosbach. *in Praxi civili. tit.* 22. *à n.* 9.

82 *Scrupulo* non caret: an hæc impetratio veniæ adhuc hodie necessaria, ac edicto huic locus sit? Negat Cujacius 10. *Observ c.* 10. Anton. Faber. *in Rational. ad l.* 2. *C. De in jus voc.* & Zanger. *de Except. p.* 2. *c.* 9 *n.* 9. testatur, in contradictorio judicio pro hac sententia judicatum fuisse: eò quòd hodie quempiam obtorto collo ampliùs in jus rapere non liceat, soleátque semper præcedere mandatum Judicis, qui consequenter simul veniã dare videtur in jus vocandi. Affirmativæ subscribunt Niellius *disp. feud.* 10. *th.* 4 *Lit. B.* Fachin. *controv. lib.* 10. *c.* 87. & Camerales communiter: nec enim solùm violentâ manûs injectione, sed & citatione reverentia Parentibus, aliisque personis debita læditur. Ego existimem hac in re stylum, & consuetudinem attendendam esse.

83 Sed modò, quinam citari debeant? videamus. Et verò præter reum omnes citandi sunt, quorum interest, seu quorum causa agitur. arg. *l. nam ita.* 39. *ff. de Adopt.* nec tantùm ipse principalis, sed post litis contestationem etiam procurator; imò de jure civili solus procurator: utpote qui per litis contestationem fit dominus litis, ita ut non cum ipso negotii domino, sed cum procuratore lis agi intelligatur. *c.* 1. §. 1. *de Procuratorib. in* 6. *l.* 22. *& ibi* DD. *C. Eod.* Bachov. ad Treutl. *disp.* 4. *th.* 4. *lit. C.*

84 *Disputant* DD. an si quis in judicio casu, vel aliàs præsens sit, nihilominus citari, & solemniter vocari debeat? Ita sentit Bartol. *in l.* 1. *ff. De in jus vocando.* consentit Ummius *disp.* 5. *ad Proceff. n.* 41. *&* 69. arg. *l.* 2. *&* 3. *ff. de Judiciis.* Accedit ratio: quia citatio non tantùm eo fine interponitur, ut qui absens est in judicio compareat, sed etiam ut paratus, & præmeditatus accedat; quod fieri nequit, si ità ex abrupto respondere cogatur. Dissentiunt Jason in *l.* 1. *n.* 9. *&* 12. *ff. De in jus voc.* Gail. 1. *observ.* 51. *n.* 8. & alii arg. *l. etiamsi patre.* 29. *§.* 2. *ff. de Minorib.* Mynsinger *cent.* 6. *observ.* 6. *n.* 9. distinguit, aitque, eum, qui ad instantiam alicujus citatus in judicio comparet, non teneri absque prævia alia nova citatione litem susc ipere ab alIquo tertio intentatam; secus si pro particulari aliquo actu judiciali cum adversario suo expediendo vocatus, in judicio præsens sit; tunc enim censet, eum absque nova citatione compelli posse, ut procedat, & respondeat etiam ad alios actus, qui in judicium incidere solent. Id quod admiserim, nisi fortè controversia incidens altioris sit indaginis, ita ut tempus aliquod deliberandi requirat; quo casu præfero doctrinam Bartoli, & talem ad alium terminũ vocandum aut citandum esse reor.

§. V.

Materia seu *objectum* Citationis sunt 85 causæ, & actus causarum omnes, qui sine cognitione causæ, & præjudicio absentis expediri nequeunt: quippe in his adeò necessaria est citatio, ut absque ea ipso jure non valeat. *c. Romana. de Appellat. in* 6. *l.* 13. *§.* 1. *ff. de Minorib. l. de unoquoq;* 47. *ff. de re judic. l.* 1. *§. item cùm* 3. *ff. Quæ sent. sine appeh. rescind. l. ea quæ* 7. *C. quomodo & quando Judex.* Ubi verò causæ cognitio non requiritur, ibi nec citatione opus est. *l. nec quicquam.* 9. *§.* 1. *ff. de Offic. Proconsul. l. ult. C. Si per vim, vel alio modo.* Hinc in delictis omninò notoriis, ita scili- 86 cet ut nullâ possint tergiversatione celari, aut defendi, citationem omitti posse, nec propterea vitiari judicium, tradit Panorm. *in consil.* 3. *vol.* 2. Decian. *consil.* 18. *n.* 355. *lib.* 1. Fagnan. *in c. cùm ex injuncto. n.* 45. *de N. O. N.* & faciunt Text. *in c. manifesta. causa.* 2. *q.* 1. *c. statuimus.*

causâ 11. *q.* 1. *c. evidentia de Accusat.* Neque id immeritò : quia in notoriis cessat ratio defensionis, consequenter & obligatio defensionis. arg. *c. cùm cessante de Appellat.* Contrarium docent plures relati à Jul. Claro *lib.* 5. *sent.* §. *fin. q.* 9. *n.* 4.

87 Huc illa *quæstio* pertinet : an specialis citatio fieri debeat ad quemvis actum, vel an generalis sufficiat ? Ummius *d. disp.* 5. *n.* 47. Mynsing. *C.* 4. *observ.* 33. *num.* 4. & alii volunt, sufficere citationem generalem rei in exordio litis ad totam causam, neque postea opus esse ulteriori citatione, maximè postquam reus semel in judicio comparuit, & litem contestatus est. Quæ sententia ratione dubitandi non caret : cùm enim plurima in judicium incidant, neque omnia simul & semel expediri valeant, quî obsecro, reus divinare poterit, quando vel quo termino hoc vel illud expediendum sit, etsi lis jam fuerit contestata ? consequens proinde, ac necessarium videtur, ut citetur pro quolibet actu, in quo versari potest ejus præjudicium. Sustineri tamen potest pro illis sublimioribus tribunalibus, in quibus, veluti in Rota Romana, & præsertim Camera Imperiali, & similibus, causæ omnes solent, & debent tractari per Procuratores ; qui cùm semper & quotidie præsentès sint, & præterea in ejusmodi tribunalibus termini legales sint, & publicè vel ad valvas Curiæ propositi, vel in typis impressi, hinc nil obstabit, quin post factam initio litis generalem & solennem citationem rei ad totam causam deinceps lis à Procuratoribus constitutis continuari queat usque ad pronuntiationem sententiæ definitivæ inclusivè : absque ulteriori citatione, prout defacto in Camera practicari, ideóque in ea mandata Procuratorum non recipi, nisi data sint ad totam causam usque ad sententiam definitivam, scribit Mynsing. *d. observ.* 33. cum Gail *l.* 1. *observ.* 51. *n.* 10.

§. VI.

Forma Citationis sequentibus requisitis absolvitur.

Primum est, ut in citatione, maximè si scripto fiat, exprimatur nomen judicis citantis : ut citatus sciat, num judex sit competens, ne in incompetentem consentiat, sed potiùs exceptiones contra eundem opponere possit : & an jussu seu mandato judicis sit decreta citatio ; siquidem nulla citatio sive verbalis, sive realis potest, aut debet fieri absque mandato Judicis. *l. fin. C. de Exhib. & transmit. reis.* Nisi forte aliquis in flagranti crimine deprehendatur ; quo casu sine speciali judicis mandato apprehendi potest : cùm lex ipsa tunc censeatur licentiam tribuere, imò mandare, ut talis statim apprehendatur. Bartol. & Bald. in *d. l. fin.* per text. *in l. si quis in servitute in fin. & in l. interdum.* 56. §. 1. *ff. de Furtis.*

Secundum, ut inseratur nomen petentis citationem : tum ut citatus cognoscat adversarium suum, atque eò meliùs defensionem suam instituere, & secum etiam deliberare queat, an contendere, vel cedere expediat : tum etiam ut intelligat, utrùm citatio facta sit ad instantiam & petitionem sui adversarii ; citra quam Judex in causis, quæ utilitatem privatorum spectant, citationem decernere nequit, vel etiamsi decernat ei tamen impunè non paretur. arg. *c. significasti. V. petitionem. de Foro compet.* Marant. *in spec. p.* 6. *de Citat. n.* 115. Dixi : *in causis, quæ utilitatem privatorum spectant.* Aliud est, quando causa concernit utilitatem publicam, aut Judex procedit ex officio, veluti in causis criminalibus, præsertim capitalibus ; in quibus, quia hodie rarò per viam accusationis, sed plerumque per viam inquisitionis, ac ex officio proceditur & præterea publicè interest, ne delicta maneant impunita, hinc in foro passim facino-

re-

rosi tam verbaliter, quàm etiam realiter citantur,& capitaliter plectuntur, nemine penitus postulante. Ayrer *Histor. Proceff. jur. c. 3. observ. 3. n. 27.*

90 *Tertium*, ut in citatorio quoque designetur nomen citati: ut possit certò scire, se,& non alium citari; adeò, ut si hoc factum non fuerit, citatus neque comparere debeat, neque contumaciam contrahat, si maximè ipsi citatio insinuetur. Umm. *disp. 5. ad Proc.* 91 *n. 51.* Quòdsi universitas citanda sit, quæ syndicum habet, is citatur; si non habet, sufficit illius capita citare, puta Decanum & capitulum hujus Ecclesiæ: Abbatem & Priorem hujus Monasterii: Consules, & Senatores hujus civitatis: Schuldetum & communitatem hujus Pagi &c. Quamvis aliàs regulariter citatio generaliter facta, ut si quis peteret sibi decerni citationem contra hæredes Sempronii, vel contra Titium, & complices, atque ita ex post facto decerneretur non expressis singulorum nominibus, sit ipso jure nulla, nec per consequentiam procedi possit contra non nominatos. Gail. 1. *observ.* 49. *num.* 5. *&* 6. Mynsing. *cent.* 5. *observ.* 50 *n.* 5.

92 *Quartum* requisitum est, ut adjiciatur causa, ob quam quis in judicium citatur: ut instruatur reus, super quo conveniatur, & paratus ad respondendum accedat. arg. *c.* 6. *dist.* 81. *c.* 4. *causa* 5. *q.* 2. *c. præterea.* 2. *de Dilation. c. licèt.* 14 *de Accusat.* in quibus locis Papa tam in causa civili, quàm criminali causam inserit. Non autem planè necesse, ut libelli tenor apponatur in citatione, sed satis est causam generaliter exprimi. Attamen circumspectè facit, quisquis libellum una cum citatione rransmittit, vel illum citationi inseri curat: nam tali casu induciæ deliberatoriæ non sunt ulterius indulgendæ. Wurmser. 1. *pract. forens. tit. de libell. observ.* 6. Layman. *ad c.* 2. *de Dilation. n.* 1.

Quintum, ut designetur locus judicii; à 93 judice quidem delegato semper, ab ordinario verò saltem tunc, quando judicia non solùm in loco solitæ residentiæ, sed in diversis locis exercere consuevit. Alioquin omissô locô citatio tanquam incerta non arctat citatum per *l.* 21. §. 10. *ff. de Recept. qui arbitr. l.* 59. *ff. de Judiciis. l.* 5. *C. Quomodo & quando judex* Nicol. Calvol. *in Praxi.* §. 8. *concl.* 3. *n.* 30. Debet autem locus hic esse *idoneus*, *honestus*, *& tutus*. *Idoneus* is est, qui subest jurisdictioni citantis. Quòdsi judex quem extra territorium suum vocet, citatus comparere non tenetur. *l. fin. ff. de Jurisdict. c.* 11. *§. in nullo de Rescript. in* 6. *Honestus*, ubi citatus absq; læsione honoris sui versari potest. Si in aliquem locum in honestum adesse jusserit judex, puta in popinam, vel in lupanarium, sine dubio impunè non parebitur. Text. *in d. l.* 21. §. 11. *ff. de Recept. qui arbitr. Tutus* locus dicitur, qui tam ab insidiis, quàm pestilentiori aëre sit liber, ac expers, ut citatus possit salvus ac incolumis eò venire, & abire. *c.* 9. *de Renunt. c.* 4. *Ut lite non contest. c.* 47. *de Appellat. Clem.* 2. §. *notorium. de Sentent. & re jud.* Si secus, citatus neque procuratorem mittere tenebitur præsertim in re ardua & magni momenti. Ummius *d. disp.* 5. *n.* 53. Gail. *l.* 1. *observ* 52.

Sextum est, ut exprimatur terminus, seu 94 tempus intra quod citatus comparere debeat: sine temporis enim adjectione citatio non valet. Cynus, Albericus & Bartol. apud Cœvall. *in spec. aur. opin. comm. contra com. q.* 309 Panorm. Felin. Imola, Jason, & alii equidē opinantur, citationē valere sine termino adjecto, hàncque significationem habere, ut citatus, quàm primùm possit, compareat per text. *in c. parati.* 19. *de Appellat.* verùm ex eo nihil penitus probant, sed

verior, ac probabilior est prior sententia. arg. *c. 6. de Dolo & contum.* Non tamen opus est certam horam adjicere, quâ citatus debeat comparere, sed sufficit, si citatus eâ horâ compareat, quâ actus ille, ad quem fuit vocatus, communiter expediri solet

95 juxta *c. consuluit. 24. de Officio deleg.* Terminus verò licèt de jure communi in citatione simplici ad minus decem dierum, & consequenter in peremptoria citatione, quæ tres simplices comprehendit, triginta dierum esse debeat. *l. 68. & seqq. ff. de Judiciis.* junctâ *novell.* 112. *c.* 3. hodie tamen in plerisque tribunalibus ex consuetudine arbitrarius est, ita tamen ut si judex pro loci distantia, vel gravitate causæ præfigeret terminum nimis angustum, & interpellatus eundem prorogare nollet, citatus possit, tanquam à gravamine irreparabili ad superiorem appellare. Panorm. Innocent. & Layman. *in c.* 1. *de Dilationib.*

96 *Septimum* denique requisitum est, ut factâ citatione nuntius executionis suæ faciat relationem, eáque à Notario in acta authenticè referatur: ut Judex cognoscere valeat, an ritè, & secundùm formam mandati seu commissionis suæ nuntius citationem executus sit. arg. *l. 5. §. 1. ff. Quib. ex caus. in possess. eatur.* Et hæc relatio pars substantialis est, & sine ea nec citatio, nec sententia, nec totus processus valet. Haunold. *de J. & J. tom. 5. tr. 3. c. 1. controv. 6. n. 69.* Eckolt. *ad ff. De in jus voc. §. 11.*

§. VII.

97 *Finis* Citationis est tam comparitio citati, quàm præparatio litis vel defensionis. Colligitur *ex Clem. pastoralis de Sent. & re jud.*

§. VIII.

98 *Effectus* legitimè factæ citationis est multiplex.

I. Arctat citatum ad comparendum, nisi justâ causâ excusetur: alioquin si deficiente legitimâ causâ, & justâ exceptione citatus non compareat, punitur ut contumax, de quo *infra in Tit. 14.*

II. Perpetuat jurisdictionem judicis delegati, ita ut morte delegantis non expiret: quia citatione emissâ res non amplius est integra *c. 20. de Officio. deleg.* idque etiam de Jure civili; etsi Glossa *in l. 6. ff. de Jurisdict.* & alii contendant, hoc jure jurisdictionem non citatione, sed litis contestatione perpetuari arg. *l. 16. ff. de Procuratorib.* & *l. 15. ff. Rem ratam haberi.*

III. Citatio inducit litis pendentiam ad eum effectum, ut lite pendente nihil possit innovari. *Clem. 2.* junctâ Gloss. *V. ad hoc. Ut lite pendente.* ubi plura.

IV. Operatur præventionem, quando plures concurrentem jurisdictionem habent respectu illius causæ, cujus intuitu citatio semel legitimè facta est, ita ut citatus, si citatio ad eum pervenerit, coram Judice præveniente comparere debeat, etiamsi postea alienæ jurisdictionis esse cœperit. *c. 19. de Foro compet. & ibi* P. Engl *p. 1. §. 6. per tot. l. 17. ff. de Judiciis.*

V. Interrumpit citatio præscriptionem saltem odiosam, id est, quæ tantùm ob negligentiam Domini inducta, scil. 30. annorum. *l. fin. C. de Annali except. l. 3. §. qua ergo. l. 7. pr. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Berlich. *p. 2. concl. 9. à. n. 23.* de quo videbimus. *in Tit. de Præscript. ad fin.*

VI. Citatio secundùm aliquos perpetuat actiones. Communior & verior opinio sustinet eas solâ litis contestatione perpetuari. *l. nam posteaquam. 9. §. 3. ff. de Jurejur. l. ult. §. 1. ff. de Fidejussorib. & nominat. & haredib. tutor.*

TITULUS IV.
De Mutuis petitionibus.

SUMMARIA.

1. Quid sit mutua petitio. 2. Et num in statuto Reconventio conventionis, aut actionis?
3. Veniat nomen omni jure recepta est.
4. §. 6. A quibus 7. usque 13. Et contra quos institui possit?
13. Usque 21. Reconventio regulariter in omnibus causis locum habet.
21. Usque 25. Coram quo judice, & quando moveri possit?
25. Ob quem finem introducta sit?
26. 27. 28? Effectus mutuæ petitionis.

POst libelli oblationem subinde reus conventus viciſſim ſibi ab actore debitum, idque per reconventionem petit; quæ hic nuncupatur mutua petitio: germanicè die Wider- oder Gegen-Klag.

§. I.

1 *Definitur* mutua petitio, quòd ſit actio adverſus actorem à reo convento durante conventionis judicio ſub eodem judice inſtituta. Ita fermè Panormr. *ad Rubr. h. t. n. 1. Generis loco ſtat actio. Ubi*

2 *Quæritur:* an ſtatutum diſponens de actione, ſeu conventione etiam de mutua petitione, ſeu reconventione intelligendum ſit? Affirmo: quia ſtatutum loquens de actione, ſeu conventione intelligitur loqui de actione ſeu conventione generaliter ſumpta, niſi contrarium aliunde conſtet, ergo intelligitur loqui de utraque ſpecie actionis, ſeu conventionis: ergo non tantùm de actione, ſeu conventione ſimplici, ſed etiam de reconventione, ſeu mutua petitione: quod enim de genere idem & de ſpecie dici neceſſe eſt per *l.* 147. *ff. de R. J.* Ummius *diſp.* 10. *ad Proceſſ. n.* 3. Neque obſtat, quòd ſtatutum ſtrictè, & de caſu vero accipi debeat. arg. *l.* 3. §. 6. *ff. de Negot. geſt. l.* 1. §. *ſi is, qui navem. ff. de Exercit. act.* hoc enim procedit in ſtatutis derogantibus juri communi; alioquin verò generaliter ſcriptra generaliter intelligenda ſunt. Gail. 2. *obſerv.* 33. hujusmodi ſtatutum autem conſonat juri communi, quo actionis verbo continetur etiam mutua petitio, ut vel ipſa verbi notatio arguit. Contrarium traditur *in Addit. ad Panorm. in Rubr. h. t. lit. A.*

Porrò reliqua verba definitionis habent rationem differentiæ, & declarabuntur in progreſſu.

§. II.

Cauſa efficiens mutuæ petitionis, ſeu re- 3
conventionis eſt jus Canonicum, Civile, ut & Camerale: omni quippe juri recepta, ac approbata eſt. In jure Canonico habetur peculiaris hic Tit. *de Mutuis petitionib.* & Textus *in c. 2. c. fin. de Ord. cognit. in c. diſpendia. §. reus quoque de Reſcript. in* 6 & denique *in Clem. ſæpe. §. reus quoque de V. S.* In Jure Civili de hac extant. *l.* 2. *§. item ſi extra provinciam. ff. ſed & ſi agant. l. quæ non cogitur.* 22. *ff. de Judiciis. l.* 14. *cum auth. ſeq. C. de Sentent. & inter loc. Novell.* 96. *c.* 2. In ordinationibus Cameræ paſſim mutuæ petitionis fit mentio, ſpecialiter in *Tit.* 30. *p.* 3. *ſub rubr.* von der Gegen-Klag / und wie in derſelben procedirt werden ſolle.

§. III.

Subjectum mutuæ petitionis eſt vel 4
activum, vel paſſivum.

Subjectum activum eſt is, qui mutuam petitionem ſeu reconventionem movet. Movere autem eandem poteſt reus conventus, qui modò facultatem agendi habet.

Dixi I. *reus conventus*: neque enim actor reconventus novâ actione uti poteſt. *d. c.* 2. 5
§. nos autem. de Ordine cognit. d. l. 14. junctâ *auth. ſeq. C. de Sentent & inter loc.* tum ne lites in infinitum multiplicentur contra *c.* 2. *de Reſcrip. in* 6. tum quia actor

ſibi

sibi imputare debet, quòd ab initio eas actiones, quas sibi competere scivit, complectique potuit, non intentaverit *c. 3. Eod. in 6.* Panormit. *in c. 2. n. 6. h.t.* Brunneman *in Processu civili c. 10. num. 13.* ubi tamen id cum Mindano & Giseberto limitat, nisi posterior reconventio ex reconventione oriatur, & ei sit connexa: ut convenis me ex mutuo, ego te reconvenio ex empto, tu me iterum de evictione; vel convenio te ex mutuo, tu me ob vulnerationem reconvenis, ego te convenio ob vim illatam ædibus; vel convenio te actione locati, tu me reconvenis actione commodati directâ, ego re contrariâ. Sed in omnibus his & similibus exemplis, quod per secundam reconventionem volo petere, per retentionem, & exceptionem consequi possum.

6 Dixi II. *Qui modò facultatem agendi habet:* nam qui agere prohibetur, nec reconvenire potest, cùm omnis reconventio sit actio. Hinc excommunicatus, sicut & proscriptus, seu bannitus frustra mutuam petitionem ac reconventionem parat. per *c. 5. de Except.* Ummius *d. d. sp. 10. n. 5.* Et hoc posterius indubium est de bannito, seu proscripto Imperii, welcher in die Rechts-Acht erkläret: hic enim non amplius pro cive Romano, sed pro hoste Imperii habetur, & omnibus Imperii juribus excidit. Gaii. *lib. 2. de Pace Publ. c. 12. num. 3. 5. & 30.* Proscriptus verò ab inferiore aliquo Principe Rom. è ducato, comitatu, vel civitate, cùm solùm amittat jura municipalia, & propria ejus territorii, è quo proscriptus est, non etiam cæterea, quæ sunt juris communis, ideo si eo in loco, è quo proscriptus est, conveniatur, alium reconvenire nequit; alibi autem ubique id potest. arg. *l. 3. ff. de Interdict. & releg.*

7 *Subjectum passivum* mutuæ petitionis, seu reconventionis est is, adversus quem instituitur. Et quidem regulariter adversus quemlibet actorem institui potest: *cujus enim in agendo observat. arbitrium, eum habere & contra se judicem in eodem negotio* (id est, in eadem lite, vel instantia) *non dedignetur.* Text. *in d. l. 14. C. de Sentent. & interloc.*

Non levis *contentio* est: an Clericus agens corum judice sæculari possit sub eodem judice reconveniri saltem in causa temporali & civili?

Affirmativæ Patroni prætendunt *primò*, quòd in utroque jure, & maximè in jure, Civili *in d. l. 14. & auth. & consequenter, C. Eod.* generalite statutum legatur, actorem coram eodem judice posse reconveniri, nec ab hac generali dispositione Clerici uspiam excipiantur. Imo *secundo* text. specialem *in Novel. 123. c. 25.* ibi: *neque aliquin conventionem justineant, nisi mandatum habeant à suis Episcopis, aut aliquos conveniant: tunc enim solis illis, qui ac ea conveniuntur, damus licentiam, si quam obligationem habent contra Ecclesiam, aut contra Episcopos eorum, proponere.* *Tertiò* hanc rationem: Clericus si temerè agat contra Laicum, potest à Judice sæculari condemnari in expensas, eò quòd hæc condemnatio veniat accessoriè ad sententiam. Ergo, cùm etiam reconventio veniat accessoriè ad Conventionem, Clericus quoque in causa reconventionis à Judice laico judicari poterit: quia cujus est cognoscere de principali, est etiam cognoscere de accessorio, per *c. quando de Judiciis.* Et hanc sententiam DD. auctoritate, & usu prævalere dicit Haunold. *tom. 5. de l. & l. tr. 1. c. 4. n. 253.*

Nihilominus veriùs reor, Clericum coram Judice sæculari non posse reconveniri, sive in causa criminali, sive in civili diversa: siquidem ubi prohibetur genus, prohi-

be-

betur omnis ſpecies contenta ſub genere. *l.147. ff. de R. J.* Atqui jura ſimpliciter & abſolutè prohibent, ne Clericus in ulla cauſa, etiam civili, coram Judice Laico conveniatur. *c. 5. 6. 8. & 14. causâ 11. q. 1. c. 4. 8. & 10. de Judiciis c. 2. & 7. de Foro compet. c. un. de Cleric. conjug. in 6.* ergo etiam prohibent, ne reconveniatur: quia reconventio eſt ſpecies conventionis. Et ſanè cùm jurisdictio Laici per modum ſimplicis conventionis in perſona Clerici, ceu abſolutè inſubjicibili jurisdictioni ſæculari fundata non ſit, nec per modum reconventionis fundata eſſe poterit. Præterea in Clerico ceſſat ratio reconventionis expreſſa in *d. l. 14. C. de Sent. & interloc.* dedignari enim Judicem, vel ejus arbitrium ſequi, eſt actus meræ facultatis & voluntatis, quâ deſtituitur Clericus, qui ut maximè velit, non poteſt in alium, quàm Judicem Eccleſiaſticum conſentire. *c. ſi diligenti. 12. de Foro compet.* ergo & ipſa reconventio. Atque hanc optimam, ac urgentiſſimam rationem aſſerit Panorm. *in c. atſi Clerici. de Judiciis n. 24.*

10 Quid igitur ad argumenta contraria? *ad primum* reſpondeo, generale illud effatum de reconveniendo actore coram eodem Judice verum eſſe de eo, qui abſolutè & ſimpliciter tali Judici ſe ſubjicere non prohibetur: etenim dum in Jure Canonico reconventio approbatur, ſermo eſt de foro Eccleſiaſtico, ſeu de partibus coram Judice Eccleſiaſtico contendentibus, non coram ſæculari; jus civile verò diſponit circa ſubditos Laicos, qui ſicut in genere Laico Magiſtratui indifferenter ſubjecti ſunt, ita in genere optimè ſtatui potuit, etiam in caſu reconventionis ejus jurisdictionem illos effugere non poſſe; quod tamen malè ad Clericos applicatur, cùm Judex Laicus per ſe prorſus incapax ſit, ut propriâ authoritate jurisdictionem in perſonam Eccleſiaſticam exerceat. Neque ſtringit text. *in cit. Nov. 123. c. 25.* quia Laici nullam habent poteſtatem quid ſtatuendi quoad Clericos *c. Eccleſia S. Mariæ. de Conſtit. Ad tertium* nego paritatem: quoniam condemnatio partis victæ in expenſas eſt cauſæ principali neceſſariò connexa, ac de natura cauſæ in judicio tali ventilandæ: qualiter tamen connexa non eſt reconventio ipſi conventioni, ſed reconventio ex ſola libera voluntate conventi originem trahit, reúsque actorem reconveniendo ad eum condemnandum ultrò intendit; ut proinde nihil interſit, an ab initio & ultrò eum interveniat, an mutuâ petitione invadat.

Planè hæc noſtra opinio tunc procedit, 11
ſit reconventio fiat in cauſa diverſa, & de re, quæ non habet connexionem cum petitione; ut ſi Clericus petat à Laico coram Judice ſæculari 100. ex cauſa mutui, & ille velit reconvenire Clericum petendo commodatum. Quòdſi reconventio ex conventione oriatur, & actiones mutuæ ex eodem negotio civili invicem competant, conceſſero, quòd Judex Laicus in cauſa, quam Clericus coram ipſo propoſuit, cognitionem habeat, ſi quid à reo petatur, ut puta, ſi Clericus Laicum conveniat actione mandati, is verò Clericum reconveniat actione contrariâ mandati: ſi Clericus conveniat Laicum ex empto, is verò illum reconveniat de evictione: de talibus enim judicem ſæcularem cognoſcere adversus Clericum ipſa æquitas poſtulat per ea, quæ tradit Imola *in d. c. atſi Cler. n. 5. de Judic.* Quamvis executionem ſententiæ facere non poſſit contra Clerici perſonam, ſeu ipſum perſonaliter compellere ad ſolvendum, ſed id à proprio ejus Judice fieri conveniat. Felin. *in c. 1. n. 10 h. t.* Laym. *ibid. ſub n. 6.* Pirrhing. *n. 11.*

Non diſſimilis *controverſia* eſt: an Stu- 12
dio-

diosus conveniens civem, vel plebeium coram Magistratu municipali, coram eodem reconveniri possit? Quod licèt aliis improbetur, in puncto tamen juris verissimum putat Mindan. apud Umm. *d. disp.* 10. *ad Proces. jud. num.* 8. ob generalitatem textuum. *in l.* 22. *ff. de Judiciis & in d. l.* 14. *C. de Sentent. & interloc.* ubi etiam Glossa format simpliciter casum de Studioso, quôd conveniens alium coram consule civitatis, non possit ibidem obstante suo privilegio reconveniri. Ego hoc in dubio, & competenti Judici decidendum relinquo.

§. IV.

13 *Materia, seu Objectum* mutuæ petitionis sunt causæ, in quibus instituitur. Est autem regula, posse mutuam petitionem institui in omnibus causis non specialiter exceptis. *l.* 1. §. *fin. ff. de Variis & extraord. cogn.* Haunold. *tom.* 5. *de I. & I. tr.* 3. *c.* 5. *num.* 355.

14 Causæ specialiter exceptæ sunt I. causa depositi. per *c. bona fides, de Deposito. l.* 11. *C. Eod.* ubi asseritur, depositarium contra repetentem depositum nullam actionem, sive personalem, sive realem, aut hypothecariam, imò ne compensationem quidem objicere posse, quò minùs rem depositam illicò restituat. Treutl. *Vol.* 1 *disp.* 25. *th. ult.*

15 II. Causa executiva, seu paratam habens executionem, veluti si petatur executio instrumenti Guarantigiæ, vel debiti confessionati: quia hujusmodi causæ executivæ sunt certæ & liquidæ, sed contra causas liquidas non datur reconventio: utpote in quibus cessat ejus ratio & finis. ergo. Bachovius ad Treutl. *Vol.* 1. *d. disp.* 25. *th.* 13. *lit. D.*

16 III. Causa spolii, si quis agat interdictô, seu aliquô remediô recuperandæ possessionis rei ablatæ: talis enim à reo reconveniri nequit judiciô petitoriô super proprietate, aut possessorio adipiscendæ, vel retinendæ, *c. fin. de Ordine cognit.* quia spoliatus ante omnia restituendus est, nec tenetur in aliquo respondere adversario suo, nisi priùs restituatur. *c. redintegranda causa* 3. *q.* 1. *c. frequens de Restit. spoliat. in* 6. At verò si reus agentem possessorio recuperandæ simul aliquo judicio recuperatorio, pariter privilegiato reconveniat, procedit reconventio, quatenus spolii quæstio non super eadem re, sed super diversis fuerit oppositum: nam hoc casu privilegiatus ratione spolii non utitur privilegio suo contra pariter privilegiatum Panorm. *in d. c. fin. de Ordine cognit.* Menoch. *remed.* 1. *recup. num.* 338. & 340. Clariss. D. D. Gletle *in Quæst. select. ex* 2. *p ff. q.* 2. *n.* 15.

IV. Causa appellationis; ubi appellatum non potest adversarius victor in prima instantia reconvenire: neque enim Judex appellationis se potest de aliis intromittere, quam quæ sunt ex prima instantia ad ipsum devoluta. *c. pastoralis de Offic. Ordin. c.* 1. *de Appellat. in* 6. Id tamen Marant. *in Spec. p.* 4. *dist.* 6. *n.* 18. intelligit de appellatione judiciali: si namque extrajudicialiter appelletur, admittitur reconventio: quia ille Judex tunc principaliter aditur.

V. Causa criminalis. Ubi tamen refert an hæc causa criminaliter, seu ad vindictam publicam; an verò civiliter, seu ad privatum interesse actoris intentata sit? Primo casu accusatus nequit accusatorem pendente judicio reconvenire; nec civiliter: quia causa criminalis, ceu major, civilem absorbet. *l. fin. C. de Ord. judic. & l.* 33. *C. ad Leg. Jul. de adult.* nec criminaliter: quia non relatione criminis, sed innocentiâ reus purgatur, & non potest antè accusare, quàm fuerit excusatus. *l.* 5. *ff. de Public. judic.* Nisi vel suam, vel suorum injuriam prose-

tur. *l. neganda* 19. *C. de his, qui accuſ. non poſſ.* vel reconventio criminis accuſationem aliquo modo contingat, aut perimat. Clar. *in Pract. crim. §. fin. q.* 14. *n.* 12. vel etiam accuſatus majus crimen accuſatori, quàm ſibi objectum, impingat. At tunc non eſt propriè reconventio : cùm ſimul non expediatur cauſa utraque, ſed ſuſpenſâ accuſatione tractetur quæſtio de crimine graviori. *l.* 1. *C. de his. qui accuſ. non poſſ.* Caſu *poſteriore*, nempe ſi cauſa criminalis tantùm civiliter intentetur, indifferenter reconventioni ſeu mutuæ petitioni locus erit, ſive reus viciſſim agat civiliter, & proprium intereſſe perſequatur, *l.* 10. *§.* 2. *ff. de Compenſat.* ſive agat criminaliter ad vindictam publicam, ita ſcilicet, ut actio civilis criminali ob ejusdem præeminentiam poſtponatur *d. l. fin. C. de Ord. judic.* Pirrh. *h. t. n.* 15. Maranta *d. diſt.* 6. *n.* 47. *& ſeqq.*

19 VI. Excipitur omnis cauſa, de qua Judex ex natura cauſæ etiam aſſentientibus partibus cognoſcere non poteſt ; veluti cauſa ſpiritualis, in qua coram laico, tanquam jurisdictionis ſpiritualis incapace, reconventio non permittitur : item cauſa allodialis reſpectu Parium Curiæ, coram quibus non poteſt in alia cauſa proponi reconventio, quàm in feudali. Ratio eſt : qnia tali caſu non perſona actoris, ſed qualitas cauſæ eundem judicem dedignatur. Vallenſ. *h. t.* §. 2. *n.* 6. Mynſing. *Cent.* 4. *obſerv.* 90. *n.* 2.

20 Num verò mutua petitio, ſeu reconventio in cauſis ſummariis locum obtineat? *addubitatum* fuit. Negat Schwanmann *in Proceſſ. Cam. l.* 1. *c.* 67. ſi cauſa conventionis ſit ſummaria, & reconventionis cauſa plenariam cognitionem requirat : quia conventio, & reconventio ſunt ſimul, & viciſſim tractandæ ; quod fieri nequit, ſi altera cauſarum ſit ſummaria, altera ſolennis & plenaria. Alii ad varias diſtinctiones confugiunt, quarum meminit Panorm. *in c.* 1. *n.* 17. *&* 18. *h. t.* Ego indiſtinctè ſtatuo, reconventionem moveri poſſe, ſive utriusque cauſæ proceſſus ſit ſummarius, ſive alterutrius tantùm : tum propter generalem textum *in Clem.* 2. *§. verùm de V. S.* qui ſimpliciter in cauſis ſummariis reo reconventionem permittit, nec diſtinguit, utrùm ambæ cauſæ ſint ſummariæ, vel ſolùm alterutra : tum quia utrobique militat ratio *d. l.* 14. *C. de Sentent. & interloc.* quòd actor, quem actionis ſuæ elegit judicem, ejus arbitrium non poſſit averſari circa mutuam adverſarii petitionem. Nec contrarium ſuadet argumentum allatum : nam cauſa reconventionis trahitur ad naturam cauſæ conventionis, cùm jura velint, ut in utraque idem modus ſervetur, ita ut ſi cauſa conventionis ſit ſummaria, etiam cauſa reconventionis ſummariè expediri debeat, licèt alioquin ordinarium proceſſum poſtularet. arg. *c.* 2. *ubi* Felin. Imola, Layman, & alii. *h. t.* Gloſſa *in d. Clem. ſæpe.* 2. *V. ſi quid petere. de V. S.*

§. V.

Forma mutuæ petitionis, ſeu reconven- 21
tionis conſiſtit in actione mota à reo convento adversus actorem coram eodem judice durante eodem judicio. Duo itaque concurrant, neceſſe eſt, ut ritè intentetur, & peragatur mutua petitio.

Primum, ut coram eodem judice, quem actor forum rei ſequens elegit, inſtituatur alioquin enim ſimplex potiùs conventio, quàm mutua petitio, ac reconventio foret per *c. diſpendia. §. reus quoque V. apud eosdem judices. de Reſcript. in* 6. *l.* 22. *V. eundem judicem ff. de Judiciis. d. l.* 14. *V. coram eodem. & auth. ſeq. V. eundem judicem. C. de Sent. & interloc.* Cæterùm mu- 22
tua petitio moveri poteſt tam coram judice ordinario, quàm coram delegato etiam

ad certam causam. *c.* 1. *& ibi* Gloss. & Socin. *art.* 4. *n.* 14. *h. t. d. l.* 14. *& ibi* Sichard. *n.* 6. Gail. 1. *observ.* 35. *n. ult.* Nec impedit, quòd prorogatio jurisdictionis de re ad rem coram judice delegato fieri nequeat. *c.* 32. *de Officio deleg.* id enim verùm est in voluntaria prorogatione jurisdictionis. *l.* 1. *&* 2. *ff. de Judiciis* non in prorogatione necessaria, quæ fit authoritate & necessitate legum, ut in mutua petitione.

23 In *ambiguo* hæret: ánne coram judice utriusque partis consensu electo, aut impetrato mutua petitio institui queat? Negat cum communi Pirrhing *h. t. n.* 3. quia ratio, quæ inhibet mutuam petitionem coram arbitro compromissario, nempe, quòd cùm litigantes communi consensu arbitrum receperint, sibi imputare debeat reus, cur in compromisso non fecerit mentionem reconventionis. *c. cùm dilectus. 6. de Arbitr.* eadem quoque obstat mutuæ petitioni coram judice ex utriusque partis suffragio electo, aut delegato. Ego haud assentior: siquidem citata jura non distinguunt, sed generaliter concedunt reconventionem, ac mutuam petitionem coram omni judice ordinario, vel delegato. Deinde actor etiam illum judicem elegit, quem elegit reo consentiente. *l.* 1. *C. de Jurisdict. d. l.* 1. *&* 2. *ff. de Judiciis.* ergo si actor oppositâ exceptione declinatoriâ fori in causa reconventionis respondere nolit, perinde ei obstabit hæc replicatio: *Judicẽ hunc elegisti pro te;* ac si solus eum optâsset. Ad hæc ipsi adversarii admittunt mutuam petitionem coram arbitro juris, ad certam causam deputato, quem tamen, utriusque litigantis consensu eligi, certum est ex *t. t. ff. & C. de Recept. arbitr.* Neque paritas est judicium inter & compromissum: nam in judicium omnia ea veniunt, quæ nominatim à partibus excepta non sunt. *l.* 61. *ff. de Judiciis.* ideóque reus, etiamsi in eundem judicem consenserit, si expressè reconventioni non renuntiavit, actorem reconvenire poterit. At in compromissum id tantùm venit, quod nominatim actum est, ut veniret. *l.* 21. *§. plenum 6. ff. de Recept. qui arbitr.* consequenter nisi expressè hoc actum sit in compromisso, ut arbiter etiam de reconventione cognosceret, meritò cessat reconventio. Confer Monoch. *de Arbitr. jud. lib.* 1. *q.* 46.

Alterum requisitum est, ut mutua petitio ac reconventio proponatur durante eodem judicio. Sed non convenit inter DD. quo tempore, & in quo actu judicii proponi debeat? communiùs tamen placuit, eam ante & post litis contestationem, atque in qualibet judicii parte usque ad conclusionem in causa moveri posse. Gloss. *ind. c.* 1. *V. in continenti. h. t.* Panorm. *ib. n.* 12. Vallens. §. 3. *n.* 2. Quod & perspicuè probatur ex *c. dispendia §. reus quoque de Rescript. in 6.* ubi dicitur, quòd *eodem durante judicio* reus actorem reconvenire possit; judicium autem durat usque ad conclusionem in causa: judicium enim est, cùm causa discutitur. *c. forus* 10. *V. causa de V. S.* Accedit, quòd reus in reconventione sit actor. Gloss. *in d. c. dispendia. V. expiriri.* sed in potestate actoris est, quando velit, jure suo agendi uti. *l.* 6. *§. ult. ff. de Dol. mali except.* ergo idem erit in causa reconventionis. Approbat insuper hanc sententiam *Ordin. Cam. p.* 3. *tit.* 30.

§. VI.

Finis introductæ mutuæ petitionis est, ne litigantes diversis judiciis se invicem vexent, & actore coram judice rei in causa sua procedente, reus illi ex adverso coram alio judice negotium facessat, atque ita immortales inter se lites exerceant. Colligitur *ex Nov.* 96. *c.* 2. *§. Ef-*

§. VII.

26 *Effectus* ex reconventione, seu mutua petitione duplex oritur: nimirum prorogatio jurisdictionis, & processus simultaneus.

Prorogatio jurisdictionis: quia actor per reconventionem alienæ jurisdictioni ita subjicitur, ut postea coram eo judice, quem agendo in sua causa approbavit, judicium reconventionis subire debeat, nec velut incompetentem respectu personæ suæ possit repudiare. *c. 1. h. t. l. 2. §. sed etsi l. 22. ff. de Judiciis.* & diserte *in d. l. 14. C. de Sentent. & interloc.* ibi: *nulla ei opponenda exceptione, quòd non competens judex agentis esse cognoscatur.* Et quidni cognoscatur? cùm reus coram alio judice, nisi terminatâ lite conventionis, non audiatur. *d. Novel. 96. c. 2. ℣. sancimus.* Excipiuntur causæ criminales: nam in his (si potest) reconventio coram ordinario judice ipsius reconventi fieri debet. Gail. *l. 1. de Pace publ. c. 12. n. 2.* Schvvanmann *in Proceſſ. Cam. c. 67. n. 2.*

27 *Processus simultaneus*: quia causa reconventionis simul cum causa conventionis tractanda, & vicissim cujusque actionis judicii actus expediendus est, donec in utraque causa fuerit concluſum, & cognitio, quantū opus est, habeatur. Unde consequens est, si alterutra causa altiorem indaginem exigat, alteram (nisi periculum moræ aliud suadeat) suspendi posse, imò debere, usque dum de altera etiam liqueat, ut sic demum unâ sententiâ, saltem prolatione (sunt enim realiter duæ) terminentur. *c. 1.* & ibi DD. *h. t. c. 2. ℣. nos igitur de Ordine cognit.* Ummius *disp. 10. ad Proceſſ. judic. n. 21. in fin.* Brunnemann *in Proceſſ. civil. c. 10. n. 12.* Mynsing. *cent. 1. obſerv. 10.* Neque enim judicis est, temerè à procedendi ordine discedere, & si aliter processerit, justè ad Superiorem appellatur. *l. 1. in fin. ff. Quæ sententi. sine appell. rescind.*

Verùm ut hunc utrumque effectum 28
operetur mutua petitio, proponenda est in ipso litis exordio per *c. 1. h. t. Clem. sæpe §. verùm de V. S. & auth. & consequenter. C. de Sentent. & interl.* aut saltem statim post litem contestatam, antequam litigatores ad alios actus judiciales progrediantur, ut docent relati à Barb. *in l. qui prior 29. n. 22. ff. de Judiciis.* nam ea, quæ in continenti fiunt inesse creduntur. *l. 7. §. quin imò ff. de Pactis l. lecta ff. de Reb. cred.* Sin verò post litem contestatam, in quacunque parte judicii, reconventio moveatur, solùm effectum Prorogationis habet. arg. *d. c. dispendia. §. reus de rescript. in 6.* non etiam processûs simultanei: ne causæ conventionis decisio cum damno actoris sufflaminetur. Barb. *in d. l. qui prior. n. 26.* Zoël. *h. t. n. 10.* Marant. *in Spec. p. 4. dist. 6. sub n. 5.* & alii communiter.

TITULUS V.

De Litis contestatione.

SUMMARIA.

1. *Litis contestatio quid nominis? 2. quid rei? 3. 4. 5. & quotuplex sit?*
6. *Originem suam trahit ex jure positivo.*
7. *Litem contestatur actor cum reo vel per se vel per alium.*
8. *Ad litem contestandam non requiritur partium præsentia.*
9. *Quomodo reus ad eam compellendus?*
10. *Litis contestatio requiritur in omni processu.*
11. *etiam secundæ instantiæ.*
12. *Usque 17. Adducuntur requisita ad litem contestandam.*
17. *Cur fiat Litis contestatio?*
18. *& seqq. Recensentur ejusdem effectus.*
20. *& seqq. An actiones ex delicto rei persecutoriæ lite non contestatâ dentur contra hæredes?*

HActenus de quibusdam quasi præparatoriis judicii. Sequitur nunc litis

contestatio, à qua judicium propriè tale incipit. *l. un. C. h. t.*

§. I.

1 *Litis contestatio* dicta est ab antiquo ritu, quód testatò, id est, testibus præsentibus peragi soleret. Ludvvel. *in Commentar. de diverſ. reg. jur. antiq. pag.* 291. *n.* 1. Germanicè nuncupatur Rechts-Kriegs-Befestigung/ oder Verfahrung deß Rechtens.

§. II.

2 *Definitur* litis contestatio, quòd sit actus judicialis, quo per propositam petitionem actoris, & congruam desuper responsionem rei judicium constituitur. Breviùs: quòd sit judicii constitutio facta affirmatione unius & contradictione alterius litigantis. P. Engel *h. t. n.* 1.

§. III.

3 *Dividitur* litis contestatio I. in solennem & simplicem. Solennis seu formalis est, quæ fit verbis conceptis & præscriptis juxta stylum curiæ. Non solennis, seu simplex dicitur, quæ sine certa verborum conceptione, aut præscriptione fit, atque fieri potest quôvis modô, factô, vel actu signante petitionem actoris, & contradictionem rei, cum animo tamen litem contestandi.

4 II. Communiter dividitur litis contestatio in affirmativam, & negativam. Gail. *l.* 1. *obſerv.* 73. *n.* 2.

Affirmativa est, quando reus fatetur petitionem actoris, additâ, ut plerumque solet, hâc clausulâ: *animo litem contestandi affirmativè.* Et hæc subdividitur in simplicem, seu absolutam, & qualificatam, seu conditionatam. Affirmativa *simplex* est, quando reus absolutè & simpliciter fatetur intentionem actoris, nullam subjiciendo exceptionem peremptoriam, sed offerendo se ad solutionem; quæ confessio revera litis contestatio non est ob defectum litis & animi litigandi. *Qualificata*, seu conditionata est, quando reus fatetur quidem petitum, sed opponit exceptionem exclusivam intentionis actoris; ut si fatearis, te mutuas pecunias accepisse, opponas tamen solutum, transactum, vel juratum esse. Erit autem exceptio illa à reo probanda, cùm in exceptionibus reus partibus actoris fungatur. *l. in exceptionibus.* 19. *ff. de Probat.*

Negativa litis contestatio est, quando reus diffitetur, & negat petitionem actoris. Et hæc rursus duplex est: explicita, & implicita. *Explicitè* negativa est, quando simpliciter absque ulla conditione, qualitate, vel limitatione negatur intentio actoris per hujusmodi clausulam: *animo contestandi litem negativè. Implicitè* negativa est, quando non ita simpliciter, sed cùm quadam reduplicatione negantur narrata: v. g. *nego narrata, ut narrantur, & petita, ut petuntur:* quibus verbis reus implicitè dicit, aliqua vera esse, aliqua falsa, quæ autem in specie illa sint, potest in progressu magis declarare. Unde ulteriùs reus per eam non potest de simplici negatione coargui, per quam aliàs incurreret pœnam statutam *in l. fin. ff. de Rei vindic. & in auth. item poſſeſſor. C. Qui potiores in pig.* nec etiam de simplici confessione, ut velut confessus pro condemnato habeatur juxta *l.* 1. *C. de Confeſſis.*

III. Litis contestatio dividitur in generalem & specialem. Generalis est, cùm reus generaliter dicit: *nego narrata, & petita me debere;* ita ut non constet, an neget omnia & singula, an verò tantùm neget collectivè omnia vera esse, omniáve deberi. Specialis est, quando ad singula petita, & narrata negativè respondetur. Et hanc, quia magis servit expediendis litibus, meritò urget actor, & ex officio injungit judex. Latè Brunneman *in Proceſſ. civil. c.* 14. *n.* 9.

num. 9. & seqq. Berlich. *p. 1. conclus. 26. num. 14.*

§. IV.

6 *Causa efficiens* litis contestationis est vel remota, vel proxima.

Remota est jus. Ubi litis contestatio simplex secernenda à solenni. Illa est Juris naturalis: neque enim judicium intelligitur, nisi intendat actor, contradicat reus. Ista est juris positivi, quia formam suam specialem huic refert in acceptis. arg. *Clem. saepe 2. de V. S.* Hinc ista à Principe omitti potest, nec in Camera necessariò attenditur, si ex prioribus actis appareant status quæstionis, & merita causæ principalis: nam in genere nullitates causæ principalis non præjudicantes, & tantùm figuram, solennitatémque judiciorum respicientes Camera minimè curat, sed magis expeditioni causæ (ô utinam!) favet, ut litibus finis imponatur. *Ord. Cam. part. 3. tit. 34.* Gail. *lib. 1. observ. 75. n. 5. & seqq.*

7 *Causa efficiens proxima* sunt partes, quæ litem contestantur. Possunt autem litem contestari omnes, quicunque vel proprio, vel alieno nomine judicium rectè suscipiunt: neque tantùm principales sed & eorum procuratores, ac personæ ejusmodi, quæ locò aliorum intervenire solent, absque eo etiam, ut in procuratorio, vulgò in dem Gewalt / hoc specialiter demandetur. Mynsing. *Cent. 4. observ. 99.*

8 Sed an necessariò actore & reo præsentibus vivâ voce lis contestanda sit? *ambigitur.* Affirmant Bartol. *in l. un. C. h. t.* Berlich. *p. 1. concl. 26. n. 24.* & plures alii: quia litis contestatio vi nominis est velut simul testatio mentis. Magis tamen propendeo in sententiam negativam per *c. un. h. t.* ubi ad litis contestationem tantùm requiritur actoris petitio, & rei responsio. Deinde per *c. dudum. de Elect. c. cùm causa 62. de Appell.* ubi ad litem contestandam sufficit advocati responsio, si per reum non revocetur. ergo non desideratur utriusque partis præsentia. Accedit: quia libello oblato per actorem in judicio durat ipsius voluntas. arg. *l. 22. ff. de Probat.* scripturáque semper loquitur. *l. cùm precum. 9. C. de liberali causa.* & ideo reus postea respondendo videtur uno tempore cum actore concurrere. *l. 2. §. unde ff. de O. & A.* neque interrogatio partis seu actoris necessaria est juxta *l. si sine 9. ff. de Interrogat. in jure fac.* Unde litis contestationem induci, etiam quando reus absente actore, & ex intervallo in judicio contradicit libello, ac petitioni actoris, asserunt Pirrhing. *h. t. n. 3.* Fagnan. *in c. un. Eod. n. 37.* & Panorm. *ibid. n. 7.* ubi testatur ita in praxi servari.

Cæterùm Judicis officium est reo litis 9
contestationem injungere sub pœna contumaciæ. Quòdsi nequedum litem contestatur, actor verò in termino comparens contumaciam rei accusaverit, tunc Judex potest acceptare litem pro contestata: tum quia id non repugnat ex natura rei, ut per se claret: tum quia videtur colligi ex *l. 11. §. 4. ff. de Interrog. in jur. fac.* tum denique quia in hujusmodi casu lex aut Magistratus censetur supplere voluntatem subditorum, quod eum posse in confesso est. Gail. *1. observ. 59. n. 5. & observ. 80. num. 2.* Mynsing. *Cent. 4. observ. 66.* Haunold. *tom. 5. de J. & J. tr. 3. c. 7. n. 436.* Quorum sententiam *Ordinatio Camerae tit. 42. tit. 43. §. 4. & tit. 44.* usúsque tribunalium passim approbat. An autem æquè de Jure communi obtineat? est, quod dubites ob *c. 1. & 2. Ut lite non constet.* ubi pars præsens, quæ noluit libello respondere, seu litem contestari ordinariâ contumaciæ pœnâ coërcetur, & ad ulteriora procedi posse, apertè negatur; nec puta secus esse de Jure civi-

li

li. arg. *c. 1. de N. O. N. & Novel. 83. c. 1.*

§. V.

10 *Materia, seu objectum* litis contestationis est causa inter partes controversa. Ubi refert, an in causa ordinariè, an verò summariè & de plano procedatur? In processu ordinario solennis litis contestatio requiritur, & adeò necessaria est, ut omissa vitiet totum processum, & sententiam latam reddat ipso jure nullam. *c. un. h. t.* ubi propter omissam litis contestationem omnia acta irrita declarata sunt. Ratio est: quia litis contestatio est quasi basis, lapis angularis, & fundamentum judicii, quo deficiente nihil potest ædificari. arg. *c. cùm Paulus. 26. causâ 1. q. 1.* Vant. *de nullit. sentent. ex defect. proceff. n. 28.* In processu autem summario sufficit litis contestatio simplex: in hoc enim processu omnes solennitates juris positivi, quibus accensetur solennis litis contestatio, omitti possunt, & illæ duntaxat observandæ sunt, quæ de jure naturæ desiderantur. *d. Clem. sæpe & ibi* DD. *de V. S.*

Porro in processu summario actus ille, quo primùm merita causæ tractari incipiunt, qualis est responsio ad rem ipsam, oblatio articulorum, testium, & instrumentorum productio, vel meritorum causæ disputatio vicem litis contestationis subeunt, & omnes litis contestatæ effectus immediatè producunt. Gloss. *in c. statuimus. 1. §. sed si pars in V. absentia de Elect. in 6.*

11 Illud expeditum non est: ânne litis contestatio in secunda instantia, seu judicio appellationis sit necessaria? Sunt, qui negent, si in prima instantia lis fuerit contestata: eò quòd effectus factæ litis contestationis in prima instantia non extinguatur, sed porrigatur ad causam appellationis. *c. 58. de Appell. l. ult. §. illud. C. de Temporib. appell.* Aliqui exigunt litis contestationem, si uterque litigans præsens sit, secus, si alter absens per Text. *in l. un. C. Ne liceat in una eadémque causa tert. provoc. l. ita demum. 13. C. de procurat.* Alii distinguunt inter appellationem ab interlocutoria, & appellationem à definitiva; priori casu novâ litis contestatione non esse opus, posterioti opus esse existimant. arg. *c. interpositâ. 70. §. ult. ibi: rigore juris de Appellat.* Socin. *ad c. quoniam. 5. n. 66. ut lite non contest.* Ut ut sit, certè tutiùs est, litem indifferenter in secunda instantia contestari. Facit Gloss. *in d. l. ita demum. C. de Procurator. l. scio. §. quid ergo ff. de Appell.* Quod etiam observatur in Camera Imperiali juxta novissimam Ordinationem *p. 3. tit. 32. §.* wo aber der Appellat. junctô *§. seq.* und sollen solche Kriegs-Befestungen. &c. Mynsing. *cent. observ. 1. n. ult.* Gail. *l. 1. observ. 76. num. 2.*

§. VI.

Forma litis contestationis consistit in petitione actoris, & contra dictione rei animo litigandi coram Judice facta. Quatuor proinde ad eam requiruntur. 12

I. Petitio actoris: ideóque per solam narrationem facti, & positiones, quæ fiunt ab actore, ac responsionem ad eas non inducitur litis contestatio. *c. un. h. t.* Ratio est: quia qui tantùm narrat, vel ponit aliquid, nihil petit ab adversario, nec per hoc ostendit se velle agere, & ita nec Judex sententiam proferre posset: quia non petenti officium suum impertiri nequit. *l. 4. §. hoc autem ff. de damno infect. l. in rem. ff. de Rei vindic. l. ut fundus ff. Communi divid. c. licèt de Simon.* Pirrhing. *h. t. n. 8.* qui tamen id limitat: nisi positiones factæ essent in libello articulato super totâ causâ, iisque à reo contradictum: cùm tales positiones involvant tacitam petitionem actoris.

II.

13 II. Contradictio rei per *c. un. h. t. l.* 14. *§.* 1. *C. de Judiciis.* ſine dubio ideo: quia ſine hac non eſt judicii altercatio, ſeu lis. Hinc

Colliges *primò*, non induci litis conteſtationem, ſi reus abſolutè & ſimpliciter fateatur intentionem actoris affirmando rectè à le peti, & nihil penitus opponendo in contrarium: quia tunc non eſt lis. ergo nec litis conteſtatio. Unde in tali caſu judex non feret ullam ſenteutiam, ſed tantùm per præceptum reo injunget, ut intra certum tempus ſatisfaciat. *l.* 21. *ff. de Judiciis.* Rosbach. *in praxi civil. tit.* 49. *n.* 8.

Colliges *ſecundò*, litem non conteſtari, ſi reus actori exceptionem dilatoriam, vel etiam peremptoriam opponat, niſi eò ampliùs, aut intentionem actoris neget, aut profiteatur, quòd animum litigandi habeat. Et quidem in dilatoria exceptione patet, utpotè quæ regulariter ante litis conteſtationem opponenda eſt. *c. inter Monaſterium. de Sent. & re jud. l. penult. & ult. C. de Except.* de peremptoria textus diſertus eſt *in c.* 2. *h. t. in* 6. cui & ratio ſuffragatur: quia litis conteſtatio inducitur petitione actoris, & contradictione rei, per *d. c. un. Eod.* at verò qui exceptionem opponit, utique nec fatetur, nec negat intentionem actoris, ſed nudè aſſerit, ſe exceptione munitum eſſe. *l. non utique* 9. *ff. de Except. c. cùm venerabilis.* 6. *Eod. c. Exceptionem* 63. *de R. J. in* 6. Sichard. *ad. l. un. C. h. t.*

14 III. Requiritur animus litigandi; qui animus non neceſſariò verbis à partibus exprimitur, ſed ex ipſa petitione actoris, & reſponſione, ſeu contractione rei præſumitur. Vallenſ *h. t. §.* 1. *n.* 7. Quodſi tamen reus expreſsè proteſtaretur, ſe non animo litigandi, ſed potiùs Judicis informandi causâ reſpondere petitioni Adverſarii, recepta ſententia eſt, per talem proteſtationem ob defectum intentionis litigandi impediri litis conteſtationem; niſi Judex priùs juſſerit litem conteſtari: nam tunc, cùm ſimus in caſu neceſſario, proteſtatio nihil relevaret. Panorm. *in c un. h t. n.* 10. P. Engl *n.* 2. Mynſing. *cent.* 3. *obſerv.* 74. *n.* 6. *&* 7.

IV. Requiritur, ut petitio, & contradi- 15
ctio fiat coram Judice, nam extra judicium litis conteſtatio fieri non poteſt, cùm ſit fundamentum judicii, & alioquin quotiescunque quis extra judicium equum, vel quid aliud peteret altero negante ac contradicente, litis conteſtatio induceretur, & ita judicium absque Judice conſtitueretur; quod omnino abſurdum. Panorm. *in d. c. un. n.* 11.

Quamvis autem litis conteſtationis va- 16
riæ ſint formulæ, ut videre eſt apud Gilhauſ. *c.* 4. *ram.* 2. *per tot.* in praxi tamen uſitatior eſt hæc: ſi actor vel ad interrogationem Judicis, vel per ſe ipſum omnia in ſuo libello narrata & petita repetendo dicat: *Affirmo narrata, ut narrata fuêre, vera eſſe, & petita, ut petita, fieri debere:*

Reus verò deſuper ſic reſpondeat: *nego narrata, prout narrata fuêre, vera eſſe & peto me abſolvi ab inſtituta actione, cum refuſione damnorum, & expenſarum.* Gail. 1. *obſerv.* 73. *n.* 2. *&* 3. Haunold. *de J. & J. tom.* 5. *tr.* 3. *a.* 7. *n.* 419. qui *n.* 321. notat, ad litis conteſtationem etiam ſufficere, ſi reus dicat: *Tu mentiris;* niſi hæc verba enuntientur ex impetu coleræ & iracundiæ.

§. VII.

Finis litis conteſtationis eſt, ut cauſæ ſta- 17
tu cognito tum judex ſcire poſſit, ſuper quo ſibi judicandum ſit; tum etiam ut litigantes intelligant, in quo lis principaliter conſiſtat, & quid proinde ab illis probari, aut impugnari debeat. Vultejus *lib.* 3. *de Judiciis. c.* 1. *n.* 135. Obrecht. *de litis conteſt. c.* 10. *n.* 4.

§. VIII.

18 *Effectus* litis contestationis concernunt vel judicem, vel litigantes, vel rem controversam.

Ex parte *Judicis* litis contestatio perpetuat ejus jurisdictionem, si sit delegatus *c. 19. de Offic. deleg.* prorogat jurisdictionem, si fuerit incompetens. *l. 4. C. de Jurisdict. omn. judic.* & si suspectus sit, facit, ut postea recusari nequeat, nisi novâ superveniente causâ suspicionis. *l. apertissimi. 16. C. de Judiciis.*

19 Ex parte *litigantium* effectus litis contestationis alii sunt alterutrius partis proprii, alii utrique communes.

Effectus proprii respectu actoris duo sunt. *Primus*, quòd per litis contestationem actiones temporales, hoc est, tempore, aut morte perituræ perpetuentur, ita ut à die litis contestatæ demum 40. annis excludantur. *l. 139. ff. de R. J. l. fin. C. de Præscript. 30. vel 40. ann. l. 1. §. 1. C. de Annali except.* Excipitur actio de dolo, quæ intra biennium continuum à die commissi doli inchoanda, & terminanda est *l. ult. C. de Dolo. Alter est*, quòd per illam actiones pœnales, quæ alioquin vel hæredibus, vel contra hæredes non dantur, ad hæredes & contra hæredes transeant §. 1. *Instit. de Perpet. & tempor. action. l. omnes. 26. l. constitutionibus. 33. ff. de O. & A. d. l. 139. l. 164. ff. de R. J. l. 13. ff. de Injuriis, l. un. C. ex delicto defunct. in quant. hæred conven.* Ratio utriusque est: quia litis contestatio est quidam quasi contractus & velut novat priorem obligationem, sicque post eam incipiunt actiones ex quasi contractu existere; quæ sunt perpetuæ, & hæredibus ac contra hæredes dantur. *l. 9. ff. de Probat.*

20 *Quæstio* hic incidit: num lite non contestatâ contra hæredes in solidum dentur actiones rei persecutoriæ ex delicto descendentes? equidem de Jure Canonico (quod ceu in materia peccati sequimur) exploratum est, hæredem v. g. furis, raptoris, aut usurarii in solidum conveniri posse, eúmque juxta vires hæreditarias teneri ad satisfactionem damni illati, etsi nihil ex delicto ad ipsum pervenerit, nec lis fuerit cum defuncto contestata. *c. ult. de Sepultur. c. 9. de usuris. c. 5. de Raptorib.* An idem de Jure Civili obtineat? in utramque partem disputatur.

Pro negativa, quam verissimam dicit Hunnius *Var. resol. l. 4. p. 6. q. 3.* militat inprimis, quòd hæres non possit repræsentare defunctum in delictis, cùm personam afficiant. *l. 5. pr. ff. de Calumniat.* in hæredem autem quà talem actio nulla detur, nisi in quantum repræsentat defunctum. Deinde passim in jure dicitur actiones ex delicto rei persecutorias in id dari in hæredes, quod pervenit. *l. 16. ff. Quod metûs causâ. l. 26. ff. de Dolo malo. l. 1. §. ult. l. 7. ff. de Alienat. jud. mut. causâ. l. 1. §. fin. ff. de Vi & vi arm. l. 7. §. ult. l. 8. ff. de Tribut. act. d. l. un. C. ex delicto defunctor.* Et hoc, ne ex alieno scelere ditescant.

Affirmativam propugnant Covarr. *Var. resol. c. 3. n. 7.* Vinnius, & Schambogen *ad §. Instit. de Perpet. & temp. act.* probatur *primò ex l. 12. & 49. ff. de O. & A.* è quibus regula universalis deducitur, quòd actiones rei persecutoriæ in hæredes competant. *Secundò ex §. 9. Instit. de Leg. Aquil.* ubi negatur, actionem legis Aquiliæ in hæredem transire: non quia ex *delicto*, sed quia *pœnalis* est, additur enim: *quæ transitura fuisset, si ultra damnum lis nunquam æstimaretur. Tertiò*: adversus hæredem furis, etiamsi res furtò ablata perierit, nec ad hæredem pervenerit, datur condictio furtiva in solidum. *l. 9. ff. de Condict.*

dict. furt. ergo etiam aliæ actiones ex delicto rei perſecutoriæ adverſus hæredes dantur in ſolidum: neque enim apparet ratio congrua diſcriminis inter damnum illatum furtò, & illatum rapinâ, uſurâ, ſimilíve crimine, quantùm ad damni reparationem. *Quartò:* quando de jure naturæ, aut Canonico aliquid certum, & jure civili dubium eſt, ſtandum eſt juri naturæ, aut Canonico certo: ſemper enim jus certum prævalet dubio. Sed inſpecto jure naturali & Canonico certum eſt, quòd actiones ex delicto rei perſecutoriæ adverſus hæredes dentur in ſolidum, & jure civili id eſt dubium, ergo ſtandum eſt hoc in paſſu juri naturali, & Canonico certo.

Utra verò harum opinionum ſit verior, & quomodo alterius argumentis ſatisfieri poſſit, in ipſo diſputationis conflictu ſcicitanti aperiemus.

21 *Effectus proprius* litis conteſtationis reſpectu Rei eſt, quòd poſſeſſorem conſtituat in ficta mala fide, tum quoad fructuum perceptionem, ita ut illos à die litis conteſtatæ non ampliùs lucretur, ſed conſervare, ac Actori, ſi obtineat, reſtituere teneatur. *l. 38. §. 7. ff. de Uſuris l. certum 22. C. de Rei vindic.* tum quoad præſcriptionem ſaltem longi temporis, nempe 10. aut 20. annorum *l. 2. & 10. C. de Præſcript. longi temp.* & multò magis longiſſimi temporis, ita ut, ſi antea completa non ſit, eam perfectè interrumpat, licèt aliàs nullum requiſitum deſit, & tempus legitimum adhuc ante ſententiam latam abſolvatur: conſequenter etſi poſtea actor ſuccumbat, nec probet rem eſſe ſuam, reus tamen de novo teneatur inchoare præſcriptionem etiam contra alium, qui ſcilicet eſt Dominus rei. An autem litis conteſtatio triennalem quoque uſu capionem interrumpat, atque ſic reſpectu illius etiam prædicta fictio juris, quâ poſſeſſor in ficta mala fide conſtituitur, locum habeat? alibi excutietur.

Effectus communes parti utrique ſunt l. 22 quòd litis conteſtatio obliget ad inſtantiam, ita ut impunè ab ea recedere ampliùs non liceat & per quandam conſequentiam ad omne id, quod per ſententiam pronuntiabitur: habet enim litis conteſtatio vim quaſi-contractûs, quo partes ſe invicem obligant principaliter quidem ad inſtantiam, in conſequentiam verò ad præſtandum id, quod judicatum fuerit. arg. *l. 3. §. idem ſcribit ff. de Peculio.* Gail. *l. 1. obſerv. 74. n. 5. & ſeqq.* II. Quòd tollat pleras- 23 que exceptiones dilatorias, ſicut & fori declinatorias: quia per eam partes illis renuntiâſſe cenſentur. *l. 19. C. de Probat. l. ſi quis 12. l. 13. l. fin. C. de Except.* Niſi de iis ante fuerit interjecta proteſtatio, aut judiciô acceptô ex nova cauſa emerſerint, vel noviſſimè innotuerint. *c. Paſtoralis 4. de Except.* Wurmſer. *Obſerv. Pract. l. 1. tit. 13. obſerv. 3.*

Huc pertinet, quòd per litis conteſtatio- 24 nem is, qui procuratorio nomine cauſam exercet, dominus litis reddatur, ideóque alium in ſuum locum ſurrogandi, aut ſubſtituendi facultatem conſequatur, & revocari deinceps nequeat absque cauſa rationabili. *c. 2. de Procuratorib. in 6. l. 12. l. 23. C. Eod.*

Denique ex parte *rei controverſæ* hoc 25 operatur litis conteſtatio, quòd rem petitam efficiat litigioſam *auth. litigioſa C. de Litigioſis.* ac proinde res ea in alium alienari nequit, ſed locum ſibi vendicant illæ pœnæ, quæ comprehenduntur *in l. 4. C. Eod. c. 3. & 4. Ut lite pendente nihil innov.*

TITULUS VI.

Ut lite non contestatâ non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.

SUMMARIA.

1. Ante litis contestationem non possunt recipi testes, vel ferri sententia definitiva.
2. Et seqq. proponuntur casus excepti.

§. I.

1 HIc *titulus* est veluti appendix præcedentis, in eóque pro regula traditur, quòd lite non contestatâ super causa principali non sint testes recipiendi, aut sententia proferenda: cum super quo testes recipiantur, aut sententia feratur, nihil sit, actore non tam petente, quàm petere volente. *l. amplius ff. Rem ratam haberi.* Suffragatur etiam præsens *Rubrica:* quia recepta Jurisperitorum doctrina est, quòd quando rubrica perfectum sensum reddit, jus faciat, & in causarum decisione pro lege allegari valeat; maximè si incipiat per *ut*, vel per *ne.* arg. *l. 1. & ibi* Gotofred. *ff. de Reb. credit.*

§. II.

2 Sed ut omnia alia, ita & hæc regula suas admittit exceptiones; quæ respiciunt vel Judicem, vel actorem, vel reum, vel causam.

Judex nullâ attentâ litis contestatione testes recipere, & examinare potest in processu inquisitionis tam generalis, quàm etiam specialis, si criminosus, contra quem præcedente infamiâ, aliisve indiciis sufficientibus determinatè inquiritur, legitimè citatus contumaciter absit. *c. quoniam. §. §. sunt & alii. & ibi* Vivian. *in Rationali. h. t.* Panorm. *ibid. n.* 4.

3 *Actor* absque litis contestatione in causis civilibus receptionem testium obtinere potest, si metuat, ne inter litis contestandæ moras pereat copia probationis, eò quòd probabile periculum sit, ne testes propter senium 60. circiter, aut 70. annorum, vel ob infirmitatem, aut in bello, vel navigatione moriantur, aut propter iter in remotas partes susceptum diu absint, vel etiam ne præsentes negotii fortè valde intricati obliviscantur. Ubi tamen, ut attestationes receptæ valeant, requiritur, ut actor hic & nunc agere impediatur ob ferias, absentiam rei, vel exceptionem aliquam dilatoriam: & simul ut reus, si commodè potest, citetur, vel saltem ut actor, si reus propter absentiam non malitiosè protractam citari nequeat, intra annum numerandum à die, quo reum convenire potuit, instituat actionem, aut illi denuntiet factam testium receptionem, ne per fraudem reo eripiatur conditio objiciendi quid contra testes. Text. & DD. *in d. c. quoniam in princ. h. t.*

Dixi: *in causis civilibus:* si enim de crimine agatur criminaliter, ante litem cum reo contestatam testes pro probanda futura accusatione recipi nequeunt, etiamsi criminis probandi copia ob eorum mortem, absentiam, vel oblivionem interitura timeatur. Quod satis colligitur ex *d. c. quoniam* ubi à communi regula, quâ testes ante litem contestatam non admittuntur, tantùm excipitur casus propter periculum mortis, vel absentiæ, *si civiliter agatur*, ergo in criminalibus manet dispositio legis generalis. Nec injuriâ: quia in executionibus pœnarum non est adhibendus favor accusatori. *arg. l. auxilium pr. ff. de Minorib.* & agitur de gravissimo præjudicio rei, quem nocentem absolvi satius est, quàm innocentem condemnari. *l. 5. ff. de Pœnis.* Vallensis *h. t. sub n.* 6.

Reus, sive is, qui se ab alio conveniendum, aut accusandum timet, ante litem contestatam quoscunque testes *ad perpetuam rei memoriam*, ut dicitur, & futuram sui defensionem, quandocunque sibi pla-

ce.

cet, producere potest, si talem exceptionem, vel defensionem habet, quam non potest per modum actionis proponere, ut sunt exceptiones pacti de non petendo, doli, metûs, & pleræque aliæ: quia in potestate ipsius non est, quando conveniatur, & ne fortè dolosus actor studio exspectet, donec testes, quibus reus exceptionem suam probare posset, moriantur, vel rei gestæ obliviscantur. Secus est, si reo exceptio competat per modum actionis, veluti exceptio non numeratæ pecuniæ, ubi potest condicere chyrographum: tum enim reus jure actoris censetur, & testes producere nequit. Hartmanus Hartman *in Pract. forens. l. 2. observ.* 11.

6 Cæterùm quoad hoc actorem inter & reum duæ notabiles differentiæ sunt. *Prima*: quòd actor tantùm eos testes producere possit, quorum præmatura mors, vel diuturna absentia timetur, non alios; reus verò omnes suos testes producere potest, etsi unus tantùm, vel nullus sit valetudinarius, senex, vel in longinquas provincias profecturus. *c.* 41. *&* 43. *de Testib. Altera*, quòd attestationes receptæ pro defensione rei in perpetuum valeant, & semper illis reus uti possit, quocunque demum tempore lis moveatur; econtra, si actor intra annum cessante impedimento actionem non instituat, neque reo receptionem testium denuntiet, attestationes hujusmodi exspirant, & ultra nil valent. *d. c. quoniam in princ.* junctâ *l. purè* 5. *§. fin. de Doli mali, & metûs except.*

7 Ob favorem *causæ* lite non contestatâ ad testium receptionem, & si de causa liqueat, ad sententiam definitivam procedi potest I. Si moveatur quæstio, an matrimonium subsistat ob allegatum aliquod impedimentum dirimens, & reus legitimè citatus non compareat, sed sit contumax: ne alteri conjugi fornicationis occasio præbeatur. *d. c. quoniam §. porro h. t.* Neque impedit, quòd quando de crimine adulterii ad separationem thori, vel dotis restitutionem agitur, reo etiam contumaciter absente testes recipi, & sententia ferri nequeat ante litis contestationem juxta *c.* 1. *Eod.* Siquidem cùm hæc separatio sit odiosa, neque simpliciter causa matrimonialis, sed potiùs causa mixta ad separationem & dotem repetendam, ideo tunc servandus erit ordo judicialis, nec testes recipiendi ante litem contestatam, etiamsi reus sit contumax, quia tunc cessat ratio & favor matrimonialis. Layman *in d. c.* 1. *n.* 3. Planè si reus non contumaciter, sed ex alia causa absit, puta si captivus, vel infirmus alibi detineatur, tunc neque in causa matrimoniali proceditur, neque receptio testium valida est. *c.* 4. *h. t.* sed exspectatur absens: cùm enim sine sua culpa sit absens, & legitimas forte exceptiones habeat ad eliendam contrariam intentionem, eidem præjudicari non debet.

II. Idem obtinet, si agatur de valore electionis, vel provisionis Ecclesiæ, aut prælaturæ, & reus per contumaciam absit: ne propter longiorem moram Prælatura, vel Ecclesia detrimentum patiatur. *d. c. quoniam. §. porro & ibi* Innocent. *h. t.* Quòdsi verò reus aliter, quàm ex contumacia absit, tunc plerumque arbitrio judicis ad certum aliquod tempus juxta exigentiam causæ, & qualitatem absentiæ reus priùs citari, & exspectari debet, atque postea primùm procedi; observatis tamen iis temporibus quæ in certis casibus à jure sunt determinata v. g. circa consensum ab electo præstandum intra mensem. ut *in Tit. de Elect. n.* 84. dictum. Videatur Gloss. *ad d. c. quoniam. §. Porro.* ubi hæc prolixè deducit. 8

Porro in aliis causis, etiamsi reus sit contu- 9

tumax, & tertiò, vel semel peremptoriè citatus comparere nolit, tamen testes recipi non possunt, sed poterit vel actor mitti in possessionem bonorum, sæpe *d. c. quoniam §. si in aliis.* vel reus excommunicari, si causa talis sit, in qua immissio in bona fieri nequeat. *c. 3. Eod.* & pluribus exponetur infra *in Tit. XIV. & XV.*

TITULUS VII.

De Juramento Calumniæ.

SUMMARIA.

1. Juramenti calumniæ definito. 2. & divisio.
3. Juramentum calumniæ speciale potest exigi post generale.
4. 5. 6. Utrumque est inventum à Jure positivo. 7. & ideo per statutum, vel consuetudinem abrogari potest.
8. Usque 13. A quibus. 13. Usque 19. in quibus causis. 19. usque 24. & quo modo præstandum sit?
24. Hujus juramenti necessitas. 25. 26. & effectus. 27. & seqq. De Pœna recusantis juramentum calumniæ.

FActâ litis contestatione juratur de calumnia vitanda, ut notat Panorm. *ad Rubr. h. t.* §. I.

1 *Definitur* Juramentum calumniæ, quòd sit religiosa asseveratio, quâ uterque litigantium affirmat, & promittit, se nihil calumniæ causâ agere, vel acturum esse, sed quòd omnino justam sibi causam, aut defensionem esse credat. Colligitur ex *§. 1. Inst. de Pœn. tem. litig. l. 1. & 2. cum auth. subnexis. C. de Jurejur. propter calumn.*

§. II.

2 *Dividitur* Juramentum calumniæ in speciale & generale. Speciale vulgò dicitur *juramentum malitiæ*, germanicè der Eyd der Boßheit/ & est illud, quod in singulis actibus, prout quidque in litem inciderit, quandocunque exigitur, & ad illum duntaxat actum incidentem pertinet; veluti si quis novum opus nuntiet: *l. 5. §. 14. ff. de Operis novi nunt.* si quis petat rationes, instrumenta, aut jura edi: *l. 6. §. 2. ff. de Edendo.* si quis probationes exposcat: *d. l. 1. C. de Jurejur. prop. calumn.* si quis instrumentum falsum esse dicat. *l. fin. C. de Fide instrum.* si quis post attestationum publicationem primùm velit excipere contra personas testium. *c. 31. de Testibus &c.* Generale usitatâ phrasi *juramentum calumniæ* vernaculâ der Eyd für Gefährde/ vocatur, estque illud, quod in primordio cujusque litis utraque pars præstat, quo pollicetur, nihil in toto negotio calumniæ causâ facilitatum iri. Hinc jure novissimo hoc juramentum ad omnes articulos illius causæ porrigitur, ita ut circa singulos censeatur repetitum. *auth. hoc Sacramentum. C. de Jurejur. propt. calum. Novel. 49. c. 3. §. fin.*

Anne igitur juramentum malitiæ exigi nequit, postquam jam de calumnia vitanda semel in causa generaliter juratum est? ita putat Treutl. *p. 1. disp. 21. th. 3. lit. C.* & nonnulli alii. Sed contraria sententia facilè deducitur ex *Novel. 73. c. 7. & Novel. 100. c. 4.* ac in terminis deciditur *in c. 2. §. fin. h. t. in 6.* Judicem quoties sibi expedire videtur, & suspicio est, maliciosè aliquid ab actore proponi, vel à reo excipi, juramentum malitiæ exigere posse, tametsi de calumnia juratum sit. Ratio est: quia magis solet deterrere juramentum recens, & speciale, quàm juramentum generaliter, & forte ante aliquot annos præstitum. Neque adversatur, quin potiùs favet *d. Novel. 49. §. fin.* & transumpta *auth. hoc Sacramentum.* ibi enim tantùm traditur, quòd præstitò generali juramentò calumniæ, postea, si pars probationem requirat, non teneatur hoc speciale juramentum præstare: cùm in generali juramento hoc caput de non requirendis non necessariis probationibus specialiter comprehendatur. In aliis ergo ca-

casibus id non est prohibitum. Brunneman *in Proceſſ. civil. c.* 15. *n.* 5.

§. III.

4 *Cauſa efficiens* juramenti calumniæ est, vel remota, vel proxima.

Remota est jus. Existimo autem juramentum calumniæ nonnisi jure positivo introductum esse. Cujus opinionis etiam fuerunt Panormit. & Marian. Socin. *in c. caterùm h. t.* Et quidem de hoc extant peculiares Tituli in Jure Canonico & Civili, nempe *Extra, & in* 6. atque *in Cod.* imò, quòd Jure Digestorum quoque fuerit cognitum juramentum calumniæ & auctum Jure Codicis, contendit Cyn. *in l.* 2. *C. de Jurejur. propt. calum.* Bartol. *ibid. n.* 9. & Bald. *n.* 4.

5 Est tamen ex mente plurium diversa utriusque Juris ordinatio: nam Jure Canonico non solùm de substantia processûs non est, juramentum calumniæ in exordio litis præstari, sed etsi in tota causa ob tacitam remissionem omittatur, processus propterea nullus non est, nec annullandus. *c.* 1. *§. propter omissum. h. t. in* 6. At Jure Civili hoc juramentum, quippe ob publicam utilitatem introductum, neque expresso partium consensu, neque per dissimulationem potest remitti, sed tenetur Judex, etiamsi petitum non sit, exigere, & sub pœnâ legibus statutâ ad ejus præstationem litigantes compellere. *d. l.* 2. *§. sed quia veremur. & ibi* Gloss. *in V. remitti. C. de Jurejur propr. calum.* Quamvis Menoch. *de Arbitr. jud. l.* 1. *q.* 20. *n.* 5. 6. & 7. Marant. *in Spec. p.* 6. *in* 2. *p. judicii rubr. de juramento. act.* 1. *n.* 2. Roland. à Valle *consil.* 71. *n.* 7. *vol.* 1. & alii putent, juramentum calumniæ tum demum de substantia judicii esse, latámque sententiam ipso jure nullam reddere, si ab alterutra parte exactum sit, argumento à sensu contrario ex *l.* 34. *§.* 4. *ff. de Jurejur. l.* 5. *§.* 14. *ff. de Oper. novi nunt.* ubi id præstandum esse dicitur, si exigatur. Quod & in utroque foro prævaluisse testatur Wesemb. *Parat. C. de Jurejur. propt. calum. n.* 5.

Planè in Camera ab utroque jure recedi- 6
tur: licèt enim in prima & secunda instantia juramentum calumniæ à parte exactum, sed præstitum non sit, attamen processus ob id non annullatur, sed eò non obstante in causa principali pronuntiatur, maximè eo casu, quo pars, quæ tale juramentum exigit, Judice ad ulteriora procedente, non appellavit, sed causam ad conclusionem usque prosecuta est. Et hoc vigore *Ordinationis Cameralis p.* 3. *tit.* 34. *§.* 1. quæ nullitates processûs, si aliàs ex actis de meritis causæ Judici plenè constet, non attendit. Sesterus *de Juramentis. l.* 3. *c.* 8. *n.* 13. Vant. *in tr. de Nullitat. in Rubr. quib. mod. sent. null. repar. poss. n.* 125. & 129. Gail. 1. *obser.* 84. *n.* 4. qui tamen *n.* 6. addit, juramentum calumniæ à parte in judicio Cameræ petitum omitti non posse: etenim tametsi ibi nullitates primarum, & secundarum instantiarum non attendantur, tamen legitimus processus, & ordo judiciarius observari debet. Unde si juramentò calumniæ exactô, eóque non præstitô, à partibus hinc inde in causa concluſum sit, ex officio facta conclusio rescinditur, & parti, ut petitum juramentum sub pœna legali præstet, per interlocutoriam sententiam injungitur.

Ex his sua sponte fluit per statutum ali- 7
quod, vel per consuetudinem prædictum juramentum abrogari posse ad evitanda perjuria; cùm enim tanta nonnunquam sit hominum perversitas, ut parùm curent juramenti religionem, & magis interdum solliciti sint de calumnia committenda, quàm omittenda, certè hujusmodi consuetudo,

tudo, aut statutum rationi consentaneum est, lex namque occasionem perjurii non dare, imò ubi subest periculum perjurii, juramentum prohibere debet per text. *in l.2. §. quorum. C. de Indict. viduit. toll. & in c. Clericos. de Cohabit. Cleric. & Mulier.* Panorm. *in c.5. n.9. h.t.* Neque obstat, quòd finis juramenti calumniæ sit publica utilitas, cui si derogat consuetudo, irrationabilis censetur: & quòd *in d. c.5. h.t. & c.3. de Fidejussor.* caveatur, hoc juramentum præstandum esse, *non obstante consuetudine contraria.* Nam ibi subest manifestum, & frequens periculum perjurii, cessat favor publicus, & potiùs pro abrogatione militat: ideóque etiam Canones oppositi intelligendi sunt cessante causâ, id est, causâ evitandi perjurii: tunc enim consuetudo irrationabilis foret, & legi contraria; aliàs autem etiam contra hos ipsos Canones consuetudo induci potest. Dissentit post alios Roland. à Valle *d. consil. 71. n. 10. vol. 1.*

8 *Causa efficiens proxima* juramenti calumniæ sunt personæ, quæ id in judicio præstant. Tenentur autem regulariter præstare omnes litigatores, sive sint Laici sive Clerici: sive privati, sive communitates: sive majorennes sive minorrennes: sive patres, sive filiifamilias: dumodo habeant legitimam personam standi in judicio. *c.1. c.3. & ibi* Socin. *n.8. & seqq. c.4. c.6. & ibi* Panorm. *n.9. & 10. h.t.* Nec tantùm ipsi principales, Actor, & Reus sed etiam eorum Advocati. §. 1. *Inst. de pœna tem. litig. d.l.2. §. sed quia. C. de jurejur. propt. calum. l.14. §. patroni C. de judic.* quanquam hi plerisque nunc locis initio sui muneris, non in singulas causas jurent. Valens. *h.t. §.2. n.4.* eorum Procuratores. *c.2. ℣. procuratores h. t. in 6.* Tutores & Curatores *auth. principales. C. de jurejur. propt. calum.* Item Orphanotrophi, Hospitalarii, Leprosarii, Vicedomii, Oeconomi, & quicunque aliquam generalem, seu universalem administrationem obtinent, ut latè probat Anton. del Re Tiburt. *tr. de Juramento calumn. n.359. & seqq.* sed.

Dubitatur I, Anne Clerici præsertim in dignitate constituti ad juramentum calumniæ personaliter præstandum teneantur? siquidem in *c.5. & fin. h.t.* statuitur, id ab iis personaliter præstandum, si per se litigent, nulla consuetudine in contrarium obstante. Econtra *in c.1. Eod.* habetur, quòd ad id personaliter præstandum compelli nequeant, sed procuratorem ad id præstandum valeant deputare; quin coram Judice alieno nec audeant personaliter jurare inconsulto suo superiore. Ego pro his juribus conciliandis puto distinguendum inter causam propriam ipsius Clerici, & causam Ecclesiæ. Si Clericus velit personaliter suam propriam causam agere, tunc juramentum calumniæ personaliter deponere debebit, non quidem tactis, ut alii, sed tantùm propositis Evangeliis. *d. c.5. & ult. h.t.* Sin verò agat causam suæ Ecclesiæ, tunc juxta *d. c.1. Eod.* ad juramentum personaliter præstandum cogi nequit, sed aliis idoneis defensoribus hoc munus delegare permittitur.

Dubitatur II. Si Collegio aut Universitati juramenti præstatio injuncta sit, per quos ea fieri debeat? Equidem Panorm. Pirrhing, Layman & plerique Canonistæ ex *c.4. h.t.* sumunt regulam generalem: quòd in causa Collegii, seu Universitatis cujuslibet, non singuli, sed Oeconomus ac Syndicus, si quem habeat, de calumnia jurare debeat. Verùm Glossa *in d. c.4. V. cogere non debemus.* notat, hoc esse speciale privilegium Collegii Clericalis secundùm Canones, & aliud esse de Collegiis sæcularibus se-

secundùm leges: cùm Justinianus *in d. l. 2. §. 5. in fin. C. de Furejur. propt. calum.* expressim caveat, ut hujusmodi Sacramentum calumniæ à parte plurima, vel magis idonea Universitatis procedat. Adde *l. municipib. 79. ff. de Condit. & demonstr.* ubi dicitur: *Municipibus, si jurâssent: legatum est: hæc conditio non est impossibilis. Quemadmodum ergo pareri potest? per eos itaque jurabunt, per quos municipii res geruntur* Unde etiam Sester. *de Juram. d. l. 3. c. 3. n. 44.* refert, usu passim invaluisse, ut principaliores Universitatis, ut puta Consul & senatores in propriam, & cæterorum animam jurent. Alii verò ad jurandum compelli non debent: quia tanquam malè informati facilè possent incurrere perjurium.

11 *Dubitatur* III. Qualiter juret, qui alieno nomine judicium subit? Placet & communi DD. suffragiò hæc distinctio approbata est: an sit actor generalis, v. g. Tutor, Curator, Syndicus, oeconomus, administrator: an Procurator specialis? Priore casu solus, & absque speciali mandato in animam propriam jurare debet de vitanda calumnia, non etiam ille, cujus causam administrat, nempe pupillus, minor, aut Respublica seu Universitas, saltem si sit Ecclesiastica. *c. 3. 4. & 6. h. t. d. l. 2. §. 2. C. de jurej. propt. calum.* quia hic magis præsumitur nosse causæ merita, quàm principalis. Posteriore verò casu, quia causæ merita potiùs ipsi principali perspecta censentur, non tantùm ille Procurator in animam suam, quòd nempe non credat, se fovere causam iniquam. *c. 2. §. procuratores. h. t. in 6.* sed ipse quoque principalis, *d. l. 2. §. 3.* aut de Jure Canonico ex mandato speciali Procurator pro principali, & in animam principalis jurare tenetur. *c. fin. h. t. in 6.* Quod hodie in communi practica servatur, teste Bernardo Wurmsero *Pract. obser. l. 2. n. 2.*

Dixi autem supra, *regulariter* omnes li- 12
tigatores teneri ad præstandum juramentum calumniæ. Excipiuntur ab hac regula I. Principes, ut quorum dignitas suspicionem calumniæ excludit. Haunold. *de l. & I. tom. 5. tr. 3. c. 7. n. 466.* Id quod etiam ad fiscalem Cæsaris & Principis à quibusdam extenditur. Gail. 1. *obser. 90.* Mynsing. *cent. 1. observ. 74.* II. Domini in causis Vasallorum ob arctissimum vinculum, quo invicem sunt obstricti. *tit. 33. §. 1. Feud. 2. Vult. de feud. l. 2. c. 6.* III. Patroni, & Parentes ob debitam iis reverentiam, honorémque *l. 16. ff. de jurejur. l. 1. l. 7. §. 3. l. 9. ff. de Obsequiis Parent. & Patron. præstand. l. 13. §. 14. ff. de Damno infect.* Nisi cùm vel ipsi juramentum deferunt, vel judex ex circumstantiis propositis prudenter suspicari potest, subesse calumniam, tunc enim nec Parentibus nec Patronis juramentū calumniæ remittitur. *l. 34. §. 4. ff. de jurejur.* quæ ita cum præcitatis juribus congruenter reconciliari posse videtur, etsi alioquin appareat irreconciliabilis. §. IV.

Materia seu objectum juramenti calum- 13
niæ sunt causæ, in quibus præstatur. Quoniam autem in omnibus causis periculum calumniandi subest, ideo, si exigatur, hoc juramentum generaliter in omnibus præstandum est. *l. 1. & 2. ubi* Glossa *V. in omnibus. C. de Furejur. propter calumn.*

Nec refert I. sive causæ civiles sint, sive 14
criminales, aut mixtæ: tum quòd *in d. l. 1.* generaliter statuatur, jurandum in omni causa, in qua necessitas probationis incumbit: tum quòd *in c. 1. h. t.* Clerici à tali juramento (quando scil. non litigant in causa propria) præstando eximantur in quacunque causa sive Civili, sive Criminali, ergo supponitur à non exemptis id præstandum etiam in causa criminali. Panorm. *in d. c. 1. n. 12.* Clarus *§. fin. q. 18. n. 3.* ubi

sententiam hanc dicit esse communem. Dissentiunt Zoësius *h. t. n. 5.* & Schneidew. *in §. 1. Instit. de Pœna tem. litig. n. 7.* Quorum opinio respectu accusati satis probabilis est.

12 Nec refert II. sive de causis plenariè, atque omni judicii ordine servato, sive summariè, de plano, & sine strepitu, ac forma judicii cognoscatur. *Clem. Sæpe 2. de V. S. & c. 5. h. t.* Roland. *à Valle consil. 71. n. 9. vol. 1.* Dissentit Emericus à Rosbach *in Praxi civili. tit. 50. num. 8.*

16 Nec refert III. sive causæ modicæ sint, sive momentosæ: nam & in causis modicis juramentum calumniæ necessarium est. Panorm. *in c. inhærentes n. 14. in pr. h. t.* Marian Socin. *in c. cùm in causa. n. 50. Eod.* ubi subdit, acriùs esse puniendos recusantes jurare in ejusmodi causis, quàm in causis gravibus & arduis.

17 Nec refert IV. sive causæ sint profanæ, sive spirituales; quandoquidem juxta effatum Pontificis *in c. 1. in fin. h. t. in 6.* in his quoque causis frequenter calumniæ interveniunt. Quamvis olim secundùm *c. dudum. 54. §. verùm ibi de Elect. & c. 2. h. t.* in spiritualibus causis nonnisi de veritate dicenda jurandum fuerit. Cissentit Gail. *1. observ. 38. num. 1.*

18 Nec denique refert V. sive prima, sive secunda instantia sit. Et licèt juramentum calumniæ jam in prima instantia præstitum fuerit, tamen in causa appellationis repetendum erit. *c. 2. h. t. in 6. Nov. 124. c. 1. in pr. Dec. in c. pastoralis. 76. de Except.* Zoës. *h. t. n. 4.* idque ideo, quòd in causa appellationis quis injustè litem prosequi possit, etiamsi in prima instantia hoc non fecerit. Dissentiunt Placentin. & Azo apud Gonz. *in c. fin. h. t. n. 13.*

§. IV.

19 *Forma* juramenti calumniæ desumitur à requisitis, quorum quinque.

Primum est, ut hoc juramentum deferatur authore Prætore, seu Judice. *l. de pupillo. §. qui opus & ibi* Gloss. *in V. Prætor. ff. de Operis novi nuntiat.* & in actis causæ interponatur. *l. 2. §. si autem. 3.* junctâ Glossa *in V. actis & §. hoc etiam in fin. auth. principales in pr. C. de Jurejur. propter calumn.*

Secundum, ut præstetur coram Judice. *l. 2. in princ. V. Evangeliis ante Judicem positis. auth. principales. V. coram Judicibus.* & adversario, vel Procuratore ejus præsente, aut saltem citato. *d. l. 2. §. fin. autem abfuerit.* ubi Glossa V. *absente d. §. auth. principales. ℣. vel una earum absens fuerit. C. Eod.* Nisi talis sit, ad cujus domum mitti solet juramenti præstandi ergo, veluti materfamilias, ac matrona honestæ famæ. *d. l. 2. §. 1. Novel. 124. c. 1.*

Tertium est, ut priùs juret actor, postea reus, demum Advocati utriusque partis; qui ordo jurandi perspicuè colligitur ex sæpe *d. l. 2. in pr. C. de Jurejur. propt. calum.* Ummius *disp. 12. ad Process. judic. n. 32.* Si tamen hic ordo præposteraretur, ob id non vitiaretur processus: quia non est de substantia. Anton. del Re *tr. de Juram. calum. c. 7. n. 37.*

Quartum, ut juramentum calumniæ generale exigatur in exordio litis, videlicet post ejus contestationem, priusquam actor positiones offerat. *l. 12. §. 1. in pr. C. de judiciis. d. l. 2. pr. & §. fin. C. de Jurejur. propt. calum.* Ante litem contestatam de calumnia nemo jurare cogitur, nisi causa summariè, & ante judicii ingressum expediri possit; quo casu vim contestationis quodammodo habet, ut quæ viam exceptionibus dilatoriis intercludit, & notioni habendæ viam parat. Nec tamen vitiabitur sententia, aut processus, si hoc sacramentum sit priùs vel postea præstitum; cùm & in eo loco calumniantium temeritati obstaculo esse possit; præter hoc, quòd etiam in torum omni-

omitti valeat, maximè non petitum per ea, quæ *supra n.* 5. diximus. Planè juramentum calumniæ speciale, seu juramentum malitiæ tam ante, quàm post litem contestatam injungitur, quoties præsumptio est, aliquid malitiosè proponi, vel peti. *c.* 2. *§. fin. h. t. in* 6. *c. dilectus. §. nos verò attendentes de Elect. c. præsentium & c. penult. de Testib.* Emeric. à Rosbach *in Praxi civil. d. tit.* 50. *n.* 18.

23 *Quintum* requisitum est, ut litigantes jurent sequentia capita, vel ex qlicitè, vel implicitè: *Primò*, quòd credant, se litem movendi, aut contradicendi justam causam habere. *d. l.* 2. §. 1. *C. de Jurejur. propt. calumn. Novel.* 49. *c.* 3. *Novel.* 124. *Secundò*, quòd à Judice interrogati, veritatem, quam scient, celare nolint. Sed hoc magis ex consuetudine, quàm dispositione juris communis, ut ex Lessio notat Haunold *d. tr.* 3. *c.* 7. *n.* 454. *Tertiò*, quod neque per se, neque per alium quid dederint, aut daturi sint, promiserint aut promissuri sint, ut pro se feratur sententia; nisi illis personis, quibus jura dare permittunt, veluti Notario, Advocato, Procuratori & similibus. *auth. Principales. C. de Jurejur. propt. calumn. d. Novel.* 124. *c.* 2. *Quartò*, quòd scienter nolint uti falsis testibus, instrumentis, allegationibus, aut alia falsa probationis specie. Bartol. & DD. *in d. auth. principales. Quintò*, quòd nullam in tota lite superfluam probationem velint exigere, nec dilationem litis procrastinandæ causâ petere. *l.* 1. *& auth. in isto. C. de Jurejur. propt. calumn. d. Novel.* 49. *c.* 3. Quæ capita vulgaribus hisce rythmis comprehensa sunt:

Illud juretur, quòd lis sibi justa videtur.
Et si quaretur, verum non inficietur.
Nil promittetur: nec falsa probatio detur
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Hodie etiam & consuetudine, & stylo multarum Curiarum juratur de non temerè appellando, nec calumniosè differendo negotio, ut testatur Mynsing. *Cent.* 3. *observ.* 56.

§. VI.

Finis præstandi juramenti calumniæ est 24
favor, & bonum publicum, ob tres potissimum causas: partim, ut sic eliciatur veritas. *c.* 32. *de Jurejur.* partim ut metu jurisjurandi litigantium compescatur temeritas. *d. l.* 1. *C. de Jurejur. propt. calumn.* partim ut omnis calumnia arceatur à judiciis. *d. l.* 2. *& auth. principales. C. Eod.* Unde ea est hujus juramenti præstandi necessitas, ut expresse à Partibus remitti nequeat. *d. l.* 2. *§. sed quia veremur.* tacitè tamen remissum non irritat processum, præsertim de jure Canonico. *c.* 1. *§. propter omissum. h. t. in* 6. P. Engel *n.* 3.

§. VII.

Effectus alius est juramenti calumniæ 25
præstiti, alius non præstiti, seu recusati.

Præstiti is est *effectus*, quòd jurans excusetur à præsumpta calumnia, nisi post præstationem perjurium manifestetur: tunc enim jurans non tantùm DEUM habebit ultorem perjurii. *l.* 2. *C. de Reb. cred.* sed etiam infamiâ notabitur. *l. si quis major. C. de Transact. Nov.* 117. *§. fin. verò.* aliásque pœnas calumniantibus propositas subibit. Zoës. *ad C. de Jurejur. propt. calumn.* Sester. *de Juramt. lib.* 3. *c.* 8. *n.* 18. *& seqq.*

Hujus loci *quæstio* est: num præstitum 26
juramentum de calumnia jurantem ab expensis litis excuset? Affirmant Accursius *ad Novel.* 82. *c.* 10. Bartol. *ad l.* 1. *ff. Ad SC. Turp.* & vulgò DD. Verùm quia expensæ non solvuntur ob calumniam tantùm, sed etiam ob temeritatem litigandi, haud profuerit jurâsse hoc sacramentum, quin teme-

rarium litigatorem, aut eum, qui vel movendæ actionis, vel defendendi sui juris causam tam justam non habuit, victori in expensas, & litis sumptus condemnari oporteat: cùm, ut in separatis fieri solet, aliud sit temeritatis, aliud verò calumniæ insimulari. *l. eum, quem temerè ff. de judiciis. c. finem litibus 5. de Dolo & contum.* Et certè aliàs rarò quis in expensas condemnari posset, ex quo super calumnia semper jurandum est. Hanc sententiam probat Oldendorp. *class. 6. act. 12.* quem refert. & sequitur Christoph. Schambogen. *ad Instit. de Pœnatem. litig. §. 1. quares 9.*

27 *Effectus* hujus juramenti non præstiti, seu recusati est, quòd actor hoc sine justa causa subire detrectans ab instituta actione cadat, reus verò pro confesso habeatur. *c. fin. in fin. h. t. l. 2. §. 6. & 7. C. de Jurejur. propt. calum. Novel. 124. c. 1. in fin.* Non quidem ipso jure, sed demum accedente judicis sententiâ, vel absolutoriâ rei, si actor jurare recuset; vel ejusdem rei condemnatoriâ juxta actoris petitionem, si id recusset reus. *auth. principales. §. fin. C. Eod.* ubi dicitur, quòd declaratoriâ Judicis senten-
28 tiâ opus sit. Quæ decisio eam utilitatem conjunctam habet, ut si postea actor vel reus ante hujusmodi sententiam à Judice latam suam contumaciam purgare, atque de calumnia jurare paratus sit, suprascriptam pœnam evitet: & si ante hujusmodi sententiæ prolationem moriatur, suprascripta pœna, quasi nondum commissa, adversus ejusdem hæredem non transeat, consequenter hæres Rei vi illius fictæ, seu tacitæ confessionis, vel contumaciæ, condemnari à Judice non possit; neque hæres actoris à Judicio repelli, nisi ipse quoque jurare recusset per *l. ejus qui delatorem. 29. in princ. ff. de Jure fisci.* Vallensis *h. t. §. ult. n. 2.* Gail. 1. *observ. 86.*

Controvertitur: ánne pœna recusantis; juramentum calumniæ locum quoque habeat in recusante juramentum malitiæ? Negant aliqui ex eo, quòd pœnæ benignius interpretandæ, nec extendendæ sint ad casus non expressos juxta *c. in pœnis 49. de R. I. in 6.* At magis propendeo in sententiam contrariam, quòd scilicet, si reus super aliquo articulo recuset jurare de vitanda malitia, habeatur quantùm ad illum pro confesso; & econtra, si actor hoc juramentum recuset, non audiatur quoad illum articulum, sed articulus, etsi aliàs esset relevans rejiciatur per text. *in c. fin. de Confess. in 6. & in l. sancimus. C. de Judiciis.* ubi habetur, contumaci audientiam negandam esse. Nec sine ratione: quia juramentum malitiæ est species juramenti calumniæ, sive est juramentum calumniæ speciale, ut dictum, ergo idem proportionaliter de utroque dicendum erit: quod enim juris est de toto quoad totum; idem est de parte quoad partem, cùm in genere species, & in toto pars contineatur. *l. 113. ff. de R. J.* Vid. Socin. *in c. fin. n. 54. h. t.* Pirrhing *n. 33.* Sester *d. l. 3. c. 8. n. 11.*

Majoris *controversiæ est:* utrùm si procurator in animam propriam jurare nolit, sed tantùm in animam principalis, hæc ipsius contumacia, & recusatio noceat principali?

Affirmativæ patrocinatur Vallensis *h. t. §. fin. n. 4.* eáque in puncto juris verior videtur: siquidem *in d. c. fin. de Confess. in 6.* expressè dicitur, quòd non tantùm reus, sed etiam procurator illius respondere recusans pro confesso habeatur. Ex quo consequens est, contumaciam procuratoris nocere principali quoad hunc effectum, ut pro confesso habeatur, ac si ipsemet respondere detrectâsset. Ergo idem erit dicendum de juramento calumniæ, cujus recusa-
tio

tio à parte rei eâdem pœnâ punitur. Nec satisfaciunt Adversarii, dum dicunt, contumaciam procuratoris nocere quidem principali in rebus parvi præjudicii, non verò in iis, quæ sunt magni præjudicii, sicuti est ista pœna non jurantis de calumnia: apertè namque constat ex *d. c. fin.* quòd noceat etiam quoad hanc pœnam, cùm aliàs ratione contumaciæ pro confesso habendus non foret. Deinde cùm jura velint, ut procurator quoque juret de calumnia in animam propriam, videntur eò ipsò hoc velle cum effectu hujus juramenti, & sub illa pœna, sub qua alioquin præstari jubetur: verba enim legum cum effectu accipi debent. Accedit, quòd aliàs nullus cum Procuratore contraheret, vel litigaret, si propter ejus gesta principalis non obligaretur in suum præjudicium, sed tantùm in favorem: atque eò ipsò semper foret deterioris conditionis, qui in persona propria, quàm qui per procuratorem litigaret, vel contraheret; quod à ratione & æquitate alienum est. Et si procurator per factum suum Domino prodesse potest, idque, quod consecutus est, restituere debet, licèt à parte rei debitum non fuerit, juxta *l. qui proprio* 46. *§. procurator.* 4. *ff. de Procuratorib.* cur non etiam obesse poterit? Imò *in l.* 10. *in fin. ff. de Pactis.* disertè habetur, pactum procuratoris nocere principali, & prodesse.

31 Verùm licèt hæc sententia de jure verior sit, benignior tamen est, quòd principali propter procuratorem jurare recusantem causa non statim abjudicari debeat, ne procuratoris contumaciâ nimium gravetur; sed quòd sufficiat, si propterea procurator pœnâ pecuniariâ puniatur, eique audientia denegetur, sicuti advocato arg. *l. rem non novam. & seq. C. de Judiciis.* Gail. 1. *observ.* 89. *n.* 3. & 4. Blumen *in Proceſſ. Cam. tit.* 72. *n.* 15.

TITULUS VIII.

De Dilationibus.

SUMMARIA.

1. Dilationis definitio. 2. usq; 8. præcipua ejus species 8. 9. 10. Datur vel à lege, vel à judice.
11. Dilationes etiam in causis spiritualibus concedendæ sunt.
12. Quot dentur in causis civilibus. 13. quot in criminalibus?
14. 15. Quomodo dilatio indulgeatur. 16. & ob quem finem?
17. Concessa uni parti, prodest etiam alteri.
18. Excusat à pœna & mora. 19. Elapsa perimit actum, qui in assignato termino fieri debuit.
20. & seqq. Qui dies datæ dilationi imputentur?

POst Juramentum calumniæ utrinque præstitum litigantes petere solent dilationes. §. I.

Definitur Dilatio, quòd sit justum temporis intervallum, quod ad actum judicialem peragendum actori, vel reo conceditur. P. Engel *h. t. n.* 1. 1

§. II.

Dividitur principaliter in Dilationem *Citatoriam, Deliberatoriam, Probatoriam,* seu *præparatoriam,* & *executoriam.* 2

Citatoria dicitur, quæ reo datur ad comparendum in judicio; qui si citatus primò non compareat, secundò & tertiò citandus est, interpositò inter singulas citationes termino saltem 10. dierum. *l.* 69. *ff. de Judiciis.* Adde: *saltem:* quia plures volunt, 10. dies inter singulas citationes auctas esse ad 30. juxta *Novel.* 112. *c.* 3. & *auth. qui semel C. quomodo & quando.* Pro ternis tamen citationibus potest Judex, si causa justa subsit, uti unicâ peremptoriâ. *c.* 6. & *ult. de Dolo. & contum.* Panorm. *in c.* 1. & *ult. & ibid.* Gloss. *h. t.* At terminus propterea coarctari non debet, sed ad minus 30. dierum concedi: quia talis citatio peremptoria æquivalet tribus simplicibus.

l. 72. ff. de Judiciis. l. 8. C. Quomodo & quando Judex &c. Panormit. *in d. c. 1. n. 9. h. t.*

3 *Deliberatoria* est, quæ datur reo, ut visô actoris libellô secum deliberet, an cedere, an contendere velit; & ideo si reus per litteras citatorias plenè instrui potuerit, veluti si libellus citationi fuerit insertus, non conceditur ei dilatio ad deliberandum, sed illicò ad litis contestationem proceditur: quia jam intra terminum citatorium deliberare potuit. *c. 2. & ibi* Laym. *h. t.* Et hujusmodi dilationis tempus de Jure Novellarum est 20. dierum à porrecto per actorem libello. *auth. offeratur. C. de Litis contest. Novel. 53. c. 3.*

4 Dixi autem: *Dilationem deliberatoriam dari reo:* actori enim dari nequit, quia paratus venire debet, & non primùm post citationem rei deliberare, an & quâ ratione causam suam prosequi velit. *l. 2. C. h. t.* neque dilatio conceditur ad id, de quo aliquem instructum esse oportet per *c. 3. h. t.*

5 *Dilatio probatoria* est, quæ actori ad suam intentionem, & reo ad exceptionem suam probandam conceditur. *c. 1. h. t.* Cujus spatium lex ita moderata est, ut si ex ea provincia, in qua lis agitur, sint producendi testes, aut instrumenta, non ampliùs, quàm tres menses indulgeantur; si ex aliena, continenti tamen, non ultra sex; si ex ultramarina, non ultra novem. *l. 1. & ult. C. h. t. Novel. 69. c. 2.*

6 Denique *Dilatio Executoria* est, quæ in judiciis personalibus condemnato indulgetur ad satisfaciendum, & est quatuor mensium. *c. 26. de Officio Deleg. l. 2. & 3. C. de Usuris rei judicatæ.* Hæc autem dilatio locum non habet in judiciis realibus: quia res sua cuivis statim restituenta est, nec sine peccato vel ad tempus Dominî invito detineri potest: neque etiam in causis criminalibus: nam in his executio non differtur, nisi certis casibus notatis per Hostiens. *in Sum. t. de Offic. Deleg. §. qui jurisdictio. ℣. quamvis.* veluti cùm Princeps jubet aliquem acriùs puniri: cùm mulier prægnans damnatur ad mortem: cùm damnatur servus ratiociniis obligatus: cùm relegato assignanda est insula &c.

Præter has dantur & aliæ dilationum species, uti experiundoriæ, repræsentatoriæ, sistitoriæ, defensoriæ, denuntiatoriæ, electoriæ, inquietatoriæ, inchoatoriæ, revocatoriæ, feriales, restitutoriæ, exceptoriæ, dubitatoriæ, definitoriæ, appellatoriæ, prosecutoriæ, supplicatoriæ, solutoriæ, quarum meminit Nicol. Calvol. *in comm. concluss. §. 10. conclus. 1. n. 3.* Nos verò earum explicationem ad competentes *Titulos* remittimus.

§. III.

Causa efficiens dilationis est *Lex* aut *Judex*: omnis enim dilatio vel à Lege, vel à Judice datur. *l. 4. C. h. t.* Gonzal. *in c. fin. Eod. n. 3.*

A *Lege* datur dilatio, quoties absque ministerio hominis lex, seu statutum assignat terminum, veluti in dilatione data ad appellandum, & ad appellationem prosequendam: & in dilatione concessa ad petendam restitutionem in integrum; quæ dilationes non possunt per judicem abbreviari, aut prorogari ex quavis causa. Ang. *in l. si ea quæ n. 2. & 4. C. Qui accusare non poss.*

A *Judice* verò datur, cùm ipse pro rei, seu causæ qualitate, personarúmque conditione, locive distantia ex provisione aut permissione legis terminum ad actum judicialem præscribit: tametsi enim à Jure certa dilationum tempora statuta reperiantur, eáque Judex ordinariè sequi debeat, potest tamen maximè spectato jure Ca-

Canonico & Cameræ, ac hodierna consuetudine secundùm exigentiam causæ, & pro varietate circumstantiarum quandoque restringere, quandoque prorogare, per *c. 1. & ibi* Barb. *in Collect. h. t. c. 5. & ult. de Appell. l. 2. ff. de Re Jud.* Gail. 1. *obsev. 53. num. 20. & observ. 91. num. 13.* Maranta. *p. 6. t. de Dilat. n. 15.* Hostiens. *h. t. n. 2.* Quòd si tamen Judex concedat dilationes nimis breves, aut largas, justa est causa appellandi. *d. c. 1. & ibi* Interpp. *h. t.* Gail. *d. Observ. 53. n. 16.*

§. IV.

11 *Objectum* Dilationis sunt actus judiciales cujuslibet causæ tam civilis, quàm criminalis, tam spiritualis, quàm profanæ: licèt enim in spiritualibus, seu Ecclesiasticis causis superfluæ dilationes amputandæ sint. *Clem. sape de V. S.* Trid. *sess. 25. c. 10. in fin. de Reform.* tamen quæ necessariæ sunt ad veritatis indagationem, magis etiam in his quàm in aliis causis debentur, cùm in foro Ecclesiastico, præsertim si causa spiritualis agatur, veritas & æquitas præ oculis habenda sit per *text. in c. 1. & ibi* Laym *n. 1. h. t.*

12 Hujus loci est celebris illa *quæstio*: quot dilationes dari possint ad probandum?

Dico I. in causis civilibus regulariter non nisi unicam in singulis judicii actibus, singulisque negotiis emergentibus dilationem dari posse v. g. si instrumenti producendi causâ dilatio concessa est, eâ elapsâ alia concedi nequit, & si producturus nondum produxit, postea non auditur, reúsque absolvitur. *l. 7.* ubi id docet Baldus. *l. fin. ff. de Fer. l. 1. & ibi* Bart. *C. h. t.* Gail *l. 1. obs. 91.*

Dixi: *regulariter* non nisi unicam dilationem dari posse: fallit enim, si pars litigans justum impedimentum allegando, & probando, quò minùs intra præfixum tempus testes, instrumenta, vel alia probationum adminicula adducere potuerit, aliam novam dilationem petat: quia tunc causâ plenè cognitâ secunda, & tertia. *d. l. 7. ff. de Feriis c. 4. de Except.* quin & quarta concedi potest, non aliter tamen nisi cum solennitate legali, hoc est, cum cognitione legitimæ causæ petendi, & editô juramentô, quòd non malitiosè petatur. *c. in causis 15. de Testam.* junctâ Gloss. *V. productione. Novel. 100. c. 4.* Ulterior verò, seu quinta dilatio nunquam dari solet. *auth. at qui semel. C. de Prob.* ut litium denique aliquando finis sit. *l. 11. C. de Judiciis.* pendendis tamen quartæ dilationis prorogatio peti, & indulgeri potest, sed cum eadem solennitate, quâ ipsa quarta dilatio: nempe eam pendens debet similiter jurare, se non malitiosè talem prorogationem petere. Mynsi. *cent. 1. obs. 72. in fine.* atque ita in Camera practicari, testatur Gail. 1. *obs. 91. n. 2. & 20.*

Dico II. in causis criminalibus, duas di- 13
lationes accusatori, & tres reo dari posse causâ cognitâ, & modò præsumi non possit, malitiosè peti. *l. fin.* junctâ Gloss. *ff. de Feriis.* Acculatori ob difficultatem probationum, quæ debent esse luce meridianâ clariores *l. fin. C. de Prob.* Reo ob favorem defensionis: satiùs enim est nocentem dimittere, quàm innocentem condemnare. *l. 5. in f. ff. de Pœnis.* & ideo etiam tres reo, & duæ tantùm accusatori conceduntur. Excipitur vulgò causa adulterii, in qua nulla dilatio danda est. *l. in crimine 41. ff. ad L. Jul. de Adult.* Verùm si excutiamus legem illam, inveniemus concordare cum *d. l. ult. ff. de Feriis.* nam cùm in utraque Paulus dicat, dilationem causâ cognita dari, cur adulterium à reliquis criminibus separetur?

§. V.

Forma Dilationis consistit in designa- 14
tione certi temporis, & termini ad actum in judicio expediendum; quæ, si ab arbitrio Judicis dependeat, aliter fieri non debet, quàm

quàm à Judice sedente pro tribunali, prævia causæ cognitione, & utrâque parte præsente. *l. 4. C. h. t. l. fin. & ibi* Gloss. *ff. de Feriis c. ult. §. à Judice. causâ 3. q. 3.* adeò, ut sine causæ cognitione datâ dilatione, ea, quæ intra illam fiunt, sint nulla. Stiatic. *pract. observ. c. 7. n. 16.* Bartol. *in d. l. fin. n. 7.* Jason. *ibid. n. 23.*

15 An autem valeat concessio dilationis facta uni parti absente altera, sub conditione futuræ ratihabitionis, quam deinde altera pars ratam habet: disputat in utramque partem Durandus. *h. t. §. 2. num. 2.* Ego affirmare non vereor: generale enim est, quòd actus invalidus confirmetur ratihabitione ejus, in cujus favorem invalidus est. Menoch. *consil. 366.* Deinde si concessio alligetur Patris absentis ratihabitioni, nihil illi præjudicatur, nec favor illi à jure concessus læditur, cùm possit contradicere, & dilationem reddere nullam; imò potest talis concessio dilationis in ejus commodum facta esse, & ideo huic commodo non debet ejus absentia obesse, ne quod in favorem illius introductum est, in ejus dispendium detorqueatur. *l. quod favore. 6. C. de Legib.* Ummius *in proceff. judit. disp. 7. th. 5. num. 17.*

§. VI.

16 *Finis*, ob quem indulgetur dilatio, est, ut veritate rerum salvâ litigantes idoneum habeant spatium, quô se deliberare, & ad judicium instruere possint, per *l. 1. in V. spatium instructionis C. h. t. c. fin. in V. temporis spatium, ut potuerit deliberare. Eod.*

§. VII.

17 *Effectus* dilationis est 1. quòd uni cessa prosit etiam alteri, & utrique habeatur communis, quamvis enim dilationes pleræque Judici sint arbitrariæ, tamen semper æqualitas inter actorem & reum servari debet, ut quantum temporis actori datur, tamundem concedatur reo. Textus & exemplum est *in l. petenda 6. C. de Temp. in integr. rest.* ubi actori petenti in integrum restitutionem circa finem quadriennii dilatio denegatur: sibi enim imputet, quòd tam diu exspectaverit; reo autem pro sua defensione dilatio conceditur: quia in ipsius potestate non steterat, quando conveniretur. Hac tamen dilatione datâ reo, etiam actor utetur, adeò ut reus ipse datæ semel dilationi renuntiare nequeat, etiam re integrâ secundùm Baldum *in d. l. petenda.* Cujus ratio est, quòd in ipsa datione dilationis ad petitionem rei actori jus quæsitum sit, quod proinde ipsô invitô ampliùs tolli non potest.

Alter effectus dilationis est, quòd excusetur à pœna & mora, eáque durante Judicis officium acquiescere, nihilque super articulo, super quo data est dilatio, validè innovari, aut agi possit. *c. præterea h. t. l. 3. & ibi* Ang. *n. 1. C. Eod.* Unde si ante 20. dies pro termino deliberatorio competentes litis contestatio fiat, nulla & pro inutili habenda est juxta *Novel. 53. c. 3. ad fin.*

Tertius dilationis effectus est, quòd, lapsus fuerit terminus, seu dies in ea præfixus, primat actum, qui in assignato dilationis termino fieri debuit, ita ut Judex statim ad ulteriora procedere possit, nec opus sit, priùs pronuntiare dilationem finitam esse: satis enim hoc ipso facto, & in actu exercito declaratur teste Bartol. *in l. à procedente. 4. num. 4. C. h. t.* Sed

Quæres 1. Utrùm datô terminô dilationis imputetur dies, à qua incipit? Quidam affirmant, eò quòd tempus de momento in momentum computari debeat. *l. 3. §. minorem. ff. de Minoribus. l. 1. §. 5. ff. Quando appelland. sit.* Et cùm hoc procedat in dilatione legis, quantò magis in dilatione hominis: mitiùs enim agitur cum le-

lege, quàm cum homine. arg. *l. 23. in princ. & ibi* Gloss. *ff. de Recept. qui arbitr.* sùntque dilationes strictissimè interpretandæ. *l. 1. C. h. t. l. 2. in princ. C. de Temporib. appell.* Econtra alii, & plerique volunt, diem datæ dilationis eximendum esse à termino, ut qui intelligitur de diebus proximis arg. *c. frequens. 1. de Restit. spoliat. in 6. c. pia. 1. de Except. in 6. l. cum qui in princ. ff. de Verb. oblig.* Eámque sententiam communem dicit Jason *in l. 1. num. 20. ff. Si quis cautionib.* & in Camera receptam scribit Mynsing. *cent. 5. observ. 15. n. 4.* ubi respondet ad rationem adductam, tempus computari de momento ad momentum, postquam currere cœpit. Ego existimem, hac in re quid actum sit, esse inspiciendum, id est, & verba, & mentem assignantis dilationem.

21 *Quæres* II. An in terminum dilationis etiam veniant dies feriati, qui interea occurrunt; an verò excipiantur? R. de rigore juris nullam diem excipi, etiamsi fortè feriæ extraordinariæ, seu repentinæ incidant: quia cujuslibet dilationis tempus continuum est, non utile. *d. l. 3. C. h. t.* Beneficio tamen restitutionis in integrum supervenientes feriæ repentinæ supplentur, & locò illarum totidem alii dies substituuntur juxta *l. sed etsi 26. §. 7 ff. Ex quib. caus. major.* eò quòd similes feriæ ex neutra parte prævideri potuerint. Quin ex justa causa hodie quoque feriæ ordinariæ eximi possunt à Judice, maximè si valde multæ incidant, cùm illius arbitrio pleraque circa dilationes relicta sint, ut dictum *num.* 10.

22 *Quæres* III. Num postremus dies termini computetur in termino, ita ut adhuc totus illi cedat, cui pro termino fuit assignatus? Quod affirmo, ita quidem, ut ultimo etiam illo die comparere possit, & illud prolequi, pro quo concessa est dilatio *per l. 1. §. 9. ff. de Successorio edicto. l. patet. 30. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de adult.* & deducitur ex §. *omnis stipulatio. 2. Instit. de verb. oblig.* ubi habetur, quòd si solutio incertum diem fuit promissa, totus adhuc ille dies solventis arbitrio tribui debeat. Cujus ratio est: quia in simili casu dies adjicitur differendæ executionis causâ: neque dandum vel faciendum esse omissum dici potest, priusquam totus ille dies præterierit. Limita: nisi dies ultimus dilationis, & pro termino assignatus sit dies feriatus: quia tunc continet prorogationem temporis, intra quod compareat, neque involvit ultimum diem, eò ipsò, quòd juridicus non sit.

TITULUS IX.

De Feriis.

SUMMARIA.

1. Feriarum etymologia. 2. Synonimia. 3. Definitio. 4. Et divisio.
5. Usque 9. Quis ferias constituat?
9. Die feriato prohibentur actus judiciales. 10. non tamen actus voluntaria jurisdictionis. 11. 12. 13. Non citatio. 14. Non examen testium. 15. Non appellatio. 16. Bene autem arbitrium. 17. Et executio sententiæ.
18. In feriis sacris prohibentur quoque opera servilia. 19. Non liberalia. 20. Aut naturalia.
21. Quod & quantum sit tempus feriarum?
22. 23. Quas ferias observare oporteat, num Judicis vel partium?
24. Finis feriarum.
25. Actus judiciales facti die feriato sunt invalidi. 26. Nisi necessitas. 27. Vel pietas. 28. Vel renuntiatio intercedat.

Dilationibus affines sunt *feriæ* judiciales; à quibus tamen differunt, quòd intra dilationum tempora peragi possint, imò debeant actus judiciales, ad quos peragendos conceduntur, tempore verò feriarum nullus contentiosæ jurisdictionis actus exerceri queat. Vallen. *h. t. n. 1.*

§. I.

1 *Feriæ* quasi *foëras* dictas putat Hostiens. *in Summ. h. t. n.* 1. eò quòd præstent vacationem ab his, quæ in foro agi consueverunt; rectiùs tamen derivantur à feriendis hostiis: quia iis diebus Diis victimæ immolabantur juxta Festum *lib.* 6.

§. II.

2 *Synonima* feriarum varia occurrunt: vocantur enim quandoque dies feriati *l.* 2. *ff. h. t.* nonnunquam dies festi, quibus dies communes opponuntur. *l.* 2. *C. de Statuis & imag.* alibi dies devotionum. *l. ult. C. Theodos. de Navicul.* frequenter dies nefasti, eò quòd nefas sit illis diebus jure, judicióve quidquam proponere; quibus opponuntur fasti, in quibus judici fari licet tria illa verba: *Do*, *Dico*, *Abdico*; juxta Ovid. *in Fastis.*

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.

Fastus erit, per quem lege licebit agi.

§. III.

3 *Definiuntur* feriæ, quòd sint dies, in quibus forensis strepitus, & contentiosæ jurisdictionis exercitium planè conquiescere jubetur. Vel brevius: quòd sint dies ab actibus judicialibus vacui. Colligitur ex *l.* 5. *ff. h. t.*

§. IV.

4 *Dividuntur* feriæ in solennes, seu ordinarias, & repentinas, seu extraordinarias per *l.* 26. *§.* 7. *ff. ex quib. caus. major & l.* 3. *C. h. t.*

Solennes sunt, quæ legibus ita definiuntur, ut quotannis recurrant: unde & *stata, & anniversariæ* nuncupantur. Sùntque vel *Divinæ*, seu *sacræ*, quæ Divini cultûs gratiâ, & ad Sanctorum venerationem constituuntur, veluti dies festi, & dominici. *c.* 1. *& ult. h. t. l.* 2. 3. 6. 7. *&* 8. *C. Eod.* vel *humanæ*, seu *profanæ*, quæ ob necessitatem, aut utilitatem humanam juxta cujusvis regionis consuetudinem concedun-

tur, veluti tempora messium, & vindemiarum *l.* 1. *ff. l.* 2. *&* 7. *Cod. h. t.* item nundinarum. *l. un. C. de Nundinis.*

Repentinæ sunt, quæ extra ordinem, & inopinatò emergente causâ indicuntur, puta propter obtentam victoriam, ob Principis adventum, inaugurationem, nuptias, natam illi prolem, vel ob luem, seditionem, aut aliud malum publicum. *l.* 1. *l.* 4. *l.* 7. *§. nostris & ibi* Gloss. *C. h. t.*

§. V.

Causa efficiens feriarum est is, qui eadem constituit. Ut autem perspicuè liqueat, quis constituere possit?

Dico I. Ferias sacras universales solus S. Pontifex potest constituere: quia hic solus in universa Ecclesia, & universo orbe jurisdictionem spiritualem obtinet. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 2.

Dico II. Ferias sacras particulares potest etiam Episcopus præcipere: quia omnia Episcopis competunt in suis Diœcesibus, quæ Romano Pontifici in Universa Ecclesia, exceptis his, quæ Rom. Pontifex sibi reservavit per *c. ad honorem. de Auctorit. & usu pallii. c. novit de Judiciis.* Atqui festorum indictio Episcopis non est reservata. Ergo Episcopus potest in sua Diœcesi dies festos, & ferias sacras indicere. Non aliter tamen, quàm cum consensu Capituli, vel Cleri, & populi per *c.* 1. *de Consecrat. dist.* 3. *c. fin. & ibi* Panorm. *h. t.* Suarez *d. l.* 2. *c.* 11. *n.* 7. Quamvis consuetudo generalis declaret, hoc jus instituendi festa celsum esse à populo soli Episcopo cum consensu Capituli. Azor *tom.* 2. *Instit. moral. lib.* 1. *c.* 26. *q.* 2. *in fine.*

Dico III. Non potest Princeps, vel potestas sæcularis ferias sacras instituere. Panorm. *in c.* 2. *n.* 2. *h. t.* Azor. *d. c.* 26. *q.* 5. ac de-

cla-

claravit sua constitutione Innocentius X. *die 6. Octob. 1653.* quæ incipit: *Cùm nuper* relata per Fagn. *in c. conquestus. n. 80. h. t.* Ratio est: quia diei festi, seu feriarum sacrarum observatio ad publicum DEI cultum ordinata inter spiritualia continetur, super quibus laica potestas nec principaliter, nec incidenter disponere potest etiam in ordine ad laicos *c. 1. dist. 96. c. 3. de Ordin. cognit. c. 4. 5. & 7. Qui filii sint legit.* Rnman. *consil. 129. per tot.* Dissentit Sylvester *in V. Dominica. n. 2.*

8 *Dico* tamen IV. ferias profanas introducere potest etiam Princeps sæcularis, non verò alii Magistratus inferiores. *l. 4. C. h. t.* Neque contrarium probant textus *in l. 7. pr. ff. de officio Proconsul. & l. Præsides. 4. ff. h. t.* Nam ibi Proconsuli, aut Præsidi provinciæ non permittitur, ut ferias novas indicant, sed tantùm, ut feriis jam ante constitutis, quibus certum tempus definitum non est, tempus assignent secundùm morem regionis, ut explicat Clariss. DD. Woller *Select. quæst. Juris. q. 9. n. 13.* Ast hodie feriæ profanæ non ab Imperatore duntaxat, sed à singulis Potestatibus in suis ditionibus indici queunt. Gloss & DD. *in d. l. 4.* Emeric. à Rosbach. *in Praxi civil. tit. 38. n. 8.*

§. VI.

9 *Materiam*, seu *objectum* feriarum (prout hic considerantur) constituunt actus judiciales contentiosæ jurisdictionis, qui diebus feriatis fieri prohibentur. Quales actus fermè illi solùm sunt, qui exercentur in loco tribunalis, Judice ad tribunal sedente, & ubi intervenit causæ cognitio per *c. 1. c. fin. h. t. l. 2. 7. 8. & ult. C. Eod.* Hinc

10 *Deduco* I. actus jurisdictionis voluntariæ die festo non prohiberi. *l. 2. l. 8. C. h. t.* ideóque festo etiam die filii emancipari, servi manumitti, dispensationes, indulgentiæ & privilegia indulgeri, censurati absolvi, designari tutores, eligi Magistratus, aliáque similia licitè fieri possunt. Menoch. *A. A. Q. Q. 30. n. 14.* Pirrhing. *h. t. n. 22.* Clariss. DD. Braun *de Jurisdict. in gen. & spec. c. 4. §. 3. n 41.* Qui tamen rectè id restringit ad eos actus voluntariæ jurisdictionis, qui exercentur de plano, sine causæ (saltem judiciali) cognitione, ut sunt modò relati, & his similes. Nam alii actus mixti, qui solennem causæ cognitionem desiderant, ut bonorum possessio decretalis, arrogatio impuberum, unio prolium, ac hujusmodi tantùm die judiciali possunt expediri, tum ob text. *in l. ult.* ibi: *sit ille dies à cognitionibus alienus. C. h. t.* tum quia tales actus mixti assumunt naturam actuum jurisdictionis contentiosæ ob interventum causæ cognitionis. Sanchez *l. 3. de Matrimon. disp. 19. n. 9.*

Deduco II. Die feriata posse decerni, seu 11
mandari citationem, non quidem à Judice sedente pro tribunali, juxta textum *d. l. ult.* ibi: *præconis horrida vox fileſcat*; sed extra judicium domi, vel alibi: quia tale decretum, seu commissio citationis ex se non infert actum judicialem. Gail. *1. observ. 53. n. 5.* Fagnan. *in c. conquestus. n. 49. h. t.* & RR. communiter contra Panorm. *in d. c. conquestus n. 20.* quem parùm juvat, quòd in commissione, ac decreto citationis necessaria sit assignatio termini, causæ expressio, & alia id genus, quæ sine omni causæ cognitione perfici nequeunt: quia hæc causæ cognitio non est alligata loco judicii, quam Judex pro tribunali sedens inter partes faciat, sed potest ubique fieri.

Deduco III. Die feriata etiam fieri posse 12
intimationem, seu executionem citationis; cùm & ista actus judicialis non sit: quia in Ecclesia quoque fieri potest per *c. 19. de Appellat.* nec fiat per Judicem, sed per nuntium, vel per literas, nullámque causæ co-

gnitionem exigat. *c. prudentiam c. cùm contingat de Offic. deleg.* Vallens. *h. t. n.* 13. Gail. *d. observ.* 53. *n.* 7. ubi testatur, huic sententiæ suffragari Rotam *decis.* 1. *n.* 1. *de Feriis in novis decis.* Quidquid reclamitent Fagnan. *l. cit. n.* 53. Zoës. *h. t. n.* 14. & alii.

13 *Dubium* est: quid sentiendum de citatione facta ad diem feriatam? Distinguendum est: vel enim quis citatur, ut die, quæ indubitatè scitur esse feriata, v. g. die Dominicâ, S Joannis Baptistæ &c. compareat? & tunc citatio expressè contra jus facta, ac ipso jure nulla est, ita ut citatus neque sequente die teneatur comparere: vel ut compareat die, qui ex se indifferens est, ut sit feriatus vel non, v. g. 20. Maji? & tunc, si hic eo anno feriatus sit, citationem tenere & obligare ad comparendum die sequenti arg. *c. dilecti* 6. *de Dolo & contum.* & cum Panorm. docet Haunold. *tom.* 5. *de J. & J. tr.* 3. *n.* 225. ubi rationem reddit, quòd in tali citatione ex intentione Judicis virtualiter duo præcepta conditionata comprehendantur: unum scilicet de comparendo die 20. si non sit feriatus; alterum verò de comparendo die proximo, si expressus sit feriatus. Cauti tamen Judices ad majorem cautelam, & ad præcavendas omnes disputationes, vel cavillationes adjicere solent hanc clausulam: *compareas tali die; quòdsi illa non fuerit juridica, compareas sequenti, & proximâ juridicâ;* prout rectè monet Ayrer Histor. *Process. jur. p.* 1. *c.* 3. *observ.* 2. *n.* 58.

14 *Deduco* IV. Die feriato posse institui examen testium: quia examen testium propriè non est actus judicialis, cùm per quemlibet deputatum, atque in loco privato, seu non publici judicii fieri queat. Gonzal. *in c. fin. sub n.* 27. *h. t.* Nicol. Calvol. *in Conclus. aur. §.* 11. *concl.* 2. *n.* 13. Rebuff. *in tr. de Test. ib. gloss.* 10. *n.* 67. Quæ sententia maximè vera est, si propter angustiam dilationum res moram pati non videatur. Nec quicquam refragatur *d. l. ult. C. h. t.* in verbis: *ne ulla quemplam urgeat admonitio.* Inde enim plùs non evincitur, quàm quòd testes inviti ad testimonium perhibendum compelli nequeant, cùm inconveniens sit, die quieti destinatâ homines coarctari ad ea, quæ strepitum judiciarium sapiunt. Poterunt igitur examinari, si sponte compareant, modò antea die non feriatâ juramentum præstiterint: præstatio enim juramenti, ceu actus judicialis, die festo est prohibita. *c.* 1. *h. t.*

Deduco V. Die festo permissam esse appellationem: tum quòd non sit actus judicialis, neque exercitium jurisdictionis, cùm non à Judice, sed à parte tantùm & sine magno strepitu fiat, per eámque à judicio recedatur: tum quod etiamsi actus judicialis esset, tamen permissa videretur, eò quòd pertineat ad defensionem, reo jure naturali, & quovis tempore concessam. Contrariam sententiam spectato jure non improbabiliter defendit Zoës. *h. t. n.* 18. & extra casum necessitatis in praxi suadet Suarez *d. lib.* 2. *c.* 30. *n.* 11.

Deduco VI. Non posse coram vero arbitro die festo judicium agitari, ut expressè cavetur *in l. omnes dies C. h. t.* quia hic procedit servato ordine judiciorum præmissâ causæ cognitione. Fagnan. *in d. c. conquestus n.* 10. *Eod.* Aliud dicendum est de Arbitratore; qui quia non judicat, sed tantùm amicabiliter componit, pacem & concordiam inter partes faciendo, licitè id agit etiam die festo. arg. *l. fin. C. Eod.*

De executione sententiæ judicialis, die festo fieri possit? *quæstionis* est. Affirmant plures cum Panorm. *in c.* 1. *n.* 22. *de Judiciis.* qui existimat saltem validè fieri posse, eò quòd non sit actus judicialis requi-

quirens causæ cognitionem: nec fiat à Judice, aut in loco judiciario. Sed huic opinioni vehementer obsistit *d. l. ult. C. h. t.* ibi: *ut à cunctis executionibus excusetur*; sine dubio ideò: quia executio sententiæ, etsi non sit actus propriè judicialis, pertinet tamen ad complementum processûs judiciarii, & sine magno strepitu expediri nequit, ac plerumque majorem populi perturbationem & distractionem afferre solet, quàm ullus alius actus judicialis; propter quam causam die festo reum extra casum necessitatis neque capi, neque incarcerari posse, ex communi DD. sensu tradit Farinac. *in Praxi. l. 1. q. 27. n. 106.*

18 Cœterùm in feriis sacris præter actus judiciales ab Ecclesia prohibentur mercaturæ & negotiationes. *c. 1. h. t.* At huic prohibitioni generali consuetudine derogatum est: videas enim passim diebus festivis solennes nundinas celebrari. P. Engel *h. t. n. 11.* Item vetantur opera servilia, tanquam ignobiliora & minùs digna, ut cum cultu DEI conjungantur. *c. 3. h. t.* Qualia dicuntur illa, quæ commoditati corporis præcisè inserviunt, & propriè servis, ac famulis conveniunt, ut sunt opera rustica &
19 mechanica. Liberalia econtra, quæ ex natura sua magis ad excolendum, & oblectandum dirigunturs, consequenter quoque libero homine digna sunt, ut studere, disputare, legere, scribere &c. omni die licita sunt, sive deinde fiant recreationis, sive lucri causâ: cùm lucrum, vel merces non mutet naturam operis: & alioquin peccarent Artium Professores, Causidici & Advocati, qui in conquirendis probationibus, scribendis consiliis, aut lectionibus die festo ob lucrum & salarium occupantur. Quod licèt asserat Panorm. *in d. c. 1. n. 4.* repugnat tamen consuetudo, & communis fidelium
20 persuasio. Similiter licita sunt diebus festis opera naturalia, quæ scilicet propriè nec servilia, nec liberalia sunt, sed communia omnibus tam liberis, quàm servis, tam Dominis, quàm famulis, ut iter facere, ludere, digladiari, saltare, cantare, navi, aut curru vehi &c. Plaustra verò, aut currus, vel mulos onustos agere, servile opus est: quare illud die festo inchoari non potest, quamvis inchoatum, si commodè abrumpi nequeat, continuare permissum sit. Latè Layman *in Theol. mor. tr. 6. c. 2. n. 2. & seqq.*

§. VII.

Forma Feriarum stat in observatione 21
temporis à jure definiti. Agimus autem ferias sacras omnibus Dominicis & festis diebus; item 7. diebus antecedentibus, & 7. consequentibus festa Paschatis. *c. fin. h. t. l. 2. l. 3. l. 7. C. Eod.* Feriis messium & vindemiarum Imperatores duos menses assignârunt: nempe feriis messium à die 8. Calend. Julii usque ad Calendas Augusti: feriis vindemiarum à die 10. Calend. Septembris usque ad Idus Octobris. *d. l. 2. l. 5. & l. 7.* Verùm universim circa ferias, & feriarum tempora magis consuetudinem & statuta locorum, quàm juris communis dispositionem observandam esse, textus est *in l. præsides 4. ff. Eod.*

Sed quid si pro diversitate Diœcesium, 22
vel Calendarii alicubi feriæ sint, alicubi non, puta si in loco judicii sit dies festus, non autem in loco domicilii litigantium? Si de diebus festis diversarum diœcesium loquamur, satis placet, quod docet Vallens. *h. t. n. 16.* Panorm. *in d. c. fin. n. 23.* attendendũ duntaxat esse ad locum judicii: quia si partes sint in loco judicii, sicut esse debẽt vel per se, vel per procuratorem, tenentur se accomodare loco, in quo pro tempore commorantur; ideóque sive domi suæ sit dies festus,

sive non sit, si in loco judicii est, debent audire sacrum, abstinere ab opere servili, & à Judiciis: si non est, ibidem laborare, aut sacrum omittere licet, & consequenter etiam in judicio contendere. 23 Quòdsi verò propter diversitatem Calendarii in eodem loco, v. g. Ratisbonæ, judex Lutheranus juxta Calendarium Julianum, seu antiquum festum celebret, quod actor vel reus Catholicus juxta Calendarium Gregorianum jam ante 10. dies egit, vel econtra; veriùs putarem cum Zasio *h.t.n.* 3. non tantùm ad Judicem, sed etiam partes attendendum esse, adeò ut Judex die, quo ipse stylo veteri ferias agit, pro tribunali sedere non debeat, & vice versa, cùm unus vel uterque litigantium ritu catholico festum celebrat, comparere non teneatur, nec possit: quia ex præcepto Ecclesiæ festum observare tenetur, nec renuntiare potest, ut paulò post dicemus. Quamvis in Camera Imperiali teste D. Blumen *tit.* 62. *n.* 4. extra ferias Camerales in reliquis vetus Calendarium solùm ex inveterata consuetudine observetur.

§. VIII.

24 *Finis*, ob quem indicuntur feriæ, est vel honor DEO debitus, aut veneratio Sanctorum, vel publica lætitia, utilitas, aut necessitas per *l.* 7. *l. fin. C. h. t.*

§. IX.

25 *Effectus* generalis feriarum est obligatio omittendi actus judiciales contentiosæ jurisdictionis, in tantùm, ut nec licitè, nec validè expediri queant; nisi vel necessitas, vel pietas, vel renuntiatio intercedat. *c. fin. h. t. l.* 2. § 7. & 8. *C. Eod.*

26 *Necessitas* est, quando ad effectum judicii necessarium est, ut actus die feriato fiat: ut si res tempore peritura sit. *l.* 11. *§. excipiuntur l.* 3. *ff. Eod.* aut celeritatem desideret. *l.* 1. *ff. de Damno infecto.* Unde Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 30. advertit, latronem de fuga suspectum die festo apprehendi, & incarcerari posse, juxta *l. penult. C. h. t.* latrones die Paschatis quæstionibus & torturis subjici possunt ad detegenda scelerata sua consilia, licèt alias ad mortem, vel pœnam die festo nemo duci debeat. Præterea etiam extra judicium propter necessitatem alimentorum permissum est diebus feriatis in honorem DEI operi servili intendere, v. g. messes colligere, ne pereant, alecia capere, si die festo appareant. *c.* 3. *h. t.*

Ad *pietatem* spectant causæ debilium vel miserabilium personarum, pupillorum, incarceratorum &c. Item causæ mercedum, & alimentorum futurorum; in quibus nulla feriarum ratio habetur, cùm in operibus misericordiæ dierum distinctio non attendatur. *c. utinam dist.* 76. *c. nunquam. dist.* 5. *de Consecr.* 27

Ex causa *renuntiationis* sustinetur processus die feriato factus, si partes feriis renuntiârint. Ubi tamen feriæ sacræ à profanis secernendæ sunt. Illis partes renuntiare nequeunt, eò quòd non principaliter partium favorem, sed cultum Divinum concernant. *c. fin. h. t.* Eadem est ratio de repentinis ob res publicas prosperè gestas, vel Principis victoriam, aut aliam publicam gratulationem ab ipso Principe indictis. arg. l. 36. *ff. de Recept. qui arbitr. l.* 7. *ff. de Postulando l.* 7. *circa fin.* ibi: *nostris etiam diebus. C. h. t.* Possunt autem renuntiare feriis profanis, quæ introductæ sunt ob utilitatem humanam, ut sunt feriæ messis, & vindemiæ, adeò, ut licèt sententiæ eo tempore invitis litigatoribus publicatæ regulariter ipso jure nullæ sint, jure tamen teneat, si partibus in jus vocatis & sponte advenientibus, quidquam actum, judicatumve fuerit, tametsi rectè non fecerit judex, quòd eas evocaverit. *d. c. fin. & ibi* Gonzal. *n.* 28.

C

& 29. l. 1. §. 1. l. 6. ff. Eod. Gail. 1. d. observ. 53. n. 13. quoniam favori pro se introducto quisque renuntiare potest. l. penult. C. de Pactis.

TITULUS X.

De Ordine cognitionum.

SUMMARIA.

1. Definitur ordo cognitionum.
2. Præscribitur utroque jure.
3. 4. Idem judex cognoscit de causa principali & incidente.
5. Quid sit quæstio dependens, incidens & emergens? Remissivè.
6. 7. 8. Quæ regula in ordine cognitionum observanda?
9. Finis. 10. Effectus ordinis cognitionum.

QUandoquidem elapsis feriis plures sæpe quæstiones moventur, & disceptatur, quæ prior, quæ posterior cognosci debeat, ideo sequitur hæc rubrica: *de Ordine cognitionum.*

§. I.

1 *Definitur* ordo cognitionum, quòd sit modus, & ordo servandus à Judice in examine plurium quæstionum, nimirum principalis, & aliarum incidentium, quæ in eodem judicio inter easdem personas concurrunt. Pirrhing. *in princ. h. t.*

§. II.

2 *Causa efficiens* hujus ordinis est vel remota, vel proxima.

Remota est Jus tum Canonicum, tum civile, ut de quo peculiariter præsens *Titulus, & in Cod. lib. 3. Tit. 8. & lib. 7. Tit. 19.* agunt.

3 *Proxima* est Judex, qui plures concurrentes quæstiones ordinatim ex præscripto legum ac Canonum examinat. Pertinet autem ad eundem Judicem cognoscere de quæstione principali, & incurrente, licèt is de incurrente seorsim, & principaliter mota non haberet jurisdictionem. Zoësius *h. t. n. 3.* Sic de causa statûs v. g. an quis sit liber, aut servus, quando incidenter tantùm in judicium venit, cognoscere potest Judex causæ principalis, qui alioquin respectu talis quæstionis incompetens est. *l. 3. C. de Judiciis l. 1. C. de Ordine judic.* Item Judex maleficiorum etiam de incidente causæ civili decernit. *l. 4. §. si dicantur ff. Fin. regundor.* idque vice versâ, & in delegato Judice locum sibi vendicat. arg. *c. de prudentia de Donation. inter vir. & uxor.* Nisi fuerit causa spiritualis, seu alterius fori; 4
que ne quidem incidenter à Laico decidenda. *c. tuam h. t. c. lator Qui filii sint legit.* ubi statuitur, quæstionem natalium, si in civile judicium incidat, remittendam esse ad forum Ecclesiasticum, quoties implicatam habet quæstionem de valore matrimonii.

§. III.

Materia seu objectum ordinis cognitionum sunt quæstiones, seu causæ concurrentes cum causa principali, præsertim dependentes, incidentes, aut emergentes; quæ quid sint, & qualiter inter se differant, latè exponit Menoch. *de Arbitr. Judic. lib. 1. q. 45. à n. 4.* Panorm. *in c. 1. n. 12. h. t.* & Fagnan. *ibid. n. 22.* 5

§. IV.

Formam ordini cognitionum tribuunt 6
sequentes tres regulæ:

Prima est, quòd ea quæstio priùs excutienda sit, quæ viam parat ad cognitionem alterius. Hinc possessionis cognitio præmittenda est cognitioni proprietatis, ut sciatur quis petitoris onera sustineat, quis commodò possessionis fruatur. *l. 37.* junctâ *l. 62. ff. de Judiciis. l. 13. Cod. de rei vindicat.*

Secunda regula est, quòd illa quæstio 7
priùs terminari debeat, quæ alteram perimit, seu præjudicium gignit. Itaque si mulier judiciò petitoriò agat ad vindica-

tio-

tionem mariti, ille autem excipiat, priùs de oppositâ exceptione consanguinitatis erit cognoscendum: hâc siquidem probatâ prior quæstio, seu petitio perimitur. *c. 1. h. t.*

Secus est, si mulier judiciò possessoriò *Redintegrandæ* prætendat virum tanquam maritum sibi restitui: tunc enim consanguinitatis exceptio haud admittitur. *c. 10. & 13. de Restit. spoliat.* Similiter, si quis petat divisionem hæreditatis contra fratres suos, & illi eum agnoscere nolint, hæc quæstio statûs, sive controversia de natalibus ante omnia erit disceptanda: quia non ante de principali quæstione decerni posset, & ea hòc ipsò cessaret, si constaret petentem ejus familiæ non esse. *c. 3. h. t. l. 2. C. de Ordine judic.*

8 *Tertia regula* est, quòd quæstio major sit præferenda minori, & sic civili criminalis. *l. fin. C. de Ordine judic.* Verùm hìc refert, an causa utraque civilis & criminalis moveatur ab actore: vel an motâ controversiâ civili inferatur quæstio criminalis ab adversario: *Priori* casu in potestate quidem actoris est, utram ante aliam velit exequi, si tamen utramque simul proponat, ac ejus interest, civilem priùs dirimi, hæc ante criminalem discutienda est; veluti si ab eo, qui de crimine violentiæ accusat, judicis officium imploretur, ut res ablata restituatur. *l. 1. C. de Appellat. l. 7. C. ad Leg. Jul. de vi publica.* Casu *posteriori* alia distinctione opus est: vel enim motâ controversiâ civili quæstio criminalis infertur ab adversario per modum exceptionis, vel per modum actionis? Si illud, causa utraque simul deciditur. *l. 3. C. de Ordine Judic.* Si hoc, causa criminalis præfertur, ac civilis interim suspenditur. *d. l. ult. C. Eod. l. 37. ff. de Judiciis.*

§. V.

9 *Finis* Ordinis cognitionum est, ne præpostera cognitio, & concurrentium quæstionum confusio judicium impediat, per *c. 3. h. t.*

§. VI.

Effectus ordinis cognitionum est, quòd ita confusionem exigendarum probationum tollat, superfluas altercationes amputet, & verum controversiæ statum aperiat.

TITULUS XI.

De plùs petitionibus.

SUMMARIA.

1. Quid sit plùs petitio?
2. Quando actor censeatur plùs petere?
3. Materia plùs petitionis
4. Plùs petitur quatuor modis. 5. Re. 6. Loco. 7. Causâ. 8. Et tempore.
9, 10. Pœnæ plùs petentium.
11. Et seqq. Quibus casibus cessent pœnæ plùs petentium.

INter incidentes quæstiones est, quòd actor plùs petat. Quare hic *Titulus* subjicitur.

§. I.

Definitur plùspetitio, quòd sit inordinata postulatio actoris, aliquid ultra debitum à reo apud Judicem exigentis. 1

§. II.

Causa efficiens plùspetitionis est actor, 2 qui dolosè plùs à reo petit, quàm justum sit, aut sibi debeatur. Unde pœnæ contra plùs petentes in jure statutæ locum non habent, si actor probaverit, se non malitiosè, sed justo errore ductum plùs petiisse. §. 33. *Instit. de Actionib.* & constat ex *l. 1. §. tunc verò. C. h. t.* ubi requiritur, ut plùs petens manifestè convictus fuerit per avaritiam deliquisse. Censetur autem justam ignorantiæ causam habere, si quis v. g. res hæreditatis persequatur, vel judicium tutelæ, aut negotiorum gestorum actionem intentet. *l. is, qui 41. ff. de R. J.* Vide Menoch. *consil. 572.*

§. III.

§. III.

3 *Materia, seu objectum* plùs petitionis est ipsum debitum, quod petitur, sive pro eo alio realis, sive personalis competat: licèt enim petitio propriè realem actionem designet. *l. actio. 27. ff. de Oblig. & action.* hic tamen complectitur actiones etiam personales, & alias quasvis per *l. 3. ¶. certa quantitate debita. C. h. t.*

§. IV.

4 *Forma* plùs petitionis spectatur in modis plùs petendi. Po est autem quatuor modis plùs peti, scilicet *re, loco, causâ, & tempore c. uv. h. t. d. §. 33. Instit. de Action.*

5 *Re* plùs petitur, cùm quis majorem partem summæ, aut rei, quàm quæ sibi debetur, petit: ut si 10. debeantur, & petat 20. vel si pars domûs sit in obligatione, & petat totam domum. *d. §. 33.* Ubi secundùm DD. monitum major pars non tam est spectu rei, cujus est pars, quàm respectu debiti intelligenda est; ideóque si alicui sextæ rei alicujus pars debeatur, ille verò quartam petat, pœnas plùs petentium incurrit: cùm quarta pars major sit sexta, licèt quarta etiam sit minor ratione rei totius.

6 *Loco* plùs petitur, cùm actor alibi, quàm loco solutioni destinato petit: ut si promisi solvere Viennæ, tu verò petas, ut solvam Salisburgi. *d. §. 33. & t. t. ff. de eo, quod certo loco.* Potest tamen id, quod quis certo loco sibi dari stipulatus est, in loco domicilii peti, modò creditor in loco, ubi debitor habet domicilium, agens commemoret locum, in quo sibi dari stipulatus est, dicendo: *peto mille solvi hîc, vel ubi solvere promisisti. c. 19. de Foro compet. l. 19. §. fin. ff. de Judiciis, l. 1. §. 2. & 3 ff. de eo, quod certo loco.* Glos. *in d. §. 33. ¶. loco Inst. de actionib.*

7 *Causâ* plùs petitur, cùm aliquid in genere, vel alternativè debetur, & actor rem in specie & determinatè petit, atque ita debitori electionem aufert: ut si promisi tibi 10. aureos, aut equum, tu verò à me petas 10. aureos, & nolis equum, aut si promisi equum in genere, & tu exigas Bucephalum. *d. §. 33. ¶ huic autem Instit. Eodem.* Idque adeò verum est ut licèt actor rem vilissimam petat, tamen plùs petere dicatur: *quia sæpe accidit, ut promissori facilius sit illud solvere, quod majoris pretii est.* Text. *in d. §. 33. ¶. quin etiam.* potéstque nonnunquam debitor malle, rem pretiosiorem dare ob sui honorem, vel affectionem, quàm vilem. 1

Tempore denique plùs petitur, cùm ille, cui aliquid debetur in diem, vel sub conditione, petit, antequam dies veniat, vel conditio existat. *d. §. 33.* & hoc ultimum quidem improprie: quia ante conditionem existentem nihil adhucdum debetur; ut sic eo sensu plus petere perhibeatur is, cui nihil debetur, quò minùs solvere prædicatur de illo, qui nihil omninò solvit. *l. 82. ff. de V. S.* 8

§. V.

Effectus plùs petitionis consistit in pœnis statutis ad reprimendam audaciam plus petentium. Ubi jus vetus secernendum est à jure novo. 9

Jure veteri plùs petens causâ cadebat, id est, rem amittebat. sæpe *d. §. 33. Instit. de Action.* Quæ pœna etiam hodie incurritur casu, quò plus quantitate petens post motam litem convictus fuerit, cautionem à debitore dolo exegisse superfalsa quantitate, nisi vel reus cum eo transigat, vel in judicio se totum debere fateatur. *l. fin. & ibi* DD. *C. h. t.* Quod ut monet Layman. *in c. un. Eod. n. 2.* contra usurarios notandum est, qui cùm 900. v g. dant mutuos, curant in instrumento scribi 1000. ut si postea tales totam summam in judicio petere contineant, periclitentur de tota.

10 *Jure novo* qui plùs *re, locò, aut causâ* petit, ex Justiniani constitutione condemnatur in omne damnum, quod suâ petitione reo intulit, & insuper pendere debet triplum ejus, quod ob majorem quantitatem, libellò conventionis comprehensam, viatoribus, id est, executoribus litium, sportularum nomine præstandum fuit. §. 24. *Instit. de Actionib. l. 2. C. h. t.* Sed cùm sportulæ in foro Ecclesiastico non præstentur, *c.* 10. *de Vita & honest. Cleric.* nec hujus pœnæ *in c. un. h. t.* mentio fiat, ideo Jure Canonico non recipitur, & tantùm in expensas damnatur, qui re, locò, aut causâ plùs petierit. Quòdsi *tempore* plùs petat actor, reo restituit sumptus litis, & dilatio temporis, non quidem totius, sed ejus, quod debitori supererat, sive ex conventione, sive ex natura actionis, ad solvendum duplicatur, ut si pœna delicto commensuretur, §. *penult.* ℣. *hodie autem Instit. de Except.* junctâ. *l.* 8. §. 7. *ff. de Pœnis.* Vallens. *h. t. n.* 2. Panorm. *in d. c. un. n.* 14.

11 Reperias tamen casus, in quibus plùs petentes nullâ pœnâ afficiuntur. Ut I. Si actor plùs petens minor sit 25. annis: huic enim, sicut in aliis causis, in quibus læsus est, ita etiam in hac restitutione in integrum succurritur. *d.* §. 22. *Instit. de Action.* nisi ex dolo plùs petierit. arg. *l.* 1. *&* 2. *C.*

12 *Si adversus delictum.* II. Si quis non per dolum, sed probabilem ignorantiam plùs

13 petit, ut *supra n.* 2. dictum. III. Si in libello adjecta sit clausula: *salvo jure superflui.* Ita Schneidvv. *ad* §. 33. ℣. *plus autem n.* 1. *Instit. de Actionibus.* Zanger. *de Except. p.* 2. *c.* 11. *num.* 4. Verùm quâ ratione, non video: aut enim ignorans, & per errorem plùs petit, aut sciens: si ignorans, ipso jure tutus est: Si scienas, fieri non potest, quin pœnam illam incurrat: quia protestatio actui contrario nil operatur. Coler. *ad c.* 2. *n.* 69. *de Except.* IV. Si plus petens in judicio non persistat, & saltem ante sententiam pœniteat, refundátque expensas & damna reo illata. *c. un.* ibi: *si super petitione sua duxerunt in judicio persistendum. h. t.* Dixi: *& saltem ante sententiam pœniteat:* ad quod enim tempus pœnitere liceat, in ancipiti est, quamvis verior videatur opinio Glossæ in *d. c. un.* quæ affirmat pœnitere licere tantùm usque ad litis contestationem, *arg. l. non amplius. ff. Rem ratam. haberi.* ubiis, qui promisit non petere amplius in judicio non committit stipulationem, si ante judicium, id est, ante litem contestatam desistat: quia plùs nondum petivit, sed petere tantùm voluit. Dissentiunt Vallens. *h. t. n.* 6. Panorm *in d. c.* 11. *n.* 6. *&* 7. & alii.

TITULUS XII.

De causa possessionis, & proprietatis.

SUpra *Tit.* 10. *n.* 6. memoravimus, prius cognoscendum esse de possessione, quàm proprietate. Nunc dicamus de ipsa causa *possessionis & proprietatis.*

Pars I.

De *Possessione.*

SUMMARIA.

1. Possessionis etymologia. 2. homonymia. 3. usque 8. definitio. 8. usque 23. divisio. 23. & orig. 24. Ad Acquirendam possessionem requiritur apprehensio. 25. usque 31. vel vera 31. usque 40. vel ficta.

40. 41. Quo modo quasi possessio rerum incorporalium paretur?

42. usque 48. quinam possessionis accipiendæ capaces sint?

48. Res possessibilis debet esse corporalis. 49. in commercio. 50. curta. 51. & vacua à possessione alterius.

52. For-

52. Forma. 53. Finis possessionis.
54. Usque 60. Adducuntur commoda possessionis.
61. Quomodo protedendum, si duo agant remedio retinenda possessionis?
67. & seqq. Proponuntur modi, quibus possessio amittitur.

§. I.

1 *Possessio* à sedibus appellata, quasi sedum positio. *l.* 1. *pr. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* ut habet lectio Florentina; quam approbare videntur Germani, dum possessionem eine Besitzung nuncupant. Dissentit Jason *in d. l.* 1. qui eam à pedibus deducit, ut & Norici libri legunt.

§. II.

2 *Possessionis* verbo varia significantur: bonorum possessio, hoc est, successio prætoria: *t. t. ff de Bonorum possess.* usucapio: *l.* 19. *l.* 23. §. 1. *l.* 30. *pr. ff. Ex quib. caus. major.* proprietas rei, seu dominium: *l.* 37. *ff. de Judiciis l.* 78. *ff. de V. S.* Ipsa res possessa: *l.* 4. §. 2. *l. penult. ff. de Alienat. judic. mut. causa.* denique, & quidem propriè detentio rei, sive rei insistentia juxta *d. l.* 1. *in pr. ff. de Aquir. vel amitt. possess.* In qua significatione

§. III.

3 *Definitur* possessio, quòd sit detentio rei cum affectione eandem sibi habendi. Colligitur ex *d. l.* 1. *§.* 20.

4 Dicitur I. *Detentio rei.* Ut igitur detentio facti, ita & possessionem in se, & quatenus possessio est, facti esse consequitur. Quòdsi quid juris circa eam consideretur, id fit per modum accidentis, & ratione effectûs detentationi cohærentis, quòd ejus essentiam non ingreditur, sed est prorsus extrinsecum. Sunt hanc in rem textus manifestissimi *in l.* 1. §. *furiosus circa fin.* ibi: *eam enim rem facti, non juris esse.* & §. *si vir l.* 29. *ff. de Acquir. vel amitt. c. possess. l.* 1. §. *Scævola* 15. *ff. Si is, qui Testament. liber.*

Dicitur II. *cum affectione eandem sibi* 5
habendi: ut excludatur nuda detentio rei alienæ, quæ vulgò *possessio asinina*, ab Italis *nuda tenuta*, in jure verò quandoque *possessio naturalis*, aut *corporalis* vocitatur, & nil aliud est, quàm nuda insistentia cum animo rem vel custodiendi, vel conservandi, vel detentandi, vel eâ utendi, fruendi. Detinet autem animo custodiendi depositarius rem depositam. *l.* 1. *pr. V. custodiendum ff. Depositi.* animo conservandi, qui legatorum conservandorum causâ in possessionem missus est. *l.* 9. *ff. de Rei vindic.* animo detentandi servus, *l.* 24. *l.* 49. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. possess. l.* 38. §. 7. *& 8. ff. de V. O.* animo utendi commodatarius. *l.* 1. §. 1. *l.* 5. §. *si duobus ff. Commodati.* & usuarius. *l.* 2. *& t. t. ff. de Usu & habit.* animo utendi fruendi conductor. *d. l.* 5. §. *si duobus t. t. ff. & C. Locati conducti.* sicut & usufructuarius rem usufructuariam *l.* 1. *&* 60. §. 1. *ff. de Usufr. l.* 6. §. 2. *ff. de Precario. l.* 1. §. 8. *l.* 49. *pr. ff. de Acquir. vel. amitt. possess. l.* 5. §. 1. *ff. Ad exhib.* Atque isti omnes non tam pos- 7
sidere quàm in possessione esse dicuntur. *l.* 10. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. possess.* iique, quorum nomine in possessione sunt, per illos possident. *l.* 3. §. 12. *l.* 9. *l.* 18. *pr. ff. Eodem.* Hinc his, non illis detentatoribus interdicta competunt. *l.* 1. §. *quod servus* 22. *ff. de Vi, & vi arma. l.* 3. §. 8. *ff. Uti possidetis.* exceptò usufructuariò, per *l.* 4. *ff. Eod.* His, non illis usucapio procedit, & Publiciana, possessionisque accessio, ac commoda dantur. Vaudius 2. *Variar. quæst. c.* 3.

§. IV.

Dividitur possessio I. in propriam, & 8
impropriam. Propria est rerum corporalium *l.* 3. *pr. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Impropria rerum incorporalium, puta be-

neficii, juris eligendi, venandi, servitutum. Quæ *in c. 3. h.t.* indigatur *quasi-possessio*, germanicè, eine Nebenbesitzung/ ac eosdem effectus habet, quos possessio propriè dicta, ut liquet in interdicto *uti possidetis*, ubi Prætor de vera possessione locutus est, & tamen JCti id ad usum servitutum, aliorúmque jurium incorporalium applicârunt. *l.* 8. §. 5. *ff. Si servit. vind.* Zasius *in l. 3. n. 4. ff. de Acquir. vel amitt. possess.*

9 II. Dividitur possessio in naturalem & civilem; quæ divisio proponitur *in l. 1. §. dejicitur ff. de Vi, & vi armata. l. 2. §. quod vulgo ff. Pro hærede. l. 3. §. fin. ff. Ad exhibendum.* & passim alibi.

10 *Naturalis* ita dicitur dupliciter. *Primò* à modo possidendi, cùm quis rem naturaliter, hoc est, animo & corpore tenet, vel eidem insistit. *l. 3 §. 3. & 13. l. 23. in princ. ff. de Acquir. vel amitt. possess. l. 1. §. 24. ff. de*

11 *Vi & vi arm. Secundo* à forma possessionis, cùm quis rem tenet cum affectu sibi habendi citra jus & opinionem domini; sive deinde possessionem corpore detineat, sive

12 animo retineat. Ita possidet Creditor pignus conventionale. *l. 7. §. 12. ff. Communi divid. l. 9. §. propriè l. 35. §. 1. l. 40. pr. & §. 2. ff. de Pignor. act. l. 36. 37. & 40. pr. ff.*

13 *de Acquir. vel amitt. poss.* Vasallus rem feudalem *tit. 23. & 26. in pr. Feud. 1. tit. 8. §.*

14 *fin. Feud. 2.* Emphyteuta rem emphyteuticam *l. 15. §. 1. ff. Qui satisd. cog. l. 1. in fin. C. de Municip. & colon. patrim. l. 1. & 4. in*

15 *pr. C. de Collat. fund. patrim.* Superficiarius superficiem, utpote qui interdicto de superficiebus defenditur. *l. 1. §. 1. & 2. ff. de Su-*

16 *perfic.* & ibi DD. Sequester rem sequestratam, cui scilicet partes expressè, & nominatim possessione cesserunt. *l. 17. §. 1. ff. Depositi* junctâ *l. 39 ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Secus sequester est tantùm nudus detentor. *d. l. 39.* & infra *ad Tit. de Sequestratione* probabitur. Porro ita etiam possidet, qui precariò rogavit, ut sibi possidere liceat. *l. 15. §. 4. ff. de Precario l. 13. §. 1. ff. de Publ. in rem. act. l. 10. §. 2. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Item qui scienter possidet rem alienam, sibi tamen & suo nomine; quo pertinent fures, prædones, & similes injusti ac malæ fidei possessores. *l. 5. & 6. ff. Eod. l. 67. pr ff. de Furtis.*

Possessio *civilis* itidem dupliciter sic dicitur. *Primò* à modo possidendi, cùm quis rem animo retinet, absque corporali ei detentione. *l. 10. C. de Aquir. & retin. possess. l. 3. §. 13. ff. de Acquir. vel. amitt. possess.* uti si quis fundum animo & corpore sit adeptus. & postea peregrè proficiscatur, nemine in fundo relicto, sic tamen ut nollet amittere possessionem; is civiliter possidere putatur per *l. 6. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. possess. Secundo* à forma possessionis, cùm quis rem tenet animo domini, & sibi habendi; sive deinde rei corpore quoque insistat, sive solo animo complectatur. Ita possident ipsi rerum domini. arg. *l. Fulcinius 8. ff. de Vi & vi arm. l. filiusfam. 114. §. iidem principes. ff. de Legat. 1. l. 15. §. 1. ff. Qui satisd. cog.* & bonæ fidei possessores illi, qui ex justa causa & opinione domini rem in manum & potestatem suam accipiunt; de quibus *sub tit. ff. Pro donato pro dote. pro legato &c.* hi enim habent conditionem usucapiendi, quæ civilem possessionem supponit. *l. 10. §. fin. ff. de Acquir. rer. dom. l. sine possessione & ibi* Godofr. *ff. de Usucap.*

III. Dividitur possessio in justam, & injustam *l. 3. §. 5. ff. de Acquir. vel amitt. poss. l. 2. & 3. pr. ff. Uti possidetis.* Illa est, quæ justo & legitimo titulo innititur; hæc verò, quæ illo destituitur. Malè itaque nonnulli justam possessionem cum civili & injustam cum naturali confundunt, ac pro iisdem usurpant, ut videre est apud Alciat.

ciat. *in l. 1. n. 50.* & Socinum *d. l. 3. §. ex contrario 5. n. 6. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* cùm plurimi naturaliter tantùm, iidémque tamen justè possideant, neutiquam autem civiliter, ut sunt Emphyteuta, vasallus, creditor pignoratitius & precariò rogans, ut sibi possidere liceat per textus *in l. si servus 22. §. 1. V. licèt enim justè possideant ff. de Noxal. act. l. quacunque 13. §. 1. ff. de Public. in rem act. l. 7. §. 4. ff. Communi divid.*

22 IV. Dividitur in possessionem bonæ, & malæ fidei. *d. l. 3. §. genere ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Bonæ fidei possessio est justæ ac legibus conformatæ; econtra malæ fidei, injustæ, ac legibus reprobatæ possessionis scientia, arg. §. *si quis à non domino Justit. de Rer. divis.* & *l. 7. in fin. C. de Agric. & censit.*

§. V.

23 *Causa efficiens* possessionis duplex est: remota, & proxima.

Remota est jus. Et quidem videtur, possessionem naturâ esse proditam, ut sine qua dominia rerum nullô modô distingui possint: nullus enim secundùm communem hominum sensum melior credebatur dominia distinguendi & cognoscendi modus, quàm corporalis rei insistentia & detentio: nullum quoque aptius remedium, quo rerum, quæ nullius in bonis erant, dominia consequi valeamus, quàm naturalis ipsarum apprehensio juxta *l. 1. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* ubi traditur dominia rerum ex naturali possessione cœpisse.

24 *Proxima* est apprehensio corpore & animo facta: adipiscimur enim possessionem neque per se animo, neque per se corpore, sed conjunctim utroque *l. 3. §. 1. & 3. l. 8. ff. de Acquir. vel amitt. possess. l. 4 C. Eod.* Corpore: quia ut rem aliquam possideamus, debet aliquo modo corporaliter apprehendi manibus, pedibus, oculis, vel alio simili modo in se, vel per aliud; animo: quia debet accedere intentio, voluntas, seu affectio rem possidendi per *l. 41. ff. Eod.*

Est autem *apprehensio*, qua possessionem 25
acquirimus, vel *vera*, vel *ficta*.

Apprehensio vera est, quando res accipitur manibus, si sit corporea mobilis; aut intratur pedibus, si sit immobilis. Et hæc necessaria est I. ad acquirendam possessionem rerum illarum, quæ domino carent, ut sunt feræ, gemmæ, & lapilli in littore maris, thesauri, insulæ in mari natæ, & res pro derelicto habitæ. §. 12. 18. 22. 39. & 47. *Instit. de Rer. divis. l. 1. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* II. Si quis clam aut vi aliquid 26
possidere vult, v. g. depositarius depositum, quoniam rem apprehendere, & loco movere debet. *l. 3. §. si rem. ff. Eod.* ibique ratio redditur: quia furtum sine contrectatione fieri non potest. III. Si alius rem pos- 27
sidens nolit tibi possessionem cedere per *l. 1. §. 1. l. 18. § fin. ff. Eod.* Excipitur: nisi authoritate Magistratûs res tibi ficta apprehensione tradatur, eam v. g. eminus ostendendo. Imò si visu tradi non possit, satis esset, vel solo verbo eam tradere, ut docet Molina *de J. & J. tr. 2. disp. 13.* per *l. quamvis ff. de Bonis auctorit. judic. possid. & c. contingit de Dolo, & contum.* IV. 28
Ad acquirenda bona defuncti, utpote quæ domino carent, à quo tradantur. *l. 23. in pr. ff. de Acquir. vel amitt. possess* ibi: *cùm hæredes instituti sumus, adita hæreditate omnia quidem jura ad nos transeunt, possessio tamen nisi naturaliter comprehensa ad nos non pertinet.* Nec contrariatur *l. cùm miles 30. ff. Ex quib. caus. major.* ubi decernitur, possessionem defuncti quasi junctam descendere ad hæredem: nam ibi possessio pro usucapione sumitur, ut lex ipsa declarat, cùm subjicit, possessionem etiam non aditâ hæreditate compleri & perfici: id est, usucapio, quæ inchoata est à defuncto conti-

nuatur & transmittitur ipso jure in hæredem sine ejus apprehensione.

29 Advertit verò Molina *l. cit.* ad veram apprehensionem totius non semper opus esse, ut quis omnes ejus partes, puta omnes angulos domûs, aut agri circumambulet, sed satis esse intrare domum, aut agrum quoad aliquam partem animô possidendi totum. *l.* 3. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. poss.* Deinde si res, cujus est comparanda possessio, capi consuevit non per partem sui, sed per aliquid sui, ut equus per capistrum, vinum per vas, tunc sufficit, eam capere, per quod capi consuevit.

30 *Dubitationis* est: si cui Comitatus, aut Ducatus fuerit donatus, & is ejus velit consequi possessionem, an cujuslibet castelli, vel oppidi occupatione omnium omnino rerum sub illo comitatu contentarum, possessio dici possit acquisita? Subscribo Duareno *in d. l.* 3. §. 1. qui vult, quòdsi pagi, vel castella distinctos habeant fines, omnium aqprehensione opus esse arg. *l.* 1. §. 16. *ff. Eodem.* Si enim ex unius servi hæreditarii apprehensione nihil ad aliorum possessionis acquisitionem infertur, cur ex unius castelli occupatione aliorum possessionem acquisitam arguamus? quandoquidem sicut hæreditas universitas quædam est, sub se comprehendens omnes res hæreditarias, sic quoque Comitatus, ac Ducatus universitas est, sub se continens diversa oppida, ac pagos.

31 *Apprehensio ficta* est, quando intervenit alius actus, qui tamen ex dispositione juris apprehensionis vim obtinet, habétque locum, quando res traditur à possessore antiquo, vel ejus locò auctoritate publicâ. Et fit usitatiùs in rebus corporalibus sequentibus modis.

32 I. Per visum; veluti per longas manus: si enim possessor eminus ostendat rem dicendo, se tibi tradere ejus vacuam possessionem, túque acceptes, possessionem acquiris. *l.* 1. §. 21. & *l.* 18. §. *venditorem. 2. ff. de Acquir. vel amitt. possess.*

II. Per traditionem clavium: nam si quis mihi vendiderit frumentum, quod in horreo est, simul atque claves horrei tradiderit, protinus in me frumenti possessio cum dominio erit translata. *l. clavibus* 74. *ff. de Contrah. empt.* Id verò ut apud ipsum horreum fiat, omnino necessum est *d. l. clavibus.*

III. Per traditionem scripturæ, quam possessor antiquus habebat, continentis titulum & jus, quo tradens scripturam illam possidebat: censetur enim scriptura talis rem ipsam continere. *l.* 1. *C. de Donat.* Donell. 5. *Comment. c.* 9. *circa fin.* Nequehic ut in traditione clavium, præsentia rei requiritur; quia de hac *in d. l.* 1. nulla planè fit mentio, & aliàs traditio scripturæ nihil operaretur, cùm solus aspectus acquirendæ possessioni sufficiat juxta *d. l.* 1. §. 21. *l.* 18. §. 2. *ff. de Acquir. vel amitt possess.*

IV. Per substitutionem antiqui possessoris, si is sibi in re tibi donata, aut venditâ retineat usumfructum, aut constituat se conductorem rei donatæ, vel venditæ. *d. l. quod meo* 18. *pr. ff. Eod. l.* 28. & *l.* 35. §. 5. *C. de Donationib.* Ratio est: quia usufructuarius & conductor rem possident nomine domini directi, & locatoris.

V. Per traditionem brevis manûs; si nempe quis rem suam tibi priùs commodatam, locatam, vel apud te depositam tibi postea vendat, aut donet: vîderis enim rem ex causa depositi, locati, & commodati restituisse, & ex causa empti, vel donationis recepisse. arg. §. 44. *Instit. de Rei divis. l.* 62. *ff. de Evictio. l.* 15. *ff. de Reb. cred.*

VI. Per appositionem custodiæ, si possessor rem donatam, aut venditam cum volunta-

te alienatoris rei donatæ vel venditæ tuo nomine custodia adhibeatur. *l. quarundam §1. ff. de Acquir. vel amitt. possess.*

38 VII. Per signationem rei venditæ; unde si quis in nemore emit arbores & securi, vel aliâ notâ eas signaverit, traditio facta intelligitur. *l. 14 §. fin. ff. de Periculo & comm. rei vend.* Ejusdem tamen efficaciæ non est signatio dolii: magis etenim ne sub. mutetur, signari solet, quàm ut tradi videatur. *l. 1. §. 2. ff. Eod.*

39 VIII. Per constitutum, seu per clausulam constituti; quando, qui vendit aut donat rem etsi non tradat emptori, vel donatario, attamen ejus nomine, se constituit possidere. *l. quod meo. 18. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Qui modus omnium frequentissimus est. Plures alii videri possunt apud Godofred. *in not. ad l. 3. §. 1. ff. Eod. & ad l. clavibus 74. ff. de Contrah. empt.* ad quem brevitatis causâ lectorem remitto. Sed

40 *Quæres.* Quo modo jurium incorporalium possessio paretur pro cujus quæstionis resolutione distinguo inter jura, quæ non inhærent rei corporali, uti jus eligendi & ea, quæ inhærent corpori, ut servitutes. Primi generis jurium possessio acquiritur scientiâ & patientiâ illius, ad quem pertinet concedere, vel resistere actui, si quis tamen actum exerceat cum probabili opinione, se uti jure suo; nisi ex circumstantiis appareat, actum illum ex gratia concessum esse. Molina *tr. 2. de J. & J. disp. 14. n. 1.* Secundi generis jurium, seu servitutum possessio comparatur *primò* per introductionem, vel immissionem in fundum, qui servire debet, factam animô possessionem tradendi ab eo, vel voluntate ejus, qui servitutem constituit per *l. 3. ff. dare ff. de usur.* Haunold. *de J. & J. tr. 3. c. 3. n. 222.* Deinde per usum, & exercitium servitutis tanquam jure debitum cum scientia & patientiâ illius, cujus interest, talem usum permitti, aut prohiberi. *l. fin. ff. de Servitut.* Quòdsi servitus esset negativa, ut est servitus altiùs non tollendi, tunc ad comparandam possessionem requireretur ex parte volentis acquirere possessionem prohibitio, seu contradictio tanquam jure competens: ex parte alterius, ut is acquiescat prohibitioni factæ. Schneid. *in §. fin. Instit. de Servit. n. 8.* & alii unanimiter.

Dissentiunt autem DD. quot actus ad 41 consequendam possessionem jurium desiderentur? Menoch. 1. *arbitr. jud. quæst. casu 160.* & Covarr. *ad c. possess. p. 2. relect. init. n. 6. de R. J. in 6.* unico actu simpliciter contenti sunt. Sed rectiùs distinguit noster Panorm. *in c. 3. n. 22. & seqq. h. t.* Nam aliqui actus sunt, qui vix unquam alicui conceduntur ex gratia, & non nisi ex debito aut servitutis jure regulariter exercentur: ut quòd vicinus tignum immittat, aquam ducat per alterius fundum, jurisdictionem exerceat, vel quid simile; & tali casu unus videtur sufficere: quoniam jure suo, & cum patientia domini possidens ea facere censetur. *l. 1. § 4. & §. 2. ff. de Aqua quotid. & æstiv.* Quidam sunt actus, qui solent concedi ex amicitia, & gratiâ, sed rarò, & non ita frequenter; ut ire per fundum alterius, pomum decerpere, aucupium exercere &c. & tunc ad acquisitionem possessionis plures actus requiruntur, ex quibus verosimiliter constare possit, utentem non ratione amicitiæ, sed jure suo illos actus exercuisse per *l. 1. §. hoc interdicto. ff. de itinere, actúque privato.* Alii denique actus sunt meræ facultatis, qui frequenter & communiter alicui concedi solent ex benevolentia, & gratia; & tunc etiam plures actus sæpiùs iterati non sufficiunt: sic enim etsi millies

aliquis in Monasterium ut hospes susceptus sit, vel ad mensam alicujus vocatus, non præsumeretur per hoc quæsita possessio, nisi ex circumstantiis appareat, quod jus aliquod sibi vindicârit, v. g. Episcopus, dum Monasterium visitat. Layman. *in d. c. 3. n. 6. h. t.*

§. VI.

42 *Subjectum* possessionis est possessor; ex parte cujus, ut animum affectúmve rem habendi sibi, aut pro sua habeat, necessum est arg. *l. 8. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* Hinc

43 *Colliges* I. furiosum per se non esse habilem ad acquirendam possessionem. *l. 1. §. 3. ff. Eod.* furiosi enim nulla voluntas est, & planè absentis ac quiescentis locô habetur. *l. 40. ff. de R. J. & l. 2. §. 3. ff. de Jure Codicill.* Intelligo autem hìc furiosum quatenus in ipso furoris paroxismo jam constitutus est, & continua mentis alienatione sine intervallo, omni intellectu cares juxta *l. Divus Marcus. ff. de Officio Præsid. l. 22. §. 7. ff. Soluto matrim.*

44 *Colliges* II. per se non posse apprehendere possessionem pupillum, qui ejus ætatis nondum est, ut intellectum capiat. Text. *in d. l. 1. §. 3.* cùm non multùm distet à furioso. §. 10. *Instit. de Inutilib. stipul.* Nisi forte in eo, quòd furiosus per curatorem, quidem, non etiam curatore authore possessionem acquirere valeat, valeat verò infans authore tutore suo. *l. 32. §. 2. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* judicium namque infantis suppletur actoritate tutoris, quod utilitatis causâ receptum est. *l. 32. cit.*

45 *Colliges* III. possessorem constitui non posse perfectè ebrium, aut dormientem, etsi iis quid traditum sit: quia carent affectione requisitâ ad consequendam possessionem, utpote qui ignorant rem sibi tradi. *d. l. 1. §. 3. ff. Eod.*

46 *Colliges* IV. ignorantem rem aliquam apud se existere, per se ipsum eam non posse possidere. *l. licèt C. de Acquir. possess.* eò quòd non censeatur habere animum possidendi. Per servum tamen, vel filium-familias ex causa peculii etiam ignorans, imò etiam infans & furiosus possessionem adipisci, & usucapere potest. *l. 1. §. 5. ff. de Acquir. vel amitt. possess. l. 2. ff. pro soluto.* Similiter & per procuratorem quis ignorans possessionem acquirere potest; usucapio verò seu præscriptio priùs non procedet, quàm possessionem acquisitam esse noverit. *l. 34. l. 49. §. 2. ff. & l. 1. C. de Acquir. possess.*

47 *Colliges* V. attentâ juris subtilitate neque collegium, civitatem, tribum, aut si quod aliud est corpus aggregatum, capax esse possessionis, cùm universi consentire nequeant; sed hìc prævaluit utilitas: hodie enim eo jure utimur, ut & possidere, & per alium possessionem nanciscì possit universitas. *l. 1. §. ult. l. 2. ff. Eod.*

§. VII.

48 *Materia, seu objectum* possessionis est omnis res possessibilis, ut autem talis sit, debet esse corporalis: in commercio: certa: & vacua à possessione alterius.

Corporalis: sola enim ut tangi, ita quoque teneri potest, ac proinde sola etiam possideri: siquidem possidere tenere est. *l. 3. pr. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* Excluduntur itaque à vera possessione res incorporales, quæ tactui & aspectui non subsunt, sed abstractivè solo intellectu percipiuntur: cujusmodi sunt ususfructus, usus, jus venandi, jurisdictio, servitutes, & jura prædiorum omnia; quæ tamen abusivè, impropriè, & quasi possideri quandoque dicuntur. *l. 10. ff. Si servitus vind. l. 23. §. item ff. ex quib. caus. major. l. 18. §. 1. ff. de Hæred. petit. l. 3. §. pen. ff. Unde vi* In-

49 *In commercio:* nam in possessionem non cadunt, quæ extra hominum commercium sunt: ut sunt res sacræ, sanctæ, ac religiosæ. *l.* 30. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. possess. l.* 6. *in pr. ff. de Contrah. empt. l.* 83. §. 5. *ff. de V. O.* forum item & basilica, & alia usu publica. *l.* 1. §. *fin. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* Liber homo; quem quidem ignorans, & bona fide quis possidere potest, non verò sciens. *d. l.* 1. §. 6. *l.* 23. §. *fin. ff. Eod. l.* 10 §. 4. *ff. de Acquir. rer. dom.* §. 4. *Instit. Per quas personas.* Huc quoque pertinent res, quæ à certis tantùm personis possidentur: quales sunt decimæ, aliáque jura spiritualia, quæ non possunt possideri à Laicis, sed à solis Clericis. *c.* 7. *de Præscript.* Præterea in Imperio nostro ea, quæ in signum supremæ eminentiæ, & potestatis ipsi competunt, puta jus ad Imperatoris coronam, dignitatem & honorem pertinens. arg. *c. intellecto* 33. *de Jurejur.* Regalia item majora soli Imperatori reservata. *tit* 56. *Feud.* 2. nisi vel privilegio, vel tempore, cujus initii non extat memoria, alius sibi ea acquirat. Gail. 2. *observ.* 31. *num.* 4.

50 *Certa:* incertam partem rei possidere nemo potest: veluti si hac mente sis, ut quidquid Titius possidet, tu quoque velis possidere. Text. *in l.* 3. §. *incertam. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* vel si ita tibi tradam, quidquid mei juris in eo fundo est. Text. *in l.* 26. *ff. Eod.* ubi ratio subjungitur: *nam qui ignorat, nec tradere, nec accipere id, quod incertum est, potest.* Et certè prius est, ut esse aliquid, & ubi sit, quantumque sit, sciamus, quàm ut vel capere, vel nostrum fieri velle possimus.

51 Denique *vacua à possessione alterius:* quia plures eandem rem in solidum possidere nequeunt: contra naturam quippe est, ut cùm ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris; vel ut in loco, in quo ego sto, vel sedeo, tu quoque stare, vel sedere videaris per text. *in d. l.* 3. §. *ex contrario.* 5. *ff. Eod.* Verùm hic textus procedit de possessione ejusdem speciei: diversæ enim speciei possessio potest esse penes plures, ita ut unus naturaliter rem possideat, v. g. Emphyteuta, Vasallus; alius autem civiliter, ut Dominus directus, per *d. l.* 3. §. *ex contrario. & l.* 3. *ff. uti possidetis.* Haunold *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 3. *c.* 3. *n.* 212.

§. VIII.

52 *Forma* possessionis consistit in detentione rei cum affectione sibi eam habendi, quæ est forma possessionis naturalis: aut habendi pro sua; quæ est forma possessionis civilis.

§. IX.

53 *Finis* possessionis est, ut commodis rerum possessarum utamur, fruamur; quod præcipuè ex effectibus possessionis intelligere licet. Eckolt *ad ff. de Acquir. vel amitt. possess.* §. 14.

§. X.

54 *Effectus* possessionis insignes se offerunt. *Primus* est, quòd possessori liceat possessionem contra turbatores armis tueri, & dejecto à possessione eam propriâ auctoritate recuperare, dummodo in continenti fiat, id est, quàm primùm spectatis circumstantiis commodè fieri potest. *l.* 3. §. 9. *ff. de vi & vi arm. l.* 1. *C. unde vi.*

55 *Secundus*, quòd in pari causa melior sit conditio possidentis. *c.* 65. *de R. J. in* 6. *l.* 128. *ff. Eod. l* 4. *C. de Condict. ob turp. caus.* Unde stante dubio, quinam rei possessæ dominus sit, si id pro rei qualitate diligenter indagata veritate deponi non potuit, possessor interim rem licitè retinere, & fructus inde percipere, perceptósque consumere potest, donec liquidò constet, rem non ad se, sed ad alium spectare. Mo-

lina *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 16. *n.* 2. Et adeò possidentis conditio melior est, ut licèt æqualis sit actoris & rei probatio, possessoris tamen testes præferantur; nisi actor foveat causam favorabilem v. g. causam liberalem: in ea enim, si utriusque testes fuerint æquales, pro libertate sententia ferenda est. *c. ex literis.* 2. *de Probat.*

56 *Tertius*, quòd in judicio petitorio possessor præsumatur esse dominus, ipsóque probationis onus rejicit in adversarium. *l.* 14. *ff. l.* 2. *C. de Probat.* nisi aliunde vehemens conjectura, vel præsumptio existat, iniquam possessionem esse, quo casu necessitas probandi possessori incumbet. arg. *l. vis ejus.* 15. *C. de Probat.* ubi Glossa *in V. aufugisse.* ait, quòd reus probare, & causam sive titulum dicere debeat, cùm præsumptio stet pro actore.

57 Connexa *quæstio* est: num in dubio præsumatur quis jure, & cum titulo possidere? Quod affirmo per *l. fin. C. de Rei vindic. l.* 2. *C. de Acquir. & retin. possess.* Nec immerito: titulus enim secundùm DD. causat bonam fidem. Menoch. *lib.* 3. *præsump.* 13. in dubio verò semper benignior est sumenda interpretatio, ut quis potiùs dicatur bonæ fidei, quàm malæ fidei possessor. Planè titulum possessionis suæ petitoriò conventus edere non cogitur, exceptâ causâ petitionis hæreditatis. *l.* 11. *C. de Haredit. petit.*

58 *Quartus* effectus est, quòd actore non probante possessor absolvatur, & etiamsi ejus res non sit, qui possidet, si tamen actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio. §. 4. *instit. de Interdict. d. l. fin. C. de Rei vindic.* Hinc periti Advocati possessorium præmittunt petitorio, ut suadetur *in l.* 24. *ff. Eod.*

59 *Quintus* est, quòd possessor immobilium liberetur ab onere satisdandi de judicio sisti; idque ideo, quia hic cessat suspicio fugæ, ut notant DD. *in l.* 15. *ff. Qui satisd. cog.* Marant. *in spec. aur. de Satisdat. n.* 3. Possessorem verò accipe, qui suo jure, & irrevocabiliter jure directi utilisve dominii possidet; non creditorem, aut usufructuarium. *d. l.* 15. §. 2. Tantùm quoque possidere debet, quantùm requiritur pro quantitate, & æstimatione rei petitæ. Gloss. *in* §. *sed hodie. Instit. de Satisdat.*

Sextus cernitur in judiciis, remediis, seu interdictis possessoriis, quæ triplicia: videlicet adipiscendæ, recuperandæ, & retinendæ possessionis §. 2. *Instit. de Interdict. l.* 2. §. *hac autem ff. Eodem. Interdicta adipiscendæ* vocitantur ea, quibus agimus, ut acquiramus possessionem, quam nunquam habuimus. *d. l.* 2. §. *adipiscendæ* veluti interdictum *quorum bonorum:* quod competit hæredi ad obtinendam possessionem rerum hæreditariarum §. 3. *& ibi* Interpp. *Instit. de Interdict. t. t. ff. Quorum bonorum.* Interdictum *quod legatorum*; quod datur hæredi ad avocandam possessionem rerum legatarum, quas citra ejus voluntatem legatarii propriâ auctoritate occupârunt *t. t. ff. quod legatorum.* Interdictum *Salvianum*: quo locator agit ad adipiscendam possessionem rerum, quas colonus in fundum induxit, & pro mercede pignori expressè obligavit *t. t. ff. de Salviano interdicto. d.* §. 3. *Instit. de Interd. Recuperandæ possessionis* remedium agitur ad recuperandam possessionem à qua quis per spolium, aut aliam causam violentam excidit; de quibus *in Tit. seq. Retinendæ possessionis* remedia competunt pro conservanda possessione acquisita contra quovis modo turbantes, aut in possessionis usu impedientes. §. *retinendæ* 4. *Instit. de Interdict.* cujus causâ duo præcipuè interdicta prodita sunt: nempe interdictum *uti possidetis*, quod ad possessionem re-

rerum immobilium; & interdictum *utrubi*, quod ad possessionem rerum mobilium tuendam pertinet. *d. §. retinendæ t. ff. Uti possidetis, & Utrubi.*

61 Sed quid si duo contendant, probéntque se possidere v. g. jus venandi in eadem sylva, jus piscandi in eodem flumine, cui adjudicanda erit possessio? Communiter placuit, ei adjudicandam esse, qui probavit possessionem antiquiorem; vel, si in tempore paritas sit, ei, qui titulum possessionis habet; aut, si in probatione tituli pares sint, ei, qui produxit testes numerô plures, & fide digniores. *c. licèt 9. & ibi* Panorm. Felin. & alii *de Probat.* P. Engel *h. t. n. 6. & 7.* At si contingat, ut æquales omnino sint probationes utriusque partis, sua cuique conjectanti solet esse sententia. Glossa *in d. c. 9.* vult utendum esse formulâ: *uti possidetis, ita imposterum possideatis*; ita ut neuter vincat aut vincatur. Panormit. *ibid. n. 27.* putat: forte esse dirimendam hanc controversiam, ita ut ille possessionem retineat, in quem fors ceciderit per *l. 14. ff. de Judiciis* Gail. *de Pignorationib. observ. 22. n. 11.* statuit pro reo pronuntiandum, cujus partes sunt favorabiliores. *l. favorabiliores ff. de R. I.* Bartol. *in l. si duo in pr. n. 5. ff. Uti possidetis.* existimat, judicem rem debere dividere, & partem uni, partem alteri assignare arg. *l. 41. ff. de Hæredib. instit.* Tiraq. *in tr. de jure primogen. q. 17. opin. 2. n. 5.* probat, judicem cui maluerit, gratificare posse. Menoch. *Remed. 3. de retin. possess. n. 776.* credit, in tali casu ad Principem, & Superiorem esse recurrendum. Mihi in tanta opinionum varietate verius videtur, judicem omnino debere supersedere in causa, & super possessorio non pronuntiare, sed partes jubere, ut ad judicium proprietatis, seu petitorium transeant, dominiúmque probent, ut sentit Glossa Marg. *in d. c. licèt 9. de Prob.* quia ubi Judici de causa non liquet, super illa pronuntiare nequit. *l. 14. ff. de Recept. qui arbitr. l. 36. ff. de Re judic.* Quòdsi rixæ aut scandali occasio timeatur, res apud sequestrum deponenda est arg. *l. 17. ff. de Usufr.* & dicemus *in Tit. 17.* hujus libri.

Septimus effectus est, quòd possessio civilis per legitimum tempus continuata operetur præscriptionem & acquisitionem dominii rei possessæ. *t. t. infra de Præscriptionib.* 62

Octavus, quòd bonæ fidei possessor fructus rei possessæ lucretur. *l. 22. C. de Rei vindic.* Fructus autem sunt vel naturales, vel industriales; qui iterum sunt consumpti, vel extantes; extantes rursus sunt vel pendentes vel percepti. In quibus omnibus fere diversum jus obtinet: consumptos enim omnes indistinctè lucratur bonæ fidei possessor. §. 35. *Instit. de Rer. divis.* sive naturales, sive industriales, arg. *l. 4. §. 2. ff. Fin. regund.* Pendentes verò, cùm sint pars fundi, indifferenter restituendi veniunt. *l. 44. ff. & l. 22. C. de Rei vindic.* In perceptis quoque & extantibus idem jus statuo: naturales namque cum industrialibus restituendi sunt. *l. 48. ff. de Acquir. rer. dom.* Siquidem quod ex re mea supereſt, meum est, cujus vindicandi jus habeo. *l. 49. §. 1. ff. de Rei vindic.* Perceptio itaque, quamvis sit modus acquirendi dominii. *l. 25. §. 1. l. 28. ff. de Usuris l. 40. l. 48. in pr. & §. fin. ff. de Acquir. rer. dom.* est tamen revocabilis tantùm, consumptio autem irrevocabilis per *d. l. 4. §. 2. ff. Fin. regund.* post litis contestationem bonæ fidei possessor universos, sive exstantes, sive consumptos restituet; quippe ex quo res in judicium deducta est, scientiam malæ fidei possessionis accipit. *l. 2. C. de Fructib. & lit. expens. l. 25. §. 7. ff. de Hæredit. petit. §. 2. Instit. de Offic. Jud.* 63

64 *Controversia* hic movetur: num si bonæ fidei possessor ex consumptione fructuum locupletior redditus fuerit, respectu lucri ad restitutionem teneatur? Negant plures ex Recentioribus tam Theologi, quàm Jurisperiti. Ego tamen in affirmativam magis propendeo; imprimis quia stando in jure naturæ possessor rei alienæ tenetur fructus consumptos restituere, in quantum factus est locupletior. Ergo etiam jure positivo: etenim textum clarum & apertum non reperies, quo jus positivum hoc in passu à naturali recesserit. Deinde bonæ fidei possessor tenetur ob fructus extantes. *d. l.* 48. *ff. de Acquir. rer. dom.* atqui his insunt, & accenseri debent fructus consumpti, qui possessorem suum reddidêre locupletiorem, cùm adhuc extare, & non absumptum videatur, quod in corpore patrimonii retinetur. *l. idem* 72. *ff. de Legat.* 2. *l. pater* 23. *ff. de Adim. vel transf. leg. l.* 32. *§.* 9. *ff. de Donation. inter vir. & uxor. l.* 22. *ff. de Negot. gest. l.* 34. *pr. ff. de Minorib.* Adde text. *in §. etsi* 2. *Instit. de Offic. judic.* ubi eadem intervenire dicuntur in petitione hæreditatis circa fructus, quæ in petitione rerum singularum. Jam verò in illo casu, nempe si possidet hæreditatem alienam, bonæ fidei possessor tenetur ad restitutionẽ fructuum, ex quibus locupletior factus *l. item veniunt* 20. *§.* 6. *ff. item eos l. sed & si* 25. *§.* 11. *ff. de Petit. hæredit. l.* 1. *§.* 1. *C. Eod.* ergo & hoc in casu idem juris erit propter paritatem rationis, ne quis cum alterius damno locupletetur contra *l.* 14. *ff. de Condict. indeb. l.* 22. *l. nisi* 33. *§.* 1. *l.* 55. *ff. de Petit. hæred. l.* 206. *ff. de R. J.* Vid. Panorm. *in c. gravis* 11. *n.* 6. *de Restit. spoliat.* Covar. *lib.* 1. *Variar. resol. c.* 3. *n.* 6.

65 Porro malæ fidei possessor, & ipsius hæres tam ante, quàm post litis contestationem omnes fructus restituere cogitur. *d. l.* 22. *C. de Rei vindic.* sive adhuc extent, sive ab eo fuerint consumpti. *l.* 22. *§.* 2. *ff. de Pignorat. act. d. §.* 35. *Instit. de Rer. divis. &* non tantùm, quos percepit, sed & quos percipere potuit: quia dominum rei debet servare indemnem. *§.* 2. *Instit. de Offic. jud. l.* 15. *§.* 4. *ff. de Haredit. pet. l.* 23. *l.* 62. *§.* 1. *ff. de Rei vindic.* Extantes repetentur rei vindicatione, consumpti condictione *l.* 3. *C. de Condictione ex lege.*

Nonus, & non postremus possessionis effectus est, quòd possessio immemorialis suppleat omnes præsumptos defectus vitiositatis, & nullitatis, sítque probatio probata tituli, nec patiatur inquisitionem de titulo, sed muniat privilegio singulari. *c. contra morem dist.* 100. *c.* 31. *causa* 18. *q.* 2. *c.* 1. *de Præscript. in* 6. *c. super quibusdam §. præterea de V. S. l. hoc jure § ductus aqu. ff. de Aqua quotid. & æstiva*: Rolland. à Valle *lib.* 2. *consil.* 66. *n.* 6. *&* 40. *& consil.* 89. *n.* 9. *&* 11.

Plures alios effectus, ac commoda possessionis docebit lectio, & usus.

§. XI.

Contraria possessioni est ejusdem amissio; quæ fit vel volente, vel invito possessore.

Volente possessore amittitur possessio rerum æquè mobilium ac immobilium l. animo & corpore simul: cùm omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvatur *c.* 1. *de R. J. l. nihil tam naturale l. fer.* 153. *ff. Eod. l.* 8. *ff. de Acquir. vel amitt. poss. ff.* II. Solo etiam animo: ut si quis manens in fundo, quem alteri vendidit, constituat se imposterum non amplius sibi, aut suo nomine, sed emptori possessurum. *l.* 3. *§.* 6. *l.* 17. *§.* 1. *ff. Eod.* Quibus non adversantur *d. l.* 8. *ff. Eod. & l.* 153. *ff. de R. J.* in his enim non dicitur: nullam amitti possessionem, nisi corpore & animo simul, sed solùm,

sùm, quòd ad amissionem possessionis requiratur, ut utrumque in contrarium agatur, hoc verò vel solo animo fieri potest: quippe qui in fundo est, etiamsi corpore eum contingat, si tamen eo animo sit, ut possidere nolit, protinus omnem possessionem, etiam quatenùs corpore constat, amittit: cùm animus quidem sine corpore possidere possit, corpus verò remoto animo non utique *l. licèt C. de Acquir. & retin. possess. l.* 1. §. 1. *ff. Eod.* ut sic nihilominus verum sit, nonnisi utroque corpore scil. & animo, possessionem amissam esse. Confer. Donell. *lib.* 5. *Comment.* c. 13.

68 *Possessore invito* aliter amittitur possessio rerum mobilium, aliter rerum immobilium. *Mobilium* possessio amittitur I. per furtum & rapinam alterius *l.* 15. *l.* 47. *ff. de Acquir. vel amitt. possess.* II per fraudem depositarii contrectantis rem ut suam, & eo animo loco moventis. *l.* 3. §. 18. *ff. Eod.* III. per amissionem rei, v. g. gemmæ, annuli &c. esto nullus alius eam possideat. Si tamen ejusmodi res sit in nostra custodia, sed non occurrat, quia indiget majori inquisitione, non censetur amissa ejus possessio. *l.* 9. §. 13. *l.* 25. *l.* 47. *ff. Eod.* IV. per fugam rerum animatarum; at habitâ distinctione inter servum, & bruta animalia. Si servus aut ancilla aufugerit, non amittitur eorundem possessio civilis, donec ab alio occupetur, vel nisi diu se gerant pro liberis. *l.* 1. §. 14. *l.* 3. §. 10. *ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Sin brutum animal fugerit, ita ut diligenter quæsitum non reperiatur, aut consuetudinem per se redeundi non habeat, statim à domino possideri desinit, quamvis à nullo alio possideatur. *d. l.* 3. §. 13. *Rerum immobilium* possessio amit-
69 titur I. per violentam dejectionem, aut exclusionem à fundo proprio. *l.* 5. *ff. de Usurp.* II. per diuturnam absentiam, nisi quis per alium rei insistat, ut protestetur, se nolle amittere possessionem *l.* 6. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. possess.* III. si rem sciat ab alio occupatam, & negligat: aut regressus ad recuperandum repulsus sit: aut timens repulsam non sit aggressus. *l.* 3. §. 8. *l.* 6. §. 1. *l.* 7. *l.* 25. §. 2 *ff. Eod.* IV. si res vel à flumine; vel ab hoste, ita sit occupata, ut non sit probabilis ejus recuperatio. *d. l.* 3. §. 17. *l.* 18. §. 4. junctâ *l.* 30. §. 3. *ff. Eod.* V. si quis nesciat rem esse suam, aut si aliunde præsumatur animus possidendi desiisse. Molina *tr.* 2. *de J. & J. disp.* 92. Haunold. *de J. & J. tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 3. *controvers. per tot.*

Atque hæc, quæ de amissione possessio-70 nis rerum corporalium dicta sunt, ad res incorporales porrigi debent, ut etiam earum quasi possessionem tam volentes, quàm inviti amittamus. Quod fit, si vel per negligentiam aut absentiam non utamur jure nostro; vel si quis impedimenta injiciat, quò minùs jure nostro uti queamus, cùm ea pro dejectione sint. *c. fin. de Restit. spoliat.* puta si quis in jurisdictione, privilegiis, aliisque immunitatibus exercendis, vel servitiis rusticorum usurpandis me turbet; vel si annuis pensionibus solvendis interpellatus quis esset at solutionem deneget: vim namque admittit, possessione me spolians, ut ne animô quidem eam retineam. Schneidvv. *ad* §. *possidere n.* 187. *Instit. de Interdict.*

Pars II.

De Proprietate.

SUMMARIA.

71. Proprietatis synonimum est dominium.
72. 73. Ejusdem definitio. 74. usque 80. divisio. 80. & origo.
81. Modi acquirendi dominium alii sunt naturales alii civiles. 82. usq. 86 Ad naturales refertur benatio. 86. usq. 90. inventio. 90. 91. captivitas. 92. alluvio. 93. accretio. 94. insulæ produ-

Bio. 95. alvei derelictio. 96. fœtura animalium. 97. perceptio fructuũ. 98. plantatio. 99. satio. 100. inædificatio. 101. specificatio. 102. confusio 103. permixtio. 104. intextura. 105. scriptura. 106. pictura. 107 usq; 112. traditio. 112. Adducantur modi acquirendi civiles remissivè.

113. usque 118. Quinam sint capaces dominii?

118. usque 123. Quarum rerum dominium detur & acquiri possit?

123. forma. 124. Finis. 125. & seqq. effectus dominii.

§. I.

71 HActenus *de Possessione.* Sequitur de *Proprietate*, seu *Dominio*: solent enim hæc duo passim confundi, quamvis dominium sit terminus magis latus, quàm proprietas. *l. 13. ff. de Acquir. rer. domin.* Cujac. *in comment. ad l. interdum 21. in pr. ff. de Acquir. vel amitt. possess.*

§. II.

72 *Definitur* proprietas, seu Dominium quòd sit jus reale disponendi de re aliqua tanquam sua, nisi lege prohibeatur. Less. *de J. & J. lib. 2. c. 3. dub. 2.* cum communi.

73 Additur: *nisi lege prohibeatur.* Licèt enim dominium ex sua natura tribuat potestatem ad qualemcunque rei usum, vel dispositionem, lex tamen interdum impedit, ut hæc potestas non possit exire in actum, atque actum secundum aufert relicto actu primo dominii. Sic pupillus & minorennis de rebus suis liberè & se solis disponere non possunt, quamvis illorum veri domini sint juxta Apostol. *ad Gal. 4.* Similiter majoratus, fidei-commissa, & alia bona vinculata legibus ita disponentibus non licet alienare, cùm tamen possessor in iis verum dominium habeat arg. *l. generaliter. §. sub conditione ff. Qui, & à quib. manumiss.* Molina *de J. & J. tr. 2. disp. 3. n. 4.* Ratio est: quia hoc impedimentum à lege inductum non tollit ipsum dominium, seu jus habituale disponendi de re, sed solùm ligat hujus juris usum; quo impedimento per lapsum temporis, vel aliter cessante sine collatione novi juris de talibus bonis quis pro arbitrio disponere potest.

§. III.

74 *Dividitur* proprietas seu dominium in naturale & civile. Naturale, quod alii per anticipationem vocant, est, quando quis spectato jure naturali est dominus; prout dicitur habere mulier in dote. *l. in rebus C. de jure dot.* Civile, quando quis per legem acquirit dominium; prout dicitur acquirere maritus in dote: ut qui solus stante matrimonio exercet effectus dominii, dominio mulieris interim quiescente. *pr. Instit. Quib. alien. lic. vel non. l. 75. ff. de Jure dot. l. 9. C. de Rei vindic.*

75 II. Dividitur in dominium verum & fictum. Verum est, quod quis verè, & citra fictionem juris obtinet. Fictum, quando jus aliquem fingit esse dominum, qui tamen reverâ non est: vel quia usucapionem jam cœptam necdum complevit: vel quia per usucapionem ab alio completam jam desiit esse dominus. Ex hoc dominio nascitur actio Publiciana, & rescissoria. *§. 4. & 5. Instit. de Actionib.*

76 III. Dividitur in Dominium plenum, seu perfectum, & non plenum, seu imperfectum. Plenum est jus de re disponendi tam amplum, & universale, ut nemo alius jus de eadem re disponendi habeat. Non plenum est jus de re disponendi tam restrictum, ut alius quoque jus de eadem disponendi habeat.

77 *Dominium non plenum* subdividitur in directum & utile. Directum habet is, penes quem sola, seu nuda remanet proprietas, sicut remanet penes dominum respectu rei traditæ in feudum, emphyteusin, aut superficiem. Utile habet is, qui habet

bet jus utendi fruendi separatum quidem à proprietate, at stabile & universale unà cum jure vindicandi rem ipsam; sicut habet vasallus, emphytenta, superficiarius. Clariss. D. D. Braun. *in tr. de Dominio in comm. c. 3. §. 2. n. 6.*

78 IV. Dividitur in dominium revocabile, & irrevocabile. Revocabile est, quod non est perpetuum, sed revocari potest; quale habet maritus in re dotali: hæres in re sub conditione legata: bonæ fidei possessor in fructibus extantibus &c. Irrevocabile est, quod ex intentione perpetuò durat; quale habet fere quilibet dominus.

79 V. Dividitur in dominium universale, & singulare. Universale competit cuivis hæredi circa universitatem jurium, fundátque petitionem hæreditatis. *t. t. ff. & C. de Hæreditatis petit.* Singulare competit circa res singulas, fundátque duplicem actionem: rei vindicationem, si pro objecto habet rem corporalem. *t. t. ff. & C. de Rei vindic.* & actionem confessoriam, si pro objecto habet rem incorporalem. *t. t. ff. Si ususfr petatur, & Si servitus vindicetur.*

§. IV.

80 *Causa efficiens* proprietatis, seu dominii duplex est: remota & proxima.

Remota juxta communem est jus Gentium: hoc enim jure rerum dominia distincta esse, traditur *in l. 5. ff. de J. & J. l. 1. ff. de Acquir. rer. dom. & in §. 13. Instit. de Rerum divis.* idque ex triplici ratione: tum ne bona ob communionem communiter negligerentur. *l. 2. C. Qui, & à quib. quarta pars.* tum ut evitarentur rixæ & discordiæ, quæ ex communione nascuntur. *l. si non sortem §. si certum ff. de Condict. in deb.* tum ut tolleretur confusio: nam ordinatè res tractantur, si singulis tanquam propriæ gubernandæ traduntur. *t. 1. & 2. dist. 8.* Nec quempiam turbet textus mox *cit. c. 1. Tollejura Imperatorum, & quis audet dicere: mea villa, aut meus iste servus, aut domus hæc mea est.* etenim ibi *per jura Imperatorum* venit Jus Civile Romanum, quod jure naturali, gentium, & civili constat per *l. 6. ff. de J. & J.*

Causa efficiens proxima sunt modi acquirendi dominium, hoc est, tituli, seu causæ ex se habiles ad dominium conferendum. Et hi modi alii sunt naturales, alii civiles.

81 Naturales sunt, qui jure gentium, quod proximè accedit ad jus naturale, constituti sunt; quales numerantur sequentes: *venatio, inventio, captivitas, alluvio, accretio, insulæ productio, alvei derelictio, fœtura animalium, perceptio fructuum, implantatio, satio, inædificatio, specificatio, confusio, permixtio, intextura, scriptura, pictura, & traditio;* quos breviter perstringamus.

82 *Venatio* prout est genus ad *piscationem, aucupium, & venationem in specie*, est occupatio feræ existentis in naturali sua libertate. De hac *in §. fera 12. Instit. de Rerum divis.* ita decernitur: *Fera igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo, & terrâ nascuntur: simul atque ab alio capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt: quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, nec interest, feras bestias, & volucres utrum suo in fundo quis capiat, an in alieno.* Planè animalia naturâ mansueta, cicurata, & nostrâ custodiâ detenta occupanti haud acquiruntur, usque adeò, ut si quis ovem è faucibus lupi ereptam animo lucrandi apprehenderit, furti reus censeatur per *d. §. 12. 15. & 16. Instit. Eod. l. 3. l. 4. l. 5. §. 6. ff. de Acquir. rer. domin.* Sed

Du-

83 *Dubitatur* I. Utrùm fera bestia à venatore vulnerata, capientis sit, an verò vulnerantis? & capientis, non vulnerantis esse, disertè habetur *in d. l. 5. §. 1. ff. Eod.* §. 13. *Institut. de rer. divis.* subjunctâ ratione: quia multa accidere possunt, ut vulnerans non capiat. Unde à sensu contrario arguitur, feram vulneranti acquiri, si ita vulnerata sit, ut illam percussor insequens certò sit capturus, nec quid accidere possit, ut eam non capiat: quia fera tam acri vulnere ceu instrumento censetur veluti jam apprehensa, & in potestate vulnerantis esse. Haunold. *tr. 5. de J. & J. c. 1. n. 65. & seq.* in dubio, an fera esset evasura, docet Lessius *l. 2. de J. & J. c. 5. dubit.* 10. fieri occupantis, eò quòd adhuc videatur habere suam naturalem libertatem arg. *d. l. 5. princ.* Molina verò *de J. & J. tr. 2. disp. 42.* & alii sentiunt, juxta proportionem dubii inter utrumque dividi debere.

84 *Dubitatur* II. num fera, quæ in laqueum, rete, aut viscum à me positum incidit, mea sit, an illius, qui eam exemit? Navar. Covar. Lessius, & non pauci DD. dominium attribuunt eximenti propter *l. in laqueum. 55. ff. de Acquir. rer. dom.* & quia dominium rerum, quæ nullius sunt, uti est fera, non acquiritur, nisi per apprehensionem, qui autem tantùm laqueum posuit, necdum apprehendit, sicut econtra, qui exemit. Sed rectiùs distinxeris: itáne fera sit irretita, ut eluctari, aut se explicare non possit, an luctando se extricare, & adhuc evadere queat: Priori casu fera mea erit: quia sufficienter intelligor apprehendisse, ademptâ ei libertate naturali per meum instrumentum, neque enim ad acquirendum dominium feræ requiritur apprehensio corporalis immediata, sed sufficit moralis. Zoës. *ad ff. de Acquir. rer dom. c.* 10. Casu posteriore non ad me, sed ad eum pertinebit, qui primus exemerit: quia fera ita capta remansisse creditur in naturali libertate per *l. 3. §. 2. ff. Eod.* Quamvis Molina *d. disp. 42. n. 2.* dicat, tunc æstimandam esse spem, quam habui de fera capienda, & ab altero compensandam.

Dubitatur III. Si quis hodie contra justam Principis prohibitionem venetur, aucupetur, piscetur: an adhuc, quod ceperit, suum faciat? Zoësio *l. cit. n.* 14. aliisque affirmantibus calculum adjicio: quia quæ nullius sunt, jure gentium fiunt primò occupantis, quàm diu non impeditur dominii acquisitio. Atqui feræ non obstante prohibitione Principis sunt nullius: cùm maneant in naturali libertate; nec per dictam prohibitionem impeditur acquisitio dominii: quia etsi Respublica, seu Princeps venationem prohibendo absolutè posset impedire dominii acquisitionem, tamen defacto impedire non censetur. Ergo feras quis suas facit, quas contra prohibitionem Principis primus occupat. Non diffiteor tamen, quin talis peccet, tum contra obedientiam, tum etiam persæpe contra justitiam in Principem, qui jus venandi, piscandi, & aucupandi, habet ex justo titulo quæsitum, adeóque in conscientia obstringatur ad restitutionem, non quidem ferarum, avium, vel piscium, aut æstimationem eorum, utpote dominus, sed illius damni & detrimenti, quod Princeps passus est ob hujusmodi injustam venationem. Dominic. Bassus *in Semicentur. controvers. canonico-legal. controvers.* 4. Haunold *de J. & J. tr. 5. c. 1. n.* 78. Layman *in Theolog. moral. l. 3. tr. 1. c. 4. n.* 14.

Inventio est occupatio rerum inanimatarum, quæ nullius sunt. Estque vel rerum, quæ nullius unquam fuerunt, vel rerum, quæ fuerunt alicujus, sed esse desierunt.

Ob-

87 Objectum *inventionis rerum, quæ nullius unquam fuerunt*, sunt lapilli, gemmæ, margaritæ, & alia, quæ in litore maris inveniuntur: hæc enim cùm, ut supponitur, nullius unquam fuerint, naturali jure statim primi inventoris fiunt. §. 18. *Instit. de Rer. divis. l.* 3. *ff. de Acquir. rer. dom.* Invenire autem dicitur & inveniendo sibi acquirere, non qui prior videt rem, sed qui prior apprehendit, eo scilicet modo, quo res apprehendi solet. *l.* 1. §. 1 *l.* 3. §. 3. *ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Neque refragatur *d. l.* 1. §. 21. ibi: *non est enim corpore, & actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis & affectu:* siquidem lex hæc loquitur de occupatione rerum, quæ alicujus sunt, & mediante traditione transferuntur in alium. Econtra assertio nostra procedit solùm de occupatione rerum, quæ nullius sunt, ubi verâ aliquâ apprehensione opus est.

Hodie jura hæc plerorumque territoriorum, & rerum publicarum usu terminata sunt aliter, quo lapilli, gemmæ, & similes res, quæ circa litora inveniuntur, regalibus dudum adscripta, prouti refert Hugo Grotius *de Jure bel. & pac. lib.* 6. *c.* 3. *num.* 5. Eckolt. *ad ff. de Acquir. rer. dom.* §. 20.

88 Ad objectum *inventionis rerum, quæ fuerunt alicujus, sed esse desierunt*, pertinent I. res derelictæ. Ut autem res pro derelicta habeatur, exigitur primò, ut quis nolit rem ampliùs esse suam. Deinde, ut eam abjiciat. Unde si quid navis levandæ causâ in mare projectum sit, aut si quid alicui inopinatò de curru cadat, id ejus esse non desinit: & si quis aliquid invenerit in via, vel alio modo publico, non poterit id absque furti suspicione retinere. §. *ult. Inst. de Rer. divis.* In dubio etiam nemo præsumitur rem suam habere pro derelicta. arg. *l.* 1. §. *fin. ff. ad Leg. Rhod.*

II. Ad objectum hujus inventionis per- 89
tinet thesaurus; qui *in l.* 31. §. 1. *ff. de Acquir. rer. dom.* definitur, quòd sit vetus quædam depositio pecuniæ, vel alterius rei mobilis, cujus memoria non extat, ut jam dominum non habeat. Est autem circa inventionem thesauri secernendum jus naturæ à positivo. Jure naturæ thesaurus cedit inventori ubicunque & quomodocunque inventus fuerit: quia thesaurus neque est fructus, neque pars fundi, vel loci inventionis, sed res nullius; quæ verò tales sunt, jure naturæ & Gentium cedunt primò occupanti. §. 12. *Instit. de Rer. divis.* Jure positivo refert, mediis licitis thesaurus quæsitus sit, an illicitis? Quæsitus mediis licitis vel in suo, vel in alieno inventus est. In suo inventus totus est inventoris, etiamsi fur dum primùm emerit sciens in eo latere thesaurum: quia prior dominus fundi, non fuit dominus thesauri latentis, ut qui nec pars, nec fructus loci est, §. 39. *& ibi* Harprecht. *n.* 10. *Inst. de Rer. divis. l.* 67. *ff. de Rei vindic.* Inventus in loco alieno, sive publico sive privato, est vel inventus casu fortuito, vel datâ operâ. Casu fortuito inventus, puta arando, aut fodiendo, dividitur inter inventorem, & dominum loci. *d.* §. 39. Studiô verò & datâ operâ repertus domino loci totus reddi debet. *l. un. C. de Thesauris.* Interim, quia lex hæc quoad restitutionem alterius partis, quæ ob persecutionem de industria factam aufertur, pœnalis est, non obligat inventorem ad ejus restitutionem ante sententiam. Less. *de J. & J. l.* 2. *c.* 5. *dub.* 1. *n.* 59. Quæsitus mediis illicitis, seu artibus magicis totus fisco vindicatur, si in proprio fundo repertus sit. *d. l. un. & ibi* DD. si in alieno, integer pertinet ad dominum loci, nullâ ejus portione fisco vindicatâ, ne dominus ex alieno delicto afficiatur damnô contra *l.* 155. *ff. de*

Hodie in multis Europæ locis Reges & Principes sibi asserunt thesauros vel integros, vel pro parte, ubicunque reperti fuerint, quod licitè ab illis fieri probat Molin. *de J. & J. tr. 2. disp. 56. in fin.* Zoës. *ad ff. de Acquir. rer. dom. n. 31.*

90 *Captivitas seu occupatio bellica* est modus acquirendi dominium rerum, & personarum in bello justo captarum. §. 17. *Instit. de Rer. divis.* Distinguendum tamen est inter res mobiles, & immobiles: hæ enim occupatæ Reipublicæ, aut Principi, cujus auspiciis, & authoritate bellum geritur, acquiruntur, ut sunt urbes, oppida, præsidia &c. *l.* 20 §. 1. *in fin. ff. de Capt. & postlim. l.* 31. *ff. de Jure fisci.* Res mobiles (nisi pretiosiores sint) statim fiunt capientium. *d.* §. 17. *& l* 15. §. *ult. ff. de Acquir. rer. dom.* modò eas in conflictu, vel in continenti occupent: nam quæ devictis & expulsis hostibus reperiuntur, sive mobiles, sive immobiles, juri ac potestati Victoris belligerantis subjiciuntur. Bocer. *tr. de Bello. c.* 15. *n.* 2. *&* 6. Besold. *de Art. juréque bell. c.* 8. *n.* 3. Personas hostiles captas quod attinet, hæ olim capientium servi fiebant, *d.* §. 17. *Inst. de Rer. divis.* generali verò consuetudine inter Christianos recepta non ampliùs servi censentur, & soluto lytro dimittuntur. *Recess. Imper. de Anno* 1570. *a.* 62.

91 De Monasteriis, Ecclesiis, ac bonis Ecclesiasticis ab hoste recuperatis, *quæsîeris*, an reddi debeant illis ordinibus & personis Ecclesiasticis, à quibus ante hostilem invasionem possidebantur? Affirmativam evincunt irrefragabiles textus. Primus est *in c. quæ semel causâ* 19. *q.* 3. ibi: *quæ semel dedicata sunt Monasteria cum consilio Episcoporum, perpetuò debent manere monasteria.* Secundus *in Clem. qui contingit.* 2. *in pr. de* Religios. *domib.* ibi: *ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata Fidelium ad illum debent, non ad alium (salva Sedis Apostolicæ auctoritate) converti.* Tertius *in Trident. sess.* 14. *de Reform. c.* 10. ibi: *Regularia beneficia, in titulum Regularibus professis provideri consueta, cùm per obitum, aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantùm illius Ordinis, & non aliis conferantur.* Quartus habetur *in Synodo* 6. *Romana* ibi: *Valde iniquum, & ingens sacrilegium est, ut quacunque, vel pro remedio peccatorum, vel pro salute, vel requie animarum suarum unusquisque Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus hæc maximè servare convenit, Christianis & DEUM timentibus hominibus, & super omnia à Principibus in aliud transferri, vel converti permittatur.* Adde *l. cùm loca* 36. *ff. de Religios. & sumptib. fun.* ubi dicitur: *cùm loca sacra capta ab hostibus ab hac calamitate fuerint liberata quasi quodam postliminio reversa, pristino statui restituuntur.* Ad hæc *in Constit. Imper. de Anno* 1530. sic statuitur: *Episcopatus, Monasteria, sacra Collegia &c. iis, ad quos de Jure pertinent, restituantur.* Et profectò ipsa ratio naturalis dictat, ut bona per hostilem injuriam Ordini Religioso, aut statui Ecclesiastico ablata denuo restituantur prioribus Dominis, aut eis permittantur, cùm velit jura læsa restaurari, & cuilibet, quod suum est, tribui; manserunt autem similia bona prioris ordinis, aut statûs: quia per injustam vim de jure naturali alteri jus suum auferri non potest. Confer Roman. Hay *in Astro inextincto q.* 1. ubi hoc placitum lcitè & eruditè propugnat. momentis rationum suffulcit, & contra sententium oppositos obices averruncat.

Alluvio nil aliud est; quàm incremen- 92
tum latens, quo fundo nostro motu fluminis ita paulatim aliquid adjicitur, ut non con-

constet, quantum quolibet temporis momento eidem accesserit. §. 20. *Instit. de Rer. divis. l. 7. §. 1. ff. de Acquir. rer. dom.* Censetur itaque incrementum simile ejusdem juris cum principali fundo, cui accedit, ut si fundus sit usufructuarius, incrementum quoque usufructuarium reputetur. *l. 9. §. 4. ff. de Usufr.* Et inde, si fundus sit tributarius, & incrementum credatur duraturum, tributum quoque pro rata potest augeri; si verò fundus sit liber, & à contributionibus immunis, solum incrementum non evadet tributarium. *l. 2. C. de Alluvionib.*

93 *Accretio* sive *coalitio* definitur, quòd sit modus acquirendi, quo notabilis pars prædii alieni vi fluminis prædio nostro adjecta, atque affixa nobis acquiritur. §. 21. *Inst. de Rer. divis. d. l. 7. § 2. ff. de Acquir. rer. dom.* donec perfectè coaluerit, & arbores fortè simul avullæ radices egerint, ea pars adhuc prioris domini manet, ita ut eam & arbores unà advectas tollere liceat, sicut trabes & ligna, quæ violentiâ fluminis in alienum fundum importantur. *l. 9. §. 1. ff. de Damno infecto. l. si quis 4. §. fin. ff. Si certum petatur.* De cætero nec coalitioni, nec alluvioni locus est, quando certis utriusque aggeribus inclusum est flumen: tum namque, quod ultra aggeres accedit arenæ, pro parte fluminis, ejúsdemque juris habetur, cujus est ipsum flumen: quia aggeres efficiunt agros limitatos, qui alluvionem aut coalitionem non recipiunt. *l. 16. ff. de Acquir. rer. dom.*

In *disquisitionem* venit: an per alluvionem, aut coalitionem, detur territorialis jurisdictio? Videtur quòd non: quia jurisdictio non inhæret intrinsecè ipsi rei, seu fundo materialiter accepto, sed fundatur in certo quodam, & determinato spatio, sive deinde illud spatium occupet terra, sive succedat aqua: sive ibi sint agri, sive excrescat sylva. Hoc autem spatium in se, & formaliter acceptum est immutabile, & semper æqualiter extensum, habétque suos certos fines, & terminatur quodammodo in puncto imaginario. Igitur etiam jurisdictionis extensio semper erit æqualis & eadem, licèt subjectum territorium materialiter mutetur, ac consequenter alluvio vel coalitio non erit modus acquirendi jurisdictionem, etsi sit modus acquirendi dominium.

Insulæ productio est modus acquirendi, 94
quo insula in flumine producta ratione vicini prædii nobis acquiritur §. 22. *Instit. de Rer. divis. d. l. 7. §. 3. ff. de Acquir. rer. dom.* Acquiritur verò fluminaris insula ductâ lineâ per medium fluminis pro rata, quà cuique vicino ad ripam prædium possidenti proximè accedit. *l. 29. & l. penult. §. penult. ff. Eod.* dum enim flumen pro rata cuique vicino ad insulam faciendam aliquid detraxisse præsumitur, quid mirum, si pro rata hujus decrementi ex insula iterum fiat compensatio? arg. *l. 1. §. ult. ff. de Aqu. & aqu. pluv. arc.* Modò non sit insula natans & mobilis, quæ publica dicitur *in d l. penult. §. ult.* Imo hodie etiam insulas immobiles in flumine publico natas plerumque fisco cedere, testatur Eckolt *ad ff. d. tit. §. 24.*

Alvei derelictis est modus acquirendi, 95
quo alveus à flumine derelictus iis acquiritur, qui circa flumen prædia possident. *d. l. 7. §. 5. ff. Eod. §. 23. Instit. de Rer. divis.* pro modo scilicet latitudinis cujusque agri, quæ prope ripam sit: cùm & hic tantùm pro rata iis decrevisse præsumat jus. *d. §. 23.* Quòdsi tamen flumen totum alicujus agrum in alveum immutaverit, veterésque domini flumine destituto adhuc appareant, iis restituendum foret, quantùm ex alveo isto antea possedissent. arg. *d. l. 7. §. 5. in*

fin. ff. vix est, ut obtineat. Nullum quippe jus patitur cum alterius damno locupletari. Neque obstat *d.* §. 23. ubi indistinctè contrarium ponitur, alveum nempe cedere propioribus riparum ejus possessoribus: nam textus unus ex alio explicandus, & quidem ita, ut æquitati quàm maximè accedat interpretatio per *l.* 8. *C. de Judiciis.*

96 Per *fœturam* acquiritur nobis id, quod ex animalibus dominio nostro subjectis nascitur §. 19. *Instit. de Rer. divis. l.* 6. *ff. de Acquir. rer. dom.* Quod procedit, licèt animal nostrum ex alieno animali conceperit. *l.* 5. §. 2. *ff. de Rei vindic.* Ratio hujus acquisitionis est, tum quia quælibet res fructificat suo domino: tum quia sicut partus ancillæ, ita etiam fœtus animalis ventrem sequitur.

97 *Perceptio fructuum* est modus acquirendi dominium fructuum ex re aliena bona fide possessa perceptorum §. 35. *Instit. de Rer. divis* Cujus acquisitionis ratio duplex est, una secundaria: nempe cultura & cura rei. *d.* §. 35. Altera principalis: nempe bona fides, utpote quæ facit, ut bonæ fidei possessor pæne pro domino habeatur. *l.* 25. §. 1. *ff. de Usuris. l.* 48. *pr. ff. de Acquir. rer. dom. & l.* 36. *ff. de R. J.* Quos verò fructus bonæ fidei possessor suos faciat, supra *n.* 36. *&* 64. insinuavimus.

98 *Implantatio* dominium plantæ illi tribuit, in cujus solo radices egit. §. 31. *Instit. de Rer. divis. l.* 7. §. 13. *ff. de Acquir. rer. dom.* Hinc si plantes alienam plantam in tuo solo, tua est: si tuam in alieno, illius est, cujus est solum: si tuam in tuo, ita ut radices agat etiam in fundum vicinum, communis erit per *jura citata.* Quod tamen Gregor. Tholosan. *l.* 20. *c.* 9. *Syntagmatum* sic accipit, ut tum arbor communis sit, si non solùm radices in alienum fundum mittantur, sed simul ipse etiam caudex dimidiatus stet in alieno solo: nam si totus caudex meum solum presserit, & tantùm radices agat, & ramos incurvet in alienum, arbor tota mea intelligitur juxta *l. si plures ff. Arbor. furtim cæsar.* Nec fructus in alienum fundum cadentes dominus fundi colligere poterit, vel me prohibere, quo minùs tertio quoque die ad illos colligendos fundum ingrediar. *l.* 1. *ff. de Gland. legend.* Potest tamen dominus fundi interdicto contra me agere, ne habeam arborem radicibus vel ramis sibi nocivam, & si emendare negligam, licet ei ramos usque ad altitudinem 15. pedum circumcidere, & radices in solum ipsius missas succidere, lignúmque tollere. *l.* 1. *ff. de Arborib. cædend.*

Circa *Sationem* est regula, quòd implan- 99
tationem imitetur, ac dominium seminis sati illi conferat, cujus est solum. §. 32. *Instit. de Rerum divis. l.* 9. *pr. ff. de Acquir. rer. dom.*

De *Inædificatione* jura statuunt, omne 100
id, quod solo inædificatur, solo cedere §. 29. *&* 30. *Instit. de Rer. divis.* Ita quidem, ut, si quis in suo solo ex aliena materia ædificaverit, ipsi ædificium jure soli acquiratur, neque stante ædificio dominus tigna sua vindicare, aut ad exhibendum agere possit; quia tamen durum foret, nullam actionem eidem esse proditam, hinc Lex 12. tabb. accommodat illi *actionem de ligno junctо*, quâ is, qui tignum alienum ædibus junxit, convenitur, ut duplum ejus præstet. *d.* §. 29. *l.* 1. *ff. de Tigno junctо.* Ex diverso, si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius fit domus, cujus & solum est; cum hoc solùm discrimine, quòd si quis sciens ædificet in alieno, perdat de juris rigore, & materiam, & operam suam; si verò bonâ fide & ignorans potest repetere impensas, & materiæ suæ æsti-

æstimationem, cùm non conveniat aliquem cum alterius damno locupletari. *d.* §. 30. *l. adeò ff. de Acquir. rer. dom.* Dixi: *de juris rigore*: nam spectatâ æquitate etiam malâ fide ædificans adhuc pretium, & expensas aliquas repetere potest per text. *in l.* 38. *ff. de Petit. hæredit. & l.* 2. *C. de Rei vindic.*

101 *Specificatio* describitur, quòd sit modus acquirendi dominium novæ speciei factæ ex materia vel simpliciter aliena, vel partim propria, partim aliena. §. 25. *Instit. de Rer. divis. d. l.* 7. §. 7. *ff. de Acquir. rer. dom.*

Dicitur I. *novæ speciei.* Ad quam non sufficit quæcunque variatio accidentalis, sed tanta sit, necesse est, ut in commercio humano habeatur pro diversa specie entis, & ob id alio nomine substantivo appelletur: ut si quis ex granis frumenti farinam, ex uvis vinum, ex lana vestimentum faciat; non item si ex spicis excutiat frumentum aut lanam nativam tingat: quia excussio frumenti non facit speciem moraliter novam, sed solùm latentem detegit. *d. l.* 7. §. 7. & tinctura tam parùm mutat speciem lanæ, quàm si in lutum, aut cœnum cecidisset. *l.* 26. §. *ult. ff. Eod.*

Dicitur II. *factæ.* Ubi duo desiderantur: primò ut nova species facta sit nomine proprio. *d. l.* 7. §. 7. *l.* 25. *l.* 27. §. 1. *ff. Eod.* Secundò, ut nova species facta sit bonâ fide, hoc est, cum inculpabili ignorantia, materiam alienam esse: quoniam qui scienter ex aliena materia novam speciem facit, intelligitur domino operam suam donare sine ulla obligatione quidquam refundendi. *l.* 12. §. 3. *ff. Ad exhibend.*

Dicitur III. *Ex materia vel simpliciter aliena, vel partim aliena, partim propria.* Qui ergo ex ejusmodi materia novam speciem bonâ fide, & suo nomine facit, efficitur dominus speciei, sed hoc ita, si species illa ad priorem rudem materiam reduci nequeat: tunc enim ob prævalentiam formæ materia quasi extincta esse censetur, in qua proinde prior dominus nihil juris sibi vendicare potest. Secus est, si species facilè ad materiam suam reduci possit; quo casu tota species pertinet ad dominum materiæ: quia materia intelligitur prævalere formæ, cùm hæc sit tantùm quid accidentale materiæ. *d. l.* 7. §. 7.

Sed quomodo consulitur domino ma- 102
teriæ, si specificator evasit dominus: quomodo specificatori, si alter factus est dominus speciei? R. Si specificator factus est dominus speciei, datur domino actio in factum ad consequendum pretium materiæ. *l.* 23. §. 5. *ff. de Rei vindic.* Quòdsi non evasit dominus, eò quòd malæ fidei specificator sit, datur contra eum actio ad exhibendum. *l.* 12. §. 3. *ff. Ad exhibend.* rei vindicatio. arg. *d. l.* 23. *ff. de Rei vind.* condictio furtiva. *l.* 13. *ff. de Condict. furtiv.* & denique actio furti. *l.* 52. § 14. *ff. de Furtis.* Econtra si dominus materiæ factus est dominus speciei, juvatur specificator exceptione doli, seu retentione speciei, donec solvatur pretium operæ. *d. l.* 23. §. 4. *ff. de Rei vindic.*

Confusio fit, quando duorum materiæ liquidæ, vel liquefactæ sive ejusdem, sive diversi generis permiscentur, ut ab invicem arte humanâ & viâ ordinariâ separari nequeant: ut si vinum miscetur vino, aut melli, vel aurum auro &c. §. 27. *Instit. de Rer. divis.* Et siquidem duorum materiæ ex voluntate dominorum, vel casu fortuito confusæ sint, id corpus commune erit utrique *d.* §. 27. *l.* 7. §. 8. *&* 9. *ff. de Acquir. rer. dom.* Si verò ex unius solùm voluntate ac intentione; tunc si confusio facta est malâ fide, tota massa cedit læso, si-

ne obligatione quidquam refundendi miscenti. arg. *l. 53. ff. de R. J.* si autem bona fide, tum si ex confusione consurgat nova species irreducibilis ad priorem rudem materiam, discurrendum est sicut de specificatione; si non consurgat, inde communio oritur, & communi dividundo judiciô experiri valent recessuri à communione. *l. 3. §. 3. l. 5. §. 1. ff. de Rei vindic.*

103 *Permixtio* fit, quando corpora solida, & quæ etiam post mixturam à se invicem discreta manent, suámque singula speciem retinent, inter se miscentur: ut si frumentum misceatur cum frumento. §. 28. *Instit. de Rer. divis.* Et siquidem permixtio facta est voluntate dominorum, acervus ille fit communis. *d.* §. 28. Si autem casu, vel voluntate unius ex dominis facta sit, communio haud oritur: quia singula corpora in sua substantia durant, hoc est, à se invicem verè separata & discreta manent, etsi discerni nequeat, quæ corpora cuique propria ante commixtionem fuerint. Quilibet ergo retinebit dominium suæ partis, puta, sui frumenti cum alterius frumento permixti: consequenter datur cuilibet actio in rem pro modo, seu quantitate cujusque frumenti. *d. l. 5. princ. ff. de Rei vindic.* Notabile est, quod *l. 78 ff. de Solut. & liberat.* de permixtione pecuniæ statuitur, nimirum, eum qui pecuniam alienam indiscernibiliter miscet cum sua, seu bonâ, seu malâ fide, fieri dominum totius summæ, cum obligatione tamen personali, refundendi alteri pretium æquivalens. Quod specialiter receptum ob quotidianum usum pecuniæ in commerciis, ne ex dominii incertitudine in nummis admissa innumeri contractus fluctuent, præsertim contractus mutui, & emptionis.

104 *Intextura*, quam quidam *accessionem*, *adjunctionem*, *suffulturam*, aut *foturam* vocant, est modus acquirendi dominium rei alienæ junctæ ad rem nostram principalem. *§. 26. Instit. de Rer. divis.* accessorium enim cedit principali, & adjunctum subjecto, esto adjunctum pretiosius sit re, cui junctum est. *l. 19. §. 13. ff. de Auro & argento leg.* Igitur qui statuæ suæ alienum brachium; mensæ alienum pedem; lecto alienum fulcrum; annulo alienam gemmam; vesti alienam purpuram; vehiculo alienam rotam; navi alienam tabulam &c. bonâ, malâve fide jungit, efficitur dominus rei junctæ, cum obligatione tamen refundendi læso pretium suæ materiæ. *d.* §. 26. *& ibi* Vinnius *l. 23. §. 2. ff. de Rei vindic.*

Per *scripturam* acquiritur dominium 105
characterum ei, in cujus materia scribuntur; ac proinde licèt literæ aureæ sint, chartæ tamen, seu membranæ cedunt. §. 33. *Instit. de Rer. divis.* Observant autem communiter DD. *hujus* §. decisionem per consuetudinem immutatam esse, & hodie potiùs chartam scripturæ, quàm econtra scripturam chartæ cedere, quod vel maximè obtinebit, si opus aliquod egregium scriptum, aut literis æneis impressum foret. Mynsing. *add.* §. 33. *n.* 5.

Per *picturam* acquiritur dominium ta- 106
bulæ: qui enim in aliena tabula pingit, & tabulæ, & picturæ dominus erit. *l. 9. §. 2. ff. de Acquir. rer. dom.* §. 34. *Instit. de Rer. divis.* Excipe: nisi tabula sit pretiosior picturâ. *l. 23. §. 3. ff. de Rei vind.* Quòdsi pictura non tabulæ, sed rei immobili v. g. muro sit super inducta, tunc utique pictura suo subjecto cedet, non econtra: quia ejus veluti gratiâ adjecta est, ut ornatior fieret. *l. cùm aurum §. perveniamus ff. de Auro & argent. leg.*

Denique *traditio*, vel potiùs rei traditæ 107
apprehensio est modus acquirendi dominium rei ex justâ causa à domino traditæ, tra-

traditionibus namque, & usu capionibus rerum dominia transferuntur. *l.* 20. *C. de pactis.* Neque tantùm verâ, sed etiam fictâ traditione verum dominium quæritur. *§.* 44. & 45. *Instit. de Rer. divis. l.* 79. *ff. de Solutionib. l.* 74. *ff. de Contrah. empt. l.* 1. *C. de Donation.* Modò quinque concurrant.

108 *Primum* est, ut subsit justa traditonis causa, id est, talis, quæ ex natura sit sufficiens ad transferendum dominium v. g. emptionis, donationis &c. nunquam enim nuda traditio dominium transfert *l.* 31. *ff. de Acquir. rer. dom. l.* 28. *& ibi* DD. *ff. de V.O.* An verò causa, ex qua traditio fit, vera sit, an solùm putativa, nil refert: Unde qui per errorem solvit indebitum, verè transfert dominium in accipientem. *§.* 1. *Instit. quib. mod. re contrah oblig. l. ex his l. dominus ff. de Condict. indeb.*

109 *Secundum*, ut tradens sit dominus habens liberam rerum administrationem. Non pupillus aut minor. *t. t. Instit. Quib. alien. lic. vel non.* Neque non dominus, qui præter facultatem usucapiendi nihil transferret arg. *l. nemo plus ff. de R. J. l. alienatio ff. de Contrah. empt.* Nisi is, qui domiuus non est, rei alienandæ, transferendæque potestatem per mandatum, vel speciale, vel generale cum libera à domino acceperit. *§.* 42. *&* 43. *Instit. de Rer. divis. l.* 9. *§. nihil autem ff. de acquir. rer. dom.*

110 *Tertium* requisitum est voluntas, & consensus tam dantis, quàm accipientis in rem, quæ traditur *l.* 55. *&* 57. *ff. de Obligat. & action. in rem*, inquam, *quæ traditur:* nam cùm in rem, quæ traditur, consentiamus, in causis verò tradendi dissentiamus, adhuc transibit dominium rei traditæ, modò utrinque interveniat causa idonea ad translationem dominii. *l.* 36. *ff. de Acquir. rer. dom.* Cui non est contraria *l.* 18. *ff. de Reb. credit.* quia hæc agit de constituenda obligatione, ad quam omnino consensus requiritur; *d. l.* 36. verò de dissolvenda, ubi consensus adeò necessarius haud est.

Quartum est, ut res tradita sit vacua à 111
possessione alterius. *l.* 8. *C. de Actionib. empt. vend. l.* 2. *§.* 1. *l.* 3. *ff. Eod. l.* 13. *C. de Distract. pignor.* Etenim tunc in potestatem domini rediisse dicendum est, cùm possessionem ejus nactus sit justè, ut avelli non possit. *l.* 4. *§. tunc in potestate ff. de Usucap.* nec videtur possessionem adeptus is, qui ita nactus est, ut eam retinere non possit. *l.* 22. *ff. de Acquir. possess.* Dissentit Jason. *in l.* 22. *n* 20. *C. de Pactis.*

Quintum est, ut traditio facta sit sine conditione tacita vel expressa: omnis enim conditio suspendit, nec ante ejus eventum debetur arg. *l.* 41. *ff. de Condit. & Demonstrat.* Hinc ex emptione, licèt tradiderit, non tamen purè tradidisse præsumitur, nisi vel fides habita appareat de pretio expressa pacti adjectione, determinatione dici solutioni præfixi, admissione fidejussoris &c. vel alia ratione satisfactum sit. arg. *l.* 5. *§.* 1. *ff. de Præscript. verb. §.* 41. *Instit. de Rer. divis.* ideóque, antequam emptor pretium solverit, vel aliô modô satisfecerit, venditor dominus manet, adeò ut rem vindicare possit, & prioribus emptoris creditoribus in ipsa re vendita de jure communi potior sit per *l.* 5. *§.* 17. *ff. de Tributor. act. l.* 16. *ff. de in rem verso.*

Et hi sunt circiter modi naturales acqui- 112
rendi dominium. Modi acquirendi civiles & quibus de jure Civili dominia quæruntur, sunt *præscriptio, donatio mortis causâ, legatum, fideicommissum, & successio* tam *civilis*, quàm *prætoria*, tam *ex testamento* quàm *ab intestato:* de quibus alibi.

§. V.

Subjectum proprietatis, seu dominii est 113
sola natura rationalis. S. Th. 2. 2. q 64. *a.* 1.

Lest.

Less. *de J. & Jl. 2. c. 4. dub. 1.* cum communi. Ratio est: quia ad dominium requiritur facultas disponendi pro libitu. Ergo qui actuum suorum dominus esse potest; nemo autem esi dominus suorum actuum, quàm qui ratione, & libero arbitrio præditus est.

114 *Quæres* I. An amentes & parvuli ante usum rationis dominii sint capaces? quod indubitanter affirmandum: tum per text. *ad Galatas 4. ℣. 5. quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium:* tum ideò, quòd licèt actus dominii requirat usum liberi arbitrii, ad dominium tamen habituale sufficiat potentia liberi arbitrii, tanquam fundamentum, quæ amentibus & parvulis non deest.

115 *Quæres* II. Sítne capax dominii, homo in peccato mortali existens? Negârunt Wicleffus, & Joannes Hus hæretici, qui fundamentum dominii (præsertim jurisdictionis) ponebant charitatem, ac ipsam prædestinationem; quam hæresin, & errorem damnavit consilium Constantiense *sess. 8. & 55.* & satis refellitur ex S. Scriptura, in qua inter Reges ac Principes recensentur etiam peccatores, præcipitúrque, ut eis reddatur honor, obsequium, tributum, ut monet D. Paulus *ad Rom. 13.* D. Petrus *Epist. 1. c. 2.* imò Christus ipse *Matth. 23.* asserit, obediendum esse Scribis & Pharisæis, licet essent peccatores. Et quanta foret rerum confusio, si earum dominia non essent nobis certiùs nota, quàm sit charitas: Molin. *tr. 2. de J. & J. disp. 12.*

116 *Quæres* III. Num duo ejusdem rei dominium simultaneum in solidum habere possint? Non esse possibile tale dominium simultaneum saltem permanens & stabile, perspicuè habetur *in l. 5. §. 15. ff. Commodati* ibi: *duorum in solidum dominium vel possessionem esse non posse.* idque cum Jurisperitis supponunt plerique Theologi. At acerrima hos inter concertatio est, 117 utrùm detur duplex hujusmodi dominium instantaneum, pro instanti, vel puncto alienationis? Affirmativam sustinet Cardinal. de Lugo *disp. 3. de Incarnat. sect. 1. & de Jure & Just. tom. 1. disp. 2. sect. 2.* Negativam strenuè cum communi propugnat Clariss. P. Paulus Mezger *de Natura & objecto justit. c. 5. §. 2. n. 3.* in cujus castra intrepidè transeo.

§. VI.

Materia seu objectum proprietatis, ac 118 dominii sunt res omnes, liberæ hominum dispositioni, & usui subjectæ: mobiles, & immobiles; animatæ, & inanimes; & non tantùm res corporales, sed etiam incorporales per text. *in l. 3. ff. Si usufr. pet. & in l. 15. §. 8. ff. Quod vi, aut clam.*

Dubitatur I. An homo possit habere do- 119 minium in alterum hominem? Affirmo: quia etsi jus naturæ servos nesciverit: *cùm jure naturali omnes liberi nascerentur.* Text. *in l. 4. ff. de J. & J.* nihilominus jure Gentium introductum fuit, ut homini in hominem daretur potestas, & jus servitutis locò beneficii, quod victores præstabant in bello captis, dum eos per humanitatem servarent. Quando autem servitus *in §. 2. Instit. de Jure person.* contra naturam esse perhibetur, id non eo sensu accipiendum est, quasi sit contra jus naturæ positivum, seu contra prohibitionem naturæ, & rectæ rationis: sed quatenus est contra jus naturæ negativum, vel contra primariam naturæ intentionem, ut quæ ex se intendit communem omnium libertatem, tum hominum, tum rerum.

Dubitatur II. An homo sit dominus vitæ, 120 ac membrorum suorum? Negant passim DD. cum S. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. *ad* 1. & 3. probant

bántque *ex Deuteron.* 32. *v.* 39. ubi DEus dicit: *videte, quòd ego sim solus, & non sit alius DEus prater me: Ego occidam, & ego vivere faciam.* & clariùs *ex Sapient.* 16. *v.* 13. *Tu enim es domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis; homo autem occidit per malitiam.* Id ipsum innuit text. *in l.* 13. *ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *quoniam Dominus membrorum suorum nemo videtur.* Accedit ratio naturalis: nam illud, quod prærequiritur ad dominium, non potest cadere sub dominium; sed vita, & membra hominis prærequiruntur ad dominium: pertinent enim ad constitutionem hominis: qui est subjectum dominii: ergo sub dominium hominis non cadunt, sed solius DEI. Attamen, quia DEUS vitæ & membrorum usum homini concedit, illorum usuarius & custos rectè dicitur.

111 *Dubitatur* III. Sítne homo dominus famæ, ac honoris? Negant Sylvester, Cajetanus, & alii, moti hac maximè ratione. Homo non minùs peccat se ipsum diffamando, quàm se occidendo, aut mutilando. Ergo sicut homo non est dominus vitæ, aut membrorum, ita nec est dominus famæ. Unde S. August. relatus *in c.* 10. *causâ* 12. *q.* 1. *Qui fidens conscientia sua negligit* 122 *famam suum, crudelis est.* Verùm verius est, hominem quemlibet (etiam Religiosum) verè esse dominum honoris sui & famæ: tum quia homo propriâ industriâ, virtute, & meritis sibi famam, ut reliqua bona externa, comparat: tum quia potest se ipsum variis casibus diffamare v. g. ad petendum consilium, ad restituendam alteri famam ablatam, ad superbiam reprimendam ac propriam humiliationem: tum quia nonnunquam potest laudabiliter detractori condonare restitutionem famæ, ut advertit S. Th. 2. 2. *q.* 73. *a.* 4. *ad* 1 dicens: *in arbitrio esse detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.* In contrarium adducta ratio id fere solùm probat, quòd homo debeat esse studiosus suæ famæ, nec temerè illam prodigere, & alioquin peccet peccato prodigalitatis, sicut si pecunias prodigè expendat.

§. VII.

Forma proprietatis, seu dominii stat in 123 jure reali, de re aliqua tanquam sua disponendi, nisi lex obstiterit.

§. VIII.

Finis, ob quem rerum dominia introducta sunt, est, ut litium, atque sollicitudinis esset finis; communio namque discordias parit. *l. si non sortem* §. *si certum ff. de Condict. indeb.* 124

§. IX.

Effectus proprietatis, seu dominii est 125 varius. *Primus*, quòd dominus re sua liberè possit uti, vendendo, vel quocunque modo alienando. §. 40. *Instit. de Rer. divis.* quin & abuti. *l.* 55. *ff. de Condit. & demonstrat.* nam suæ rei quisque moderator, & arbiter. *l.* 21. *C. Mandati.* Fallit tamen hæc doctrina, si lex, vel salus populi resistat: expedit enim Rèipublicæ, ne re suâ malè quis abutatur. §. *fin. Instit. de his, qui sui vel alien. jur. sunt. l.* 41. §. 1. *ff. de Legat.* 1.

Secundus, quòd invito auferri nequeat, 126 quod jure quisque tenet. *l. omnes* §. 1. *l. id quod nostrum ff. de R. V.* Idque adeo verum est, ut ne Princeps quidem de plenitudine potestatis alicui rem suam auferre sine justa publicæ utilitatis, vel necessitatis causa possit: cum & Principes justitiæ debitores sint. Harprecht *ad pr. Institut. de Rer. divis. n.* 49. Imò ut domino pro conservandis rebus, patrimonióque proprio defendendo, si res aliter ab invasione, furto, aut rapina defendere nequeat, inva-

sorem occidere liceat. P. Engel *ad Tit. de Homicidio n.* 22.

127 *Tertius* effectus est, quòd res pereat suo domino. De quo DD. *in §. fin. Inst. it. quib. mod. re contrah. oblig.* Hoc tamen universaliter non procedit: periculum enim rei emptæ pertinet ad emptorem tantùm, non ad venditorem. *l. id, quod nostrum ff. de Periculo & commodo rei vend.*

128 *Quartus*, quòd dominus in rebus suis omnibus creditoribus præferatur. De quo Gail. 2. *observ.* 15.

129 *Quintus*, quòd si utraque pars in possessorio pares probationes habeat, & ejusdem temporis paritas detur, ea pars vincat quæ dominium & titulum probat: nam possessio titulata magis justificatur per viam rationis. *c. licèt causam & ibi* Panor. *de Probat.*

130 *Sextus*, & palmaris dominii effectus est in rem actio, seu judicium petitorium, quo dominus amissa possessione rem suam vindicare potest. *l.* 23. *ff. de Rei vindic. l.* 25. *ff. de O. & A.* Sed huic, & aliis effectibus diutiùs immorari, nunc non vacat.

TITULUS XIII.

De Restitutione spoliatorum.

SUMMARIA.

1. Restitutionis spoliatorum definitio. 2. species. 3. & causa, ex qua descendit.
4. 5. 6. Quibus. 7. 8. 9. adversus quos. 10. 11. & quarum rerum nomine detur hæc restitutio?
12. 13. Qua probanda sint, ut indulgeatur?
14. usque 20. Spoliatus regulariter ante omnia est restituendus.
20. 21. Spoliato una cum re etiam fructus sunt restituendi.

AD causam possessionis, de qua *Tit. præcedenti* disputavimus, pertinet *Restitutio spolitorum*, de qua in præsenti.

§. I.

Definitur restitutio spoliatorum, quòd sit remedium recuperandæ possessionis, quô agitur, ut ante omnia pristina possessio rei spoliatæ cum omni causa restituatur.

§. II.

Dividitur in tres species. *Prima* dicitur *interdictum: unde vi:* à verbis initialibus edicti prætorii, quo is, qui vi dejectus est de possessione rerum immobilium agit contra spoliatorem ipsum ad possessionem interversam recuperandam. *l.* 1. *l.* 7. *ff. de Vi & vi arm.* Ratione rerum mobilium non competit hoc interdictum, sed actio vi bonorum raptorum, vel furti, vel ad exhibendum. *d. l.* 1. *§ illud* 6. *l.* 3. §. 15. *ff. Eod. tit.* *Altera* species est *condictio*, seu remedium ex *c. sæpe contingit* 18. *h. t.* quod simile *interdicto unde vi*, & supplet, quod in illo deficit: eo enim spoliatus potest convenire non tantùm ipsum spoliatorem, sed quemcunque possessorem rei spoliatæ, spoliationis conscium, sive immediatè à spoliatore, sive mediatè etiam à possessore bonæ fidei intermedio spolium acceperit. *Tertia* appellatur remedium *redintegranda ex c. redintegranda causâ* 3. *q.* 1. quod cæteris est plenius, ac cum aliis concurrit; datur enim cuivis, qui de re aliqua, seu mobili, seu immobili vi dejectus est, vel quovis modo sine justa causa spoliatus, sine ulla temporis præfinitione, adversus quemlibet possessorem etiam bonæ fidei. P. Henricus Wagnereck *ad c. 1. h. t.*

§. III.

Causa efficiens restitutionis spoliatorum est vel proxima, vel remota. *Proxima* est obligatio; *Remota* delictum, puta, spolium, quod est privatio possessionis vel quasi rei alicujus, aut juris vi aut dolô malô alterius, vel inutili judicis sententiâ facta. Itaque si judex prorsus sit incompetens, aut, si com-

competens est, procedat ex abrupto, absque partis citatione, ac causæ cognitione, & aliquem possessione rei suæ spoliet, aut privet, is ante omnia, perinde atque si à privato spoliatus esset, plenè restitui debet. *c. 7. h. t. c. 22. de Offic. deleg. l. 6. C. Unde vi.* in qua ratio redditur: *ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur.* Accedit, quòd judex incompetens, vel extrajudicialiter procedens privatus censeatur, & impunè ei resisti possit. *l. 5. C. de Jure fisci. l. 43. C. de Decurionib.* Gail. 2. *observ.* 74. *n.* 10. Aliæ nullitates, vel injustitiæ non sunt emendandæ hoc remedio, sed coram ipso judice nullitatem opponendo, vel coram superiore, ad eum appellando. Et ita intelligendi sunt text. *in c. notum* 10. *causâ* 2. *q.* 1. *& c.* 3 *causâ* 7. *q.* 1. ut docet Covarr. *Practic. quæst. c.* 23. *n. ult.* & Mascard. *de Probat. conclus.* 1325.

§. IV.

4 *Subjectum* restitutionis spoliatorum est duplex: activum, & passivum.

Subjectum activum est is, cui competit. Competit autem spoliato, hoc est, ei, qui vi, vel clam è quacunque possessione rei alicujus corporalis, vel incorporalis, veluti beneficii Ecclesiastici, aut alterius juris injustè, vel indebitè dejectus, aut eâ privatus est. *c.* 1. 2. 3. *& 4. causâ* 3. *q.* 1. *c.* 18. *h. t. l.* 1. *§.* 9. *& 24. ff. de Vi & vi arm.* Neque hîc attenditur sive spoliatus civiliter sive naturaliter. *d. l.* 1. *§.* 9. sive per se, sive per alium *d. l.* 1. *§.* 11. *&* 22. sive justè, sive injustè possederit: quia & prædoni spoliato hoc remedio succurritur. *d. l.* 1. *§.* 30. *l.* 12. *ff. Eod.* Ut enim servetur quies Reipublicæ, non licet privatâ authoritate alium, quamvis is sit dejiciens, & prædo, de possessione dejicere, & respoliare; nisi dejecto in continenti fiat, hoc est, priusquam ad alios actus extraneos progressum sit, etiamsi aliquid temporis interceserit. *l.* 3. *§.* 9. *l.* 17. *ff. Eod. c.* 12. *h. t.*

Porro nudo detentatori, seu ei, qui alii 5
tantùm, non sibi possidet, non conceditur judicium possessorium recuperandæ, seu restitutio spoliatorum: cùm enim privatio supponat habitum, necesse est, in possessione fuisse eum, qui spoliatum se queritur. Ideóque non competit Depositario, & Commodatario; item Conductori & Colono *d. l.* 1. *§.* 10. *&* 22. *l.* 20. *ff. Eod.* sed his dejectis datur Domino, cujus nomine possident. *d. l.* 20. Neque obstat *l. colonus* 12. *& l. cùm fundum* 18. *ff. Eod.* ubi docetur, colono interdictum unde vi competere: nam ibi colonus possidebat, & nudum tantùm colonum se esse negabat: cùm enim emptorem fundi, quem dominus in possessionem miserat, expulerit, dominum quodammodo dejecit, & consequenter cœpit possidere nomine proprio, hinc tanquam violento possessori attributum est hoc interdictum adversus eum, qui ipsum dejecit. Zoës. *ad ff. de Vi & vi arm. n.* 5.

Excipe usuarium, & usufructuarium, quorum detentio hoc speciale habet, quòd fictione juris in ordine ad interdicta *unde vi* & *uti possidetis* imitetur possessionem veram, ut quibûs rei fructuariæ, & usuariæ nomine experiri possunt, ac si illam verè possiderent. *l.* 3. *§.* 16. *&* 17. *ff. Eod. l. fin. ff. Uti possidetis.*

Controvertitur: an spoliatorum restitu- 6
tio detur prædoni notorio, si ex actis, claris documentis, vel confessione partis indisputabiliter constet, respoliantem verum fuisse & esse dominum? Affirmantium sententiæ adstipulatur Fachinæus *Controvers. l.* 8. *c.* 16. inductus primò. *c.* 5. *h. t.* ubi indistinctè prædo ante omnia restituendus dicitur. Secundò *l.* 7. *C. Unde vi* juxta quam talis dominus vi invadens amittit rei illius do-

minium. Tertiò *l.4. §. si dominus ff. de Usucap.* quæ ait: *si dominus fundi possessorem vi dejecerit: Cassius ait, non videri in potestatem ejus rediisse, quoniam interdicto unde vi restituturus sit possessionem.* Postremò *c. porro de Divortiis.* ubi S. Pontifex respondit, uxorem à viro dimissam absque Ecclesiæ judicio propter affinitatem notoriam restituendam esse. Sed quidquid sit, affirmativa juri & æquitati magis congrua videtur; imprimis per *c. fin. h.t. in 6.* ubi possessor spoliatus ab eo, pro quo est jus commune, nequaquam dicitur esse restituendus. Ergo neque spoliatus à notorio domino. Deinde per *l. 31. ff. Depositi,* quæ vult dominum rei depositæ concurrentem cum fure deponente, deponenti præferendum esse. Ergo idem hic. Accedit ratio, quòd si constet de jure proprietatis, non sit attendenda causa possessionis: frustraneum enim foret concedere restitutionem prædoni contra dominum, cui mox eam restituere cogeretur. *c. 6. de Causa possess. & propriet.* Nec infringunt hanc sententiam textus in contrarium adducti. Nam, quod attinet *d.c. 5. h.t.* id directè accipitur de casu, quo non concurrit dominus cum notorio prædone: & licèt indistinctè loquatur, ratio tamen subest aliud juris postulans in domino, quàm non domino, scilicet, quòd possessio cedat proprietati, si de hac constat *d.c. 6.* Similiter & *d.l.7. C. Unde vi.* non loquitur de notorio prædone, ut patet ex eo, quòd dominus ibi privetur dominio rei suæ, idque spoliato addicatur; quis autem crediderit Imperatorem prædonem voluisse præmio afficere, qui pœnâ dignus? Sed nec *d. l. 4. §. si dominus.* agit de notorio prædone, cùm faciat mentionem possessoris, qui in dubio potiùs censendus justus, quàm injustus. Ad *c. porro de Divortiis.* respondet Zoësius *h.t. n. 13.* ibi agi de dissolvendo vinculo matrimonii, ad quod nullum notorium sufficit, ne quid temerè fiat, sed exspectandum est judicium Ecclesiæ; ut rectè ibi temerè dimissam recipere cogatur maritus, & superinductam dimittere; idque tantùm quoad cohabitationem & similia, quæ peccati nihil involvunt, non etiam quoad opus carnis: quia peccatum poneret ejus restitutio in scientè impedimentum, quem nequaquam excusaret jussus judicis. *c. 13. h.t.*

Subjectum passivum, restitutionis spoliatorum, est is, adversus quem datur. Datur autem de Jure Civili solùm adversus spoliatorem, qui de possessione rei immobilis alium dejecit, vel mandavit dejectionem, vel suo nomine factam ratam habuit. *l.1. §. 12. & 14. ff. de Vi & vi armata.* non verò adversus alios spolii detentores. *l.7. ff. Eodem.* neque adversus hæredes spoliatoris; nisi in tantum, quantùm ad eos pervenit. *d.l.1. §. ult. l.2. l.3. §. ult. ff. Eod. l.2. C. Unde vi.* ita quidem ut, si plures hæredes sint, unusquisque non in amplius, quàm ad eum pervenerit, teneatur. Qua de causa interdum in solidum tenebitur is, ad quem totum pervenerit, quamvis ex parte hæres sit. Text. in *l.9. princ. ff. de Vi, & vi arm.* Menoch. *de Recuper. remed. 1. n.157.*

Jure Canonico restitutio spoliatorum competit quoque contra tertium possessorem malæ fidei. *c. sæpe 18. h.t.* ibi: *non obstante juris civilis rigore sanximus, ut si quis de cætero rem talem scienter receperit, cùm spoliatori quasi succedat in vitium: eò quid non multùm interfit quoad animæ periculum, injustè detinere, ac invadere alienum: contra possessorem, & hujusmodi spoliato per beneficium restitutionis succurratur.* Imò ex *c. redintegranda causa 3. q.1.* non improbabiliter hæc restitutio datur adversus quemlibet rei spoliatæ possessorem, sive

sive malæ, sive bonæ fidei sit: competit enim *remedium redintegrandæ* in rem ipsam, sicut actio quod metûs causâ: & durum foret, spoliatum nullo remedio possessorio competente ad rei vindicationem adstringere, quæ difficiles probationes habet. Panorm. *in c.* 15. *n.* 26. *h. t.* ubi testatur, ab hac sententia tanquam communi & vera non esse recedendum. Et licèt *d. c. redintegranda.* speciatim agat de Episcopis, usus tamen & paritas rationis extendit ad omnes spoliatos. Mynsing. *cent.* 3. *obsrv.* 85.

9 Planè interdictum unde vi, quia attrocitatem facinoris in se habet, & opinionem gravat, nec à liberto contra patronum, nec contra parentes à liberis intentari potest, sed in vicem illius datur actio in factum, quâ filius à parente, libertus à patrono, quæ sibi vi erepta sunt, & damna illata repetit. Aliter atque si vi armatâ usus sit adversus libertum patronus, vel adversus liberos pater: nam hic interdictum competit. Text. in *l.* 1. §. 43. *ff. de Vi & vi armat.* Consimili ratione hoc interdictum denegatur vasallo contra dominum; quem dum vasallus ut spoliatorem convenit, salvâ illius reverentiâ, in eum actionem dirigere & actionem famosam honestis verbis temperare debet. *Tit.* 22. §. *si verò Feud.* 2. Panorm. *in c. caterùm sub n.* 15. *de Judiciis.* Zasius *in Epitome feud. p.* 11. *n.* 23.

§. V.

10 *Materia*, seu *objectum* restitutionis spoliatorum sunt res, quarum nomine competit. Competit autem potissimùm pro recuperanda possessione rerum immobilium, ut fundi, vel ædium. §. 6. *Instit. de Interdict.* vel quasi possessione rerum ac jurium incorporalium. v. g. juris eligendi, decimandi, venandi, aut piscandi; item beneficiorum, servitutum, reddituum, pensionum, jurisdictionum &c. hæc enim in præsenti nomine rerum immobilium comprehenduntur. Ideóque si quis vi hîsce uti prohibeatur, ille *utili* saltem *interdicto Unde vi* restituitur *c.* 3. *&* 4. *de Causa possess. & proprict. c.* 2. 5. 7. 17. *& ult. h. t. c.* 2. *Eod. in* 6. *l.* 3. §. 13. *& seqq. ff. de Vi & vi arm.* Bald, *consil.* 425. *vol.* 3.

Dubium est: an hæc restitutio conceda- 11
tur etiam pro recuperanda possessione rerum mobilium? Exploratum est pro rebus mobilibus non concedi *interdictum unde vi*, nisi quatenus cum re immobili etiam mobiles sint ablatæ propter odium violentiæ. *d. l.* 1. §. 32. *l.* 3. §. 15. *ff. Eod.* Attamen *remedium retintegrandæ*, absolutè æquè pro mobilibus ac immobilibus competere autumat Menoch. *de Recup. possess. remed.* 15. *n.* 193. persuasus verbis *c. redintegrandæ causâ* 3. *q.* 1. ibi: *retintegrandæ sunt omnia;* quæ dictio *omnia* universalis est, & complectitur tam mobilia, quàm immobilia, ut docuit Dec. *in l. omnian.* 1. *ff. de Reb. cred.* Dissentit Gonzal. *in c.* 7. *n.* 6. *h. t.*

§. VI.

Forma restitutionis spoliatorum stat in 12
modo eam deducendi in judicium. Ubi duo principaliter spoliato probanda sunt I. quòd tempore factæ spoliationis fuerit in rei possessione, vel quasi *c.* 14. *h. t.* quoniam si nulla adest possessio, non potest considerari vera spoliatio. II. quòd spoliatus sit, eique res possessa mobilis, vel immobilis violenter & injuriosè erepta fuerit. Enimvero si quis jure, aut volens, licèt metu perculsus, re suâ cedat, ac privetur, non committitur spolium, neque in judicio actione spolii restituetur: cùm non possit dari restitutio, ubi nulla præcessit spoliatio. *c.* 2. *h. t. l.* 1. §. 3. *l.* 5. *ff. de Vi & vi arm.*

13 Illud hìc *indagandum*: num ultra poſſeſſionem & ſpoliationem quoque titulum poſſidendi probare neceſſe ſit? Affirmo, ſi absque titulo rei poſſeſſio obtineri nequeat. Hinc ſi laico vi eripiatur beneficium Eccleſiaſticum, vel jus decimandi, is non reſtituitur, niſi titulum conceſſionis, ſeu privilegii oſtenderit, ut ſine quo jura ſpiritualia poſſidere non poteſt. *c. 7. de Præſcript.* Menoch. *ubi ſupra n.* 434. Similiter, ſi conjunx ſpolietur conjuge, ſpoliatus non aliter reſtituitur, quàm ſi titulum, id eſt, præcedens matrimonium docuerit: eò quòd hominis liberi non detur poſſeſſio, niſi jus in eum, vel perſonalis obligatio ex præcedente aliquo titulo acquiratur, ut quia juſtò bellò captus eſt, vel emptus ab aliquo, aut quia matrimonii vinculò, vel Ordinis profeſſione voluntariè eſt adſtrictus *c. 8. & 14. h. t.* junctâ *l. 23. §. ult. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Pirhing *h. t. n.* 8. Nego tituli probationem eſſe neceſſariam, ſi ſine titulo rei poſſeſſio dari queat: quia juxta *c. 5. h. t.* etiam prædo ſpoliatus, qui utique juſtum titulum non habet, reſtituendus eſt: idque ideo, quòd hæc reſtitutio non detur propter bonam fidem ſpoliati, ſed propter bonum Reipublicæ, & odium ſpoliatoris. Nec officit *c. 2. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. proponit, Canonicos à Parocho decimis intra fines ſuæ parochiæ perceptis ſpoliatos reſtituendos non eſſe, antequam conſtiterit, eos legitimè, & cum juſto titulo poſſeſſionem acquiſiiſſe: loquitur enim de caſu, quo Canonici *aliquandiu*, id eſt, per breve tempus decimas poſſederant, ita ut propterea præſumptio fuerit contra ipſam eorum poſſeſſionem: ſiquidem poſſeſſio jurium incorporalium duplici fundamento nititur, nempe titulò conceſſionis, ſeu privilegii, aut juſtâ ignorantiâ exiſtimantis jus illud ad ſe pertinere; quæ juſta ignorantia dari non poteſt in percipientibus *aliquandiu*, & modico tempore decimas in aliena parochia, cùm hujusmodi perceptioni reſiſtat jus, & contra jus expreſſum non detur ignorantia. *c. 1. de Poſtulat. Prælat.* P. Engl *h. t. n.* 17. Layman. *ad d. c. 2. n.* 2.

§. VII.

Finis, ob quem reſtitutio ſpoliatorum introducta, eſt, ut ſpoliantium audacia coërceatur; unde ſui origine odioſam potiùs, quàm favorabilem eſſe, & conſequenter ad caſus non expreſſos non extendi, contendit Menoch. *de Recup. poſſeſſ. remed. 1. q. 1.* Puto tamen remedium ex *c. redintegranda.* eſſe favorabile: quia juxta communiorem extenſionem recipit, ut cùm loquatur de ſpoliatis rebus Eccleſiæ, extendatur ad ſpoliatos rebus profanis.

§. VIII.

Effectus hujus reſtitutionis ſunt duo: *Primus*, quòd ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, ita ut antea non audiatur ſpoliator, etiamſi in contenti probare velit, dominium ſibi competere. *c. 1. & 3. cauſa 3. q. 1. c. 1. & 5. h. t. l. 7. C. Ad leg. Jul. de Vi publ.* Gail. 2. *obſerv.* 75. *n.* 2. Nec immeritò: natura quippe dictat, ut ſpoliator patiatur legem, quam ipſe tulit: & cùm ipſe ſpoliaverit juris ordine non ſervato, ſic etiam non diſcuſſo jure ſuo reſtituatur ſpoliatus, arg. *l. 1. ff. Quod quiſque jur. in.*

Sed tamen inficias non ierim, plures caſus eſſe, quibus ſpoliatus non eſt ante omnia reſtituendus. Sic I. cum conſenſu expreſſo vel tacito ſpoliati ante reſtitutionem factam poteſt cognoſci de exceptione dominii, & proprietatis: poteſt enim ſpoliatus jure ſuo cedere. *c. 1. h. t.* II. non reſtituitur is, qui dominio, aut juri ſuo renuntiavit, eóque poſtmodum ſpoliatus eſt: quia renuntiando amittitur proprietas, & poſſeſſio.

sessio. Ita Restitutio denegatur Clerico, qui ante spoliationem sponte beneficio renuntiavit, *c.* 3. *h. t.* Secus est, si primùm post spoliationem facta sit resignatio: tunc namque vi, vel metu facta præsumitur. *c.* 2. *eod.*

17 III. Spoliati restitutio differtur, quando agitur de peccato, animæque periculo: hinc, si agenti possessorio recuperandæ uxoris, ea objiciat exceptionem consanguinitatis, præcipuè in gradibus Divinâ lege prohibitis, ejúsve promptam offerat probationem, restitui quidem debet ad obsequia domestica, & onera matrimonii, non autem ad thorum ante litem decisam. *c.* 13. *h. t.* Quòdsi non sint paratæ probationes, plena restitutio fiet, maximè si consummatum fuerit matrimonium, *c.* 10. *Eod.* Conscia tamen impedimenti debitum reddere non potest, licèt per excommunicationem, aliásque pœnas ad id compellatur. *c. Inquisitioni* 44. *de Sentent. excomm.* IV. denegatur hæc restitutio, quando eâ factâ magnum & irreparabile damnum, aut scandalum consequeretur, & ita v. g. uxor sævienti marito non est restituenda, nisi præstitâ sufficienti cautione. *c.* 8. *&* *c.* 13. *h. t.* casu quo sufficiens uxori securitas præstari nequeat, ex recepta in praxi sententia uxor potest petere à marito, ut extra domum illius alatur. Gutierez *Can. qq. l.* 1. *c.* 24.

18 V. Impeditur restitutio, si pendente quæstiones spolii tertius aliquis pro suo interesse interveniat, atque in re spoliata dominium, vel aliud jus prætendat: talis enim ante restitutionem audiendus erit, eò quòd respectu ejus cesset odium spoliationis, & consequenter etiam illa dispositio juris, quòd spoliatus ante omnia sit restituendus per *c.* 17. *de Sentent. & rejud. l.* 63. *ff. de Re judic.* IV. Rerum privatarum spoliatio agenti super rebus Ecclesiasticis, vel è contrario nullatenus opponi potest. *c.* 1. *in fin. h. t. in* 6. Intellige, si spoliatio ab eo, qui nomine, & pro rebus Ecclesiæ agit, tanquam à privato, & ad propriam utilitatem commissa sit, ita ut ex spoliatione nihil ad Ecclesiam pervenerit. Aliud dicendum, si cui res vi nomine Ecclesiæ eripiantur, & ereptæ ad ipsam Ecclesiam perveniant: tunc enim ipsa Ecclesia tenebitur interdicto unde vi juxta *c.* 2. *de Ordin. cognit.* ubi contra Abbatem, qui egerat judiciô recuperandæ ad restitutionem rerum ipsius Monasterii, admissa fuit exceptio spolii, quod is tanquam Prælatus ipsius Monasterii admisit, & è quo res ablatæ ad Monasterium pervenerunt. Gonzalez *in d. c.* 2. *n.* 25.

19 VII. Hanc restitutionem remoratur exceptio, quâ reus conventus concludit, spoliatum possidere nec potuisse, nec posse, per ea, quæ tradit Menoch. *de Recup. possess. d. remed.* 15 *num.* 433. & nos *supra num.* 13.

VIII. demum restitutioni locus non est, si vel ex spoliati confessione, vel ex actis, instrumentis, vel aliunde notorium sit, spoliato jus nullum competere, sed spoliatori ut claret ex dictis. *n.* 6. *h. t.*

20 *Alter* effectus restitutionis spoliatorum est, quòd una cum re etiam omnes fructus, & omne interesse spoliato restitui debeant. *c.* 11. *h. t. l.* 68. *ff. de Rei vindic.* ut tantum restitutio relarciat, quantùm abstulit spoliario. *l.* 5. *ff. Eod.* Quare & omnium rerum mobilium, quæ in fundo tempore dejectionis extabant, deperditarum æstimatio restituenda, *l.* 1. *§.* 34 *ff. de Vi & vi arm. l.* 8. *ff. de Condict. furtiv.* & cùm violentus raptor & invasor furi æquiparetur, dicerem, quòd si res surrepta periêrit, adhuc teneri invasorem, etiamsi eodem modo apud primum possessorem peritura fuisset. *d. l.* 1. *§.* 35. *& l. pen. ff. Eod. l.* 9. *C. de Furtis.* Zasius

21 sius *in l. 5. n. 27. ff. de Reb. credit.* Imò qui alienam possessionem violenter invasit, rei quoque æstimationem præstare cogitur aut si dominus est, dominiô cadit. *l. si quis in tantam 7. C. unde vi.* Quæ pœna etiam obtinet de Jure Canonico. *c. placuit causâ 16. q. 6.* arg. *c. 1. de N. O. N.* quanquam defacto vix ampliùs videatur esse in usu. Giphan. ad *l. 5. in fin. C. unde vi.* P. Engl. *h. t. n.* 14. contra Menoch. *de Recup. possess. remed. 9. n. 7. & 8.* Treutler *p. 2. disp. 25. th. ult. lit. C.*

TITULUS XIV.

De Dolo, & contumacia.

SOlet interdum spoliator subterfugere judicium per *dolum, aut contumaciam*, ita ut spoliatus nequeat restitutionem rei consequi; ideo hæc *rubrica* priori subjungitur.

Pars I.

De Dolo.

SUMMARIA.

1. Definitio. 2. usque 6. & divisio doli.
6. Quæ causa efficiens. 7. Quod objectum. 8. quæ forma doli?
9. usque 19. Quid dolus operetur in contractibus?
19. Lata culpa æquiparatur dolo.

§. I.

1 *Definitur* dolus, quòd sit machinatio quædam, cùm aliud agitur, aliud simulatur. *l. 1. ff. de Dolo malo.*

§. II.

2 *Dividitur* variè. I. in bonum & malum. Dolus bonus est solertia laudabilis adhibita ad tuendum se & sua, vel alios, & aliena: non ad nocendum alteri. Malus est calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, ac decipiendum alterum adhibita. *d. l. 1. §. 2. in fin.* vel breviùs: est dolus, quo quis alterum malitiosè decipit.

II. Dolus malus subdividitur in verum formalem, seu ex proposito, & in materialem. Formalis est, qui procedit ex proposito fallendi alterum, hoc est, quando datâ operâ sciens volens alterum quis decipit. Materialis, sive re ipsa est, cùm quis sine animo alterum defraudandi nihilominus circa contractum graviter lædit alterum, veluti si bona fide alteri vitrum pro gemma vendas.

III. Dividitur in substantialem & accidentalem. Substantialis est, qui decipit, & versatur circa ipsam substantiam contractûs: seu qui habet adjunctum errorem substantialem; ut si dolosè tibi vendam vitrum pro gemma, stagnum pro argento &c. Accidentalis, qui decipit, & versatur circa accidentalia, seu circa aliquam qualitatem v. g. circa venustatem, bonitatem, valorem; veluti si vendas vitrum Bohemicum pro Veneto, Vinum Austriacum novum pro vetere.

IV. Dividitur, quòd alius sit dolus dans causam contractui, alius incidens. Ille est, qui movet ad contractum, quo præscito contractus non fieret. Explicatiùs: dolus dat causam contractui, quando alter non contraxisset, si dolus non interveniisset. Dolus incidens est, quô præscitô contractus nihilominus fieret, sed non hoc modo. Explicatiùs: dolus incidit in contractum, quando alter contraxisset quidem, si dolus non interveniisset, sed non tantô pretiô; veluti si fundum cariùs emerem, quia venditor dixit esse, valde fertilem, empturus tamen, licèt sciviſſem, esse sterilem. Illum Theologi dolum *antecedentem*, hunc *concomitantem* indigitant.

§. III.

6 *Causa efficiens* est conatus animi, ac solertia, quâ simulatur verum, aut dissimulatur falsum. *d. l. 1. §. 2.*

§. IV.

§. IV.

7 *Materia seu objectum* doli est negotium, in quo committitur. Committitur autem vel in contractu, vel extra contractum. Si in contractu aut bonæ fidei, aut stricti juris committatur, quid Juris sit? paulò pòst dicemus. Si contingat extra contractum, tunc distinguitur in varia maleficia, quæ sua nomina, & actiones habent tum civiles, tum criminales, ut sunt furtum, rapina, injuria &c. ideóque cessat actio extraordinaria de dolo. Schambogen *ad instit. de Actionib.* §. 31. Oldendorp. *disp.* 6. *act* 12.

§. V.

8 *Forma* doli spectatur in modo eum committendi, & quidem triplici: committitur, enim vel per *calliditatem*, tacendo, & dissimulando; vel per *fallaciam*, decipiendo, mentiendo, & asserendo falsum; vel per *machinationem*, utendò fuco, & arte verborum. *c.* 4. *causâ* 22. *q.* 2. *c.* 9. *causâ* 22. *q.* 5. *d. l.* 1. §. 2. *in fin.*

§. VI.

9 *Effectus* sunt diversa remedia adversus dolum prodita, videlicet nullitas actûs, restitutio ex *l.* 2. *C. de Rescind. vend.* actio de dolo, & exceptio doli. Pro pleniori intellectu.

10 *Dico* I. Dolus bonus relinquit contractum omni jure validum: quippe qui omni jure licitus est in bello & toga, in publicis & privatis; cùm sit pars prudentiæ S. Th. 2. 2. *q.* 55. *a.* 4. *ad* 1. Apostol. 2. *ad Cor.* 12. ℣. 16. ubi de se asserit: *cùm essem astutus, dolo vos cœpi.* & colligitur satis *ex c.* 21. *causâ* 22. *q.* 2. *c.* 2. *causâ* 23. *q.* 2. *l.* 1. §. 3. *ff. de Dolo malo. l.* 26. *ff. de Captiv. & postlim. l.* 77. §. 31. *ff. de Legat.* 2.

11 *Dico* II. Dolus malus ex re ipsa, seu materialis non irritat contractum, facit tamen locum restitutioni, non prætoriæ, sed civili *ex l.* 2. *C. de Rescind. vend.* modò alter ultra dimidium lædatur. Si infra, aut usque ad dimidium lædatur, de Jure civili læso non suppetit remedium; de Jure Canonico verò per viam denuntiationis Evangelicæ poterit adire Judicem Ecclesiasticum, ut qui toties jurisdictionem habet etiam in Laicos fundatam, quoties de peccato agitur & negotium directò concernit animam. *c.* 13. *de Judiciis.* Fachin. 2. *controvers. c.* 25. ℣. *est etiam controversia.* Interim, si læsio non sit valde excessiva, vel sit altioris indaginis, vel timeantur aliæ incommodationes, pars à Judice Ecclesiastico repelli potest: quia *non quidquid Judicis potestati permittitur, juris necessitati subjicitur. l.* 40. *ff. de Judiciis.* & ratio publicæ utilitatis, quæ stat in amputatione litium, privato alicujus commodo est præferenda.

Dico III. Dolus substantialis, undecunque venerit, reddit contractum omni Jure nullum: quia cùm ejusmodi dolus semper sibi annexum habeat errorem substantialem, & errantis in substantia nullus sit consensus, tollit consensum essentialiter requisitum ad valorem contractûs per *l.* 15. *ff. de Jurisdict. l.* 9. *C. de Juris & facti ignor.* 12

Dico IV. Dolus accidentalis, sive antecedens, sive concomitans, nullum contractum irritat de jure naturæ: quia contractus jure naturæ valorem suum sortitur ex consensu; dolus autem accidentalis non excludit consensum circa substantiam, hòc ipsò, quòd tantùm versetur circa accidentalia, quibus non est allegata intentio contrahentium. Dissentit Bald. *in c.* 1. *de plùs petit.* putátque, dolum dantem causam contractui cuicunque reddere eundem jure naturæ irritum ex defectu sufficientis consensûs. 13

Dico V. Si dolus accidentalis incidit in contractum, contractus tam bonæ fidei, quàm stricti juris valet etiam Jure positivo. 14

arg. *l. 9. pr. ff. de Dolomalo. l.* 13. §. 4. *& 5. ff. de Action. empt. vend.* Ratio est: quia hic dolus relinquit absolutum consensum circa materiam principalem, nec causa contractûs dici potest.

15 *Dico* VI. Neque dolus accidentalis dans causam contractui, sive stricti Juris, sive bonæ fidei, reddit illum irritum de jure positivo. Probatur luculenter quoad contractus stricti juris ex §. 1. *Instit. de Except. l.* 36. *ff. de Verb. oblig. l.* 5. *C. de Inutil. stip.* quoad contractus bonæ fidei *ex l.* 11. *§.* 5. *ff. de Action. empt. l.* 5. *C. de Rescind vend.* In illis namque locis contractus stricti juris, in istis contractus bonæ fidei, quibus dolus causam dedit, rescindi jubentur, certissimô argumentô, tales contractus non ipso jure esse irritos, sed irritabiles, quod enim nullum est, tescindi non potest arg. *l.* 1. *ff. de Injusto, rupto, irrito. &c.* Confirmatur. Quandocunque jus positivum potest concordari cum jure naturæ, debet cum illo concordari; sed de jure naturæ, dolus accidentalis, dans causam contractui, sive bonæ fidei, sive stricti juris, non reddit illum irritum, & cum hoc jure naturæ jus positivum concordari potest. Enimvero quando *in l.* 7. *ff. de Dolo malo* venditio, & *in l.* 16. *§.* 1. *ff. de Minor. l.* 3. §. 3. *ff. pro socio.* societas nulla dicitur, talis dicitur non quoad substantiam, sed tantùm quoad effectum, si scilicet deceptus velit irritare, & nullam esse. Præterea cùm in *hisce legib.* non exprimatur, qualis dolus intervenerit: an substantialis, vel accidentalis: an dans causam contractui, vel incidens, cur non accipi possint de dolo substantiali? & tunc nobis non obstabunt; vel de incidente, & sic obstabunt ipsismet Adversariis, qui nobiscum tenent dolum incidentem nullum contractum irritare. Confer. Haunold, *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 8. *c.* 2. *n.* 86.

Dico VII. Dolus malus tum incidens, tum maximè dans causam contractui facit contractum ad libitum decepti irritabilem. Siquidem si hic contractui stare velit, is subsistet, dum deceptor, si ex capite doli se adhibiti agere vellet ad nullitatem contractûs, allegaret propriam turpitudinem, & ita non audiretur, insuperque contra leges delinquens beneficiô legum foret indignus. *l.* 37. *ff. de Minorib.* Interest tamen, num res adhuc sit integra, vel non? Si prius, succurritur decepto exceptione doli. Si posterius, tunc si contractus est bonæ fidei, & deceptus vult contractum valere, datur actio ex ipso contractu ad consequendam indemnitatem; si non vult valere, datur actio ex ipso contractu ad rescindendum contractum. Quòdsi contractus est stricti juris, datur decepto actio de dolo, quæ biennio expirat, adeò, ut nequidem litis contestatione perpetuetur. *l. fin C. de Dolo malo.* nisi decipiens factus fuerit locupletior, ubi datur actio in factum, quæ perpetua audit, *l.* 28. *& seq. ff. Eod.*

Limita I. Ut si dolus non à contrahente, sed à tertio contigerit, contractus rescindi non possit, maximè si contractus executioni mandatus sit: quia cùm eo casu contrahens non sit in culpa, non debet patiri incommodum rescissionis contractûs validi propter malitiam tertii; contra quem deceptus habet actionem doli. *d. l.* 7. *ff. de Dolo malo. l.* 1. *ff. de Proxenet.*

Limita II. Ut ob nullum dolum etiam antecedentem dissolvi, ac rescindi queant matrimonium, & professio solennis religionis *c.* 18. *de Sponsal. c. fin. causâ* 20. *q.* 3. *c.* 14. *de Convers. conjug.* Sanchez. *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 18. *& lib.* 10. *disp.* 8. *n.* 20. hoc enim exigit natura statûs perpetui, ne tam facilè retractari possit cum magno Reipublicæ damno, aut scandalo, & do-

docet ipsa praxis Ecclesiæ; tametsi Gonzal. *in c. 8. de Regularib. n. 3.* contendat, nullam esse professionem, cui dolus causam dedit.

§. VII.

19 *Affinis* dolo est culpa lata, cujus reus est, quicunque non facit in re aliena, quod vel minimùm diligens faceret in re sua: hæc enim culpa in contractibus dolo æquiparatur. *l. 32. ff. Depositi l. 1. §. 1. ff. Si mensor. falsi. mod. dix. l. 1. §. 3. ff. Si is, qui test. lib. esse juss. l. 226. ff. de V.S.* in delictis verò ignorantia, quantumvis crassa, & culpa lata à pœnis jure statutis excusat per *l. 7. ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.* ubi negat JCtus in ordine ad pœnam legis Corneliæ culpam latam pro dolo accipi. Sanchez *l. 9. disp. 32. n. 35. 39. & 40.* Ratio est: quia dolus non est quælibet culpa, sed culpa scienter & ex proposito commissa. Et ideo licèt, culpam quod attinet, scire & debere scire pro eodem habeantur. *l. 5. ff. de Reb. cred.* non tamen quoad dolum & pœnas.

Pars II.

De Contumacia.

SUMMARIA.

20. 21. *Quid sit contumacia. 22. & quotuplex?*
23. *Contumax esse potest, tam actor, quàm reus.*
24. *Objectum contumaciæ.*
25. 26. 27. *Quæ requirantur, ut quis contumax constituatur?*
28. *Quibus pœnis reus.* 29. *quibus actor contumax castigetur?*
30. *& seqq. An dolus & contumacia Procuratoris noceat principali?*

§. I.

20 *Contumacia* à contemnendo dicta est: quia contemptus Judicis censetur, si ejus legitimo jussui litigantes non obtemperent. Unde patet, contumaciam in genere esse quamcunque inobedientiam contra justum mandatum Judicis commissam, veluti si quis jubeatur comparere, satisdare, respondere, juramentum præstare, & detrectet. D. Blumen *tit. 66. n. 2.* Brunnem. *de Proceff. civil. c. 4. n. 1.* Verùm hic specialiùs accipitur, &

§. II.

21 *Definitur* contumacia, quòd sit inobedientia ejus, qui tribus edictis propositis, aut uno peremptorio pro tribus citatus, & nullâ justâ causâ præpeditus præsentiam sui coram Judice facere contemnit. Colligitur ex *l. 53. §. 1. ff. de Re judic.*

§. III.

22 *Dividitur* communiter in contumaciam veram, & fictam. Vera est, quando quis peremptoriè citatus expressè dixit, se nolle venire; vel saltem certum est, ad eum citationem pervenisse, & venire potuisse, si voluisset. Cœvallos *in spec. aur. opin. comm. contra comm. q. 412.* Præsumpta, seu ficta, quando quis citatus est non personaliter, sed ad domum, vel per edictum, seu proclama publicum, ideóque præsumi quidem potest, attamen certum non est, citationis notitiam ad eum perveniss. Maranta *in Spec. aur. p. 6. membr. 2. n. 8.* Differentia inter utramque est, quòd fictè, seu præsumptivè tantùm contumax, si contra eum (uti potest) sententia feratur in contumaciam, intra decendium à die notitiæ sententiæ latæ valeat appellare, vel restitutionem petere in integrum. *c. 18. & ibi* Panorm. *de Sent. & re jud.* verè autem contumax, licèt secundùm aliquos restitui in integrum (si legitimum impedimentum expostfacto debitô modô probaverit) possit, appellare tamen non permittatur, prout ex *l. ab eo 3. C. Quomodo, & quando Judex* notat Christ. Besold. *in disp. de proceff. judic. c. 5. in fine.*

§. IV.

23 *Causa efficiens* contumaciæ sunt actor & reus contumaces. *Actor* dicitur con-

tumax, si in termino, ad quem reum citari procuravit, ipse non compareat. *l. post edictum 73. ff. de Judic. auth. qui semel C. Quomodo & quando judex.* & quia prior litem movit, reúmque provocavit, detestabilior est ejus contumacia, ac severiùs punitur, ut patebit ex dicendis. *Reus* habetur tontumax, si in judicium citatus vel non compareat. *d. l. 53. §. 1. ff. de Re judic.* vel malitiosè se occultet, latitet, se abneget, aut impediat, quò minùs reperiatur, & citari possit. *c. ult. §. porro Ut lite non contest.* vel si comparens sine Judicis licentia negotiô infectô recedat, nec revertatur. *c. 4. h. t. c. certum est 43. causâ 11. q. 3. l. un. ff. Si quis jus dicenti.* Vallens. *h. t. n. 3.*

§. V.

24 *Objectum* contumaciæ sunt illi, respectu quorum delinquit contumax. Delinquit autem in personam Judicis, scilicet in contemnenda ejus authoritate: in personam adversarii: quia eum frustratur, ne pervenire ad judicium possit: in jus publicum, & publicam tranquillitatem, cùm statutis pro communi utilitate & pace obtemperare recusat: & denique in ipsam formam judicii, quia ordinem judiciarium non observat. Tancred. *lib. 2. tit. 4.*

§. VI.

25 *Forma* contumaciæ stat in inobedientia contra Judicem ad comparendum in judicio legitimè citantem. Tria itaque requiruntur: ut quis contumax jure præscriptis pœnis contumaciæ sit obnoxius.

I. Citatio trina, aut una peremptoria à competente Judice facta, & ritè insinuata. *l. 8. & 9. C. Quomodo & quando Judex d. l. 53. §. 1. ff. de Re judic.* Maranta *ubi supra n. 1.* Hinc sequitur, eum, qui ad unam, alterámve simplicem citationem non comparuit, quamvis propter inobedientiam puniri possit, contumacem tamen non esse censendum. Neque accesserim Zasio *ad d. l. 53. n. 13.* & Brunnemano *ad Proces. civil. c. 4. n. 7.* qui opinantur, eum, qui etiam simpliciter citatus in faciem respondit, se non compariturum, habendum esse pro contumace: quoniam si talis postea in termino coram Judice adhuc pro tribunali sedente comparuerit, ab adversario de contumacia accusari non poterit; imò etsi de facto postea non comparuerit, licèt propter nimiam inobedientiam graviter castigari valeat, strictè tamen loquendo necdum processui contumaciali locum esse, inde convincitur, quòd juxta *d. l. 53. §. 1.* is demum contumax dicendus sit, qui tribus edictis, vel uno peremptorio evocatus coram Judice comparere, seu, ut textus habet, sui præsentiam facere contemnit. Ummius *ad Proces. judic. disp. 6. n. 3.*

II. Requiritur, ut citatus sine justa causa judici citanti non obtemperet. Unde pœnas contumaciæ non incurrit, qui emanet ob adversam valetudinem, vel majoris causæ occupationem: *d. l. 53. §. 2.* ob puerperium, aut graviditatem. *l. 2 §. 4. ff. Si quis cautionib. in jud. sist.* ob tempestatem, vel vim fluminis. *d. l. 2. §. 6.* ob retentionem, & interdictum sui Magistratûs. *d. l. 2. §. 9.* ob rusticitatem. *l. 2. §. 1. ff. Si quis in jus vocatus.* ob locum non tutum. *Clem. pastoralis de Sentent. & re jud.* item ob captivitatem, carentiam Advocati, notoriam incompetentiam judicis, & alias hujusmodi causas. Brunnemann. *d. num. 7.* Adeò verò isti, quem justa emanendi causa defendit, absentia justa non officit, ut sententia contra talem lata, siquidem judici de tali impedimento constet, ipso jure nulla sit: sin autem judex istud impedimentum ignoraverit, & in contumaciam processerit, per in integrum restitutionem ad appellandum rescindatur, vel alias causa in pri-

pristinum statum reponatur. *l. fin. ff. de in integr. restit. l. 7. C. Quomodo & quando judex. l. 4. C. de Procuratorib. l. 1. C. Quibus ex causis majores.*

27 III. Ut quis in contumaciæ pœnas incidat, necesse est, ut pars præsens absentis, seu inobedientis contumaciam accuset, atque à judice absentem propter contumaciam damnari petat: quia in causis & negotiis civilibus judex nunquam potest procedere in contumaciam, nisi illa ab adversario prius incusetur, simúlque petatur, absentem per sententiam declarari contumacem. *l. properandum 13. §. & siquidem 2. & ibi* Zasius *n. 23. C. de Judiciis.* Idque adeò verum est, ut licet ter, vel etiam sæpius quis citatus non comparuit, si tamen adversarius expressè non petierit, ut contumax declaretur, atque in contumaciam adversus eum procedatur, Judex non possit, aut soleat procedere ex officio, nisi eatenus, ut ipsum ratione enormis inobedientiæ, & contemptûs, sibi tanquam Judici illati, condignè coërceat; cui coërcitioni locus est nemine prorsus postulante, vel absentis contumaciam incusante, ita ut non desint, qui pœnam contumaciæ ad ultimum usque supplicium extendi posse putent. arg. *l. 4. & 28. §. 13. ff. de Pœnis.* Quæ sententia licèt durior videatur, quàm ut in praxi recipienda sit, id tamen constat, arbitrio Judicis relinqui, quâ ratione contumaciam punire velit. Arnold. de Reiger. *thes. jur. V. contumacia. n. 27.*

§. VII.

Finis contumaciæ est jus dicentis authoritatem imminuere, partem adversam inanibus sumptibus vexare, atque judicium elusorium reddere.

§. VIII.

28 *Effectus* contumaciæ sunt remedia, quibus coërcetur. Aliâ verò pœnâ actor, aliâ reus: aliâ ante, & aliâ post litem contestatam contumax à Judice punitur.

Reo facto contumace *ante litem contestatam*, mittitur actor in possessionem vel rei petitæ, vel bonorum debitoris pro modo, quantitate, & mensura declarati debiti. *c. 1. h. t.* Interdum Judex utitur sequestratione rerum, & condemnat contumacem in expensas. *c. 2. Eod.* Nonnunquam suspendit ab officio & beneficio. *c. 8. Eod.* Aliquando etiam excommunicat. *c. 3. Ut lite non contest. c. 9. de Sentent. excomm. in 6.* Quamvis ad hanc excommunicationis pœnam hodie non ita facilè, sed tunc demum decurratur, quando adversus reum alia executio personalis, aut realis fieri non potest, prout statuit Trident. *sess. 25. de Reform. c. 3.* eò quòd experientia doceat, temerè & levibus ex causis vindictam contemni potiùs, quàm formidari. *Post litem contestatam* potest Judex actore postulante receptis testibus, aliisque probationibus, si de meritis causæ liqueat, sententiâ suâ litem terminare; aut si non liqueat, actorem immittere in possessionem, servatâ duntaxat quæstione proprietatis reo absenti. *c. 4. & ibi* DD. *h. t.* Neque tunc verè contumaci condemnato appellare licebit, cùm non de Judice, sed de se ipso queri debeat. *d. l. 13. §. 3. C. de Judiciis.*

Actore absente per contumaciam, is *ante litem contestatam* ad terminum citationis non comparens reo condemnatur in expensas, & si rursus reum citari petat, non auditur, nisi caveat de sistendo in judicio, & se assignato termino compariturum. *c. 1. h. t. in 6. l. eum, quem temerè 79. ff. de Judiciis.* Præterea permittitur reo adversus actorem legitimè citatum probare exceptionem suam, Judéxque, postquam ei constiterit ex actis de rei veritate, reum à petitione actoris absolvet. *c. 3. & ibi* Glos- 29

sa *h. t.* Gail. *lib. 1. observ. 59.* Mynsinger *Cent. 6. observ 66.* Si de eo non satis constet, tunc quoque absolvere reum poterit, non quidem ab actoris petitione, sed tantùm ab instantia, salvo actori suo jure, facultatéque de novo agendi, novâque instantiâ utendi cum refusione expensarum prioris instantiæ, & cautione de foro sistendo. *c. 3. in fin. h. t.* Ayrer Hyst. *Process. jur. p. 1. c. 4. observat. 3. n. 4.* Et hoc intra annum; intra quem non comparens actor, videtur ab omni actione cadere per *Novel. 112. c. 3. in fin.* Zoësius *h. t. n. 3.* Quòdsi actor *post litem contestatam* contumaciter absit, & tempus instantiæ, puta triennii, usque ad semestre præterlapsum sit, tunc actor contumax citandus est ad instantiam rei tribus edictis, eóque non comparente, si de causa liqueat, vel liquere possit, judex procedet ad sententiam definitivam, vel pro reo, vel contra reum; si verò de causa non liqueat, absolvet reum præsentem ab observatione judicii, ita ut actor nullum regressum habeat ad causam, & in omnem causæ eventum, sive vincat, sive vincatur, condemnabit actorem in expensas. *d. l. 13. §. 2. C. de Judiciis.* Haunold. *de J. & J. tom. 5. tr. 3. c. 2. n. 94.*

30 Frequentissima, & intricata *quæstio* est: utrùm dolus, contumacia, vel negligentia procuratoris noceat principali?

Glossa *in c. 1. V. procuratoris. Ut lite non contest.* distinguit: sciátne principalis dolum, contumaciam, vel negligentiam procuratoris, an non? Si sciat, neque contradicat, omninò præjudicat: censetur enim quasi ratam habere, & culpam procuratoris propriam facere, consequenter non immeritò propterea punitur, ac si ipse dolum, vel contumaciam commisisset; quamvis propterea etiam procurator puniri valeat. per text. expressum in *l. 2. C. de Excoct. & translat. milit. annon.* Atque ita quidam accipiunt *d. c. 1. Ut lite non contest.* dum dicit, principalem excommunicari posse propter procuratoris contumaciam: & *l. 5. in pr. ff. de Tributor. act.* dum ait, dubium non esse, quin procuratoris scientia & dolus noceat domino. Sin verò principalis absque culpa ignoret contumaciam, & dolum procuratoris, tunc procurator quidem severè puniri posse videtur, non tamen principalis arg. *d. l. 2. C. de Excoct. & translat. milit. annon.* Imò in *l. ignorantis 49. ff. de Procuratorib.* generaliter dicitur, quòd ignorantis domini conditio per procuratorem deterior fieri non debeat. Similiter *in l. in servo 17. ff. de Liberali causa.* habetur, quòd scientia procuratoris non noceat domino ignoranti, bene scienti. Et sub hac distinctione accipi potest *l. un. §. 1. ff. Si quis jus dicenti.* quæ dicit, quòd si procurator, vel curator jus dicenti non obtemperet, ipse, non autem principalis puniatur, cùm iniquum sit, aliquem alterius odiô prægravari: *l. 33. ff. fin. C. de Inoffic. testam.* & peccata suos debeant tenere authores. *c. 2. de his, quæ fiunt à majori parte capit.*

Verùm hæc distinctio absolutè non pro- 31
cedit: sæpe enim etiam ignoranti principali nocere dolum, contumaciam, vel negligentiam, perspicuè constat ex *c. 29. §. si adversus causa 2. q. 6.* ubi difficile esse asseritur, ut audiatur principalis etiam absens, si procurator ejus non provocavit: ex *c. 2. circa fin. de in integr. restit.* ubi Monasterium restituitur adversus procuratoris negligentiam (præsertim si eam nesciverit) quâ restitutione opus non foret, si aliàs non præjudicaret procuratoris negligentia: ex *c. 21. de Sentent. & rejud.* ubi confessio procuratoris (quam ordinariè principalis scire nequit) eidem nocere perhibetur.

tur. Item de dolo & contumacia apertè sumitur ex *l. si procurator* 10. *C. de Procuratoribus.*

32 Alii distinguunt inter Procuratorem generalem, & specialem. Illius dolum volunt nocere principali, non verò dolum Procuratoris particularis; cui distinctioni suffragatur *d. l.* 10. *C. de Procuratoribus & l.* 4. §. 18. *ff. de Doli mali, & metûs except.* quam pro ea allegat Godofred. *ad l.* 5. *ff. de Tribut. act. in princ.* Sed certè hæc *lex* evidenter contraria est, dum admittit, semper de dolo Procuratoris ad agendum constituti posse reum excipere, sícque principali actori dolum Procuratoris nocere. Insuper in *l. seq.* §. 3. nominatim traditur, actoris particularis dolum domino nocere. In eo solùm in *cit. Legib.* inter actorem, seu Procuratorem generalem, & particularem discrimen assignatur, quòd dolus Procuratoris generalis tam anterior quàm posterior, sícque omnis noceat principali, eò ipsò, quòd tunc de omni excipi posse statuatur, sítque generaliter ad omnia negotia constitutus Procurator. Particularis autem Procuratoris dolus tantùm posterior noceat, qui scilicet in ipsa actione intervenit, non anterior & de præterito, si nempe ante judicium, vel illum actum, pro quo constitutus est, Procurator dolo quid fecerit, eò ipsò, quòd pro antecedentibus constitutus non fuerit.

33 Ego referre existimem: an Procurator dolum, contumaciam, aut negligentiam admiserit in illis, quæ ipsum processum, vel negotium demandatum concernunt; num verò circa actus, qui casualiter fortè inciderunt, & ad quos à principali costitutus non est? Si priùs, dolus, contumacia, aut negligentia Procuratoris præjudicat principali etiam ignoranti: quia in tantùm Procurator personam principalis repræsentat, ac si ipsemet adesset, & sic fictione juris habetur pro eadem persona, consequenter perinde est, ac si principalis id faceret; alioquin enim nemo cum procuratore contraheret, vel litigaret. Et si Procurator per factum suum domino ignoranti prodesse potest, ac omnia quæ consequitur, restituere debet, etiamsi non fuerint principali debita juxta *l.* 46. §. 4. *ff. de Procurator.* cur non quoque obesse poterit? Si posteriùs, cùm ad ejusmodi actus mandatum se non extendat, factum Procuratoris principali non nocet, nisi ipsemet forsan dolum, aut contumaciam Procuratoris ratam habuisse, vel expresè approbando, vel tacitè, puta dissimulando, & non contradicendo: tunc namque non immeritò propterea puniretur, atque ita tali casu procedit distinctio Glossæ, idque solùm, & non plùs probant jura *n.* 30. pro ea allegata.

Difficultatem facessit *d. l.* 17. *ff. de Li-*34 *beralicausa.* quæ palam insinuat, domino ignoranti non nocere scientiam Procuratoris etiam casu, quo is mandatum ad talem actum habuit, ut proinde exponi nequeat de casu, quo mandatum defuit, vel quo aliquid præter mandatum fecit. Sed huic *legi* directè opponitur *l.* 16. §. 3. *& l.* 22. §. 5. *ff. Eod.* ubi expressim dicitur, scientiam Procuratoris nocere principali circa actum demandatum. Quare *d. l.* 17. fortè intelligi posset non de Procuratore propriè dicto, sed tantùm de nuntio, qui se merè passivè habet, neque per specialia sua facta præjudicat principali, eò ipsò, quòd cum nuntio non censeatur celebrari contractus, vel alius actus, sicut cum Procuratore: nuntius siquidem est, qui præcisè nudum factum exequitur, & tanquam instrumentum se habet respectu principalis. Unde etiam nuntius conveniri non po-

test

cest contractu, bene procurator. Vel potiùs dicendum, hoc speciale esse in eo casu, (de quo sermo *in d. l.* 17.) quo certa res emenda mandatur, quòd circa illam non attendatur scientia Procuratoris, sed tantùm principalis, utpote rem determinantis. Econtra, si res in specie non sit à principali determinatè mandata, quòd tunc attendatur præcipuè ad scientiam & factum Procuratoris. Confer, quæ supra *in tit. de Juramento calumnia. n.* 30. dicta sunt.

TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in possessionem causâ rei servandæ.

INter pœnas ad compescendam contumaciam statutas frequentissima est *missio in possessionem tum ex primo, tum ex secundo decreto*; de qua utraque *hoc tit.*

Pars I.

De missione in possionem ex primo decreto.

SUMMARIA.

1. Definitur hæc missio.
2. Approbatur utroque jure.
3. 4. A quo judice. 5. Et contra quem decernatur?
6. Habet locum in omnibus bonis. 7. Exceptis beneficiis Ecclesiasticis.
8. usq; 12. Quando & quomodo concedatur, ac fiat?
12. Ejus finis. 13. Effectus, & quid operetur?

§. I.

1 *Definitur* missio in possessionem ex primo decreto, quòd sit illa, quâ actor ita mittitur in possessionem bonorum, ut missus nec dominium, nec veram, & stabilem possessionem eorum acquirat, sed detentionem duntaxat, & custodiam. Colligitur ex *c. fin. §. in aliis. ut lite non contest.* Hinc communiter dici solet *missio causâ custodiæ vel causâ rei servandæ*, germanicè der Einsatz auß erster Erkanntnuß.

§. II.

Causa efficiens hujus missionis est vel remota, vel proxima.

Remota est Jus tam Canonicum, quàm Civile: utroque enim jure firmatur. Canones *in hoc tit.* Leges Civiles *in tit. ff. quib. ex caus. in possess. eatur. & in Cod. tit. de Bonis authoritate Judicis possid.* propriam suam sedem habent, ac alibi passim occurrunt.

Proxima est primum decretum Judicis; hoc est, sententia interlocutoria, qua actor in contumacis rei bona mittitur custodiæ causâ, ut eam pignoris vice detineat, donec reus contumax veniat responsurus per *c. 1. h. t. l. 12. ff. quib. ex caus. in possess. eat.* Neque enim privata authoritate licet bona absentis occupare, sed missio in possessionem bonorum decernenda est à Judice, ejusdem apparitoribus executione mandata arg. *l. fin. ff. de Judiciis l. 5. §. 13. ff. de Reb. eor. qui sub tutel.* licèt non inficier, aliquando ipsi quoque parti à Prætore licentiam accipiendi possessionem concedi. *l. 1. C. ut nemini liceat. l. 9. C. Soluto matrim.*

Dissident DD. quibus Judicibus competat potestas decernendi hanc missionem in possessionem, & an ratione imperii aut potiùs jurisdictionis illis competat? Brissonius *l. 1. select. c.* 3. censet, in possessionem mittere jurisdictionis esse, non imperii per *l. 4. §. ad duos ff. de Damno infecto. & l. ult. quæ 26. §. magistratibus ff. ad municipal.* quibus Magistratus municipales, qui imperium non obtinebant juxta *d. l.* 26. permittuntur minores in possessionem mittere. Contrarium, nempe hanc potestatem ad mixtum imperium pertinere, docet D. D. Braun *de Imper. mero, & mixt. c. 2. §. 3.* Gentilis *lib. 1. de Jurisd. c. 3. per l. 4. ff. de Jurisdict.* Neque *leges* adductæ opinionem Brissonii probant: quia illis Magi-

strá-

stratus municipales solùm permittuntur minores mittere in possessionem vice Præsidis ex jurisdictione sibi mandata, non jure proprio.

§. III.

1 *Subjectum* missionis in possessionem ex primo decreto est reus absens, & contumax, qui hanc missionem patitur.

Dubitationis est: an, si reus ante citationem se absentet, nullo relicto Procuratore, aut defensore, post edictum publicum missio in bona ejus ex primo decreto fieri possit? Dixeris, fieri non posse; quia *in c. ult. h. t.* habetur, si post citationis edictum reus discesserit, Procuratore, vel defensore non relicto, cùm actor inducendus sit in possessionem rerum custodiæ causâ. Ergo argumento à contrario sensu ducto ante citationis edictum non debet actor immitti. Sed hæc opinio passim explodituir, satisque refellitur arg. *l. 23. §. 4. ff. ex quib. causis major. & l. 4. C. de Rest. iv. milit.* Neque contrariatur *d. c. ult.* in illo enim S. Pontifex respondet ad speciem facti propositam: ex verbis autem merè narrativis alicujus canonis, aut legis non potest sumi argumentum à contrario sensu ad exclusionem oppositi; sicut neque tunc argumentum istud concludit, si contrarium in jure expressum sit, ut ex recepta doctrina monet Panorm. *in d. c. ult. num. 6.*

§. IV.

6 *Materia seu objectum* hujus missionis sunt bona debitoris, in quorum possessionem actor ob rei contumaciam ex primo decreto mittitur. Nec refert, sive sint mobilia, sive immobilia; sive corporalia, sive incorporalia, imò etiam jura spiritualia, ut si agatur de jure subjectionis, jure patronatus, aut de Ecclesia: & sive agatur actione reali, sive personali. *d. c. fin. §. in aliis ut*
7 *lite non contestat.* Notabilis *exceptio* est in *c. un. h. t. in 6.* ubi statuitur, ne is, qui super dignitate, personatu, vel beneficio Ecclesiastico obtinendis cum aliquo litigat possessore, ob partis adversæ contumaciam causâ rei servandæ in ipsorum possessionem mittatur, ne ad ea ingressus pateat vitiosus; sed ut hoc casu contumacis absentiam Divinâ replente præsentiâ, etiam lite non contestatâ, diligenter examinato negotio procedatur ad sententiam.

§. V.

Forma missionis in possessionem ex primo decreto consistit in modo eam decernendi. Ut autem ritè decernatur. 8

Requiritur I. ut reus absit ex contumacia. Hinc non patitur missionem, qui abest ob adversam valetudinem, aquarum exundationes, militum, aut pestis grassationem, loci nimiam distantiam, & similes difficultates impossibilem reddentes accessum citati ad Judicem arg. *l. 53. ff. de Re Judic.* Gonzal. *in c. 3. n. 6. ut lite non contest.*

Requiritur II. ut actor rei contumaciam incuset, petátque, se mitti in possessionem: quia Judex non impertitur officium non petentibus. Layman *in c. ult. num. 3. h. t.* Non tamen inde sequitur, actionem competere ad hanc missionem petendam: quia officiô Judicis fit, ideóque interponi potest diebus etiam feriatis. *l. 2. ff. de Feriis.* 9

Requiritur III. ut præmittatur summaria causæ cognitio, scilicet, quid debeatur, & cujusmodi sit fraustratio debitoris, quæ contingit eo latitante. *l. 7. ff. quib. ex caus. in possess. eatur. junctâ l. nec quicquam 9. §. 1. ff. de Offic. Proconsul.* 10

Requiritur IV. Ut actor, saltem si agat 11 actione personali, pro modo declarati debiti, priùs mittatur in bona mobilia, deinde primùm mobilibus non extantibus, vel non sufficientibus in immobilia, & tandem neque his extantibus, vel sufficienti-

bus in jura, & actiones: cùm hic modus ordinariè in executione rei judicatæ, cujus speciem præsefert missio in possessionem tam ex primo, quàm secundo decreto, observetur. *l. à D. Pio 15. §. in venditione ff. de Re judicata. l. 6. §. 4. C. De his, qui ad Eccles. confug.* Nisi fortè ab actore res certa & determinata prætendatur, quo casu æquitas suadet, ut immissio in illam ipsam rem fiat potiùs, quàm in alia bona à reo possessa, *d. c. fin. §. in aliis Ut lite non contest. auth. & qui jurat C. de Bonis authorit. judic. possid. Novel. 53. c. 4. §. 1.*

§. VI.

12 *Finis* missionis in possessionem ex primo decreto est, ut ita debitor ejus tædiô affectus accedat responsurus. *d. c. fin. §. in aliis.* Ideóque hæc missio communiter à DD. *tædialis* nuncupatur Menoch. *de Retin. remed. 3. num. 120.*

§. VII.

13 *Effectus* hujus missionis est, quòd missus ex primo decreto consequatur custodiam, seu, ut vulgò vocant, tenutam, & defensionem rerum, in quarum possessionem mittitur. *c. 1. & Rubrica h. t.* quæ dicitur prætorium pignus. *l. 2. C. Qui potiores in pign.* Veram tamen possessionem actor non acquirit. *l. 3. §. ult. ff. de Acquir. vel amitt. possess. l. 3. §. 8. ff. Uti possidetis. l. 5. princ. ff. Ut in possess. legator.* Quare nec fructus rei detentæ lucratur, nec alia possessionis commoda habet. *l. 7. pr. ff. Quib. ex caus. in possess. eatur. l. 9. pr. l. 14. §. 1. ff. de Reb. auctorit. judicis possid.* Et hoc verum est, non solùm in actione personali, sed & reali: nam nec in hac ante litis contestationem ex primo decreto obtinetur possessio, saltem incommutabilis; quandoquidem ea reo, si intra annum comparuerit, cautionémque judicio sisti, & exsolvendarum expensarum præstiterit, restituenda est *d. c. 1. & 2. h. t. d. c. 3. & ibi* Gonzalez *à n. 13. c. fin. §. in aliis Ut lite non contest.* Addidi: *ante litis contestationem*: post litem enim contestatam, si de causa non liqueat, ita ut sententia definitiva ferri possit, actor mitti debet in veram possessionem, solâ quæstione proprietatis reo reservata. *c. prout nobis 4. de Dolo & contum.* Vallensis *h. t. n. 4. & 5.*

Pars II.

De Missione in possessionem ex secundo decreto.

SUMMARIA.

14. Quid sit hæc missio? 15. Quid secundum decretum? 16. Adversus quem. 17. In quibus rebus. 18. Et quo modo interponatur? 19. Quid operetur hæc missio?

14 POst missionem in possessionem ex primo decreto, si reus obstinatô animô comparere noluerit, augetur pœna, & causâ cognitâ pervenitur ad missionem ex secundo decreto.

§. I.

15 *Definitur* missio in possessionem ex secundo decreto, quòd sit illa, quâ actor ita mittitur in possessionem bonorum rei perseverantis in contumacia, ut missus acquirat veram & stabilem possessionem, aut quandoque etiam dominium. arg. *c. 1. h. t.*

§. II.

Causa efficiens hujus missionis *remota*, est jus positivum, Canonicum, & Civile? *proxima* secundum decretum Judicis, hoc est, secunda interlocutio, quâ Judex eum, qui ex primo decreto missus est in possessionem, crescente rei contumaciâ, verum possessorem, aut etiam dominum constituit. Wesenbec. *ad ff. de Damno infecto. n. 6.* Eckolt. *ibid.* §. 9. Sicut autem Judex ordinarius, qui saltem mixtô imperiô instructus est, potest primum decretum interponere, ita & secundum. *l. 1. l. 4. & ibi.* Gloss. *V. iubere ff. de Jurisdict.* Ummius *ad Proc. judic. disp. 6. num. 27.*

§. III.

§. III.

16 *Subjectum* missionis in possessionem ex secundo decreto est is, qui missionem hanc patitur, nempe reus verè & obstinatè contumax per *l. 7. ff. Quib. ex caus. in possess. eatur.* ubi dicitur, rei absentis bona possideri (puta ex secundo decreto) & vendi, si is fraudulenter, sive malitiosè latitet. Unde procedi non debet ad immissionem ex secundo decreto, vel venditionem bonorum absentis, qui ante citationem discessit, & post edictum non comparet, nec ab alio defenditur: quia qui nunquam citatus est, non censetur fraudulenter, seu malitiosè latitare, sed potiùs creditur, cùm absens sit, ignorare actionem contra se intentatam esse. Panorm. *in c. ult. n.* 14. *&* 15. *h. t.* Neque obstat *l. si finita* 15. *§. si fortè ff. de Damno infecto.* nam speciale est, quòd ex causa damni infecti, v. g. si damnum ex ædibus timeatur, actor ob absentiam domini mittatur in possessionem ex secundo decreto, cùm dilatio periculosa sit. Si tamen reus postea compareat, ostendátque, se justa de causa abfuisse, ei possessio restituenda est. *d. l.* 15. *§. si fortè & l.* 1. *ff. Eod.* Panorm. *l. cit. n.* 15.

§. IV.

17 *Materia*, seu *objectum* missionis in possessionem ex secundo decreto sunt res, quas missus ex primo decreto antè nonnisi detinebat, & custodiebat. Ubi communiter distinguunt DD. an mota sit actio realis, vel personalis? In reali dicunt, annô à die interpositi primi decreti elapsô, & reo non comparente, actorem statim & absque alio Judicis decreto fieri verum rei possessorem, in quam missus est, reo solâ quæstione proprietatis reservatâ per *c.* 11. *§. præterea de Offic. Jud. ordin. c. fin. §. in aliis Ut lite non contest. c.* 9. *in fin. de Dolo, & contum.* in quibus habetur, post annum actorem realem verum effici possessorem. In actione verò personali statuunt, iteratâ missione opus esse, ut actor veram rei possessionem nanciscatur per *d. c. fin. §. in aliis.* At vereor, ne in puncto juris veriùs sit, tam in actionibus realibus, quàm personalibus secundum decretum necessarium esse etiam post anni lapsum, ut possessio in actorem transferatur; idque non obscurè innuunt textus in *l.* 15. *§.* 16. *&* 20. *ff. de Damno infecto c.* 1. *h. t.* & præsertim in *d. c. fin. §. in aliis.* ubi postquam Innocentius agens de actione reali asseruit, actorem post annum verum constitui possessorem, hæc verba attexit: *dominum possessionis judex tribûs edictis legitimis evocabit: & tunc ipso in eadem voluntate manente negotium summatim examinans, in possessionem ipsarum rerum actorem mittere non tardabit, omni allegatione absenti super principali quæstione reservatâ.* Quæ verba nonnisi de secundo decreto intelligi possunt, & tamen interponi jubetur in actione reali. Nec adversantur jura opposita: siquidem ea supponunt, novum decretum intervenire, & ita accipienda sunt, ut annô elapsô, & post secundum decretum actor verus possessor constituatur. Maranta *in Specul. aur. de contumacia. n.* 12. *in fin.* Bernard. Wurmser. *Pract. foren. lib.* 1. *tit.* 7. *observ.* 6. *num.* 18 ubi hanc communiorem, & veriorem opinionem appellat.

§. V.

18 *Forma* missionis ex secundo decreto stat in modo eam decernendi. Ut autem legitimè decernatur, actor aliquô temporis spatiô præterlapsô debet accedere judicem, & allegatâ contumaciâ rei hanc missionem petere; quo facto Judex reum iterum citabit (ad hunc enim actum nunquam est citatus) qui si compareat, monebitur à Judice, ut ea, quæ de jure exiguntur, veluti

cautionem de judicio sisti præstet, & si se ad hoc offert, cessat missio ex secundo decreto; sin autem recuset, aut non compareat, eidem locus erit, postquam Judex sufficienter de contumacia cognoverit, & de jure actoris. *l. 9. & auth. & qui jurat C. de Bonis authorit. judic. possid. d. c. fin. §. in aliis Ut lite non contest. c. 1. h. t. & ibi* Pirrhing. *num.* 18.

Sed intra quod tempus hæc missio decernenda? Plerique id, cùm jure definitum non sit, judicis arbitrio relinquunt. arg. *l. 1. ff. de Jure deliber.* hac tamen limitatione, ne ante annum à die interpositi primi decreti elapsum secundum decretum interponatur, nisi aliud justa causa suadeat. Hostiens. *h. t. num.* 14. Maraota *d. num.* 12. Panorm. *in d. c. fin. §. in aliis num.* 41.

§. VI.

19 *Effectus* missionis ex secundo decreto alius est, si mota sit actio realis, alius si mota sit actio personalis. Motâ actione reali missus ex secundo decreto consequitur possessionem, & usucapiendi conditionem, si dominus non sit. per *d. c. fin. §. in aliis ubi* Panorm. & Gloss. Motâ verò actione personali tantùm possessio transfertur cum facultate percipiendi fructus ad rationem ejus, quod interest, quousque adversarius probaverit indebitum illud, cujus causâ facta fuit missio. Panorm. *in d. c. fin. §. in aliis n.* 36. *& seqq.* Quòdsi creditor potiùs solvi quantitatem debitam, quàm bona possidere malit, Prætor ipsa bona in publica subhastatione vendere jubebit, de qua venditione agitur in *t. 1. ff. de Reb. auctorit. judic. possid. vel vend.* & si emptorem non inveniant, bona ipsi creditori jure dominii in solutum adjudicantur, dummodò debitum sufficienter liquidaverit. *l. fin. C. de Jure domin. impetr. l. 7. §. prætor ff. Quibus ex caus. in poss. eatur.*

TITULUS XVI.

Ut lite pendente nihil innovetur.

SUMMARIA.

1. Quid sit lis pendens?
2. Quibus modis inducatur?
3. Usque 7. Lite pendente nihil innovandum, & ejus rei exempla.
7. Recensentur modi, quibus cessat lis pendere.

QUod diximus, ratione contumaciæ decerni missionem in possessionem, id non debet extendi, ut contra regulam juris aliquid innovetur lite pendente.

§. I.

Definitur lis pendens, quòd sit duorum, pluriúmve super re mota, & in judicium deducta controversia, sive reali, sive personali actione agatur. Colligitur ex *l. 31. §. 2. ff. de Negotiis gest. & l. 65. §. 1. ff. de Condict. indeb.*

§. II.

Causa efficiens litis pendentis, sunt modi, quibus inducitur. Inducitur autem tum litis contestatione, tum etiam citatione. Litis contestatione: quia hæc est fundimentum processûs judiciarii, & habetur in *c. ex parte 30. de V. S. l. 16. & 17. ff. de Procuratorib. l. 31. pr. ff. de Reb. cred.* Citatione: quia & ab hac lis incipit, & habetur in *Clem. 2. h. t.* ubi tamen tria concurrant, necesse est: primò ut citatio sit decreta, & facta à Judice competente: *secundò* ut ad citatum pervenerit, aut saltem per eum steterit, quò minùs perveniret: *tertiò*, ut ex tenore citationis instrui potuerit, qua de re futura sit controversia. *d. Clem. 2.* Mynsing. *Cent. 4. observ. 26. num. 1. & seqq.*

§. III.

Effectus est, quòd lite pendente nihil sit innovandum, seu attentandum, sed omnia in eo statu, in quo fuerunt, cùm lis moveretur, permanere, & attentata, si possint, re-

vo-

vocari debeant, ut constat ex *c.* 1. *&* 2. *h. t. in* 6. & ex præsenti *rubrica*, quæ cùm orationem perfectam contineat, jus inducit, ut notavi *in tit. Ut lite non contest. num.* 1.

4 Unde l. lite pendente (excepto casu contumaciæ) nemo debet turbari, vel impediri, quo minùs commodè possessione suâ, de qua lis est, uti possit *c.* 1. *& ibi* Gloss. *c.* 2. *h. t. c.* 2. *causâ* 16. *q.* 4. Gail. 1. *obsrv.* 145. *num.* 4. *& observ.* 146. *num.* 14.

5 II. Res litigiosa alienari non potest, & si alienetur, retrotrahi, aut si retrotrahi non possit, alia ejusdem valoris in illius locum subrogari debet. *c.* 3. *&* 4. *& ibi* Gonzalez *h. t. auth. litigiosa & t. t. ff. & C. de Litigios.* Excipiuntur alienationes necessariæ, puta causa dotis, donationis propter nuptias, transactionis, legati, fideicommissi, divisionis hæreditatis, solutionis, & si quæ similes. *l.* 3. *l. fin. & ibi* Gloss. *C. de Litigios. l. divus* 5. *pr. ff. de Hæredit. petit. l.* 13. *ff. Famil. ercisc.* Natta *consil.* 401. *n.* 2. *&* 5. quia necessitas est extra, & supra legem.

6 III. Privilegium, seu rescriptum super re litigiosa tacito vitio litigii impetratum rescitur: censetur enim subreptitium: neque Princeps præsumitur, cuiquam velle jus suum auferre, aut statum litis in ejus præjudicium immutare, nisi exprimat, *c.* 1. *& ult. h. t.* P. Engel *num.* 3.

§. IV.

7 *Contraria* litis pendentis sunt modi, quibus lis pendere cessat. Cessat autem I. sententiâ definitivâ, postquam lapsu decendii à die latæ sententiæ transiit in rem judicatam. arg. *c.* 13. *¶. quamvis de Sentent. & re jud. l.* 32. *ff. de Re judic. l.* 1. *pr. C. Eod.* II. Sententiâ ablolutoriâ ab observatione judicii, & instantiæ per *l.* 1. *C. de Præscript. longi temp.* ubi Gloss. in *V. motam* notat, alienationem rei, de qua litigabatur, postea factam, attentatam non esse. III. Sententiâ interlocutoriâ respectu articuli, super quo lata est. Lancellot. *tr. de Attentat. c.* 4. *in præf. n.* 277. IV. Renuntiatione ipsius actionis, & causæ. Gravet. *consil.* 182. *num.* 4. vel tantùm instantiæ. Natta *consil.* 350. *n.* 5. V. Transactione. *l.* 1. *&* 2. *ff. de Transact. l.* 7. 16. 17. 19. *&* 30. *C. Eod.* Denique omnibus modis, quibus lis aut omnino finitur, aut notoriè nulla est. Lancell. *d. c.* 4. *n.* 557.

TITULUS XVII.

De Sequestratione possessionum, & fructuum.

SUMMARIA.

1. 2. Sequestrationis definitio. 3. Et divisio.
4. Sequestratio fit vel à Partibus, vel à Judice.
5. 6. 7. Quis possit, aut debeat esse sequester?
8. 9. 10. Quæ res sequestrari possint?
11. Usque 17. Requisita sequestrationis præsertim Judicialis.
17. Finis. 18. 19. 20. Et effectus ejusdem.
21. De Arrestatione.

COntra Rubricam, & regulam, *ut lite pendente nihil innovetur*, nonnunquam permittitur rei litigiosæ *sequestratio*, vernaculâ Hinterlegung / oder Pfandhaltung. Clud. *tr. de Sequest. c.* 2. *num.* 9.

§. I.

Definitur sequestratio, quòd sit rei con- 1
troversæ vel fructuum ejus consensu partium, vel authoritate Judicis apud tertium facta depositio, eâ lege, ut is pendente lite rem custodiat, eâ finitiâ restituat victori. Colligitur ex *l.* 17. *ff. Depositi. l.* 110. *ff. de V. S.*

Est itaque sequestratio quædam depositi 2
species, inde dicta, quòd ejus, qui electus est, utraque pars fidem sequatur teste Gell. *l.* 20. *c. pen.* Differt tamen à depositio I. quòd sequestratio non fiat nisi de re litigiosa, depositum verò etiam de re non litigo-

sa, & sic sequitur, quòd depositum sit genealius sequestratione. II. Sequestratio requirit plures invicem litigantes, depositum autem etiam fit ab uno tantùm. III. Sequestratio censetur facta à litigantibus in solidum. *d. l.* 17. *ff. Depositi.* depositum verò, cùm fit à pluribus, intelligitur pro parte, quam quisque in re habuit. *l.* 1. §. *si duo* 44. *ff. Eod.* IV. Per sequestrationem, quandoque transfertur rei possessio, non item per depositum, sed tantùm detentio. *d. l.* 17. §. 1. ubi Castr. & Nos infra *num.* 18.

§. II.

3 *Dividitur* sequestratio in voluntariam, seu conventionalem, & necessariam, seu judicialem. Voluntaria est, quæ fit ex libero controvertentium consensu. Et hæc semper permissa est, ante judicium, & eo pendente. *l.* 1. *pr. ff. Depositi. l. si soluturus ff. de Solution.* Necessaria, seu judicialis dicitur, quæ per judicem decernitur causâ cognitâ, etiam invitis utrisque litigantibus, vel altero eorum petente. Coras. *lib.* 3. *miscel. c.* 2. *n.* 12. DD. *inc. examinata* 15. *de Judiciis.* Et hæc regulariter est prohibita: quòd iniquum sit, possessorem invitum durante lite privare commodo suæ possessionis. *l. un. C. de Prohib. sequest. pecun.* Cur addam: *regulariter*: ex dicendis patescet.

§. III.

4 *Causa efficiens* sequestrationis ex una parte sunt sequestrantes: puta partes, vel earundem Judex competens; ex altera sequester, qui est persona illa, apud quam plures rem controversam deponunt. *l. sequester ff. de V. S. l.* 6. *ff. Depositi.* Alio nomine etiam curator bonorum salutatur, de quo loquitur *l.* 1. §. 1. *ff. de Curatore bonis dando.* Sed

5 *Quæres* I. Num judex possit esse sequester in causa, in qua judicaturus est? Videtur, quòd non: quia cui data est electio se ipsum eligere non potest, ut not. *in l.* 4. *ff. Quod cujusque universit.* & bonus textus est in *l.* 22. §. 7. *ff. Mandati.* Attamen affirmativam sustinet Bald Soc. & Jas. in *l. si fidejussor §. fin. ff. Qui satisd. cog.* Curt. Jun. in *d. l. un. q.* 4. *C. de Prohib. sequest. pecun.* cum aliis; quibus accedo per text. in *l.* 11. ¶. *proinde* ibi: *apud officium depositus fuerit.* & in *l.* 11. §. 2. *ff. de Recept. qui arbitr.* Utique verò meliùs facit Judex, si ad præcavendam omnem suspicionem officiò sequestri abstineat.

Quæres II. An quis cogi possit esse sequester, & ut invitus sequestrum recipiat? Affirmativam suadet, quòd sequester dicatur officialis publicus. Gloss. in *d. l. si fidejussor* 7. §. *fin. V. officium ff. Qui satisd. cog.* sed officialis publicus est necessarius. *l.* 9. *& t. ff. de Munerib. & honorib.* ergo. Quam tenentiam in Gallia servari, testatur Tyraq. *de Retr. convent.* §. 2. *gloss.* 7. *n.* 4. *in fin.* Nihilominus verior est negativa, quam amplectuntur Bald. *consil.* 480. *lib.* 4. Angel. Castr. Alex. & Jason. *in d. l. si fidejussor* §. *fin.* Bartol. *in l. litibus §. fin. C. de Agric. censit.* per text. *in l. si hominem* 7. *in pr. ff. Depositi.* Ratio est: quia sequester obligatur ex contractu, vel ex quasi contractu per *l. si oleum* 9. *in pr. ff. de Dolo.* invitus autem nemo cogitur contrahere, vel quasi *l. nec emere C. de Jure delib.* Existimem tamen cum Bald. *in l.* 1. *in fin. ff. Ubi pupillus educari, vel morar. deb.* judicem ex causa cogere posse.

Planè is, qui sequestrum jam acceptavit, id postea pro libitu recusare haud potest authoritate propriâ, quamvis possit authoritate Judicis, & ex justa causa per regulam. *in l. sicut C. de O. & A.* Bartol. per illum text. in *l. ei apud quem* §. *fin. ff. Depositi.*

§. IV.

Materia, seu *objectum* sequestrationis est res quævis controversa: mobilis. *l.* 7. §. *ult.*

ult. ff. Qui satisd. cog. & immobili *c. examinata* ibi : *Ecclesiam sequestratam de Judiciis. c. 2. de Dolo & contum.* Nec ad substantiam sequestrationis requiritur contentio judicialis, sed sufficit extrajudicialis, ut quia fortè altercantes super aliqua re conveniunt facere sequestram, & postea in judicio litigare, ut declarat Panorm. in *d. c. examinata num.* 14.

Dubitatur I. An personæ liberæ sequestrari possint? Omninò; modò justa causa subsit: ita enim puella, quæ juveni matrimonium promisit, sed postea agenti ad matrimonium objicit exceptionem metûs, quasi coacta consenserit, eo casu ad copulam compelli non debet, sed medio tempore penes virum honestum honestámve fœminam, donec de causa principali cognitum fuerit, à Judice sequestratur. *c.* 14. & *ibi* Glossa *de Sponsal. c. causam* 14. *de Probat.* Sic etiam sequestratur mulier nupta, si lite pendente cum primo nubat alteri. Pute. *decis.* 249. *lib.* 3. vel si timeat de sævitia viri; idque usque ad finem litis. *c. extranmissa c. literas* §. *fin.* & *ibi* Interpp. *de Restit. spoliat.*

9 *Dubitatur* II. Num quoque cadaver hominis mortui, ùt pignus quoddam sequestrariqueat, ita ut non sepeliatur, donec aut caveatur, aut æs alienum per hæredem integrè solvatur? Id licere pro debito guarentigiato, id est, quod ex forma statuti habet executionem paratam, affirmat Angelus. Sed contrarium, ut Christianæ charitati congruum, ita juri conformius est juxta *Novel.* 60. *c.* 1. & *l. cùm sit injustum C. de Sepulchro violato.* Et verò naturalia, Divina, humanáque jura nequaquam patiuntur, defunctorum cadaveribus sepulturam negari, nisi id fiat ob aliquam causam, quæ Reipublicæ commodum spectet; id quod constat ex Ecclesiast. *c.* 7. ibi; *mortuo non prohibeas gratiam*, id est, grátis sepulturam exhibe. *ex c. in Ecclesiastico* 14. & *c. qui Divina* 28. *causâ* 13. *q.* 3. Latè Covar. *Var. Resol. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 10.

Dubitatur III. Utrùm licita sit seque-10
stratio in causa beneficiali? De hoc Clemens V. *in Clem. un. h. t.* statuit, ut si contra possessorem definitiva sententia super beneficio à Sede Apostolica in petitorio vel possessorio promulgata fuerit, beneficium ipsum (dum tamen triennio pacificè antea ab eo possessum non fuerit) per loci ordinarium apud personam idoneam sequestretur, quæ plenam de ipso curam gerens, id, quod de fructibus (debitis supputatis oneribus) superfuerit illi restituat, qui finalem in causa victoriam obtinebit. Quòdsi quis hujusmodi sequestrationem impedire, vel fructus sequestratos quomodolibet occupare præsumpserit, ipsô factô excommunicationem incurrit, non absolvendus, nisi post satisfactionem & restitutionem. Insuper si ipse litigans hoc fecerit, jure suo, si quod in beneficio habet, cadit; non obstante, si contra præfatam sententiam de nullitate forsan opponatur. Confer Vincent. Caroc. *de Sequestr. p.* 2. *q.* 1. ubi dispositionem hujus Clementinæ multifariam ampliat, limitátque.

§. V.

Forma sequestrationis consistit in requi-11
sitis. Ubi secernenda sequestratio voluntaria à necessaria. Ad voluntariam nil aliud requiritur, quàm ut partes mutuo consensu rem controversam apud tertium deponant, eâ lege, ut interim custodiat, ac finitâ lite victori reddat. Ad necessariam seu judicialem, plura concurrant, oportet.

Primum est, ut Judici saltem summariè 12
fides fiat de credito, seu jure, propter quod sequestratio petitur. Panorm. *in c.* 2. *n.* 28. *h. t.* Neque judex fidem adhibere debet,

rem

rem ita se habere afferenti, nisi etiam, quod proponitur, rationibus fuerit probatum. *c. circa de elect. in 6.* Opus tamen non est, doceri debitum per publicum instrumentum, ut vult Bartol. in *l. jubemus* 16. *C. de Erogatione milit. annona.* sed, cùm in captura personæ, ubi de majori præjudicio agitur, ita exacta probatio necessaria non sit juxta Angelum in *l. nemo carcerem* 2. *C. de Exactionib. tribut.* certè minor probatio erit necessaria ad obtinendam sequestrationem. Adde *l.* 7. §. 2. *ff. qui satisd. cog.* ubi expressè cavetur, ad sequestrationem sufficere, si persona suspecta sit. Vincent. Caroc. *de Sequestr. p.* 3. *q.* 2.

13 *Secundum* requisitum est citatio partis adversæ, contra quam sequestratio petitur: quippe in his, quæ adhibitâ causæ cognitione decerni solent, citatio partis adversæ necessaria est. Modest. Pist. *p.* 1, *cons.* 51. *n.* 6. Nisi sit periculum in mora, ut si debitor, qui aliàs solvendo non est, itineri se accingat, & de fuga sit suspectus: tunc namque judex procedere potest ad sequestrationem, debitore illo fugitivo non citato, nec audito. Bald. *in d. l.* 7. §. 2. *ff. Qui satisd. cog.*

14 *Tertium*, ut is, qui sequestrationem petit, eam petat ad sui juris defensionem, & non causâ calumniæ, vel æmulationis; idque parte instante, & Judice deferente jurare debet. arg. *l. qui bona* 13. §. 13. *ff. de Damno infecto.* Bald. *consil.* 197. *vol.* 1.

15 *Quartum* est, ut ex legitima causa petatur sequestratio, eáque ab actore probetur. Panorm. *in d. c.* 2. *n.* 79. *h. t.* Justa autem, ac legitima causa pluribûs casibûs subesse censetur, ut I. si interveniat periculum dissipationis vel consumptionis rei, præsertim si timeatur, ne possessor rem mobilem intervertat, aut corrumpat. II. Si debitor ex una jurisdictione ad aliam migret, & non satisfacit creditoribus. III. Si debitor sit forensis, aut hospes apud cauponem diversens, sine solutione discedere vellet. Item est in conductore. IV. Si non appareat, utrius contendentium sit possessio, & timeatur, ne partes utrinque potentes ad arma proruant, & vi in possessionem involent. V. Si partium jura sint obscura, incerta, & inæqualia, veluti si dubitetur de suppositione partûs: si census emphyteuticus duobus dominis exigatur: si controversia sit inter dominum, & colonum: si mortuo vasallo lis sit inter dominum, & agnetum: si venditor & emptor diffidentiam circa numerationem pretii, & traditionem rei habeant. VI. In causa spolii. VII. In causa contumaciæ debitoris. VIII. Si is, cui fideicommissum relictum, fideicommissario non velit cavere de tradendo fideicommisso. IX. Si actor fructus rei, in cujus possessionem custodiæ causâ ex primo decreto missus est, pro arbitrio suo distrahat. X. Si Judicis familiæ aliquid furtò subtractum est. XI. In causis simulati contractûs. XII. In casu communium instrumentorum. XIII. In debitis fiscalibus, & in debitore ex causa criminali. XIV. In descriptione mobilium, vel immobilium. Quæ omnia ordine ex D. Balthas. recensent Fritsch. *in Addit. ad Arnold. de Reiger thes. jur. V. sequestratio n.* 6.

Quintum denique requisitum est, ut judex citatis & auditis partibus, juréque actoris explorato, & causâ, ob quam sequestratio petitur, ritè adductâ, accuratam causæ cognitionem adhibeat, & diligenter animadvertat, an jus actoris saltem summariè sit demonstratum, defensiones rei conventi an sint relevantes, & an causa sequestrationis sit sufficiens, ac legitima. Cludius *de Sequestr. c.* 6. *n.* 13. *& seqq.*

Finis sequestrationis est, ut dissipationis vel

vel consumptionis periculo occurratur, & ne res controversa intervertatur, aut corrumpatur.

§. VII.

18 *Effectus* sequestrationis præcipui sunt: *Primus*, quòd per eam nonnunquam in sequestrum rei sequestræ possessio transferatur; adeò ut partes sequestrantes possidere desinant, nec usucapio ipsis currat. *l. licèt* 17. *§.* 1. *ff. Depositi.* At obstare videtur textus *in l. interesse.* 39 *ff. de Acquir. vel amitt. possess.* imò & ratio; quia sequester depositarius est, cui res custodienda traditur: depositarius autem non possidet. *d. l. licèt* 17. *§.* 1. *l.* 38. *§. possessionem ff. de Usuris.* ergo nec sequester. Hoc dissidium plerique conciliant distinctione inter sequestrationem necessariam, & voluntariam; ita ut ex necessaria possessio non intercidat possidenti, ex voluntaria verò in sequestrum transferatur possessio. Sed rectiùs distinguunt alii inter sequestrationem simplicem rei, & specialem, videlicet cùm id actum est, ut sequestretur, seu deponatur ipsa possio. In illa tantùm custodia rei traditur; in hac ipsa quoque possessio in sequestrum transit, ut non obscurè insinuatur in *in d. l.* 39. *ff. de Acquir. vel amitt. possess.* ubi Julianus: *interesse puto, quâ mente apud sequestrum deponitur res: nam si omittendæ possessionis causâ, & hoc apertè fuerit approbatum, ad usucapionem possessio ejus partibus non procedet, at si custodiæ causâ deponatur, ad usucapionem eam possessionem victori procedere, constat.* Haunold. *tom.* 4. *de F. & F. tr.* 10. *c.* 8. *n.* 793.

19 *Alter effectus* est obligatio tum sequestri, tum victoris. Sequester obligatur rem sequestratam diligenter, ac fideliter custodire, ne quid ipsius dolô latâve culpâ incommodi capiat; item tenetur colligere fructus, eósque alioquin perituros dissrahere, pretium inde collectum, si commodè possit, pro usuris credere, reddere rationes, ac lite finita victori rem sequestratam cum fructibus restituere. Victor autem obligatur ad indemnitatem sequestro præstandam.

Tertius effectus sequestrationis est actio 20
depositi sequestraria, directa & contraria. Directa competit victori, & ejus hæredibus contra sequestrum, ut finitâ lite, vel aliquando, præstita scilicet sufficienti cautione, relaxatione impetratâ rationes reddat, & rem cum omni causa restituat, *l.* 1. §. 24. *ff. Depositi.* Contraria datur sequestro & ejus hæredi ad consequendos sumptus & damna. arg. *l.* 5. *ff. Eod.*

§. VIII.

Affinis sequestrationi est *arrestatio*, quæ 21
nil aliud, quàm personæ vel rei alicujus detentio securitatis gratiâ facta ad hoc, ne rebus nondum cum creditore compositis moveatur loco. Germanicè, **Arrest/ Kummer / Verbott / Zuschlag.** Gail. *de Arrestis Imperii. c.* 1.

Fieri autem potest talis arrestatio vel au 22
thoritate privata, vel publica. Privatâ authoritate fit vel ex conventione partium, vel sine conventione ex propria solummodo voluntate creditoris. Illa regulariter admittitur ex vi pacti, quod prætor servari jubet in *l.* 1. *&* 7. *ff. de Pactis.* Hæc regulariter prohibetur: cùm nemo sibi ipsi in propria causa jus dicere debeat, aut exequi. *l.* 1. *C. Ne quis in sua causa*, nisi fortè manifestum sit periculum in mora, & debitor v. g. fugitivus: tunc enim licet eundem privatâ quoque authoritate apprehendere. *l. ait Prætor* 10. *§. Si debitorem ff. Quæ in fraud. credit.* authoritate publica fieri dicitur arrestatio, si fiat per loci Magistratum ad instantiam & petitionem par-

partis. Non debet tamen Judex eam ad simplicem & nudam petitionem creditoris concedere, sed tum demum, si justa causa subsit, ac desuper qualiscunque summaria probatio, & cognitio, per quam Judici de ejus necessitate, vel utilitate constare possit, præcedat. Rosbach *in praxi civil. tit.* 28. *n.*40. *& seq.* Quòdsi arrestatus idoneam cautionem præstet per pignora, vel fidejussores, quòd velit respondere coram Magistratu illius loci, ubi arrestatio facta est, cessat, & relaxatur arrestatio: eò quòd creditori, seu arrestatori in causa principali tunc satis cautum sit. arg. *c. fin. §. fin. Ut lite non contest. c.* 1. *& 2. de Dolo, & contum. auth. & qui jurat C. de Bonis authorit. Judic. possid.* Imò si de facto ad petitionem actoris ulteriùs detineatur à Judice, vel non recipiatur cautio, Judex faciet hôc ipsò litem suam, & actor tenebitur injuriarum. Vid. Gail. *de Arrestis Imperii c.* 3.

TITULUS XVIII.
De Confessis.

SUMMARIA.

1. Confessionis definitio. 2. usque 6. Ejus divisio. 6. Non præjudicat confessio, nisi fiat à majorenni. 7. 8. Isque sciens. 9. sponte. 10. & contra se quid asseveret. 11. Pro confessione elicienda adversario porrigi solent positiones. 12. Confessio debet fieri de facto præterito. 13. possibili secundùm naturam. 14. & jus 15. de quo quæstio movetur. 16. Incidenter de se confessus crimen quomodo puniendus sit? 17. Usque 23. requisita. 23. finis. 24. & seqq. Et effectus Confessionis.

MAximam judiciorum difficultatem, & partem in probationibus consistere in propatulo est. Nulla verò melior probatio invenitur, quàm quæ fit per partis confessionem. *l. fin. C. de Fideicommiss. l. generaliter §. & siquidem C. de Reb. cred.*

§. I.

Definitur confessio, quòd sit manifestatio proprii facti, dicti, aut voluntatis, alio præsente facta. Gonzalez *ad c.* 1. *n.*4. *h.t.*

§. II.

Dividitur confessio I. in discretam, & indiscretam. Discreta dicitur, quæ fit cum expressione causæ, ex qua orta est obligatio. Indiscreta, quæ fit tantùm genericè, & absque mentione causæ obligationis: ut si quis confiteatur se Cajo debere 100, non expresso contractu, ex quo debeat.

II. Dividitur in simplicem & qualificatam. Simplex est quando quis adversarii intentionem simpliciter, & sine adjecto aliquo confitetur. Qualificata, quando intentionem adversarii quis confitetur quidem, sed adjecta conditione, seu qualitate aliqua, per quam confessio restringatur: ut si Titius fateatur se hominem occidisse; sed causâ necessariæ defensionis, ac servato moderamine inculpatæ tutelæ.

III. Dividitur in expressam, vel tacitam. Expressa est, quæ fit verbis, scripturâ, vel signis aliis voluntati declarandæ accomodis. Tacita est, quæ ex certo aliquo facto elicitur, vel à lege intervenisse fingitur. Sic tacitè confiteri censetur reus, qui cum actore super delicto privato transigit. *l.* 4. *§. fin. l.* 5. *ff. de his, qui not. infam.* Sic intentionem adversarii fateri censetur litigans, qui ad ejusdem positiones à Judice jussus respondere detrectat. *c. ult. h. t. in* 6.

IV. Et principaliter dividitur confessio in judicialem, & extrajudicialem. Illa est manifestatio proprii actûs coram Judice competente facta. Hæc est manifestatio proprii actûs extra judicium alio præsente facta. Mascard. *de Probat vol.* 1. *q.* 7. *n.* 7.

§. III.

Causa efficiens confessionis est confitens, id est, majorennis, qui sciens, & sponte contra se aliquid asseverat. Di-

Dicitur I. *Majorennis.* Nam si minor 25. annis contra se ipsum confessus fuerit, sibi non præjudicat. *l.* 6. §. 5. *ff. h. t.*. Refert tamen, an minor sit infans, infante major, vel jam pubes? Si sit infans, etiam tutoris authoritate accedente confessio habetur pro nulla: quia negotiuum, de quo interrogatur, non intelligit. Si major sit infante, confessio ab eo facta sine authoritate tutoris non valet: quia sine hac pupillus se obligare nequit; fama autem cum authoritate tutoris, ipso jure quidem subsistit, sed laso beneficiô restitutionis succurritur. *dd.* 6. §. 5. Si jam sit pubes, vel habet curatorem, vel non habet? Si prius: confessio ei non aliter præjudicat, quàm si curator intervenerit, arg. *l* 3. *C. de integr. restit. minor.* Si posterius, confessio præjudicat minori, si extra judicium facta sit, sed læsus in integrum restituitur. *d. l.* 6. §. 5. *ff. h. t.* in judicio facta, regulariter est nulla: quia minor per se loquendo personam legitimam standi in judicio non habet. *l.* 2. *C. Qui legit. person. standi in jud. non hab.*

7 Dicitur II. *qui sciens:* non enim fatetur qui errat, nisi jus ignoraverit, inquit Ulpianus *in l.* 2. *ff. h. t.* Igitur distinguendum est, utrùm in jure, an in facto quis erret? vel rectiùs cum nostro Panorm. in *c. fin. n.* 2. *Eod.* num quis culpabiliter, puta, ex lata culpa erret, an inculpabiliter, seu solùm ex levi, aut leviſſima culpa juxta *l.* 11. §. 11. *ff. de Interrogat. in jure fac.* ibi: *nisi culpa dolo proxima sit;* cùm in aliquibus personis, veluti in milite, fœmina, minore &c. error juris quoque levis censeatur, veniámque mereatur. *l. regula* 9. *ff. de Juris & facti ignor.* Primo itaque casu, si error crassus, & culpabilis est, v. g. juris clari, aut facti proprii recentis, regulariter confessio nocet confitenti, nec eam revocare licet; bene autem casu altero, si error est inculpabilis, & probari potest: Ut ecce! confiteor Titium debere mihi 100. & ex postfacto deprehendo, debere 200. si id probare possim, v. g. ex syngrapha ipsius, nil mihi nocebit mea confessio, eámque probato errore ante sententiam revocare possum. Imò si quis errorem in continenti revocet, id est, antequam sua dicta redigantur in scripturam, vel antequam narrationem suam penitus concludat, aut à Judice abscedat, errorem probare haud necessum est, sed sufficiet allegare, se deceptum esse, quemadmodum testis ita dictum suum revocare potest per *c.* 7. *de Testib. cog.* P. Engel *h. t. n.* 16. Eâdem ratione 8 confessio advocati, defensoris, vel procuratoris, nisi ad hoc speciale mandatum habeat, semper revocari potest: magis namque creditur principali factum proprium neganti, quàm advocato aut procuratori factum alienum confitenti. *l.* 6. § 4. *ff. h. t. l.* 9. §. *si defensor* 4. *ff. de Interrog. in jure fac.* Idque adeò procedit, ut nec opus sit, docere errorem, aut falsitatem, etsi ex intervallo revocetur; nisi confessio in judicio per viam jurisdictionis facta sit, & necessitas respondendi procuratori à Judice fuerit imposita: tunc enim videtur ex officio respondisse, & in persona principalis, quam in simili actu representat. *c. f. h. t. l.* 25. §. 1. *ff. Ad L. Aquil.* Schotanus *in Exam. jurisd. h. t.*

Dicitur III. *& sponte:* quoniam si quis 9 vi, vel metu compulsus quid contra se ipsum fatetur, talis confessio non valet, & cessante metu revocari potest. *c.* 1. *causâ* 15. *q.* 6. *l.* 1. §. 23. *&* 27. *ff. de Quæstionib.* Ratio est: quia deficit præsumptio, in qua vis propriæ confessionis fundatur, cùm sæpe ob vim, metum, aut etiam dolum quis contra se ipsum testimonium perhibeat. Unde videmus, quòd nemo ad mortem

condemnetur ex sua confessione in tortura facta, eò quòd hæc confessio non satis libera, sed extorta censeatur teste Mynsing. *Cent. 5. Observ. 77.* Verùm si quis in tormentis crimen fateatur, altero die ducitur ad bancum juris, ut loquuntur, id est, extra conspectum tormentorum, in conclavi aliquo interrogatur de crimine, & si tunc in sua confessione perseveret, primùm pro confesso habetur. Panorm. in *c. fin. h. t. n.* 12. arg. *l.* 2. *C. de Custodia reorum.*

10 Dicitur IV. *Contra se aliquid asseverat.* Si quis enim pro se aliquid asserit, non creditur, nisi probet. *cap.* 3. §. 24. *causâ* 4. *q.* 3. Imò etiamsi quis contra se fateatur, si tamen confessio cedat in præjudicium Reipublicæ, talis confessio plenam fidem non facit, ut si, cùm Judex contra aliquam inquirit de furto, dominus rei ablatæ veniat, & profiteatur, se non fuisse invitum, adeóque furtum propriè dictum factum non esse, non creditur tali confessioni, nisi alia quoque indicia concurrant, v. g. quòd is, qui abstulit, fuerit amicus, res ablata exigui pretii &c. sicut enim inter privatos unius confessio non præjudicat alteri, ita etiam Reipublicæ, cujus interest, delicta non manere impunita, alterius confessio præjudicare non debet. Interim talis confessio offensi maximam præsumptionem facit, & contrariam præsumptionem elidit adeò, ut in dicto casu, quo dominus fatetur, se non fuisse invitum, aut casu, quo lethaliter vulneratus fatetur, se non à Titio vulneratum esse, &c. non possit torqueri reus, licèt adsint indicia, aliàs ad torturam sufficientia: quia præsumptio contra reum per contrariam præsumptionem ex confessione partis læsæ eliditur, ut docet Alexand. *l.* 2. *consil.* 24. *n.* 15. post Bartol. & alios.

11 Porrò ad eliciendam confessionem adversarii communi omnium fermè Tribunalium usu receptum, & de Jure Can. in *c.* 1. *& 2. h. t. in* 6. *& in Clem. sæpe de V. S.* comprobatum est, quòd adversario certæ quædam positiones ex libello extractæ porrigantur, præstito priùs juramento non ponendi aliquid falsi per calumniam, quod *juramentum dandorum* appellant Practici, v. g acturus ex empto ita positiones suas concipiet: Primò pono, Te mihi equum tuum tali die, vel loco venalem proposuisse. Secundò de pretio inter nos conventum. Tertiò equum mihi traditum. Quartò nullum pactum addictionis in diem, retrovendendi &c. adjectum esse. Ad has positiones reus præmisso similiter juramento non dicendi falsum, quod *juramentum respondendorum* vocant, respondere cogitur; & quidem si positiones sint de facto ipsius proprio, ut in exemplo dato debet categoricè respondere, ita esse, vel non esse; si verò sint de facto alieno, vel tales, quas certò non scit; tenetur saltem respondere per verbum: credo vel non credo. Quamvis autem reus articulum, seu positionem alioqui non absolutè fateatur, sed tantùm dicat, se credere, verum esse, tamen actor ab onere probandi relevabitur, & articulum talem tanquam verum supponet: quia in quantum agitur de præjudicio contentis, æquè præjudicat confessio de credulitate sicut de veritate juxta doctrinam Panorm. *in c. quoties 5. num.* 8. *de Testib.* Quòdsi reus, vel ejus procurator post jussum Judicis obstinatè, & sine justa causa respondere recuset, pro confesso habebitur. *c.* 2. *h. t. in* 6.

§. IV.

12 *Materia*, seu *objectum* confessionis est factum confessatum, ex parte cujus quatuor requiruntur, ut subsistat confessio.

I. Ut sit præteritum, aut præsens: nam futu-

futura promittimus, speramus, aut timemus, præterita verò aut præsentia confitemur. Unde licèt dixeris, te proximis Calendis Augusti facturum testamentum, vel agrum empturum, hac tamen assertione tibi non præjudicas, sed liberè recedere potes à proposito.

13 II. Ut factum illud sit possibile secundùm naturam; quamvis enim etiam ex falsa confessione quis teneatur, necesse tamen est, ut falsa confessio naturalibus conveniat, & verosimilis sit. *l. confessionibus 13. ff. de Interrogat. in jure faciend.* Quare non præjudicat, & nulla est confessio, si ætate senior fateatur, se esse filium minoris. *d. l. 13. pr.* vel si impubes, aut castratus de adulterio accusatus id se perpetrâsse fateatur. *c. quod sedem de Frigid. & malef.* vel si quis confiteatur se occidisse hominem, quem etiamnum vivere aliunde innotescit. *l. 23. §. ult. ff. Ad l. Aquil.* Gloss. in *c. fin. h. t. V. confessus.* Inde est, quòd, ubi crimen relinquit vestigium, nunquam procedatur ad executionem, utcunque reus convictus, seu confessus sit, nisi priùs constet de corpore delicti, ut dici solet, v. g. si quis fateatur, se perpetrâsse homicidium, priùs inquiritur de cadavere: vel si furtum quis confiteatur, indagatur, an revera tale furtum in tali loco, sicut asseritur, factum sit, &c.

14 III. Requiritur, ut id, de quo fit confessio, non sit contra jus: *confessiones enim ita rate sunt, si id, quod in confessionem venit, & jus, & naturam recipere potest. l. 14. §. 1. ff. de Interrogat. in jure fac.* & de his, quæ contra jus jus sunt, nec pactum nec confessio valet arg. *c. fin. de Pactis.* Hinc non nocet confessio, si quis dicat, se obligatum juramentò, vel promissione ad aliquid, quod intrinsecè malum est per *c. 18. de Jurejur.* vel si quis asserat, se validam professionem emisisse, cùm tempore professionis necdum 16. annum explêsset per Trident. *sess. 24. de Regularib. c. 15.* vel si Christianus cum Judæa, aut cum consanguinea in gradu prohibito matrimonium se contraxisse fateatur per *c. cave Christiane causâ 28. q. 1. & t. t. de Consanguin. & affinit.*

IV. Ut confessio judicialis super eo di- 15
rectè concipiatur, quod in quæstionem venit, & ab adversario intenditur: alioquin inutilis erit. Ummius *ad Proceff. judic. disp. 13. n. 42.* Quapropter etsi positionibus ritè formatis adversarius respondere cogatur, ut dictum, si tamen positiones sint impertinentes, ita scilicet, ut licèt veras esse ponamus, tamen non sufficiant ad condemnandum reum, tunc ad illas respondere non debet, sed à judice tanquam irrelevantes ex officio rejiciendæ sunt. Quin imò si actor inter positiones, vel articulos attingat crimen occultum rei, quamvis id aliqualiter ad rem faceret, non tenetur reus se ipsum prodere, sed responsionem denegare potest. Gloss. *in c. cùm causa 37. V. in caus. de Testib.* Interim in dubio, an aliqua positio ad rem faciat, vel non? potiùs admittenda est, saltem cum clausula: *salvo jure impertinentium*, cujus clausulæ hic effectus est, ut si ex postfacto appareat, positionem impertinentem, & non admittendam fuisse, eò ipsò pro rejecta habeatur, & confessio, vel probatio ejus nil præjudicet, perinde, ac si ab initio statim rejecta fuisset Harprecht. *in Proceff. judic. disp. 1. concl. 78.* Honorius *h. t. n. 12. & seqq.*

Hìc *scrupulus* se insinuat: an pœnâ ordi- 16
nariâ puniri possit is, qui confitetur crimen contingens causam principalem, vel incidenter in judicio? Negativam suadet ratio, quòd, si crimen incidenter solùm detegatur, ad hanc pœnam non agatur; sem-

per autem videndum est, ad quid agatur: quia secundùm modum agendi formanda est sententia, ut ait Gloss. in *c. 2. V. restitutio de Ordine cognit.* per text. *in c. denique de Except.* & *c. licèt* 31. *de Simon.* Affirmativam probat. *c. 2. h. t.* ubi Innocentius III. Canonicum crimen simoniæ tantùm incidenter confessum privavit officiô, & beneficiô, quæ privatio est ordinaria pœna simoniacorum juxta *c.* 11. & 37. *de Simonia.* Ego pro conciliandis his opinionibus, ac juribus cum Barbosa, Gonzal. & Glossa in *d. c. 2. h. t.* dicendum puto, quòd, etsi ob allatam rationem crimen propter solam incidentem ejus confessionem pœnâ ordinariâ coërceri nequeat, possit tamen ita puniri, si judex instituto novo processu in criminosum ex officio inquirat, confessionem ejus de crimine commisso incidenter antea factam producens, ut eam denuo confirmet; quod fieri posse constat ex *c.* 16. *causâ* 3. *q.* 9. *l.* 24. *C. de Probat.* & docet Laymann in *d. c. 2. de Ordine cognit. n.* 4. & *in c.* 4. *n.* 4. *de Causa possess. & propriet.*

§. V.

17 *Forma* confessionis desumitur à requisitis. Ubi confessio judicialis secernenda est ab extrajudiciali.

Ad *judicialem* requiruntur duo. *Primum* est, ut fiat coram Judice competente: facta enim coram incompetente tantùm habetur pro extrajudiciali, quæ plenè non probat. *c.* 4. *de Judiciis.* Hinc Studiosus coram Magistratu civico, vel Clericus coram Judice sæculari crimen confessus, nec à proprio Judice tanquam convictus, vel confessus condemnari potest. *d. c.* 4. Pro Judice tamen probabiliùs quoque arbiter habetur: cùm arbitria ad instar judiciorum sint redacta. *l.* 1. *ff. de Recept. qui arbitr.* Marant. *in Spec.* 6. *p. tit. de Confess. n.* 31.

Non immeritò *dubitatur*: an hæc confessio necessariò fieri debeat coram Judice pro tribunali sedente, vel coram eo, ubicunque adsit? Plerique volunt, necessariò debere fieri coram Judice pro tribunali sedente: siquidem ea communiter confessio judicialis dicitur, quæ fit in jure. *l. un. C. h. t.* jus verò ibidem dicitur locus, in quo judicandi gratiâ Judex sedet. *l. penult. ff. de J. & J.* Sed magis est, ut cum Gloss. in *d. l. un. C. h. t.* censeam, confessionem factam apud Judicem ut Judicem quovis loco judicialem esse per *l. voluit* 4. §. 1. *ff. de Interrogat. in jure fac.* ubi Ulpian. exponendo verba illa: *qui in jure interrogatus responderit*: asserit interrogatum in jure eum, qui à Judice fuit interrogatus quovis loco, ubi judicandi causâ adfuerit, sive domi, sive in itinere. Ergo similiter in *d. l. un. C. d. Confessis* verba: *in jure*: accipienda sunt pro quovis loco, ubi Prætor de ea causa cognoverit, circa quam confessio fit. Juvat etiam hanc sententiam, quòd confessio facta in processu summario sit utique judicialis, in quo tamen Judex pro tribunali jus non dicit. *arg. Clem.* 2. *de Judiciis. & Clem.* 2. *de V. S.* Nec me movet opposita *l. penult. ff. de J. & J.* in qua asseritur, jus rectè appellari locum, in quo prætor jus dicere consuevit salvâ majestate imperii: ibi namque jus quasi per antonomasiam dicitur locus consueti tribunalis; at non negatur, quemvis alium locum, in quo jus dixerit, sic nuncupari posse.

In *disquisitionem* quoque venit: quid juris, si confessio fiat coram Judice competente, sed judicium vel ex defectu processûs, vel ob non servatum juris ordinem sit nullum? Talem confessionem pro judiciali habendam esse, tenet Alex. *in consil.* 13. *col.* 3. *lib.* 1. Innocent. *in c. Pisanis* 19. *pr. de Restit. spol.* Decius *in c.* 4. *n.* 17. *de Judi-*

dicitii. & Rosbach *in Praxi civil. tit.* 65. *n.*23. Neque ego diversum statuo: quia ad valorem confessionis nullus processus requiritur, & potest aliquis ante litem inchoatam judicialiter confiteri. Proinde si judicium, & omnia acta judicialia sint nulla, talis confessio ante judicium cœptum, sive ante litis contestationem facta censebitur.

20 *Alterum* requisitum confessionis judicialis est, ut confessio fiat præsente adversario, vel ejus Procuratore, tutore, vel curatore saltem de Jure Civili. *l. fin. ff. de Interrogat. in jur. fac. & l.* 6. *§.* 3. *ff. h. t.* ubi ratio indicatur: quòd non soleat quis absenti condemnari. Addidi: *saltem in Jure Civili:* quoniam de æquitate canonica parte absente facta confessio valet, plenámque fidem meretur. Panorm. *in c. fin. h. t. n.* 16. Honor. *n.* 10. cum pluribus citatis: quia licèt ad hoc, ut alicui ex confessione alterius obligatio, vel liberatio quæratur, ejus præsentia & acceptatio sit necessaria, eò quòd tunc confessio sit implicitum pactum, & tacita promissio; attamen si præcisè de probatione per confessionem agatur, tum solùm attendendum videtur, num quis scienter, & deliberatè confessus sit: nam iniquissimum foret, confessionem suam Judici scienter, & deliberatè factam revocare, ideo præcisè, quòd adversarius præsens non fuerit: & sanè, si verum fuit, quod Judici dixit, tolerandum haud est, ut in præsentia adversarii contrariũ effutiat.

21 Nunquid verò saltem quis confessionem in absentia adversarii factam revocare poterit allegatâ duntaxat verosimili causâ erroris, absque eo, quòd errorem suum, aut falsitatem dictorum juridicè probare teneatur; quâ ratione confessionem judicialem in continenti, & extrajudicialem absente adversario, vel causâ non expressâ factam libere revocare potest? & hìc, ut verùm fatear, nulla sufficiens ratio, vel æquitas apparet, quæ à dispositione juris Civilis discessionem imperet, sed ut confessio pro judiciali, & irrevocabili habeatur, præsentia adversarii desiderari videtur etiam in foro Canonico juxta receptam regulam: quòd quotiescunque aliquid de jure Civili expressum est, quod de jure Canonico dubium, vel obscurum, sequamur jus Civile etiam in foro Canonico, & econtra per text. in *in c.* 1. *d. N. O. N.* Sed hoc intellige de confessione simpliciter facta: secus est, si quis in libello Judici porrecto, vel in alia scriptura, quam scit adversario suo communicandam, aliquid confiteatur: cùm enim scriptura semper loquatur, non tantùm judici, sed parti quoque adversæ confessus esse censetur, ac proinde talis confessio plenam fidem facit, teste Panorm. *in d. c. fin. n.* 15. *h. t.*

22 *Ad confessionem extrajudicialem* non requiritur præsentia adversarii, sed illud tantùm, ut, si ad obligationem inducendam sit ordinata, causa debendi specificè in ea exprimatur: alioquin non præsumitur deliberata, & seria. Zoësius *h. t. num.* 3. Quamobrem sive scribam, sive coram testibus, vel juxta quorundam sententiam coram ipso etiam meo adversario dicam, me ei 100. debere, nisi una causam, puta mutui emptionis, aut similem, ex qua debeo, addam, mea confessio nihil probat, nec quidem tantam præsumptionem inducit, ut adversarium ob onere probandi relevet. *l. cùm de indebito* 25. *§. fin. ff. de Probat. c. si cautio* 14. *& ibi* DD. *de Fide instrument.* Aliud obtinet in confessione judiciali, quæ, etsi nullam causam complectatur, tamen plenam fidem operatur. Panorm. *in cit. c. fin. n.* 14. *h. t.* Castrens. & alii *in l.* 1. *ff. Eod.*

§. VI.

§. VI.

23 *Finis*, in quem confessio præsertim judicialis fit, est, ut veritas controversiæ sine longioribus ambagibus eruatur. *c. 1. ubi* Gloss. & DD. *h. t. in 6.*

§. VII.

24 *Effectus* confessionis pro ejusdem diversitate diversi sunt.

Effectus confessionis judicialis sunt: I. Non tantùm vim probationis habet, & actorem ab onere probandi relevat, sed etiam instar sententiæ, & rei judicatæ censetur: nam confessus suâ quodammodo sententiâ pro judicato habetur. *l. 1. ff. l. un. C. h. t.* adeò, ut Judex non debeat sententiam ferre, sed solùm solutioni, vel satisfactioni terminum præfigere, aut damnum æstimare. *l. proinde 25. §. 2. ff. ad leg. aquil.* Verùm hoc in causis civilibus duntaxat, & si confessio ante litem contestatam fiat, verum autumo cum Panorm. *in sæpe. d. c. fin. n. 18. h. t. per l. 3. & 5. ff. Eod. l. 5. ff. de Custod. & exhib. Reor.*

25 II. Confessio in jure facta parit notorium. *c. vestra 7. & ibi* Fagn. *n. 71. de Cohabit. Cleric. & mul.* ideóque appellationem excludit juxta *c. 13. & 14. de Appellat.*

26 III. Confessio judicialis, si sponte fiat, tollit præsumptionem juris & de jure, licèt alia probatio non admittatur. Maranta *p. 6. tit. de Confess. n. 22.* Mascard. *de Probat. concl. 344. n. 4.*

27 IV. Tametsi post conclusionem in causa non recipiatur alia probatio, recipitur tamen probatio per spontaneam confessionem. Bald. *in Rubr. C. de Probat. col. 4. v. ego aliter probo.*

28 V. Superat omne genus probationis, eò usque, ut talis confessio infringat omnes probationes factas per testes, vel instrumenta in favorem confitentis contrarium; & nunquam reduci ad concordiam testium dicta cum confessione producentis, consuluit Roman. *consil. 391. in fin. n. 8.* quem refert Maraat. *l. cit. n. 21.* & Mascard. *d. concl. 344. n. 2.*

Effectus confessionis extrajudicialis; alius est in causis civilibus, alius in causis criminalibus.

In causis civilibus interdum plenè, interdum semiplenè, interdum omninò nihil probat. Plenè probat, si sit discreta, & in scriptis, vel præsente adversario facta, ac per duos testes integræ fidei probata. *l. 13. C. de non num. pec. c. 14. de Fide instrum.* nisi ex circumstantiis contrarium appareat, ut quòd calore iracundiæ quid dictum fuerit. *l. 48. ff. de R. J.* vel evidentissimis probationibus in scriptis contrarium ostendatur. *l. 25. §. fin. ff. de Probat. l. 13. C. de non numer. pec.* Semiplenè regulariter probat confessio extrajudicialis, si sit discreta, & fiat absente adversario; vel etiam probabiliter, si sit indiscreta, & fiat adversario præsente, cùm ob præsentiam adversarii jam præsumatur facta cum aliquali deliberatione. Quòdsi sit indiscreta, & fiat absente adversario, omninò nihil probat, sed præsumitur ex præcipitantia, & indeliberatione processisse. *d. c. 14. de Fide instrum. d. l. 25. §. fin. ff. de Probat.* & ibi DD. Latè Pirrhing. *h. t. n. 36.*

Quæstionis est: quid operetur confessio in articulo mortis, vel in testamento absente adversario facta? Communiter placuit, si discreta sit confessio, eam contra hæredem plenè probare, præsertim si liberationem à debito concernat, ut si testator asseveret, debitum ex mutuo solutum esse, nisi liquidò probari possit defunctum errâsse. *l. 1. & 4. C. de Falsa causa adject. l. 2. ff. de SC. Silaniano.* Nec immeritò: quia in vitæ discrimine, sicut & in testamento præsumitur, omnia sincerè agi, neque te-

me-

merè aliquid in præjudicium testatoris fieri. Interim in testamento facto ante mortem per testatorem revocari potest, ut quæ ante ejus mortem firmum esse non habet. Zoël. *ad ff. h. t. n.* 19. Si vero confessio sit indiscreta, & de causa non appareat, tunc valet saltem in vim legati, vel fideicommissi. *l.* 28. *§. fin. ff. de Liberat. legata. l.* 93. §. 1. *ff. de Legat.* 3. Multùm autem interest, an confessio defuncti valeat in vim debiti, dum v. g. fassus est, se debitorem ex mutuo, vel an valeat in vim legati, aut fideicommissi: quia ex his detrahitur falcidia, vel trebellianica, non item ex debito.

31 *In causis criminalibus* confessio extrajudicialis plenam fidem non facit, neque sufficit ad condemnationem, facit tamen quandoque indicium ad torturam. *c.* 25. *de Rescript.* Bart. Bald. & Angel. *in l. quoniam ff. de his, qui not. infam.* idque sive parte præsente facta sit, sive absente. Felinus in *d. c.* 25. *n.* 2. ubi multis modis limitat, & in *c. at si Clerici col.* 6. *de Judiciis.* ubi plures casus cumulat, in quibus confessio extra judicium plenè probat etiam in criminalibus. Planè confessio Sacramentalis per confessarium, aut auscultantes revelata nullum efficit indicium ad torquendum, cùm Sacerdoti tanquam locum DEI tenenti facta sit. *c. Sacerdos de Pœnit. dist.* 6. *c.* 2. *de Offic. Ordinar. c.* 12. *de Pœnit. & remiss.*

32 Illud universim circa confessionem notandum, quòd confitenti præjudicet, non etiam aliis in ea confessione nominatis, nulli siquidem in præjudicium tertii creditur, etsi in articulo mortis constitutus sit, quo tempore aliàs nemo temerè quid dicere aut salutis suæ immemor esse præsumitur. *l.* 3. § 1. *ff. de SCto Silaniano l.* 6 *C. de Testament. Novell.* 48. *c.* 1. §. 1. Sic si confessus delictum proprium manifestet complices, adversus eos nihil probat; quamvis si infamiâ aliquâ laborent, purgatio Canonica illis indici possit *c.* 1. *h. t.* Si mater in vitæ exitu filium ex adulterio susceptum asserat, hâc confessione non obstante pater tenetur filium tanquam suum agnoscere & alere, nec ideo à successione aut aliis juribus legitimis propriis excludi potest. *l.* 29. §. 1. *ff. de Probat.* Similiter si quidam ex hæredibus ejus, quem debitorem meum fuisse contendo, agnoverunt debitum pro sua portione id exsolvendo, non ex eo & alii cohæredes urgentur, cessantibus adversus ipsos probationibus. *l.* 1. *C. Res inter alios acta, vel judic. aliis non noc.*

Interrogari hic solet, an etiam confessio qualificata noceat confitenti, ita ut ab adversario acceptari possit quoad substantiam & repudiari quoad qualitatem: *R.* distinctè: vel enim qualitati confessionis obstat aliqua præsumptio juris, vel non? *Si priùs* confessio quoad substantiam admitti potest, quoad qualitatem rejici: ut si reus confiteatur, se occidisse ad sui defensionem, vel dixisse verba contumeliosa sine animo injuriandi, tum statur confessioni contra se, non autem creditur annexa qualitas, nisi probetur; eò quòd contra illam militet præsumptio juris, quæ est, ut quilibet occidens, vel dicens verba injuriosa censeatur habere animum offendendi. *l.* 1. *C. ad l. Cornel. de Sicariis. l.* 5. *C. de Injur.* Notat tamen Haunold. *de J. & J. tom.* 5. *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 514. eum, qui confessioni attexit qualitatem excusantem, v. g. homicidio perpetrato causam defensionis, etsi illam probare nequeat, mitiùs puniri posse. *Si posteriùs*, refert, an qualitas adjecta sit connexa, an omninò diversa, seu separata? Si sit connexa, confessio dividi non potest, sed debet vel tota recipi, vel tota repudiari: ut si reus dicat, se promisisse,

vel donâsse sub conditione, vel recepisse centum, quæ sibi debebantur ex causa mutui. Si verò qualitas sit separata, ut si reus confiteatur, se promisisse mille, sed solvisse, vel pactum de non petendo interveniss̃e, tum actor potest partem confessionis sibi utilem acceptare, & sibi contrariam respuere. Gutierrez *Practicar. l. 1. q. 126. n. 2.* Boër. *decis. 243. n. 3. per l. perfecta C. de Donation.*

TITULUS XIX.
De Probationibus.

SUMMARIA.

1. Probatio quid nominis? 2. Quid rei? 3. 4. Et quotuplex?

5. Duæ probationes semiplenæ in causis civilibus faciunt plenam. 6. 7. 8. Non item in criminalibus, aut his æquivalentibus.

9. Usque 18. Cui incumbat onus probandi?

18. Usque 24. Materia probationis est controversia facti, & quandoque etiam juris.

24. An negationes, seu intentio negativa litigantis probari possit?

25. Usque 29. Qualis debeat esse probatio, & quando facienda sit?

29. Finis. 30. Usque 35. Effectus probationis.

36. Et seq. Utrùm Judex secundùm conscientiam, an verò secundùm allegata & probata judicare teneatur?

PRo non confitente intentionem actoris deveniendum est ad probationes; de quibus in genere *hoc tit.*

§. I.

1 *Probatio* deducitur à nomine *probo*: nempe quòd probaturus id agat, ut probum, ac rectum, nec calumniosè, aut improbè confictum judicetur id, quod intendit. Maschard. *de Probat. vol. 1. q. 3. n. 3.* Germanicè dicitur eine Beweisung.

§. II.

2 *Definitur* Probatio, quòd sit actus judicialis, quo per idonea argumenta de facto aliquo, de quo in judicio controversia est, Judici fit fides, Struvius *Syntag. Jur. Civil. exercit. 28. th. 2.*

§. III.

Dividitur Probatio I. in judicialem, & extrajudicialem. Illa est, quæ fit in judicio post litem contestatam; de qua hic potissimùm agitur. Extrajudicialis est, quæ extra judicium, & ante litis contestationem suscipitur; qualis est probatio ad perpetuam rei memoriam. *c. fin. §. 1. Ut lite non contest.*

II Dividitur in probationem plenam & non plenam. Plena est, quæ Judici tantam demonstrationem, & fidem facit, quanta ad definiendam controversiam sufficit, cujus species dicuntur confessio judicialis, testimonium duorum, vel trium idoneorum testium, instrumentum authenticum, evidentia facti, & præsumptio juris & de jure. Probatio minùs plena illa vocitatur, quæ aliqualiter quidem causam probat, sufficientem tamen fidem ad litem decidendam non inducit; cujus species sunt confessio extrajudicialis, unius testis effatum, instrumentum, seu scriptura privata, comparatio literarum, fama, & præsumptio levis.

Quæstio hìc incidit: an probatio semiplena adjuta, & adjuncta aliis probationibus minùs plenis probationem plenam constituere possit? Id quod affirmandum, modò simul in unum & eundem finem respiciant: nec sint diversorum factorum, & quælibet illarum imperfectarum probationum in sua specie sit perfecta; nimirum testis omni exceptione major, & fama per duos testes legitimè probata; Neque tum refert, sive ejusdem generis, ut duorum testium testimonium, sive diversa, ut unius testis testimonium, & confessio extrajudicialis, fama, aut comparatio literarum fuerint. Menoch. *l. 1. præsumpt. q. 41.* Mynsing. *Cent. 2. observat. ult.* Brunneman in *Pra-*

Proceſſ. Civil. c. 18. *n.* 10. & Textus ſunt *iuc.* 13. *h. t. l.* 5. *C. Eod. c. fin. de Succeſſ. ab inteſt.*

6 Fallit tamen hæc doctrina I. in cauſis criminalibus, quando ad pœnam corporalem, & effectum puniendi agitur : quia in his probationes pleniſſimæ in uno certo genere, & luce meridianâ clariores deſiderantur. *l. fin. C. h. t.* Secus eſt, quando ad effectum torquendi, inquirendi, aut ſuſpendendi probatio fieri debet, ut tradit Mynſing. *cent.* 5. *obſer.* 33. Gomez *Var. reſol. tom.* 1. *c.* 17. *n ult.*

7 Fallit II. Etiam in cauſis matrimonialibus, imò in civilibus quibusvis valde arduis, quæ criminalibus quoad pondus, & gravitatem æquiparari ſolent. Menoch. *d. q.* 41. *n.* 10. *&* 11.

§. IV.

8 *Cauſa efficiens* probationis eſt probans. Et ſpectat probandi onus communiter ad actorem, velut petentem, & aliquid ad ſuæ petitionis fundamentum allegantem. *l.* 2. *§. & 21. ff. l.* 1. *C. h. t.* ſine dubio ideo : quia ſi aliquid petere, & non probare ſufficeret, nihil eſſet tam injuſtum, quod peti, nulla innocentia, quæ opprimi non poſſet. Maſcard. *de probat. vol.* 1. *concluſ.* 36.

9 Ampliatur I. Ut in judiciis duplicibus familiæ erciſcundæ, communi dividundo, finium regundorum, interdicto uti poſſidetis, & utrobi utraque pars probare debeat, eáque vincat, quæ meliùs probaverit. *c.* 3. *& 9. h. t.* quia in his uterque litigator actor eſt. *l.* 13. *ff. de Judiciis.* P. Engel *h. t. n.* 4.

10 Ampliatur II. Ut actor etiam negationem probare teneatur, ſi in illa ſuam intentionem fundet : quandoquidem cuivis incumbit probare fundamentum ſuæ intentionis, niſi pro ſe præſumptionem aut intentionem fundatam habeat. Bartol. *in l. in illa* 8. *n.* 5. *ff. de V. O.* Igitur hæres, qui allegat hæreditatem non eſſe ſatis locupletem ad integra legata ſolvenda, & propterea vult de legatis detrahere falcidiam probare tenetur non eſſe tantùm in bonis defuncti. *l.* 17. *ff. h. t.* Similiter ſi petis fideicommiſſum tibi relictum ſub conditione : *ſi hæres ſine liberis decederet*, probare debes, liberos eum non reliquiſſe. Fachin. *l.* 6. *Controverſ. c.* 44. contra Alciat. Alexand. Mantic. Maſcardum, & alios.

Ampliatur III. Ut actore non probante, reus, etſi nihil præſtet, ſit abſolvendus. *c. fin. §. ſanè. de Jurejur. l.* 4. *C. de Edendo. l.* 2. *l. actor C. h. t.* Cujus ratio eſt : tum quia magis favendum reo, quàm actori : *l. favorabiliores. ff. de R. J.* tum quia tutiùs eſt nocentem abſolvere, quàm innocentem condemnare. *l. abſentem.* 5. *ff. de Pœnis.* tum quia hòc ipsô, quòd non appareat aliquem reum eſſe, in jure habetur pro innocente ; cùm in foro externo, ubi occulta non videntur, non eſſe, & non apparere æquiparentur. 11

Quamquam autem hæc regulariter ita ſe habeant, ſunt tamen caſus, in quibus probatio reo incumbit : ut 12

I. Si Judex Juramentum purgatorium deferat : hoc quippe locò probationis eſt, & à reo indiciis prægravato recuſari non poteſt. *d. c. fin. de Jurejur.* Haunold. *tom.* 5. *de J. & J. tr.* 4. *n.* 108.

II. Si reus fretus ſuo jure velit non audito actore exceptionem ſuam probare : cùm juri ſuo quisque renuntiare poſſit arg. *c.* 1. *de Reſtit. ſpol. l.* 14 *ff. h. t.* Quo tamen caſu, ſi in probatione defecerit, nihilominus venit abſolvendus, actore non probante, ex vulgata regula : actore non probante reus abſolvitur. Vallenſ. *h. t. §.* 3. *n.* 4. niſi alleget ſolutionem : tunc enim, ſi eam non probet, firmat intentionem actoris : quia eam allegans videtur ſe agnoviſſe debitorem. Zoëſ. *h. t. n.* 8. 13

14 III. Si actor sit persona privilegiata: veluti si indebitum solutum queratur, & repetat pupillus, minor, mulier, vel forte vir quidem perfectæ ætatis, sed miles, vel agricola, & rerum forensium expers, tum is, qui accepit pecunias, probare debet, se bene eas accepisse, & debitas ei fuisse solutas, & si non ostenderit, eas redhibere. *l.* 25. *§.* 1. *ff. h. t.* Eodem modo, si major à minore emat bona immobilia, & postea minor volens recedere ab emptione prætendat, non interveniisse decretum Judicis, is non tenebitur probare defectum hujus solennitatis, sed emptor debet docere, eam interveniisse. *l.* 13. *§. fin. ff. de Public. in rem act.* ibi: *qui à pupillo emit, probare debet, tutore auctore, lege non prohibente se emisse.* Licèt alioquin præsumatur, omnia solenniter acta, nisi contrarium ostendatur. *l.* 30. *ff. de V. O.* Haunold. *d. tr.* 4. *n.* 29. *&* 30.

15 IV. Reus probare debet, si contra eum pro actore militet præsumptio: nam hæc est vis & potestas præsumptionis, ut ab onere probandi relevet, & illud in adversarium, contra quem præsumitur, transferat. *l. generaliter* 24. *§. sed etsi ita in fin. ff. de Fideicommiss. libert. l. ult. in pr. ff. Quod metûs causâ l. si extraneus* 6. ibi: *nisi fortè evidentissimis ff. de Condict. causâ datâ.* Unde si is, qui accepisse dicitur bem, vel pecuniam indebitam, hoc negaverit, & ipse, qui dedit, legitimis probationirus, solutionem probaverit, certè reus ille necesse habet probare, quòd pecuniam debitam acceperit: aliàs enim præsumitur indebitam accepisse. *l.* 25. *ff. h. t.* Imò si præsumptio juris & de jure pro actore sit, ne quidem onus probandi in reum transfrtur, sed is pro convicto habetur, cùm econtra præsumptionem juris, & de jure nulla probatio admittatur, ut dicemus *in tit. de Præsumt.*

V. Probare debet reus, si excipiendo[illegible] quid asserat: quia tunc subit vices actoris *l.* 19. *ff. h. t. l.* 1. *C. Eod.* E. g. si ajo me tibi pecuniam credidisse, sed tu te solvisse, aut pactum de non petendo præcessisse affirmes, solutionem, aut hoc pactum probare teneris *l.* 12. *ff. Eod.* Diversum obtinet, si reus excipiendo aliquid neget, ut patet in exceptione non numeratæ pecuniæ, quâ à reo propositâ actoris est numerationem probare. *l.* 3. *&* 10. *C. de non numerata pec.* Brunnem. *in Proceff. Civil. c.* 18. *n.* 16.

Opportunè hic *quæritur:* an in defectu probationum pars parti contra se instrumenta & rationes edere, seu exhibere teneatur? Et pro regula circumfertur, quòd actor reo, non autem reus actori instrumenta sua edere cogatur. *c.* 1. *h. t. l.* 4. *§. & fin. C. de Edendo.* ubi hujus diversitatis rationem assignat Imperator: quia indecens est, actorem sine fundamento litem inchoare, & causam suam super alienis documentis fundare: econtra æquissimum, si reus, à quo aliquid petitur, sibi rationes adversarii, quibus se instruat, promi desideret, ut qui invitus trahitur ad judicium, non ad alium lædendum, sed ad se tuendum.

Reperias tamen plures exceptiones hujus regulæ, quibus reus actori instrumenta edere debet. *Prima* est, si instrumentum sit commune; quod indistinctè edendum est illi, cum quo commune est, ad fundandam etiam intentionem & litem inchoandam. Atque hoc sive instrumentum commune sit ratione proprietatis, & ipsius chartæ, quo modo instrumenta defuncti sunt communia omnibus hæredibus; sive ratione actûs contenti, quo modo instrumentum venditionis commune est emptori & venditori, quorum rogatu à Notario confectum est; sive denique ratione officii pu-

publici, quo modo rationes argentariorum, item libri censuales, acta judicialia, & alia ad publicam utilitatem scripta communia sunt. *l. 5. ff. Famil. ercisc. l. 2. l. 7. C. de Edendo. l. argentarii 10. ff. Eod.* *Secunda* exceptio est, si actor suas rationes, & instrumenta citra suam causam, puta naufragiô, incendio, vel ruinâ se perdidisse demonstret, ita suadente æquitate, & commiseratione arg. *l. 6. §. penult. ff. de Edendo.* *Tertia*, si actor aliunde intentionem suam principalem fundaverit, & tantùm circa quæstionem incidentem, vel ad probandam replicationem, aut quantitatem debitam petat instrumenta rei: quia hoc casu cessat assignata ratio disparitatis. *l. 48. l. 52. pr. ff. de Actionib. empt.* Bart. & Bald. *in l. 1. §. editiones ff. de Edendo.* *Quarta* est, si usurarii vel à Judice ex officio, vel à debitore ad restitutionem usurarum conventi inficientur, se usuras exercere, vel exercuisse, vel sibi solutas esse; tunc etenim censurâ Ecclesiasticâ compelli poterunt, ut codicem suarum rationum exhibeant. *Clem. un. §. cæterùm de Usur.* Quod Vallens. *de Fide instrum. §. 5. n. 6. in fin.* etiam ad Judæos, publicanos, caupones, stabularios, & similes fraudem in contractibus committere solitos extendit. *Quinta* exceptio est in fisco, qui in causis civilibus (non verò criminalibus) etiam à principio, & ad intentionem suam fundandam àreo, ut instrumenta sua exhibeat, petere potest. *l. 3. ff. de Edendo. l. 2. §. 1. & 2. ff. de Jure fisci.* Quam dispositionem non improbabiliter Ecclesiis attribuit Panorm. *in d. c. 1. n. 19 h. t.* eò quòd Ecclesiæ privilegiis fisci gaudeant per DD. *in c. 1. De in integr. restit.* Item trahi potest ad causas matrimoniales, vel alias, in quibus vertitur favor pietatis, ut sunt causæ alimentorum, dotis, legati ad pias causas, & ejusmodi; ideóque ad probandum, Titiam esse sibi desponsatam, rectè petentur instrumenta dotalia: & Ecclesia ad probandum sibi quid esse legatum, rectè postulabit tabulas exhiberi, aut testamentum aperiri. Id quod eo saltem casu cum Panorm. *in d. c. 1. n. 20.* procedere arbitror, quo concurrit difficultas probationis, nec aliàs copia probandi haberi potest, nisi per instrumenta adversarii.

§. V.

Materia, seu *objectum* probationis est 18
factum controversum, ad causæ decisionem pertinens, sive criminale fuerit, sive civile.

Dicitur I. *Factum:* quia quæ sunt juris, ut quòd 7. testes sufficiant ad testamentum solenne: quòd emptio venditio non subsistat sine pretio, & sexcenta alia, non probantur in judiciis, utpote quæ Judici jam antea cognita sunt, aut esse debent; sed tantùm allegantur tanquam medium ad inferendum aliquid, quod in facto aut faciendo consistit; imò si allegata non sint, ipse Judex supplere debet. *l. un. C. Ut quæ desunt advocatis part. judex suppleat.* Quòdsi tamen jura, ut sæpe accidit, sint obscura, & in speciem contraria, ea probationis adminiculô indigent, & verus illorum sensus ostendi potest adductis textibus, rationibus & authoritatibus Doctorum. *l. 5. pr. l. 19. §. 2. ff. h. t.*

Dicitur II. *Controversum:* factum enim 19
evidens, intellige evidentiâ publicâ, seu quod ita notorium est, ut nullâ tergiversatione celari possit, probare non est necessum, sed sufficit allegare, & proponere. *c. 15. causâ 2. q. 1. c. 9. de Accusat. l. 4. C. de Fide jussorib. l. 137. §. 2. ff. de V. O.* Fagnan. *in c. vestran. 97. & seqq. de Cohabit. Cleric. & mul.* illúdque attendere potest Judex, etiamsi non allegetur à parte; nec

illud inficit partis negatio, nec etiam reddit dubium *c. super eo de Testib. cogend.* Vallens. *h. t.* §. 1. *n.* 3.

20 Dicitur III. *Ad causæ decisionem pertinens*: hoc est, quod probatum probanti prodest, litique inservit. *l.* 21. *C. h. t. l.* 15. *C. de Rescind. vend. auth. in isto C. de Jurejur. propt. calumn.* Probationem facti impertinentis Judex nec sub clausula: *salvo jure impertinentium*: recipere debet, ne partes inanibus sumptibus vexentur arg. *l.* 1. *ff. de Inofficioso testam.* & tela judicii intricatior, impeditiórque efficiatur. Treutl. *vol.* 2. *disp.* 4. *th.* 5. *lit. C.* Gail. 1. *observ.* 81. Ummius *ad Proceff. jud. dist.* 15. *n.* 15.

21 Dicitur IV. *Sive criminale fuerit, sive civile*: *l.* 4. *C. de Edendo. l. fin. C. h. t.* tametsi dispar accuratio probandi utrinque pro qualitate & conditione causæ adhibenda sit. Enimvero in causis criminalibus capitalibus, cùm maximi præjudicii sint, apertissima documenta, indiciáque ad probationem indubitata produci debent. *l. fin. C. h. t. l.* 16. *C. de Pœnis.* In causis criminalibus pecuniariis, si concludentes & stringentes præsumptiones occurrant, ad condemnationem devenire licet. Mascard. *de Probat. concl.* 459. *n.* 15. Treutl. *vol.* 2. *disp.* 4. *th.* 7. *lit. B.* Neque enim inter sanguinem humanum (cujus etiam qualis qualis redemptio licita. *l.* 1. *ff. de Bonis eor. qui ante sentent.*) & pecuniam ulla intercedit analogia, & commensuratio legitima. arg. *l.* 22. *in fin. C. de Administ. & peric. tut. l.* 79. §. 1. *ff. de Legat.* 3. Gail. 2. *observ.* 11. *n.* 3. Causæ denique civiles, etsi fidem probationis veluti sustentaculum, & fulcrum aliquod desiderent. *l.* 10. 13. & 17. *C. h. t.* non tamen adeò plenam, omnibúsque numeris absolutam requirunt. Quamobrem duæ etiam imperfectæ probationes hìc conjungi queunt, licèt diversi generis sint, modò tendant ad unum eundémque finem; ut supra *n.* 5. 6. & 7. dictum.

Illud *indagandum*: num negationes, seu intentio negativa litigantis probari possit? Ubi distinguendum inter negationem simplicem & prægnantem: inter vagam, seu illimitatam, limitatam, seu restrictam ad certum tempus vel locum. Negatio simplex & illimitata, quæ nullam habet determinationem loci, vel temporis, vel alterius rei, nullo modo, nec directè, nec indirectè probari potest: quia non entis nullæ sunt qualitates. *l.* 23. *C. h. t. d. l.* 10. *C. de non numer. pecun.* Zoël. *h. t. n.* 6. Et profectò si simpliciter neges, te vendidisse, mutuâsse, contraxisse &c. etsi mille testes producas, qui deponant, se hoc vel illud non vidisse, vel audivisse, non tamen exinde probabis, id factum non esse: fieri namque potest, ut nullus illorum, aut nemo prorsus viderit, & tamen factum fuerit. Negatio simplex & limitata ad certum locum vel tempus, non potest probari directè, sed bene indirectè: veluti si negem Salisburgi mihi Calend. Julii numeratam esse pecuniam, ejus probatio implebitur, si ostendam me eo die Romæ fuisse. *l. optimam* 14. *C. de Contrah. & committ. stipul.* §. 12. *Instit. de Inutil. stipul.* Nec dissimilis est species *l.* 2. *C. de Errore advoc.* ubi negatio restricta fuit ad certam scripturam, unde rectè probari potuit. Negatio prægnans sive illa, quæ habet implicitam affirmationem, etiam directè probari potest, imò debet probari ab illo, qui in ea suam intentionem fundat, aliàs succumbit. *l.* 8. 10. & 115. *ff. de V. O.* Sic si neges, emancipationem esse legitimè, & secundùm formam juris factam, negationem hanc potes, ac debes probare: quia re ipsâ affirmas emancipationem esse vitiosam *l. f.* §. 1. *ff. h. t.* Si neges, te esse filium familias, ac in potestate patris, negationem hanc pro-

re teneris: quia implicitè affirmas, te esse patremfamilias. *l.* 8. *ff. Eod.* Si neges, defunctum fuisse sanæ mentis, & ita defunctum testari non potuisse contendas, hanc negationem non tantùm potes, sed cogeris probare, quia virtualiter affirmas, defunctum fuisse furiosum. *l. nec codicillos* 8. *C. de Codicillis.* Si neges, te sponte renuntiâsse beneficio, negationem hanc probes, necesse est: quia tacitè affirmas, te coactè renuntiâsse, sive vim tibi illatam esse in renuntiatione beneficii. *c. super hoc* 5. *de Renunt.* Confer Pirrhing. *h. t. n.* 8. *& seqq.*

§. VI.

25 *Forma* probationis stat in legitima rei dubiæ, seu controversæ ostensione, & demonstratione. Ut autem talis sit, plura requiruntur:

Primum est, ut probatio non fiat in transcursu, sed citatâ ad ejus exceptionem adversâ parte. arg. *l.* 39. *ff. de Adoption. l.* 47. *ff. de Re judic. auth. sed & si quis C. de Testib.*

26 *Secundum*, ut instituatur post litem contestatam. *t. t. ut lite non contest.* Excipitur probatio exceptionum dilatoriarum, quæ uti regulariter ante litem contestatam, tanquam litis ingressum impedientes, proponuntur, ita etiam statim in initio regulariter probari debent. Vallens. *h. t.* §. 4. *n.* 1.

27 *Tertium*, ut probatio fiat intra terminum à Judice assignatum. Interest autem, an terminus simpliciter ad probandum, an ad probatum habendum assignatus sit? Priori casu sufficit, testes productos jurâsse intra terminum dilationis, licèt non fuerint examinati, & poterunt examinari post terminum, casu verò posteriori intra terminum testes produci & examinari debent nec possunt postea: eò quòd lapsus termini sic dati habeat vim conclusionis in causa. Haunold. *de J. & J. tom.* 5. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 53.

Quartum requisitum est, ut probatio sit 28
clara, perspicua, & certa, quæ judicem de assertione, atque intentione litigantium plenè instruat. *c. in præsentiah. t.* Gail. 2. *observ.* 13. *n.* 2. & ideo probatio obscura, ambigua, & incerta contra producentem, sive probantem interpretanda est. Covar. *l.* 1. *Var. Resol. c.* 6. *n.* 6.

§. VII.

Finis probationis est, Judici fidem facere, 29
Judici, inquam, non adversario: huic namque nunquam satis probaretur, si maximè quis ipsum solem pro ostendenda veritate in manibus gereret. *l.* 12. *in fin. & ibi* Gloss. *V. Judiciff. h. t.* Ummius *ad Proceff. judic. disp.* 15. *n.* 23.

§. VIII.

Effectus alii sunt probationis plenæ, alii 30
non plenæ.

Effectus probationis plenæ est I. quòd juxta illam ferenda sit sententia, condemnando reum, si actor plenè probaverit; vel absolvendo, si actor nihil, aut reus plenè intentionem suam, v. g. quòd solverit debitum, probaverit. *l.* 11. *C. h. t. l.* 4. *C. de Edendo.* Quòdsi uterque actor & reus plenè probaverit, is vincet, qui pro se habet præsumptionem. *c.* 3. §. *fin. h. t. c. fin. de Sent. & re judic. l. si duo patroni ff. de Jurejur.* alioquin autem in pari causa, & probationum æquilibrio, veluti si Cajus actor probet per duos idoneos testes, se tali die & loco mille mutuâsse Mævio, Mævius contra probet per duos testes æquè idoneos, se illâ die non fuisse in tali loco, reus, cujus in jure melior est conditio, absolvitur. *d. c.* 3. *h. t. c.* 6. *in fine de Fide instrum. l.* 47. *ff. de O. & A.* Menoch. 2. *Præsumpt.* 90. *n.* 1. 7. *&* 8. Donell. 17. *Comment.* 12. *lit. P.*

II. Quòd actor plenè probans intentio- 31
nem suam non teneatur juramentô eandem confirmare, & oblatum à Judice recusare

pos-

possit. *c.* 2. *h. t.* partim quia jusjurandum, cùm sit species probationis, adhibetur tantùm causâ necdum probatâ *l.* 1. *ff. de Jurejur.* partim quia Juramentum suppletorium non defertur, nisi cùm aliæ probationes deficiunt, *d. c.* 2. *& ibi* Gonzalez *h. t.*

32 III. Quòd reus plenè convictus, vel si convinci possit, non admittatur ad purgationem canonicam, quæ fit jurando, crimen admissum non esse *c.* 11. *h. t.* Ratio est, quòd purgatio canonica concedatur tantùm suspecto, non convicto, cui, ne concedatur, præsens periculum perjurii postulat.

33 *Effectus* probationis non plenæ tres occurrunt. *Primus* est, quòd nonnunquam onus probandi in alterum rejiciat. *Secundus;* quòd locum faciat juramento suppletorio, ut inde plena fides, ac sufficiens probatio inducatur; de quo *in tit. de Jurejur. Tertius* quòd interdum initium faciat ad torturam. *t. t. ff. de Quæstionib.* Zoës. *h. t. num.* 11.

34 Cæterùm probationes suâ naturâ pendent ab arbitrio Judicis, qui, quantum illis fidei aribuendum sit, arbitrari potest secundùm legum dispositionem, & commune boni viri judicium. *l.* 3. §. 1. *ff. de Testib.* Notat verò Bald. *in c.* 1. §. *Sacramentum n.* 12. *de Consuet. recti feudi.* semiplenæ probationi quemvis defectum & suspicionem fidem derogare, etsi tam exigua sit, ut plenæ probationi nihil officeret. Ut ecce! duo testes omni exceptione majores plenè probant, licèt de causa scientiæ, & suorum dictorum non interrogentur juxta Gloss. in *l.* 4. *C. de Testib.* at unus testis, si non addat rationem & causam suorum dictorum, nec semiplenam fidem facit: quia contra militat qualisqualis præsumptio. Eâdem ratione non auditur vir in dignitate positus, si per unum testem probare velit, se in urbe metu compulsum ab inferiore, sed debet præsumptioni contra se militanti apertissimas probationes violentiæ opponere. Text. *in l. fin. ff. Quod metûs causa.* Similiter, si quis posset habere facti alicujus plures conscios, & tantùm unum pro teste produceret, talis nec semiplenè probaret, nec ad juramentum suppletorium admitteretur, cùm tamen econtra plenè probet, qui duos testes producit, quamvis centum alios producere posset. De quibus & aliis pluribus exemplis vide Gilhaus. *in arbor. civ. c.* 6. *p.* 9. *num.* 5.

Difficultas superest an Judex possit, ac debeat reum secundùm allegata & probata condemnare, quem evidenter scit esse innocentem?

Prima sententia simpliciter affirmat; cui suffragantur auctoritas, jura, & ratio. Auctoritatem facit S. Th. 2. 2. *q.* 64. *a.* 6. *ad* 3. *& q.* 67. *a.* 2. *in Corp.* quem sequuntur plures Theologi & Jurisperiti. Textus juris extant in *l.* 6. § 1. *ff. de Officio Præsid.* ubi statuitur, ut Præses Provinciæ fidem eorum, quæ probabuntur, sequatur: *in Clem. fin. §. sententiam de Verb. signific.* ubi expressè decisio causæ ex probatione, & actitatis desumi jubetur: & præsertim in *c.* 28. §. *quia verò de Officio deleg.* ubi Pontifex decidit, *quòd cùm ordinarius tenetur obsequi delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum obsolvat.* Ratio est: quia judex est persona publica, ergo in quibuscunque controversiis seu causis definiendis debet sequi scientiam publicam juridicè ex allegatis & probatis habitam, non privatam.

Secunda sententia distinguat inter causas criminales & civiles.

In causis criminalibus majoribus, ubi agi-

agitur de pœna mortis, aut mutilatione, negat licere Judici reum condemnare, si probationibus allegatis contraria sit scientia Judicis; idque ideo: quia innocentem directè, ex intentione, & per se occidere, aut mutilare (nisi DEUS ita jubeat) est per se, & intrinsecè malum, sicut fornicari: cùm homo quoad vitam & membra subsit dominio, & potestati solius DEI; qui etiam suo præcepto negativo prohibuit, hominem occidi nisi id fiat à potestate publica in pœnam delicti, vel ad necessariam defensionem, ergo pœna mortis, aut mutilatione mulctari nequit, quem Judex contra allegata & probata certò novit esse innocentem: neque enim ex allegatis & probatis in judicio talis potestas Judici competere potest, cùm sint falsa, & reus sit verè innocens, ac proinde lex Divina prohibens innocentem occidi, stet in debita sua materia.

Sunt qui respondeant, in hujusmodi casu cædem, aut mutilationem innocentis tantùm indirectè esse voluntariam, & per accidens sequi; eò quòd Judex ut persona publica & publicâ scientiâ condemnans reum suâ privatâ scientiâ innocentem per se, & directè intendat rectè exercere judicium, & servare publicum judiciorum ordinem; cui indirectè, & per accidens conjuncta est occisio innocentis; indirectè autem, & per accidens occidere innocentem, licitum est, ut cùm in obsidione urbis ex causa justi belli dirigitur tormentum in locum, ubi multi sunt innocentes, quorum occisio caret culpâ: quia oppugnans non intendit illos occidere, sed procurare bonum publicum. Sed contra est, quòd hujusmodi innocentis occisio Judici certò scienti ejus innocentiam etiam directè sit voluntaria, sicut occisio aliorum noxiorum, & criminosorum: dum enim Judex interficit nocentem ex allegatis & probatis, de quo nescit contrarium, directè intendit illum occidere, eò quòd tale crimen de eo probatum sit, ergo similiter, quando interficit innocentem, intendit illum directè occidere, nec refert, quòd invitus, & dolens faciat: nam omnibus consideratis absolutè vult & facit. Casus justè obsidentis urbem est omnino diversus: siquidem obsidens habet jus dirigendi tormenta in quamcunque partem urbis, quo jure non privatur per hoc, quòd aliqui innocentes adsint. Præterea directio tormentorum est actus distinctus ab occisione innocentis, quem actum ille directè intendit, cui solùm indirectè & per accidens conjunctâ est occisio innocentis; Judex verò condemnans innocentem non habet jus ferendi sententiam in hunc hominem, quippe hoc est occidere innocentem: neque intendit aliquem actum distinctum ab occisione innocentis, cui ipsa per accidens conjungatur, sed ipsammet occisionem.

In causis civilibus, sicut & in *criminalibus minoribus*, ut si pœna criminis est mulcta pecuniaria, exilium, privatio officii, bonorum, vel alia similis, hæc sententia vult, posse, imò debere Judicem condemnare reum juxta allegata, & probata non obstante privatâ notitiâ innocentiæ. Cujus ratio est, quòd Respublica vi dominii alti ob bonum publicum possit disponere de bonis fortunæ civium, & juxta Jura allegata defacto id faciat ob observationem publicorum judiciorum, ne ex eorum perversione, & perturbatione scandala in populo oriantur. Layman *in Theol. Moral. l. 2. tr. 4. c. 2. n 8.* Pirrhing *de Officio Judicis. §. 2.* cum aliis citatis. 37

Tertia sententia indistinctè negat, Judicem contra certam scientiam privatam judicare posse secundùm allegata & probata; quam licèt minùs communem, verio- 38

riorem tamen ac tutiorem censeo, & probo *primò* ex jure Divino *Exod.* 23. ubi inter alias leges Judicibus præfixas prima est: *Non suscipies vocem mendacii: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Probo *secundò* ex Jure Canonico *in c.* 1. *de Sentent. & re jud. in* 6. ubi prohibetur condemnatio illius, quem æterni tribunal Judicis reum non habet: & Judex in judicando solum DEUM præ oculis habere, & sequi jubetur. Subsumo: atqui illum, quem Judex ex privata, & certa notitia novit esse innocentem, tametsi per testes probetur nocens, tribunal æterni Judicis reum non habet, neque Judex sequitur solum DEUM, veritatem ipsam, qui relicta veritate fallacem, ac calumniosam tantùm attendit, & sectatur probationem. Adde *c. tunc vera* 62. *causâ* 11. *q.* 3. *& c. literas* 13. *¥. nos autem Restitut. spoliat.* Probo *tertiò* ex Jure Civili; quia Judex debet judicare secundùm ea, quæ probantur. *d. l.* 6. §. 1. *ff. de Officio Præsid.* sed qui hoc facit, non potest non judicare secundùm propriam scientiam: cùm probare sit Judici fidem facere, quem oportet allegata examinare, & ex animi sui sententia judicare, quid credendum. *d. l.* 3. *ff. de Testib.* & prout religio suggerit, sententiam proferre. *l.* 79. §. 1. *ff. de Judiciis.* quomodo autem ea, quæ pugnant cum scientia Judicis, fidem Judici facere poterunt, cùm sint falsa? Probo *quartò* ratione: quia justitia essentialiter respicit æqualitatem, quæ nulla est inter veram pœnam, seu solutionem, & falsam tantùm ac imputatam culpam, & obligationem. Deinde inducta ad unum effectum, non debent contrarium ejus operari. *c.* 61. *de R. J. in* 6. nec obtento fine attendi ampliùs media ad illum finem ordinata. arg. *l.* 7. *in fin. ff. de Senatorib.* at actorum observatio, & probatio inducta est tanquam medium, quo constet de veritate *l.* 3. *ff. l.* 4. *C. de Testib.* ergo cessat obtentâ à Judice veritate, & non debet contra veritatem aliquid operari, aut ad illam supprimendum usurpari à Judice: neque mens legislatorum esse potuit, propter solam probationum apparentiam subditos à parte rei privare dominio rerum suarum, vitâ, vel membris. Confirmo contra secundam sententiam: aut sequi veritatem certò cognitam, non testes falsos, seu probationes à parte rei falsas est justum, vel non? Si justum: perinde erit justum in criminalibus, sicut in civilibus; si injustum: perinde erit injustum in civilibus, sicut in criminalibus: quod enim ex se justum est, non variatur, quamvis varientur materiæ, & negotia, circa quæ versatur, cùm judicium sit veluti pondus & mensura, quæ non variantur, sed eodem modo semper se habent, licèt res, quas illis metimur, sint variæ, & innumeræ.

Sed quid ad argumenta contraria primæ sententiæ, Ad text. *in l.* 6. §. 1. *ff. de Offic. Præsid. & in Clem. fin.* §. *sententiam de V. S.* & alia jura, quæ jubent judicem sequi publicam scientiam & juridicas allegationes, respondeo, ea id jubere ex præsumptione, quòd sint veræ, cui præsumptioni locus non est, quando scientiâ privatâ certò scitur contrarium: quoniam præsumptio cedit veritati. *l.* 29. §. 1. *ff. h. t.* Porro *c.* 28. §. *quia verò de Officio deleg.* teste Panorm. *ibid. n.* 2. inprimis solum loquitur de causa civili, & præterea, de mero Executore, qui, cùm cognitionem sibi commissam non habeat, ut in eod. *cap.* declaratur, non tenetur expendere sententiæ iniquitatem, sed tantùm fideliter exequi, quod mandatum est. Aliud est in Judice, cui judicium, & cognitio de veritate causæ commissa est, contra quam pro

proinde agere licet. Ad rationem dico, judicem oportere sequi scientiam publicam, sed non publicum errorem, mendacium, aut calumniam: & salutari personam publicam ab officio, quod non excludit dictamen propriæ conscientiæ.

40. Illud apud omnes indubitatum est, quòd judex, antequam condemnet innocentem sive in criminalibus, sive etiam civilibus causis, debeat tum ex officio, tum ex charitate tentare omnia remedia conducibilia pro liberatione talis rei innocentis; puta vel ab initio repellendo actorem, aut accusatorem: vel deterrendo testes, significando illis, sibi certò notam esse veritatem causæ, & rei innocentiam: vel exactiùs & per intervalla examinando testes, an nihil varient: vel notificando negotium superiori, & ad eum remittendo causam, ac suscipiendo munus testis coram eo: vel differendo sententiam, ut interim veritas detegatur: vel utendo aliis mediis, quamvis in iis differant DD. Confer. Covar. *V. R.* lib. 1. c. 1.

TITULUS XX.

De Testibus & Attestationibus.

SUMMARIA.

1. Quid sit attestatio? 2. Quid testis, & quis esse possit?
3. usque 13. Recensentur testes absolutè inhabiles.
13. usque 18. Quinam pro se invicem. 18. usque 28. Quinam contra se testificari nequeant?
29. 30. Minor, Clericus, aut fœmina non potest esse testis in causa criminali. 31. 32. 33. Nemo in causa propria.
34. An liceat attestari de secreto?
35. usque 39. Qualiter fiat testium productio. 39. receptio 40. usque 44. Juramentum 44. examen. 45. usque 55. depositio. 55. usque 59. & attestationum publicatio.
59. Finis attestationis.
60. usque 68. unus testis regulariter non facit plenam fidem.
68. 69. Duo contestes ordinariè plenè probant.
70. 71. Quam fidem faciant testes singulares.

USitatissima probationis species est attestatio, seu testimonium.

§. I.

Definitur attestatio, seu testimonium, quòd sit testis super facto aliquo in judicio controverso facta assertio, sive depositio. 1

§. II.

Causa Efficiens testimonii seu attestationis est testis, id est, persona, quæ ad rei fidem faciendam ad instantiam partis à Judice vocatur, & examinatur. Possunt autem testes esse omnes, qui non prohibentur. *l.* 1. *§.* 1. *ff. h. t.* Prohibentur verò alii absolutè & simpliciter: alii secundùm quid. 2

Absolutè & simpliciter prohibentur aliqui ob defectum, aut infirmitatem judicii: alii ob vitium corporis: quidam ob defectum statûs: plures ob fidem, aut vitam reprobatam. 3

Ob *defectum*, aut *infirmitatem judicii* à dicendo testimonio arcentur furiosi, mente capti, infantes, & impuberes, minores scilicet 14. annis, si masculi sint, vel 12. si fœminæ. *l.* 3. *§. lege Julia ff. h. t.* Excipitur crimen læsæ Majestatis, in quo ad testificandum admittuntur, & coguntur minores 14. annis *l.* 10. *§.* 1. *ff. de Quæstionib.* Imò de consuetudine passim invaluit, ut impuberes in causis criminalibus examinentur, si non ut probent, saltem ut prosint ad indagandam veritatem teste Jul. Claro *l.* 5. *sentent. q.* 24. *n.* 17. nihil enim frequentius est, quàm homicidia vel similia delicta per pueros detegi.

Dubitationis est: num impubes factus pubes queat testificari de iis, quæ vidit, vel 4

audivit in ætate pupillari? Negativa certa est, quando testes puberes à Jure exiguntur non ad probationem actûs, sed solennitatem, & substantiam, ut puta in testamento solenni. §. *testes autem Instit. de Testam.* In aliis autem, ubi testes solùm ad aliquid probandum requiruntur, impuberem factum puberem recipi ad testificandum de iis, quæ vidit in pupillari ætate, tradit Mascard. *de Probat. vol. 3. conclus.* 1246. *n.* 11. Modò ea, super quibus testificatur, sint ejus naturæ, ut caderent in sensum, & intellectum impuberis, & facta sint temppre, quo jam esset proximus pubertati. Panorm. *in c. cùm nobis n. 6. de Præscript.*

§ Ob *vitium corporis* repelluntur à testimonio muti & surdi; cum distinctione tamen, sintne muti, & surdi simul, an muti tantùm, aut surdi tantùm. Muti surdi simul, vel muti tantùm possunt esse testes, si distinctè sciant scribere. Secus non possunt. Surdi tantùm possunt testimonium dicere de illis, quæ visu perceperunt, dummodo ex scriptura cognoscant, quæ Judex interrogat. Aliter non possunt. Cœci possunt testari de iis, quæ viderunt, antequam oculis caperentur, aut quæ auditu perceperunt, ita tamen ut judex diligenter exploret, an non decepti sint: cùm difficile non sit, alienam vocem imitari. *c. 15. & ibi* Gloss. *causâ 3. q. 9.*

§ Ob *defectum status*, si aliæ probationes suppetant, attestari nequeunt servi *l. 7. ff. l. 8. l. 11. C. h. t.* quia servi de Jure Civili censentur mortui, ac proinde ab omnibus officiis & honoribus semoventur. *l. 32. l. 209. ff. de R. J.* Aliud dicendum de Religiosis, qui licèt in multis articulis, in hoc tamen non æquiparantur servis, sed possunt esse testes in judicio; *c. nuper. 51. h. t. c. 8. de Dolo & contum.* At non aliter, quàm cum consensu Superioris expresso, vel tacito. Si neutrum habent, validum quidem dicunt testimonium, sed non licitum. P. Engel *h. t. n.* 11.

Ob *fidem, aut vitam reprobatam* à testimonio excluduntur I. pauperes, & valde viles. *c. 7. §. sed & de personis causâ 2. q. 1. l. 3. in pr. ff. h. t.* Hi tamen admitti possunt, si sint probatæ vitæ, ac famæ, & divites malæ: quia in omni casu semper honestas personæ etiam pauperis consideranda est. *l. 17. §. 13. ff. de Injuriis. l. 7. C. de Incæstis nupt.* Less. *de J. & J. l. 2. c. 30. dub. 5. n. 39. §. 9.* ubi ait, viles, & inopes excludi à testificando, quia de his potest esse suspicio, quòd pecuniâ facilè corrumpantur, secus, si sint personæ honestæ. Adde, pauperes testes posse admitti cum alio teste habili, atque integro: nam tunc testimonium pauperis integratur, ac suppletur ex testimonio alterius testis integri, omnique exceptione majoris. *arg. l. 6. §. 1. ff. de Edendo.*

II. Ob hanc rationem rejiciuntur testes pecuniâ conducti pro dicendo testimonio sive vero, sive falso, licèt pecuniam non petierint. *c. 1. & ibi* Interpp. *h. t. l. 3. §. lege Julia. ff. Eod.* Ratio est: tum quia tales testes præsumuntur corrupti per *l. 2. §. 2. ff. de Condict. ob turp. causam:* tum quia sunt perjuri, cùm ante testimonium juraverint, quòd nec pretiô, nec amore, odiô, aut pro aliquo commodo testimonium dicant, ut habetur in forma juramenti testis, & notat Gloss. *in c. 17. h. t.* unde etiam lege Corneliâ de falsis tenentur. *l. 1. §. 1. & 2. l. 9. §. 3. l. 20. ff. de Lege Cornel. de falsis.*

III. Submoventur infames, ut qui carent fide. *c. 54. h. t. d. l. 3. §. lege Julia l. 13. l. 14. ff. Eod.* Ubi sciendum, alios esse infames infamiâ juris, alios infamiâ facti. Infames infamia juris sunt, quos jus ipsum

infames esse decernit, & declarat; quales sunt miles exauctoratus, lenocinia exercens, sepulchri violator &c. qui ipso facto infamiam juris incurrunt: vel qui per sententiam Judicis infames fiunt, ut damnati in publico judicio, v. g. de raptu, adulterio, homicidio, uti & damnati furti, bonorum raptorum, injuriarum, & doli: item damnati ex actione depositi, mandati, pro socio, & tutelæ, modò propter dolum condemnatio fiat, de quibus extant integri tituli *in ff. de his, qui not. infam. & in C. Ex quib. caus. infam. irrog.* Infames infamiâ facti dicuntur, quorum opinio, sive æstimatio apud viros graves & honestos gravatur, etsi de jure non declarentur infames, ut damnati ex delicto, quod infamiam non irrogat, & criminosi, licèt egerint pœnitentiam, nec crimen sit famosum. Porro de infamibus infamiâ juris exploratum est, quòd à testimonio ferendo arceantur; de infamibus infamiâ facti verius est, quòd si de crimine emendati sint, admitti debeant in causis civilibus, per text. *in d. c. 54. h. t.* in criminalibus autem, ubi plenissimæ probationes requiruntur, meritò repelluntur, quia non sunt omni exceptione majores, nec plenissimam fidem faciunt. Panorm. *in d. c. 54. num. 6.*

10 IV. In omni causa à testificando removentur perjuri, licèt emendati sint, & de perjurio pœnitentiam egerint. *d. c. 54. & ibi* Gloss. *h. t.* adeò, ut ne quidem in criminibus exceptis, læsæ Majestatis, simoniæ, hæresis, ac ejusmodi, in quibus alioquin testes inhabiles admittuntur, quid probent, aut indicium ad inquisitionem, capturam, aut torturam faciant. Mascard. *de Probat. vol. 3. conclus. 1168. n. 5. & 6.* Idque ideo: quia semel malus semper præsumitur malus in eodem genere delicti. *c. 8. de R. J. in 6.* & quia præsumitur infidelis futurus hominibus, qui DEO fidem violavit. *c. non potest 24. causâ 2. q. 7. c. quicunque causâ 6. q. 1.* Haunold. *de J. & J. tom. 5. tr. 4. c. 2. n. 260.*

V. Ad testimonium ferendum inhabiles 11
sunt excommunicati excommunicatione majori per *c. 38. h. t. c. 8. de Sentent. excom. in 6.* Ita quidem, ut excommunicatus non toleratus sive vitandus à Judice repelli debeat, etiam parte nihil opponente; si autem toleratus sit, possit judex eum à testificando repellere, si excommunicatio publicè nota sit, non verò teneatur, nisi pars adversa tali testi exceptionem excommunicationis opponat: quamvis enim hic vitari non debeat, sicut ille, & cum hoc communicare liceat, non cum illo, pars tamen, cui favor hic factus est, ut cum excommunicato tolerato communicare possit, non tenetur hoc favore sibi concesso uti, & consequenter à testificando eum arcere potest. Excipe crimen hæresis, ad quod probandum etiam excommunicati admittuntur. *c. 5. de Hæret. in 6.*

Planè ex eo testimonium non irritatur, 12
quòd testis post præstitum testimonium fiat infamis, criminosus, perjurus, aut excommunicetur: quia satis est, quòd tunc, quando deposuit, idoneus fuerit, non enim debet, quod ritè secundùm leges ab initio actum est, ex alio eventu sequenti impugnari. *l. sancimus 29. C. de Administ. tutor.* Speculator *§. 1. de Test. n. 27.*

Secundùm quid testes esse prohibentur 13
aliqui pro certis personis: alii contra certas personas: nonnulli in certis causis.

Pro *certis personis* testes esse non possunt I. Parentes pro liberis, & econtra liberi pro parentibus: quia reciprocus amor suspectos reddit. *c. si testes §. item testis causâ 4. q. 2. l. 9. ff. h. t.* attamen sunt ca-

tus speciales, quibus Parentum testimonium pro liberis recipitur: ut *primò* si pro uno filio contra alium testificentur, eò quòd par sit affectio Parentum erga liberos. Pirrhing. *h. t. n.* 34. *Secundò* ad probandam ætatem liberorum: cùm de ea ipsis optimè constet. Text. & Gloss. *in l.* 16. *ff. de Probat.* *Tertiò* in causa matrimoniali suorum liberorum, ut si quæratur de consanguinitate desponsatorum. *c.* 22. *h. t.* *Quartò* pro filiis ingredientibus religionem, si ambigitur, an ingressi sint animô profitendi. *c. præsens causâ* 20. *q.* 3. ubi testimonium patris auditur, ad dirimendum matrimonium spirituale. *Quintò* si pars adversa sponte admittat parentes, aut filios ad testificandum contra se, sive expressè, sive tacitè, si nihil contra eos in testes productos opponat. Farinac. *tr. de Testib. q.* 54. *n.* 189. *& seq.*

14 II. Pro se invicem testimonium perhibere nequeunt conjuges. *l.* 4. *ff. h. t.* idque ad sponsum & sponsam, imò ad amasiam & concubinam extendit post alios Hunnius *in Encycloped. J. U. p.* 2. *tit.* 19. *c.* 9. *n.* 10.

15 III. Testes omni exceptione majores non sunt, qui producenti consanguinitate in linea collaterali, vel affinitate in linea recta in tertio saltem gradu, aut etiam familiaritate, & amicitiâ junguntur. *l.* 4. *& 5. ff. h. t. c.* 12. *causâ* 3 *q.* 5. ubi ratio redditur: *quia propinquitatis vel familiaritatis, ac dominationis affectio veritatem impedire solet.* Verùm & hic plures casus se offerunt, quibus consanguineus pro consanguineo, affinis pro affine, amicus pro amico in testem admittitur. *Primus* est, si æquè sit conjunctus, vel familiaris utrique parti: tunc enim par causa affectionis omnem suspicionem removet. arg. *l. non solùm* §. 1. *ff. de Ritu nupt.* *Secundus*, si pars adversa talem testem approbet, scienter contra ipsum non excipiendo. Pirrhing. *h. t. n* 40. Tertius, si non producatur in præjudicium alterius, sed tantùm ad defensionem suam, & probationem innocentiæ; ideóque per fratres, consanguineos, vel domesticos probare possum homicidium à me factum esse causâ necessariæ defensionis: nam ad defensionem qualescunque testes, licèt de jure prohibiti sint, recipiuntur, teste Julio Claro. *d. l.* 5. *sententc. q.* 24. *n.* 20. ubi tamen judicantis religioni relinquit, an plena, vel quanta fides inspectis causæ, & personarum qualitatibus talibus testibus sit habenda. *Quartus casus* est, si talis persona esset illibatæ famæ & probatæ fidei, ita ut non posset præsumi, propter affectum sanguinis committere perjurium. Idem dicendum, si testi consanguineo, vel alias non omni exceptione majori adjungatur alius tantæ existimationis, ut censeatur supplere, id quod suo contesti deest. Gilhaus. *in arb. civ. c.* 6. *p.* 2. *a.* 1. *n.* 46. aut si accedant alia adminicula; ita enim licèt duo consanguinei non faciant plenam fidem, saltem tres, aut plures probabunt, numerô testium defectum qualitatis supplente, ut bene docet Alex. *tom.* 1. *consil.* 5. *n.* 7. per text. *in l.* 3. §. 2. *ff. h. t.* ubi discretioni Judicis relinquitur, quibus testibus & quanta fides sit adhibenda: siquidem *aliàs*, inquit JCtus, *numerus testium, aliàs dignitas, & auctoritas, aliàs consentiens fama confirmatrix, de qua quaritur, fidem.*

16 IV. Universim testimonium domesticum, & testes, quos de domo sua produxit actor, rejiciuntur. *l.* 3. *C. h. t. c.* 24. *Eod.* adeò ut non tantùm integram fidem non faciant, sed nullam omnino, & propterea nullô modô audiri, nec examinari debeant per *l. testes* 24. *ff. Eod.* Sed hoc Panorm. *in d. c.* 24. *n.* 5. & Honor. *h. t. n.* 4. me-

meritò restringunt ad eos testes domesticos, quibus imperari potest ratione patriæ vel dominicæ potestatis, puta filiosfamilias, & servos: alios autem testes de domo, vel familia productos, v.g. colonos, inquilinos, famulos mercenarios &c. etsi non sint omni exceptione majores, admittendos existimant eô modô, quô de Consanguineis diximus; his namque non omnem fidem denegari, imò compluribus casibus, (quorum 20. enumerat Gilhaus. *ubi supra*) etiam plenam fidem haberi, apud peritos pro judicato est; veluti circa ea, quæ in domo facta sunt, & ubi alii testes non suppetunt. Menoch. *de Arbitr. Judic. l.* 1. *q.* 73. *n.* 32. item ad defensionem suam sine præjudicio extranei. Alex. *l* 1. *consil.* 5. *n.* 8. sicut & si ab extraneo nominati, & producti sunt contra patremfamilias; quo casu, si contra ipsum producentem deponunt, fidem merentur: quia testis ultrò ab adversario approbatus amplius reprobari non debet. *l. si quis* 17. *C. hoc tit.*

17 *Quæstio* resultat: an Princeps, aut alii territorium, vel jurisdictionem habentes suos subditos, aut vasallos pro testibus producere possint, saltem relaxatô juramentô ad præsentem actum testificandi? Rationem dubitandi suggerit, quòd quantumvis juramentum remittatur, maneant tamen subditi, gratiam Domini ambiant, & offensam metuant. Nihilominùs propter necessitatem, & ne aliàs probationum facultas coarctetur, quia plerumque tales domini alios testes habere nequeunt, communis hodie, & in praxi receptissima sententia est, posse subditos pro Domino testimonium dicere, modò non agatur de proprio eorum interesse, & juramenti relaxatio præcesserit. P. Engel *h. t. n.* 29.

18 *Contra certas personas* testes esse prohibentur I. Parentes contra liberos, & liberi contra Parentes. *l.* 6. *C. h. t.* quia inter Parentes & liberos censetur intercedere nimia necessitudo: & liberi reverentiam debent Parentibus, ob quam periculosum est eorum testimonium.

19 II. Liberti contra Patronum. *l.* 1. §. 5. *ff. & l.* 12. *C. h. t.* Quod extendunt DD. à paritate rationis etiam ad vasallum contra Dominum feudi, & ad subditum contra Dominum ordinarium, nisi ipsimet Domini præfati consentiant, aut Judex propter inopiam aliarum probationum similes personas cogat ad testificandum. Ummius *ad Proceff. judic. disp.* 16. *n.* 12. Farinac. *de Testib. q.* 55. *n.* 181.

20 III. Conjunx adversus conjugem: ne concordia conjugalis turbetur, & inde plurima mala in matrimonio enascantur. P. Engl *h. t. n.* 23. Ummius *d. disp.* 16. *num.* 15.

21 IV. Testificari prohibentur Advocati & Patroni causarum contra suos Clientes in causis, in quibus egerunt, vel judicialiter defenderunt. *c. si testes* 3. §. *patroni causâ* 4. *q.* 3. *c. insuper h. t. l. fin. ff. Eod.* cùm enim quilibet cliens patrono suo detegat secreta litis suæ, à recta ratione alienum est, ut Patronus in eadem causa contra fidem priùs datam adversus suum clientem testificetur. Idem ex eadem ratione procedit in Tutore & Curatore respectu suorum pupillorum, & minorum: & in administratore, syndico & actore respectu negotiorum, quæ tractârunt.

22 V. Pro teste non admittitur inimicus capitalis contra inimicum, etiam in criminibus exceptis, in quibus minùs idonei aliàs admitti solent. *l.* 3. *in pr. ff. h. t. c.* 7. *c.* 13. *&* 19. *de Accusat. c.* 32. *de Simon.* Roland. à Valle *vol.* 1. *consil.* 24. *n.* 34. ubi addit, nec inimicum reconciliatum esse testem

ſtem habilem in cauſa criminali, niſi probetur reconciliatio antiqua & diuturna arg. *l. in ipſius C. Famil. erciſc.* Cenſetur autem inimicus capitalis, qui alteri minatur mortem. *l. licèt. ff. de Recept. qui arbitr.* aut alium accuſat, vel contra eum teſtificatur in cauſa criminali, Gloſſ. in *c. meminimus de Accuſat.* vel qui ei quæſtionem movet de univerſis bonis, aut de maxima eorundem parte. arg. §. 4. *Inſtit. de Excuſat. tutor.*

23 VI. Laici regulariter teſtes eſſe nequeunt contra Clericos in cauſa criminali criminaliter intentata *c.* 14. *h. t.* non tantùm quia plerumque Clericis ob diverſam converſationem infeſti ſunt Laici, *c. Laicos* 5. *causâ* 2. *q.* 7. ſed maximè ob reverentiam, quam Laici debent Clericis, qui DEI legatione funguntur in terris per *c.* 9. *&* 10. *diſt.* 96. *c.* 11. *causâ* 2. *q.* 7. Dixi: *regulariter:* ſunt enim caſus, quibûs Laici contra Clericos in cauſa criminali teſtificari poſſunt; veluti in delictis exceptis, hæreſis, læſæ Majeſtatis, ſimoniæ, & hujusmodi. Gloſſ. *in d. c.* 14. *h. t.* in delictis ſcandaloſis & notoriis. *c.* 15. *de Purgat. can.* item ſi Clerici haberi nequeant, quibus defacto conſtet, ut ſi delinquat Parochus ſolitariè ſine aliis Clericis in villa habitans. *c.* 19. *de Accuſat. c.* 31. *de Simon.* & generaliter, ſi contra Clericum de crimine agatur civiliter, ad reſarciendum damnum illatum. *c.* 33. *h. t.* Jul. Clar. *q.* 24. *n.* 10.

24 VII. Contra fidelem teſtes idonei non ſunt Judæi, pagani, hæretici, aliique infideles, & qui à fide Catholica defecerunt. *c.* 24. *&* 25. *causâ* 2. *h.* 7. Quod verum eſt, licèt Chriſtianus cum Chriſtiano litiget per expreſſos text. *in c.* 26. *causâ* 2. *q.* 7. *& l.* 21. *C. de Hæreticis.* ut mirer Vallenſ. §. 2. *n.* 17. *h. t.* in contrarium abiiſſe. Ratio eſt: quia ſunt de falſitate ex juris præſumptione ſuſpecti, neque fidem merentur, qui fidem abjecerunt; ut taceam quòd innato odio Chriſtianos, & Catholicos perſequantur. Conceſſerim tamen hodie hæreticos, ubi Catholicis permixti vivunt, præſertim in cauſis duorum Catholicorum in foro civili pro teſtibus admittendos eſſe, cùm ibidem Catholicis æquiparentur. Sicut etiam Jure civili communi admittuntur in negotiis extrajudicialibus v. g. ultimarum voluntatum vel contractuum. *d. l.* 21. *C. de Hæretic.* Sanè Chriſtiani contra Judæos, & alios infideles teſtes legitimi ſunt in omni cauſa, ita ut nec per privilegia à Principibus conceſſa Judæi tueri ſe poſſint, quò minùs per teſtes Chriſtianos convinci queant: eò quòd talia privilegia Chriſtianæ Religioni probroſa ſint & adverſa. Text. in *Clem.* 1. *h. t.*

VIII. Teſtes eſſe non poſſunt ſocii criminis, nullíque de ſe confeſſo adverſus alium in eodem crimine credendum eſt. *c. veniens* 10. *h. t.* Quin imò ſecundùm utriusque juris ſtatuta de ſe confeſſi, ſuper aliorum conſcientiis nec interrogari debent, ut dicitur in *c.* 1. *de Confeſſis.* At difficultatem faceſſit *c.* 3. *Eod.* ubi circa ſuſpectum de adulterio ad indagandam veritatem, mulieres, cum quibus commercium habuiſſe dicebatur, advocari jubentur.

Pro conciliandis his juribus plures apud Zypœum *conſult. l.* 5. *conſult.* 1. *de Adulterio*, ſtatuunt, in delictis occultis, & obſcœnis, ubi alii teſtes haberi nequeunt, ſocios quoque delicti admittendos eſſe, ſaltem ſi de crimine civiliter agatur, puta ad alendam prolem, ad inſtituendum divortium &c. Sed huic opinioni fortiter obſtit *c. quàm grave de Exceſſib. Prælat.* ubi civiliter agebatur, & maritus volebat repudiare uxorem, eò quòd alius gloriare-

tur

tur cum illa se commisisse adulterium, & tamen auditus non est, sed uxorem suam recipere debuit. Etenim licèt in casu, quo alii testes non suppetunt, etiam aliàs â lege prohibiti admittantur, juxta *l.* 7. *ff. de Testib.* idque teste Jul. Clar. *d. l.* 5. *q.* 24. *n.* 19. procedat sive ex natura facti, si alii testes interesse non potuerunt, sive hic & nunc nullos alios interfuisse constet, quia utrobique militat eadem ratio ac difficultas probationis, non tamen id eo sensu accipiendum, quasi semper qualescunque testes in defectu aliorum plenam fidem faciant, maximè in criminalibus, sed, licèt ad examen admittantur, tamen arbitrio Judicis relictum est, quantam fidem pro qualitate & gravitate causæ adhiberi oporteat, & sæpè tantùm ad faciendam præsumptionem, vel ad capiendam informationem pro facienda inquisitione tales personæ advocantur.

27 Existimem proinde cum Zypœo *l. cit.* & Julio Claro *q.* 21. *num.* 4. *& seqq.* quòd quamvis socii criminis non faciant sufficientem fidem ad ferendam sententiam: vel infligendam pœnam, ac propterea regulariter Judex de sociis interrogare non debeat. *d. c.* 1. *de Confess.* faciant tamen aliquod indicium, vel præsumptionem, & aperiant viam Judici ad instituendam inquisitionem vel indicendam purgationem per juramentum arg. *c. significasti* 6. *de Adulteriis.* ubi propter confessionem fœminæ de adulterio intra Ecclesiam perpetrato reconciliari jubetur Ecclesia, & complici purgatio Canonica indicitur. Interim tantam præsumptionem haud gignit unius socii dictum, ut quis propterea capi, examinari, vel torqueri queat, sed debet Judex eo casu tantùm privatim, & clam inquirere, & si alia indicia concurrentia deprehendat, tum primùm ad capturam, & torturam procedere potest, ut bene monet Julius Clar. *l. cit. n.* 8. Quòdsi duo, vel tres socii criminis quartum prodant, talem non quidem pro convicto habendum, torqueri tamen debere, docet idem Julius Clarus, etiamsi sint in suis dictis singulares. Verùm nec hoc indistinctè verum, sed ex personarum, & circumstantiarum qualitate metiendum puto, quanta fides hoc vel illo casu sociis criminum danda sit. Et certè verius videtur, si duæ vel tres mulierculæ de veneficio convictæ honestum virum, aut fœminam nominent, ac eodem scelere infectum asserant, nihil iis credendum, nec ad torturam, quin nec ad capturam procedendum esse, maximè si in dictis suis sint singulares, & una dicat, se vidisse talem inter sagas in hoc loco, vel convivio, alia in alio, ut frequenter contingit.

28 Respectu *certarum causarum* testes esse prohibentur I. minores, qui in causis criminalibus tanquam arduis & majori momenti non recipiuntur in testes, nisi annum ætatis vigesimum compleverint. *l.* 3. §. 5. *l.* 20 *ff. h. t.* præterquam in criminibus exceptis. *l. de minore ff. de Quæstionib.* & in defectu aliorum testium. Mascard. *d. vol.* 3. *de Prob. concl.* 1246. *n.* 7. Neque tamen in talibus casibus admissi plenam probationem faciunt, ob præsumptionem judicii nondum satis maturi.

29 II. Clerici, quibus testificari non licet, si agatur de irroganda pœna sanguinis, ne irregularitatem incurrant. *c. testimonium.* 9. *causâ* 11. *q.* 1. nisi producantur pro reo ad ejus defensionem, & innocentiam ostendendam. Farin. *de Testib. q.* 61. *num.* 52. Et quamvis in civilibus aut si de crimine civiliter agitur, ubi nullum periculum est pœnæ sanguinis, Clericus testari

stari possit, fieri tamen hoc debet coram proprio Episcopo, qui depositionem ejus transmittet ad Judicem sæcularem; vel cum licentia Episcopi coram Judice sæculari, vel in causa Ecclesiastica coram alio Judice Ecclesiastico. *c. quanquam 2. causâ 14. q. 2.* Pirrhing. *h. t. num. 60.*

30 III. Fœminæ; quarum testimonium vulgò DD. admittunt in causis civilibus per *c. 3. h. t. & l. 18. ff. h. t.* in criminalibus verò respuunt præcipuè de Jure Canonico, sine dubio ideo, quòd in criminalibus desiderentur probationes perfectissimæ; fœminæ autem varium & mutabile testimonium semper producant. *c. 10. de V. S.* Suffragatur *c. 17. causâ 33. q. 5.* ubi absolutè dicitur, mulierem testem esse non posse. Sed utut hæc sententia communis sit, contraria juribus est conformior, nam in *l. 3. §. 5. ff. h. t.* illa solùm fœmina in causa vîs publicæ removetur, quæ palam quæstum corpore fecit, ergo ad mulieres honestas hoc extendendum non est. Similiter in *d. l. 18. ff. Eod.* in judicio adulterii repellitur damnata ejusdem criminis, reliquæ verò expressè recipiuntur. Quod etiam confirmat *c. ex eo 2. causâ 15. q. 3.* Neque hoc de Jure Canonico correctum, sed potiùs approbatum est in *c. 7. de Simonia.* ubi in crimine simoniæ meretrix quoque recipitur tanquam fœmina in honesta, quasi scil. in aliis criminibus non sit audienda. ergo à sensu contrario, si sit mulier honesta in omnibus audienda erit. Zoësius *h. t. n. 8. & 9.* Ad contraria respondere facile est. Enimvero ex *d. c. 10. de V. S.* id duntaxat conficitur, quòd mulier, utpote à natura magis mutabilis quàm vir, sæpius sit interroganda, & diligentiùs examinanda, num fortè non variet, aut sibi contradicat, non verò, quòd omninò repelli debeat à perhibendo testimonio. *Canon 17. causâ 33. q. 5.* vel authoritatem non habet, cùm tantùm sit ex S. Augustino tanquam privato Doctore desumptus, & nullâ authoritate Pontificiâ confirmatus; vel intelligendus est de causa mariti, quòd in ea mulier testis esse nequeat, ut supra memoravimus, cùm loquatur de subjectione mulieris respectu viri.

Exceptio specialis est in testamento solenni, in quo mulier testis habilis non est. *l. qui testamento 20. §. mulier 6. ff. Qui testam. fac. poss.* ex ea forsan ratione: quia testamenta olim fiebant calatis comitiis, à quibus excludebantur mulieres; & licèt hodie ista ratio cesset, ac non ampliùs testamenta in comitiis fiant, tamen adhuc perseverat ratio solennitatis, quæ mulieres removet. Unde in aliis ultimis voluntatibus minùs solennibus, veluti in testamento militis arg. *l. 1. ff. de Testam. milit.* in testamento inter liberos Gloss. *in l. hac consultissima §. ex imperfecto C. de Testament.* vel ad pias causas, Felin. *in c. quoniam n. 3. h. t.* sicut & in codicillis testes esse non prohibentur. Vallens. *h. t. §. 2. num. 22.*

IV. Nemo est testis idoneus in causa propria, seu ubi directè, vel etiam indirectè agitur de proprio interesse. *l. 10. ff. l. 10 C h t.* Nec refert, utrùm interesse pecuniarium sit, an affectionis, vel honoris; Hinc neque Procurator, nec tutor, nec Judex, neque is, qui in prima instantia Advocatus fuit, in secunda instantia testis esse potest, quia saltem de honore, laude, vel vituperio illorum agi videtur, ut optimè id monet Panormit. *in c. 1. h. t.* & textus sunt in *c. 40. Eod. c. fin. Eod. in 6. l. fin. ff. Eod.*

De eo *altercari* DD. video: an in causa Collegii, Civitatis, Ecclesiæ, aliarumque communitatum singuli de Universi-

te testes esse possint? Sunt qui negant, eò quòd tales testes videantur testari in causa propria. Plerique affirmant per *c. 6. & 12. h. t. c. 26. in fine. de Jurejur.* in quibus expressim cavetur, quòd Clerici & Religiosi possint testimonium ferre in causis suæ Ecclesiæ, vel Monasterii, exceptis illis, qui in tali casu tanquam procuratores ad agendum, vel definiendum destinantur; Ecclesiæ autem & Monasteria veniunt nomine universitatis. Alii rectiùs distinguunt: Aut enim id, de quo est quæstio, ad universitatem præcipuè pertinet, ut sunt theatra, prætoria, stadia &c. & singuli de Universitate testes erunt, cùm causa sit omnium, non singulorum, aut propria. Aut universitatis quidem negotium est, sed privatorum commodum, atque utilitatem imprimis respicit, & ita singulos afficit, ut si controversia sit de nemore, pascuis, aquis, unde quilibet poterit sibi commoditatem quærere singularem, cædendo ligna, pascendo & piscando, & tunc, quia singulorum quodammodo causa est, illi, qui de universitate sunt, non habentur idonei testes, licèt (ut præsumptionem qualemqualem alios testes juvandi gratiâ, faciant) vulgò admittantur, sed rectè non probent. DD. *in c. insuper de Testib. & c. super prudentia causâ* 14. *q.* 2.

33 Neque hoc *dubiô* caret: num in causa Universitatis ejusdem membra plenam fidem faciant, ut si duo Religiosi testificentur, insigne quoddam castrum Monasterio suo donatum, aut legatum esse? Panorm. in *d. c. insuper num.* 2. autumat, talibus testibus plenè credendum esse, eo præsertim casu, quo non producuntur testes in contrarium. Econtra Joann. Andr. apud eundem *l. cit.* tenet, tales quidem testes admittendos, sed propter affectum & interesse suum non omnimodam fidem illis tribuendam esse, sed semper minorem, quàm aliis testibus tribueretur. Meo judicio nihil universaliter statui potest: possunt enim personæ esse tantæ dignitatis, & æstimationis, & interesse proprium respectivè tam levis momenti, ut nihil fidei eorum deroget; ut si duo Canonici in causa Episcopatûs testimonium dicerent; alii verò tam sordidi, & lucri cupidi, ut nullam omnino, aut valde exiguam fidem mereantur, præsertim in universitatibus laicorum, puta opificum, rusticorum &c. quia tales ad omne lucrum, vel commodum magnum affectum gerunt, neque negligunt, etiam quod communiter possidetur. Necessariò igitur Judicis arbitrio defertur, ut consideratis personis & negotiis, affectu, & interesse proprio discernat, an plena, vel quanta fides sit adhibenda.

§. III.

Materia, seu *objectum* attestationis, 34
seu testimonii est factum ipsum causarum civilium, aut criminalium, & articuli actoris, seu interrogatoria, super quibus testes à Judice examinantur, & deponunt.

Quæri hìc potest, an quis testificari possit de his, quæ novit sub secreto? In qua quæstione secretum Sacramentale secernendum à sæculari, & secretum commissum à non commisso. Proinde

Dico I. De his, quæ quis novit sub secreto seu sigillo Sacramentali, in nullo unquam eventu testificari potest, aut aliquid revelare sine expressa licentia pœnitentis, quamvis secreta commissa in confessione redundent in detrimentum universi orbis. S. Thom. 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. *ad* 2. ideóque confessarius admissus in testem, interrogatus etiam cum juramento de iis, quæ audivit in confessione, potest licitè

& securè deponere, se nihil scire, quia non dicitur scire ut homo, sed ut DEUS & ejus Minister. *c. dilectus de Excess. Prælat.* & *ibi* Glos.

Dico II. Secretum commissum, id est, cujus celatio alteri promittitur expressè vel tacitè, testis patefacere non tenetur, etiamsi à Judice sub juramento interrogetur, & quamvis delinquentes laborent infamiâ, nisi ex occultatione grave damnum publicum, vel privatum immineat, quod aliter nequeat impediri; colligitur ex illo *Proverb.* 11. *qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Ratio est: quia servare secretum commissum est de jure naturæ non solùm quando ex necessitate aliqua, puta ad capiendum consilium, sed etiam quando ex animi levitate committitur: alioquin enim turbaretur pax & tranquillitas convictûs humani, & è medio tolleretur promissionum fidelitas, humanæ societati perneccessaria. Cùm ergo hujusmodi juri naturali nequeat præjudicare Judicis præceptum, sequitur à teste tale secretum non esse revelandum, sed amphibologicè responderi posse, quamvis aliàs Judex legitimè interroget.

Dixi tamen: *nisi ex occultatione secreti grave damnum publicum, vel privatum immineat:* tunc enim secretum, commissum etiam sub juramento, revelandum est. S. Thom. *d. a.* 1. *ad* 2. ex ea ratione: quia crimina, quæ pendent in futurum, contra bonum commune, vel contra innocentiam privati, quilibet accusare vel saltem denuntiare tenetur: ergo etiam testificari & illa detegere, si aliâ viâ nequeant impediri, non obstante juramento, quod non est obligatorium, utpote contra bonos mores & in præjudicium tertii *c. quanto de Jurejur.*

Dico III. Secretum nudum, seu non commissum Judici legitimè interroganti à teste celari non potest. Unde si videris aliquem delinquere, etsi postea pactô juratô promiseris, te non revelaturum, nihilominus si Judex juridicè procedat viâ accusationis, inquisitionis, aut denuntiationis, & te scientem ut testem roget, teneris illi crimen detegere non obstante promissione juratâ. *c.* 18. *&* 45. *h. t.* S. Thom. *ubi supra.* Ratio est: quia quamvis ex superveniente juramento seu promissione tenearis celare crimen extra judicium, in judicio tamen præcipiente Judice seu juridicè interrogante teneris manifestare: quia superveniens juramentum seu promissio non potuit præjudicari juri, quod Judex habebat interrogandi te ea de re, ubi primùm à te cognita fuit ante tuam pactionem. Quod tamen jus non habet Judex ad interrogandum de secreto tibi propriè commisso: cùm non aliter tibi committatur nisi ex pacto, quod nemini sis revelaturus; quod pactum licitè initur & absque culpa violari non potest.

Planè si secretum commissum postea aliunde cognoscas, id pariter Judici legitimè interroganti videtur manifestandum: pactum namque tam expressum, quàm implicitum de servando secretum commissum obligat solùm ad occultandam eam notitiam, quæ ex eodem secreto fuit obtenta. Ergo si id aliunde & aliâ viâ cognoveris, si in testem voceris, haud poteris occultare.

§. IV.

Forma attestationis, seu testimonii concernit testium productionem, receptionem, juramentum, examen, depositionem, & attestationum publicationem.

Pri-

Productio testium ita fieri solet. Postquam reus ad petitionem actoris negativè respondit (idem est, si actor negativè responderit ad exceptionem rei) & dilatio probatoria à Judice data est, ante omnia actor articulos formare debet, quos per testes probare se posse confidit; & quidem hodiernis moribus ipsæ positiones ab adversario negatæ pro articulis assumuntur: ideóque articuli positionales nuncupantur, quibus tamen si placet, alios articulos addere licet, qui propterea articuli additionales vocitantur. Articuli sic formati porriguntur Judici unà cum denominatione testium, & directorio, quos testes pro illo vel isto articulo interrogari velit: plerumque enim testes non de tota causa sive de omnibus articulis notitiam habent, sed duo de isto articulo, alii duo de alio testificari possunt, quam ob rem etiam articuli fiunt, ut quod conjunctim probari non potest, divisim & per partes probetur. Istos articulos, nomina testium, & directorium Judex communicat reo in eum finem, ut si aliquas exceptiones habeat, sive contra ipsos articulos, quasi irrelevantes, sive contra personas testium, opponere possit. Quòdsi nullam exceptionem habeat, potest saltem addere sua interrogatoria. v. g. unde testis sciat, quod in articulo ponitur: quo tempore, quo loco factum sit &c. super quibus interrogatoriis non minùs, quàm super articulis testes diligenter examinandi sunt. c. *præsentium.* 2. *h. t. in* 6. hæc autem interrogatoria ulteriùs actori non communicantur, ne testes subornare, & circa illa instruere valeat, quod esset contra finem interrogatoriorum, ut quæ fiunt, ut fraus & falsitas detegatur, si testes discrepent in circumstantiis locorum, temporum &c. Denique receptis articulis cum directorio, & interrogatoriis Judex testes ab actore nominatos citabit, & coget coram se certo die comparere, si in illos jurisdictionem habeat. Quod addo: quia si actor testes alterius provinciæ, ac jurisdictionis nominet, tum Judex illos citare non potest: cùm citatio non subditi nullius momenti sit. *l. fin. ff. de Jurisdict.* sed literis, quas *mutui compassûs* appellant, proprium Judicem requiret, quatenus ipse testes, vel cogat venire ad locum motæ litis (quod in causis criminalibus de Jure communi necessarium) vel ut ipse testes super articulis & interrogatoriis ritè examinet, & depositiones eorum clausas, sigillóque suo munitas sibi remittat. P. Engel *h. t. n.* 2.

Quæres I. Num fide dignus sit testis, qui 36
non citatus à Judice in judicium venit, ac testimonium perhibet? Distingue cum Bartolo in *l. post legatum* §. *his verò* 10. *ff. De his, quæ ut indign. aufer.* aut testis irrequisitus ex solo zelo veritatis & justitiæ, an verò precibus actoris inductus veniat, ac testimonium perhibeat? Priori casu pro suspecto habetur, nec omni exceptione major est: partim quia putatur, singulari affectu prosequi eum, pro quo deponere contendit; partim quia hoc ipsum suspicionem facit, quòd actor non nominârit, & produxerit talem testem; cùm non præsumatur tam oblivioſus, ut nesciat, quinam rei, qua de agitur, notitiam habeant. Interim non ambigo, quin hæ præsumptiones per contrarias ex dignitate personæ, & qualitate circumstantiarum elidi possint, ac multis casibus testis irrequisitus pro idoneo admittendus sit. Casu posteriore testis nequaquam repelli potest, nec propterea de fide ipsius dubitari debet, quòd à Judice vocatus non sit: quia non ultrò se ingerit, qui precibus alterius in-

inducitur ad ferendum testimonium: & causæ suspicionis, quæ militant contra testem ultrò se ingerentem, in hoc posteriore casu nullô modô procedunt, ut examinanti patebit.

37 *Quæres* II. Quot testium productiones admitti possint? Expeditum est, regulariter tres admittendas esse. *c.* 15. 36. & 55. *h. t.* ita quidem, ut iidem testes, si testificata non didicit producens, iterum produci queant tam super novis, quàm antiquis articulis. *c.* 46. *Eod.* nisi partes priusquam tertia productio fiat, ulteriori productioni renuntiaverint. Quarta productio non aliter concedenda est, quàm si pars eam petens juret, quòd attestationes testium nec suæ, nec adversæ partis, nec per se, nec per alios suppresserit, aut occultaverit: quòd depositiones testium non exploraverit, nec perscrutata sit: & quòd hanc quartam productionem non petat malitiosè. *d. c.* 15. 36. & 55. Quinta nec cum ista solennitate legali datur: ne per effrænatam testium multitudinem, & multam illorum depositionem processus sufflaminetur, & lites nimiùm protrahantur. Hartman. *Pract. observat. lib.* 2. *tit.* 12. *observ.* 3.

38 *Quæres* III. Cujus sumptibus testium productio fiat? Utique sumptibus producentis, sive deinde actor sit, sive reus: sumptus enim præstare tenetur is, cujus gratiâ actus celebratur. Itaque si testes peregrè extra domum evocentur, producens iis in accessu & recessu congruum viaticum juxta qualitatem ac dignitatem locorum suppeditabit, nullâ habitâ ratione vel deductione sumptuum, quos aliàs domi fecissent. *c. statutum* 11. §. *pro ferendo de Rescript. in* 6. *l. quoniam* 11. *l.* 16. *C. h. t.* Neque tantùm victûs ratio habenda est, sed etiam vehiculum, vel equus sumptibus producentis constitui debet. Sichard. *in d. l. quoniam n.* 7. Præterea licèt tempus & labor non consideretur, cùm veritatem gratis quivis dicere debeat. *c. fin. causâ* 14. *q.* 5. testis tamen indemnis servari debet, æquitate naturali dictante, nemini officium, quod præcisè in alterius gratiam suscepit, debere esse damnosum. *l. si servus* 61. §. 5. *ff. de Furtis. & l. si quis* 7. *ff. Quemadm. testam. aper.* Ideóque si testis est opifex, aut mercenarius, qui interea diurnas operas, quibus se, liberos, & uxorem alit, intermittere, & consequenter etiam quotidianâ mercede carere debet, tali quoque operarum intermissio æstimanda & compensanda est. Gail. 1. *observ.* 99. *n.* 1. 8. & 9. Illud duntaxat obiter hic insinuo, quòd postea victus victori ejusmodi sumptus refundere cogatur, nisi propter justam litigandi causam, quam victus habuit, compensatio expensarum per Judicem fiat. *c. finem litibus.* 5. *de Dolo, & contum. l.* 13. §. 6. *C. de Judiciis* & ibi communiter DD.

Receptionem testium, quod concernit, 39 ad eam lite non contestatâ procedendum non est, exceptis quibusdam casibus, prout *Tit.* 6. dictum. Deinde ad eam pars adversa citari debet, non ut audiat testimonia, sed ut videat testes recipi, & jurare. *c.* 2. *h. t.* Et hæc citatio usque adeò necessaria est, ut nullius momenti sint contra non citatum receptæ attestationes, nisi Judex ex officio procedat per inquisitionem generalem, aut periculum sit in mora, aut pars, contra quam producuntur testes, per se sit præsens, ita ut nulla citatione opus sit. Pirthing. *h. t. n.* 32. & 32.

Juramentum testibus ante actum testi- 40 monii deferri debet, quô jurant, quòd nec odiô, nec amicitiâ, aut favore, aut aliquô aliô commodô, habitô, vel habendô in-

inducti sint ad testificandum, sed amore solius veritatis moti; & quòd veritatem, sicut secundum conscientiam noverint, ad articulos & interrogatoria sibi proponenda fideliter sint dicturi. *c. 5. §. 2. c. 39. c. 51. h. t.* Ut autem hoc juramentum ritè præstetur, præstari debet in præsentia utriusque partis, si modò pars vocata contumaciter non abfuerit. *d. c. 2. Eod.* & coram Judice causæ vel instantiæ, exceptis personis valetudinariis, senibus, vel debilitate confectis, quæ in domo sua jurant, & deponunt coram Commissario. *c. 8. Eod.* Item si Clericus testis est in causa Laicorum, jurabit is coram suo Episcopo, vel Vicario, non coram Judice Laico; imò coram eo nec deponere debet, sed etiam vel coram Episcopo, vel cui is commiserit. *c. quanquam. 2. causa 14 q. 2.* Panorm. *in d. c. 2. h. t. n. 6.* Honorius *n. 39.* Verùm.

41 *Dubitatur* I. An omnes teneantur præstare hoc juramentum? Omninò: de jure communi enim testi non jurato in præjudicium tertii fides non habetur, etsi Religiosus, vel quacunque dignitate clarus sit. *c. nuper 51. h. t. l. 9. C. Eod.* adeò ut si duo vel plures testes integerrimi sine juramento deponant, nec semiplenam fidem, sed tantùm præsumptionem faciant secundum Sesterum *de Juram. lib. 3. c. 9. n. 46.* Hodie tamen illustres & nobiles personæ non solent præstare juramentum corporale, sed tantùm sub fide sua testificantur, teste Rosbach *in Prax. civili. tit. 57. n. 13.* prout neque in propria persona veniunt testimonii dicendi causâ, sed depositiones suas in scripto, sigillo suo munitas, ac manu propria subscriptas Judici transmittunt. Quod maximè in Bohemia, Austria, & Bavaria receptum esse, post Andr. Gail. *l. 1. observ. 101. n. 4.* & alios tradit Rosbach *loc. cit.* Neque absque ratione, quia inter Principes, Comites, vel etiam Nobiles notissimâ Germaniæ consuetudine obtentum, & præjudiciis Cameræ Imperialis firmatum est, ut, quaudo hujusmodi personæ illustres sub fide, & dignitate suâ aliquid promittunt, vel asserunt, jurare credantur, & tanquam juramentô exinde obligentur teste Mynsing. *cent. 1. observ. 17.*

Dubitatur II. Utrùm non sufficiat, si testes ex postfacto jurent, quòd ad omnia interrogata veritatem dixerint? Negativè resolvit Ummius *ad Proceſſ. judic. disp. 16. sub. n. 60.* Bald. *in d. l. jurisjurandi. 9. C. h. t.* prout etiam Imperator in hac *lege* expressè statuit, jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, arctandos esse. Et meritò: quia ex postfacto nemo facilè fatebitur, se dixisse falsum, sed ad evitandam infamiam potiùs falso testimonio falsum juramentum subjunget. Nihilominus notat Gail. *d. observ. 101. n. 9* Cameram ejusmodi testimonium recipere, si modò ipsam depositionem in continenti juramentum subsecutum sit, eò quòd juxta vulgatam regulam actui inesse videantur, quæ in continenti fiunt. arg. *l. 7. §. quin imò. ff. de Pactis. l. pen. C. de Institut. & substit.* Idem probabiliter dici posse putarem, quandocunque testis præscit, sibi ex postfacto jurandum esse, ut si ita stylus curiæ alicubi haberet: quia non minùs deterrebitur à falsitate dicenda per juramentum, quod prævidet sibi quondam præstandum, quàm per juramentum jam præstitum. 42

Dubitatur III. Num hoc juramentum partium consensu remitti possit? Affirmat P. Engl. *h. t. num. 2.* quem sequor: cùm enim ad partium jus, & interesse spectet, ut 43

in-

injuratis testibus non credatur, utique possunt juri huic & favori renuntiare. arg. *c.* 12. *& 17. de Foro compet. l.* 29. *C. de Pactis.* Gloss. *in c.* 39. *V. remittatur h. t.* Nisi agatur de præjudicio publico, vel de periculo animæ, vel de tali negotio, ubi partes non possunt remittere quicquam, ut in causa criminali, vel matrimoniali. Brunneman *de Process. civil. c.* 20. *n.* 65. Neque adversatur, quod supra dictum fuit, juramentum calumniæ expresso consensu partium remitti non posse per *c.* 1. *de Jur. calum. in* 6. *l.* 2. *C. de Jurejur. propter calum.* dispar enim utriusque juramenti ratio est: quia juramentum calumniæ concernit commodum Judicis, & utilitatem Reipublicæ, cujus interest, ne per calumniam fatigentur Judices, & lites in infinitum excrescant; quæ autem utilitatem publicam concernunt, aut juris publici sunt, pactis privatorum tolli nequeunt, *l. jus publicum ff. de Pactis.* Secus est in juramento testium, quod solius remittentis privatam utilitatem spectat. Vallens. *h. t. §.* 3. *num.* 9.

44 *Examen* testium ita expeditur: receptô juramentô Judex litigantes dimittit, testes verò seorsim unum post alterum ad conclave vocat, & in memoriam revocatô juramentô tam super articulis juxta directorium actoris, quàm super interrogatoriis adversarii sedulò disquirit, & inter examinandum à Tabellione, sive Notario dicta uniuscujusque ad singulos articulos, & interrogationes distinctè, & quantùm fieri potest, ipsa verba formalia annotantur juxta *c.* 37. *& 52. h. t.* Harprecht *in Process. judic. disp.* 3. *concl.* 176. Quo facto testis impositô silentiô, ne ante judicialem publicationem suas depositiones cuicunque patefaciat, abscedit. Rosbach *in Praxi civil. tit.* 58. *n.* 23. *& seq.*

Porro testium *depositio*, ut legitimè fiat, his requisitis constet, oportet.

45 *Primum* est, ut vivâ voce ad examinandum interrogationem, & non in scriptis testes deponant. *c. relatum* 3. *causâ* 5. *q.* 2. *l.* 3. *§. ideoque Divus ff. h. t.* quia ex voce, modo & gestu deponendi veritas magis deprehendi potest. Vide omnino Felin. *in c. de testibus* 29. *n.* 7. *h. t.* ubi hoc quinque modis limitat. Et in Bohemia, Austria, Bavaria, aliisque locis invaluisse, ut Nobiles sine corporali juramento per scripturam obsignatam deponant, paulò ante memoravimus.

46 *Secundum*, ut depositio sit conformis articulo. Caveat ergo testis, ne sit verbosus, & plùs dicat, quàm interrogetur: quia cùm testis tantùm jurare soleat de veritate dicenda super articulis, & interrogatoriis, de reliquo fidem non meretur, tanquam non juratus. arg. *d. c. de Testibus* 29. *h. t.* idque adeò procedit, ut si articulentur verba formalia, per quæ v. g. matrimonium contractum, vel alius actus expeditus dicitur, nisi præcisè de verbis formalibus deponant testes, sed nudè respondeant: matrimonium contractum esse, nihil probent, & reus tanquam articulo non probato absolvi debeat, ut pulchrè tradit Nicol. Everhard. *consil.* 19. *n.* 3. Similem casum resolvit Panorm. *in c. nil obstat* 7. *de V. S.* ubi, si quis articulet, Sempronium in extremis dixisse: *facio te haredem meum*; & postea unus testium deponat Sempronium dixisse: *instituo te haredem meum*; alter verò, eum dixisse: *facio te haredem meum*; docet, testes censeri sibi contrarios, & nihil probare, quamvis in rei substantia conveniant; licèt enim, ait *ibidem n.* 2. diversitas narrandi non obsit, ubi ipsa facti substantia subjicitur probationi, obstat tamen vel maximè, ubi probanda sunt formalia verba.

Tur-

47 *Tertium* requisitum est, ut depositio sit clara & perspicua. Obscura, dubia, & incerta rejicitur, & penitus nihil probat; ut si testes deponit per verba: *si bene memini*: *opinor*: *arbitror*; *ni fallor*: *videtur*, & hujusmodi Farinac. *tr. de Opposit. contra test. q. 68. sect. 2. n. 62.* Nisi tale negotium sit, quod in se est obscurum, & intellectu potiùs, quàm sensu comprehendi potest, & res difficilis probationis, aut si consuetudo probanda, aut ubi de auditu quis debet deponere. Brunneman. in *Proces. civ. c. 20. n. 71.*

48 *Quartum* est, ut testis reddat bonam, ac sufficientem rationem sui dicti, unde scilicet sciat, ita esse, ut asserit, an viderit: an interfuerit, &c. nam si illam non reddat, vel si reddat, sed non bonam, etsi dicat, se scire, vel se certum esse, non solùm non probat, sed nec etiam facit præsumptionem, seu indicium per *l. sola 4. C. h. t.* Mascard. *de Probat. vol. 3. concl. 1369. num. 54.*

49 *Disceptatur* I. Sitne fides tribuenda testi, qui ideo non reddit rationem in sua depositione, quòd de ea interrogatus non fuerit? Affirmativam communibus calculis approbatam invenio, si neque Judex interrogavit, neque pars adversa de causa scientiæ interrogari petit, & insuper articulus, seu factum, de quo testis deponit, tale sit, ut sensu corporeo percipi possit: quia hoc casu testi nihil imputari potest: cùm non debeat plùs dicere, quàm interrogetur, ut dictum; & aliunde non præsumitur absolutè affirmaturus, nisi causam sufficientem haberet, & certò sciret. Aliud est, si deponat super iis, quæ juris sunt, & non censu corporeo, sed judicio intellectûs percipiuntur; ut puta super dominio, jurisdictione, territorio, super statu, qualitate, & fama personæ, item super consuetudine; tunc enim tenetur assignare causam scientiæ, etsi non interrogetur; aliàs fidem non faciet. Bartol. & Bald. *in d. l. sola 4. C. h. t.* Everhard. *consil. 106. n. 10.* Latè Mascard. *d. concl. 1369. &* Farinac. *q. 70. per tot.* Ratio est: quia in his casibus magis contra testem præsumitur, quòd scire non possit, nec sufficientem, sed putativam duntaxat sui dicti causam habeat, cùm talia, quæ sub sensus non cadunt, plerumque difficulter sciantur, & tamen facilè asserantur ob solam vehementem suspicionem.

Disceptatur II. Qualis causa scientiæ re- 50
quiratur, & an testis semper vidisse debuerit id, de quo deponit? Dicendum est, ut testi plena fides adhibeatur, universim talem causam adduci debere, ex qua legitimè concludi, & inferri queat articulus probandus, sive ex qua testis sufficienter scire possit id, quod asserit, scire enim est rem per causam cognoscere. Sic sufficiens causa erit, si testis asserens me accepisse mutuum dicat: quia audivi mutuum petentem, & vidi numerationem secutam: siquidem si hoc verum sit, necessariò sequitur, quod in articulo ponitur, me accepisse mutuum. Econtra si asserat, me accepisse mutuum, eò quòd audiverit me mutuum petentem: si attestetur, equum esse meum, eò quòd viderit me sæpius inequitantem, causa concludens non erit, ut patet. Quòdsi tamen testis non quidem habeat causam scientiæ omninò evidentem, & necessariò concludentem, sed solùm valde probabilem, & quæ saltem præsumptivè concludat, adhuc fidem faciet, ut si affirmet, Titium esse legitimè natum, quia mense septimo post nuptias genitus est: licèt enim evidenter ex hoc non sequatur, est tamen præsumptio juris, quòd sit legitimus, & pro tali habendus ac judi-

candus erit. *l. septimo mense ff. de Statu hom.*

51 *Disceptatur* III. Qualem fidem mereatur testis, qui tantùm de credulitate deponit, neque scire se dicit, sed credere articulum, super quo interrogatur? Tametsi regulariter talis testis non probet, attendendum tamen vel maximè ad causam credulitatis: quoniam si inprimis talem causam credendi habeat, quæ etiam ad scientiam sufficeret; ut si dicat: credo, actorem esse in possessione agri litigiosi, quia vidi à multis annis arantem, & metentem, æquè fidem faciet, atque si se scire profiteretur: quia non tam ad verba, quàm ad rem ipsam attendendum est, & sæpe etiam quod scimus, nos credere dicimus, teste Baldo *in l. si servus §. qui quinque ff. de Legat.* 1. Similiter valet testimonium de credulitate, ubi credulitas est proxima sensui, per quem percipitur veritas. Panorm. *in c. quoties 5. n. 6. h. t.* sive, (quod coincidit) si talem causam credulitatis reddit, ex qua violenta præsumptio pro veritate articuli resultat. Hinc sufficienter probat testis, si dicat, se credere Cajum cum Mævia adulterium commisisse, eò quòd nudum cum nuda in eodem loco viderit: Titium occidisse Sempronium, eò quòd viderit stricto gladio irruentem in cubiculum Titii, & mox cruento mucrone redeuntem. arg. *c. 24. & 26. Eod.* Bald. *in auth. quas actiones n. 9. C. de Sacrosanct. Eccles.* Quod maximè obtinet, ubi aliæ probationes ordinariè haberi nequeunt, quàm per præsumptiones, & conjecturas; ut dum quis probare debet patrem suum, natales suos, item adulterium, & similia delicta, ac facta, quæ testes non admittunt. Quòdsi credulitas à sensu remota sit, veluti si testis diceret: credo adulterium commissum, quia vidi solum cum sola confabulantem: credo Cajum occidisse Mævium, qui manè mortuus repertus est, quia illum serò vidi armis cinctum: talis depositio non meretur fidem, quia causa est insufficiens, & nec præsumptivè concludit. Sichard. *in l. testium* 14. *C. h. t.* Panorm. *loc. cit.* ubi *n.* 7. subjungit, admitti testimonium de credulitate, ubicunque admittitur testimonium de auditu. Unde

Disceptatur IV. Num, & quando testis 51 de auditu admittatur, & fidem faciat? Refert, an ex auditu proprio deponat testis, vel ex alieno? Si ex auditu proprio deponat, & actus talis sit, qui auditu percipi potest, in confesso est, fidem facere, ut si testificetur, se audivisse, Titium quid promisisse, aut injuriam verbalem alii irrogâsse. Sin verò testis deponat ex auditu alieno, & propterea aliquid adstruat, quia ita esse ab aliis fide dignis audivit, regulariter nihil probat, eò quòd hæc causa scientiæ insufficiens sit, & malè concludat arg. *c. 33. h. t. & ibi* Gloss. *V. de auditu.* Excipiuntur potissimùm duo casus, quibus testimonium ex auditu alieno, seu relatione ab aliis accepta recipitur. *Primus* est, si deponatur super factis antiquis, ætatem, & memoriam hominum, qui de facto vivunt, excedentibus: quia in factis antiquis magna credulitas, & opinio pro veritate habetur. *l. si arbiter* 28. *ff. de Prob. l. 2. §. idem Labeo ff. de Aqua. & aqu. pluv. arcend.* Censetur autem factum antiquum, quod ante centum annos factum est. arg. *l. ult. C. de Sacrosanct. Eccles. Alter* casus specialis exstat in *c. quoties 5. h. t.* ubi statuitur, quòd consanguinitas etiam ad effectum dirimendi matrimonium jam contractum debeat probari per duos, vel tres testes, qui jurent, se ita accepisse à majoribus, & credere verum esse. Quod ipsum tamen in *c. licèt* 47. *Eod.* eatenus re-

strin-

stringitur, ut tum demum procedat, si *primo* nec testes ipsi, nec illorum auctores, à quibus audiverunt, sint suspecti, aut fide minùs digni. *Secundò*, si testium sint saltem duo, iique à duobus se audisse dicant: nam etsi unus testis dicat, se audivisse à centum viris fide dignissimis, vel econtra centum testes dicant, se audivisse ab uno alio, fidem non facient, quia utrobique in effectu uni testium credendum foret. *Tertiò* insuper requiritur, ut tales testes non confusè tantùm deponant, in quoto gradu conjuges sint conjuncti, sed etiam ut distinctè singulos gradus designent vel nominando, vel credibiliter describendo singulas personas mediantes. Denique testificari debent, se vidisse, saltem duas personas ex illis gradibus, & genealogia pro consanguineis se habere, & agnoscere. Atque ita demum addito juramento, quòd omnia ita à majoribus acceperint, & credant, consanguinitas satis probata censebitur, & separatio permittetur. Sed ulteriùs.

53 *Disceptatur* V. An aliis casibus, ubi testes ex auditu plenam fidem non faciunt, saltem tantam præsumptionem faciant, ut propterea actor ab onere probandi relevetur? Ut ecce! contra possessorem domûs, vel agri alicujus produco duos testes, qui concorditer deponunt, se nominatim à Titio & Cajo audivisse, hanc domum vel agrum esse meum; eritne ob hoc reus beneficio possessionis privatus onere probandi gravandus, atque ipso non probante domus vel ager mihi adjudicandus? Affirmat Menoch. *de Arbitr. Jud. casu* 475. *n.* 5. cum pluribus aliis ibidem laudatis eo saltem casu, quo authores illi, à quibus testes audiverunt, vel jam sunt defuncti, vel propter absentiam, aut alia de causa produci nequeunt. Verùm contrarium non minùs probabiliter sustinet Fachinæus *Illustr. controverss. lib.* 10. *c.* 67. quamvis enim negari non possit, testes ex auditu aliquam præsumptionem facere, tamen sine sufficienti ratione, & sine lege dicitur, propterea statim onus probandi in adversarium rejici; quia potiùs econtra notissimi juris est: actore non plenè sufficienter intentum suum probante reum debere absolvi, etsi nihil probet. Item suadet ratio: nam etiamsi actor semiplenè probet, puta per unum testem, non tamen ideò onus probandi adversario imponitur, sed si nihil ultra præstet reus absolvetur: idem ergo multò magis dicendum, si actor intentum suum minùs, quàm semiplenè probet, puta per testes ex auditu, qui tantùm præsumptionem faciunt. Ad hæc, non est ratio, cur potiùs testes de auditu deponentes, quàm alii à Jure reprobati v. g. consanguinei, domestici &c. onus probandi in adversarium transferant, cùm omnes præsumptionem faciant. Tametsi igitur actor ab onere probandi liberetur, si ab initio præsumptio juris pro eo militet contra reum, ut *in Tit. de Probat. n.* 15. comprobatum, secus tamen est, si expostfacto suis probationibus præsumptionem pro se obtineat, per vulgatam regulam: actore non probante reus est absolvendus.

54 *Quintum* denique requisitum depositionis testium est, ut sit constans, & non vacillans, nec varia & sibi contraria. Covarr. *l.* 2. *var. Resol. c.* 13. *n.* 8.

Ecquid ergo juris, si testes varient, vacillent, aut sibi ipsis contradicant? Ego hujus quæstionis perplexitatem sequenti casuum distinctione aliquo modo extricare conabor. *Primò* enim si diversi testes diversa & contraria deponant, ut si duo negent, tres affirment eundem articulum, Judex ad numerum, ac dignitatem testium,

stium, item ad probabilitatem dictorum attendet, iisque fidem dabit, qui rationabiliùs, & verosimiliùs deponunt. *l. ob carmen 21. ff. h. t.* *Secundò* si unus, idémque testis contraria dicat animo revocandi, quod priùs dixit, tum, si revocatio in continenti fiat, vel probetur probabilis causa erroris, credetur posteriori testis depositioni. Text. & Panorm. in *c. præterea n. 4. de Testib. cog.* *Tertiò* si testis in eodem contextu, non animo se corrigendi repugnantia, & contraria proferat, ut si priùs dixit, se vidisse, postea, se tantùm ab aliis audivisse; talis tanquam vacillans omnino repelletur, & neutrum credetur. Communis apud Jul. Clar. *lib. 5. sent. §. fin. q. 53. n. 15.* *Quartò* si testis ex intervallo, animo revocandi, nec allegatâ probabili causâ erroris contraria effutiat, sive in eodem, sive in diverso judicio, testem tanquam falsarium puniendum, textus est in *l. eos 27. ff. Ad Leg. Cornel. de falsis.* *Quintò* si testis aliud dicat in judicio, aliud extra judicium, Bald. in *l. gesta 6. C. de Re judic.* censet, potiùs credendum esse testimonio in judicio prolato propter juramenti religionem, & Judicis authoritatem. Sed magis arridet opinio Fachinæi *controvers. l. 9. c. 84. & 85.* quòd tam hoc, quàm præcedenti casu arbitrio Judicis committendum sit, quodnam testimonium consideratis omnibus circumstantiis, conjecturis, & indiciis majorem fidem mereatur, eo modo, quo supra Judicis discretioni reliquimus, si ex persona testium suspicio oriatur: quandoquidem etiam in proposito, quocunque modo testis contraria dicat, semper fides illius minuetur, & utrumque ejus testimonium plurimùm suspectum erit: & licèt cæteris paribus magis præsumatur verum esse, quod priùs, vel coram Judice cum juramento dixit, si tamen pro altero plures conjecturæ, & præsumptiones urgeant, potiùs huic credendum erit. Jul. Clar. *d. n. 15.* Menoch. *de Arbitr. judic. casu 108. n. 24.*

Demum ad *publicationem attestationum* requiritur imprimis, ut Partes citentur ad videndum testimonia publicari: cùm enim talis publicatio possit cedere in alterius partis præjudicium, citatio partium non potest omitti à Judice, si tamen pars per contumaciam absit, pro præsente habetur arg. *c. 2. h. t.* Deinde antequam dicta testium publicentur, partes priùs interrogandæ sunt, num consentire in publicationem, vel ejus adhuc differendæ justas causas proponere velint? Si consentiant, tum rotulus examinis partibus prælegitur, seu publicatur; ubi sibi reservant exceptiones contra personas, & testium dicta adhuc proponendas, nec non documentorum productionem & alia necessaria. Quâ publicatione factâ copiæ ab examinis rotulo partibus communicantur, ut depositiones examinare queant; rotulus verò in originali, vulgò die Zeugen-Sag/ apud acta reservatur. *c. 11. de Prob.*

Hujus publicationis tres communiter effectus assignantur. *Primus* est, quòd testimonia in una causa, & coram uno judice publicata semper & ubique inter easdem personas plenam fidem faciant. Bartol. *in l. fola 4. n. 2. C. h. t.* per text. *in l. fin. C. de Re judic.* Gail. *1. observ. 103. n. 2.* Quamquam noster Panormit. non improbabiliter in *c. causam 11. h. t.* doceat, ex publicatione præcisè non præstari, vel confirmari fidem attestationibus, sed depositiones testium in uno judicio debitâ solennitate receptas etiam omissâ publicatione ubicunque fidem facere; quod exemplò attestationum ad perpetuam rei memoriam,

riam, quæ publicari non debent, non parùm confirmatur.

57 *Alter* effectus publicationis testium est, quòd postea non ampliùs liceat excipere contra personas testium. *c. præsertim 31. Eod.* tum quia timetur, ne is contra quem testis deposuit, hòc ipsò irritatus malitiosè fingat causam suspicionis; tum quia qui testem semel admisit ad examen, & insuper ejus depositionem publicari petiit, videtur illum approbâsse, consequenter ampliùs reprobare non potest. Jason *in l. admonendi n.* 14. *& 128. ff. de Jurejur.* Limita: nisi reo primùm post publicationem innotescat causa suspicionis, ut quòd pecuniâ corruptus, infamis, aut consanguineus sit, tunc enim cessat ratio prohibitionis. Quin absolutè, si reus post publicationem juramentum præstet, quòd testem non malitiosè reprobare intendat, contra eum excipere poterit: quia juramentum elidit præsumptionem contrariam. Idem est, si ante examen, vel publicationem attestationum protestatus est, aut sibi reservavit exceptiones contra testes, ut hodie plerumque fit: quippe hæc protestatio tollit suspicionem malitiæ, & tacitæ approbationis. *d. c. præsentium & ibi* DD.

58 *Tertius* effectus est, quòd post publicationem attestationum non liceat alios, vel eosdem testes super iisdem, vel contrariis articulis producere ob renuntiationem & periculum subornationis. *c.* 17. *&* 25. *Eod.* Et hoc de Jure Canonico tam in prima, quàm secunda instantia. *Clem.* 2. *Eod. De Jure Canonico* inquam: de jure namque Civili secundùm communem Legistarum ut ait Glossa in *d. Clem.* 2. in causa appellationis novi testes admittuntur, non obstante publicatione factâ in prima instantia per *l. ejusqui* 6. §. 1. *&* 2. *C. de Appellat.* Confer. post alios Panorm. *in d. c.* 17, *num.* 4. *h.t.* ubi plures casus speciales recenset, quibus attestationum publicatio ulteriorem testium productionem non impedit.

§. V.

Finis attestationis, seu testimonii est, ut 59
veritas eruatur, & fides de causa principali Judici fiat.

§. VI.

Effectus attestationis, seu testimonii est 60
probatio rei in judicio controversæ. Sed quot testes desiderantur ad plenam probationem? R. &

Dico I. Unus testis cujuscunque dignitatis regulariter plenam fidem non facit, nec sufficit ad ferendam aliquam sententiam. *Deuteronom. c.* 19. *v.* 15. *c. licèt* 23. *h.t. l.* 9. *§.* 1. *C. Eod.*

Dixi: *regulariter*: nam interdum contra est. Ita I. uni creditur in causis nemini præjudicantibus, sed merè favorabilibus, ut cùm quæritur, an Ecclesia sit consecrata? num Titius sit baptizatus? *c. cùm itaque* 112. *dist.* 4. *de Consecrat.* an quis in mortis articulo petierit confessionem? arg. *c. parvuli* 74. *eod. dist.* 4. item num quis sit Clericus, aut Doctor: Mascard. *de Probat. lib.* 1. *concl.* 303. *in* 1. *ampl.*

II. Sufficit unus testis, quando agitur 61
de peccato vitando, & ideo si sola mater sponsæ asserat intercedere consanguinitatem cum sponso, propter hoc testimonium solius matris tales sponsi conjungi non debent. *c. super eo* 22. *h.t.* prout etiam fama sola de copula habita cum consanguinea sufficit ad matrimonium impediendum. *c.* 2. *de Consanguinit. & affin.*

III. Uni testi fides adhiberi potest pro fo- 62
ro conscientiæ, & ad effectum evitandi peccati, modò fama, & contraria testimonia non adsint; ut si testis asserat, hoc loco esse privilegium per quadragesimam co-

medendi lacticinia. Layman. Navarr. & alii.

63 IV. Creditur ei, qui publicô officiô fungitur, si testetur de facto proprio à se ratione publici officii gesto, veluti si Notarius testetur, se instrumentum confecisse, vel Pedellus dicat, se reum citâsse. P. Engel *h. t. num.* 58. item creditur ponderatori ab aliqua communitate ad ponderandum, vel mensurandum constituto, si de justitia ponderis, aut mensuræ deponat. *l.* 2. *C. de Ponderatorib.* Imò etiam cuivis artifici in sua arte judicium, & censuram ferenti fides habetur, ubi plures in aliquo loco facilè haberi nequeunt.

64 V. Plenè probat unicus interpres, ubi agitur de interpretatione alicujus scripturæ, ut si aliquod rescriptum literis græcis exaratum apud Germanos exhibeatur, qui ignari literarum græcarum. Text. & Bartol. *in l.* 1. §. *fin ff. de V. O.* Panorm. *in c. proposuisti de Probat.* Quibus tum subscripserim, quando plures interpretes literarum græcarum non sunt ad manum; secus, si plures possint reperiri.

65 VI. Plenam fidem meretur is, cujus dicto ut stetur in materia hæreditatis, testator in testamento cavit; ut si cui tot florenos legaverit, quot se legare velle scit Sempronius. *l.* 14. *ff. de Dote præleg.* Farinac *de Testib. q.* 63. *n.* 39. cum aliis, quos ibi refert, & sequitur. Ratio est, quòd in tali casu concurrens præsumptio juris dicto testis adminiculetur, & unà plenam probationem constituat. Displicet Alciato 2. *Parerg.* 19.

66 VII. Unico teste satis probatur rei innocentia; ut si confessus homicidium, aut de illo convictus excipiat, ac probet per unum testem, quòd necessariæ defensionis causâ occiderit; vel quod vulnus non fuerit lethale, sed ex alia causa homo obierit. Mascard. *de Probat. vol.* 2. *concl.* 904. *num.* 10. Consentio, si in contrariam partem non sint alii testes; alioquin dissentio: *quoniam* (ut loquitur Stephanus Papa V. relatus in *c. admonere* 8. *causâ* 33. *q.* 2.) *nec Evangelium, nec ulla Divina, humanáque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel justificat.*

De reliquo quamvis unus testis plenam fidem non faciat ad causam decidendam, si tamen sit omni exceptione major, & in judicio deponat, semiplenè probat, & indicium facit ad inquirendum, citandum, atque etiam ad torquendum reum. Pirrhing. *h. t. n.* 113. Farinac. *d. q.* 63. *n.* 50. *&* 52.

Dico II. Ordinariè duo conteſtes idonei in omni causa, tam civili quàm criminali, plenam fidem faciunt. *c.* 4. *&* 23. *h. t. l.* 12. *ff. l. jurisjurandi* 9. *C. Eod.* idque colligitur *ex Deuteronom. c.* 17. *℣.* 6. *c.* 19. *℣.* 16. *& Matth. c.* 18. *℣.* 17. ubi dicitur: *In ore duorum, vel trium testium stabit*, vel *stet omne verbum.* id est, omne negotium ostendi, & confirmari potest. Ratio est: quia difficile, duos testes ita corrumpere, ut non ex aliquo signo falsitas appareat.

Sunt tamen casus, quibus jura requirunt 69 majorem numerum. Sic Jus Civile ad testamentum septem; ad codicillum, & alias ultimas volnntates quinque desiderat. Jus Canonicum ad matrimonium præter duos testes exigit etiam præsentiam Parochi. Item contra Præsulem seu Cardinalem Episcopum septuaginta duo; contra Presbyterum Cardinalem quadraginta quatuor; contra Diaconum Cardinalem urbis Romæ viginti septem; contra Subdiaconum, Acolytum, Exorcistam, Lectorem, & Ostiarium septem testes non no-

ta-

ti aliquâ infamiâ requiruntur, ut condemnari possit. *c. Præsul 2. causâ 2. quæst. 4.* Quod Vallens. *de Probat. §. 2. n. 3.* etiam ad Presbyterum, Diaconum, vel Subdiaconum non Cardinalem extendit. De consuetudine autem aliud hodie servari, in comperto est, licèt extra dubium sit, perfectiores, & pleniores probationes desiderari contra Clericos, maximè ubi agitur de illorum fama. Clar. *in Pract. crim. q. 66. num. 5.*

70 Dico III. Testes singulares, qui scilicet aut contraria, aut diversa de uno eodémque facto deponunt, ut puta de diversa persona, re, causa, tempore, loco, & circumstantia, non probant, neque ad probationem plenam conjunguntur. *c. 9. & ibi* Gloss. *in V. singulares de Probat. c. 23. ℣. contra legati verò de Elect.*

71 Est tamen hìc distinguendum inter singularitatem obstativam seu adversativam, diversificativam, & cumulativam, seu adminiculativam. *Obstativa* dicitur, si testium dicta & depositiones inter se repugnent; ut si unus dicat, Titium Calendis Julii occisum esse, alter verò deponat, occisum esse Calendis Augusti. *Diversificativa est*, si testes attestentur de factis sibi invicem non contrariis, sed diversis, & nihil se invicem juvantibus; ut si unus testis asserat, mutuum esse datum tali die, & loco, alter verò contendat, datum esse alio loco & tempore. *Cumulativa* appellatur, si testes deponant de actibus diversis, se mutuò tamen adjuvantibus ad probandum id, de quo quæritur; ut si unus testetur, Cajam tibi mutuò promisisse matrimonium, alter, illam à te accepisse annulum &c. Porro testes singulares singularitate obstativâ, nec semiplenè, sed planè nihil probant ob contrarietatem & repugnantiam; quæ redolet falsitatem. *d. c. 9. de Probat.* Alexand. *consil. 94. num. 2. l. 6.* Testes singulares singularitate diversificativâ non probant plenè, probant tamen quandoque semiplenè, & sufficiunt ad inquirendum, & torquendum reum, præsertim in crimine hæresis. Mascard. *lib. 2. conclus. 856. num. 22.* Denique testes singulares singularitate cumulativâ, seu adminiculativâ ad minimum semiplenè: plerumque plùs, quàm semiplenè, ita ut fiat locus juramento suppletorio: imò sæpe in causis maximè civilibus etiam plenè probant. arg. *l. 16. C. de Pœnis.* Panorm. *in c. 27. num. 11. h. t.* Gail. *lib. 2. observ. 66. num. 11. & 12.* ubi tradit, satìs probari possessionem jurisdictionis, juris decimandi, aut venandi, si unus testis deponat de uno actu, alius de alio.

TITULUS XXI.

De Testibus cogendis, vel non.

SUMMARIA.

1. Quid sit testium coactio?
2. Per quos. 3. Usque 10. Qui testes. 10. In quibus causis. 11. Quibus mediis. 12. Et cur cogi possint ad ferendum testimonium?
13. Quæ sit pœna resuſantis testificari?

TEstes evocati ad Judicium comparere tenentur, alioquin cogi possunt; de qua coactione *in præsenti tit.*

§. I.

Definitur coactio testium, quòd sit remedium juris, quo testes, qui à testimonio proferendo odiô, gratiâ, vel timore se subtrahunt, testimonium dicere compelluntur. Colligitur *ex c. 1. 3. 6. 9. & penult. hoc tit.* 1

§. II.

Causa efficiens hujus coactionis est Judex 2

dex, qui testes ad ferendum testimonium invitos cogit. Cogere autem potest non solùm Judex ordinarius, sed etiam delegatus. arg. *c. 1. & 5. de Offic. deleg.* Farinac. *q. 78. n. 23.* non verò arbiter: quia is jurisdictione caret, virtute cujus testes compellat, sed solam notionem sibi commissam habet. *l. ait prætor 5. in pr. ff. de Re judic.* Mascard. *de Probat. lib. 1. quæst. 5. num. 59.*

§. III.

3 *Subjectum* hujus coactionis sunt testes, qui testimonium dicere coguntur. Et quidem cogi possunt omnes, nisi expressè privilegiati reperiantur. *c. 1. & passim h. t. l. 19. C. de Testib. l. 8. ff. Eod.* atque hoc procedit, etiamsi quis jurâsset, se nolle contra alium testimonium dicere. *c. 4. h. t.* tale siquidem juramentum, utpote contra bonos mores, atque in præjudicium & detrimentum Reipublicæ tendens, validum & obligatorium non foret.

4 Personæ privilegiatæ, quibus invitis denuntiare testimonium non licet plures occurrunt. I. Enim nequeunt compelli Parentes ad testificandum contra liberos, & econtra; imò nec volentes admitti debent. *l. parentes 6.* junctâ Glossâ *V. adversùs C. de Testib.* ubi sub nomine Parentum & liberorum veniunt omnes ascendentes & descendentes in infinitum in paterna, & materna linea secundùm Glossam.

5 II. Lege Juliâ judiciorum publicorum cavetur, ne invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eósve, qui priore gradu sunt, item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentum, viri, uxoris. Item Patroni, Patronæ: & ne Patroni, Patronæ adversùs libertos, neque liberti adversus Patronum cogantur testimonium dicere. Text. *in l. 4. ff. de Testib.* Imò nec sponsus filiæ contra sponsæ patrem. *l. 5. ff. Eod.* nec uxor contra maritum, aut vice versâ. Pirrhing. *h. t. n. 23.*

III. Juxta *l. 8. ff. de Testib.* inviti testi- 6
monium dicere non coguntur senes, qui sunt majores 70. annis; valetudinarii, qui morbo detinentur; milites, qui in expeditione sunt; vel qui cum Magistratu Reipublicæ causâ absunt; & generaliter omnes personæ, quæ quomodocunque, vel qualitercunque sive ratione officii, sive aliunde ad Judicem venire impediuntur; quales fortè sunt ii, qui propter religionem loco se movere non possunt, de quibus *l. 2. ff. de in jus voc.* aut qui manicis & compedibus vincti, vel qui in publico sine dedecore comparere non possunt. *l. 10. ff. ex quib. caus. major.* sicut & illi, quibus producens viaticum sive sumptus ad iter necessarios non suppeditat per *c. 11. §. penult. de Rescript. in 6. l. 11. & 16. C. de Testib.* Interim ad senes, & valetudinarios Notarius ad domum mitti potest, qui eos ibidem examinet. Panorm. *in c. 8. Eod. num. 7.* ubi tamen addit, quòd si aliunde testium, & probationum copia suppetat, majores 70. annis cogi nequeant ad testificandum.

IV. Ad testimonium dicendum, vel jus- 7
jurandum præstandum domo evocari non debent personæ egregiæ. *l. 15. ff. de Jurejur. l. 16. C. de Testib.* eæque sive sint Ecclesiasticæ, nempe Cardinales, Episcopi, Abbates &c. sive sæculares, nempe Principes, Electores, Duces, Comites, Barones, & nobiles, maximè si immediatè imperio sint subjecti, aut in aliquo officio dignitatem annexam habente constituti; item Doctores, qui præter gradum in aliquo dignitatis officio sunt, v. g. Cancellarii, & Consiliarii Principum, Assessores, &

& Procuratores Cameræ Imperialis, Professores. arg. *l. un. C. de Professor.* Quod ad Licentiatos quoque extendi potest, ut qui in materia favorabili habentur pro Doctoribus, ut tradit Clariss. Herman. Hermes *in Fascic. jur. publ. c. 37. n. 166.* & post eum Johann Dietrich Fregismont/ in erudito suo discursu *de Doctorum dignitate, nobilitate, privil. & præem. cap. 6. n. 27. & 28.*

8 V. Clerici & Religiosi non possunt adigi à Judice Laico ad testificandum in quacunque causa sive civili, sive criminali. *c. statutum 38. causâ 2. q. 6.* quia cogere testimonium dicere est actus jurisdictionis, quæ deficit in Laico respectu Clericorum. Quin neque, ut coram ordinario Ecclesiastico contra suam Ecclesiam, quæ iis instar matris est, deponant, facilè compellendi sunt nisi in defectum aliarum probationum arg. *d. l. 4. ff. de Testib.* Panorm. *in c. 12. n. 2. Eod.*

VI. Testes synodales, id est, publicè coram Ordinario testantes, postquam testimonium tulerunt super causa matrimonii, vel alia, deinde autem talis causa delegetur alicui Judici, non possunt cogi, ut coram eo rursus testentur in eadem causa; nisi Judex causam cognoscere nequiret, vel novus articulus quæstionis emergeret. *c. præterea 7. h. t.* & ibi Pirrhing. *n. 26. & seq.*

9 Cæterùm si ob defectum aliorum testium veritas occulta aliter indagari, & haberi nequeat, pleræque exemptæ & privilegiatæ personæ adigi possunt ad perhibendum testimonium, ita postulante publicâ utilitate, & favore eruendæ veritatis. adeò ut in Clericis quoque receptum sit, ut, licèt ad testificandum in causis Laicorum compelli nequeant, tamen deficientibus aliunde probationibus, cessante eorum privilegio, vel coram suo Judice Ecclesiastico, vel ex commissione ejus coram alio etiam Judice sæculari testificari cogantur. *c. quanquam 2. & ibi* Gloss. *causa 14. q. 2.* Gail. 1. *observ.* 100. *n.* 15. *&* 16.

§. IV.

Materia, seu objectum coactionis testium sunt causæ tum Ecclesiasticæ, tum sæculares; tum civiles, tum criminales, saltem civiliter intentatæ. 10

Celebris *controversia* est: possintne testes cogi ad dicendum testimonium in causis criminalibus, quando criminaliter, & directè ad vindictam publicam agitur?

Negat Panormit. *in c. 1. n. 6. h. t.* Pirrhing. *n. 11.* Farinac. *tract. de Testib. q. 78. n. 115.* & eo teste communis Canonistarum. Quibus suffragatur *primò c. 3. h. t.* ubi generaliter testes dicuntur monendi, non verò cogendi ad testimonium ferendum. *Secundò c. 10. Eod.* ubi dicuntur cogendi testes, præterquam super criminibus. *Tertiò l. post legatum 5. §. his verò. 10. ff. de his, quæ ut indign.* ubi cavetur, his qui intentionem accusatoris testimonio suo juvârunt, legati actionem denegari ut indignis. Unde videtur, ipsum legatarium cogi non potuisse testimonium dicere in causa criminali: aliàs enim, si compulsus diceret, legato non privaretur per *d. l. post legatum §. advocatum 13.*

Affirmat Hostiens. *in Summa n. 2. h. t.* Zoësius *n. 2. Eod.* & plures alii propter textus *in c. 4. h. t.* ubi in crimine simoniæ & adulterii: *in c. 8. & 9. Eod.* ubi in crimine falsi: *in c. fin. Eod.* ubi in crimine conspirationis testes testificari coguntur. Deinde de jure civili certum est, in causa criminali testibus invitis testimonium imponi. *l. 16. l. penult. C. de Testib.* ergo etiam de Jure Canonico: neque enim sine textu expresso inter jus utrumque divortium in-

ducendum arg. *c.* 1. *de N. O. N.* Et huic sententiæ tum præsertim accedo, quando crimen foret pernicioſum Reipublicæ per *d. c. fin. h. t.* quo jubentur compelli testes ad testificandum in crimine pernicioso conjurationis subditorum contra Prælatum: ex ea ratione, quia expedit Reipublicæ, ne hujusmodi crimina maneant impunita. *c. ut famæ* 35. *de Sentent. excommunicat.*

Neque refragantur jura in contrarium allegata. Nam *d. c.* 3. *h. t.* intelligi debet, quòd ab initio testes non statim cogendi sint, sed priùs admonendi; postea verò, si admonitioni non pareant, primùm cogi debeant, ut ibidem explicat Glossa, & expresè habetur in *in c.* 1. *Eod.* Ad *c.* 9. *h. t.* respondet Zoës. *h. t. n.* 3. ibi agi de lite inchoata per Procuratores, qui de jure communi in criminalibus non admittuntur *c.* 5. *de Procuratorib.* consequenter de crimine nihil movere possunt, sicque nec testes propterea recipi, multò minùs cogi. Ad *L. post legatum* 5. §. 10. *ff. de his, quæ ut indign.* dico, ferre testimonium in causis criminalibus quidem necessarium esse, sed non semper; justa enim ex causa testimonium detrectari potest, ut accidit, si quis vocetur, ut testimonium dicat contra personas expressas in *l.* 4. *ff. de Testib.* Eâdem causâ excusari potest legatarius, ne cogatur testimonium dicere adversus testatorem, à quo legatum accepit; proinde si testimonium dixit, meritò repellitur ut indignus à legato.

§. V.

11 *Forma* coactionis testium stat in modo & mediis, quibus coguntur ferre testimonium. Coguntur verò à Judice Ecclesiastico per suspensionem, interdictum, excommunicationem, aut depositionem, vel degradationem. *c.* 1. 2. & 5. *h. t.* Valens. *n.* 2. A Judice sæculari autem per indictionem multiæ, vel captis pignoribus: item per confiscationem bonorum: item per bannum. Sed an per carcerationem? & si testis fuit impeditus comparere, an excusetur à pœna excommunicationis sibi comminata? vid. Farinac. *d. q.* 78. *n.* 36. *& seq.* Illud tantùm addo, quòd testes præcisè, & ex abrupto compellendi non sint, sed necesse sit, ut præcedat monitio *d. c.* 1. *h. t.* Gail. *lib.* 1. *observ.* 109. *n.* 9. & 10.

§. VI.

Finis hujus coactionis est, ne veritas occultetur. *d. c.* 1. *h. t.* ne pro defectu testium pereat justitia. *c. fin. Eod.* & ne malus ut bonus æstimetur. *c. quanquam* 1. *causâ* 14. *q.* 2.

§. VII.

Effectus hujus coactionis stat in pœnis ejus, qui testificari recusat; de qua consule potissimum stylum cujuslibet tribunalis, & Monticel. *tract. tom.* 4. *fol.* 279. *col.* 4.

TITULUS XXII.

De Fide Instrumentorum.

SUMMARIA.

1. 2. 3. Instrumentum quid? 4. usque 19. & quotuplex?
19. usque 23. Quæ ex parte Notarii requirantur ad confectionem instrumenti?
23. usque 29. De quibus instrumentum fieri nequeat?
29. usque 35. Traditur modus conficiendi, & producendi instrumenta.
35. Finis instrumenti.
36. usque 47. Quam fidem instrumenta publica.
47. usque 56. Quam privata faciant?
56. & seqq. quibus modis instrumenta impugnentur.

ALtera species probationis constat in strumentis.

§. I.

Instrumentum ab instruendo derivatur,

quia instruit causam; sicuti & documentum à docendo, seu munimentum à muniendo, eò quòd muniat producentem contra adversarium, appellatur. *c. fin. de Dolo, & contum.*

§. II.

2 Accipitur duplicìter: generaliter, & specialiter: In generali sua acceptione instrumentum designat id omne, quod causam instruit, & quo fides fit Judici; atque ita & testes, & testimonia instrumenti nomine veniunt. *l. 1. ff. h. t. c. 4. de Test. cog.* Specialiter verò & propriè usurpatur pro qualibet scriptura, quæ fidem rei gestæ, quam continet, Judici facit, & causam instruit. Tulden. *ad C. h. t. n. 1.* Communis tamen est sententia, in odiosis nec testes ac testimonia, nec scripturam privatam, quæ per se fidem non facit, nomine instrumenti intelligi. Sichard. in *l. in omnibus n. 9. & seqq. C. de Jurejur. propter calumn.*

§. III.

1 *Definitur* instrumentum, quòd sit scriptura ad probationem alicujus rei facta. Colligitur ex *l. 4. ff. h. t.*

§. IV.

4 *Dividitur* instrumentum I. in publicum, & privatum, *l. 5. C. de Probat. l. 17. C. h. t.*

5 Instrumentum *publicum* est, quod authoritate publica est factum, vel firmatum. *c. 2. & 6. Eod. Novel. 73.* Et hujus varia sunt genera. Nam

6 I. Publicum dicitur, quod à persona publica veluti à Tabellione, vel Notario publico solenni, ac debitâ formâ conscriptum est. *d. c. 2. h. t.*

7 II. Quod publicô, & authenticô sigillô Principis, Episcopi, Capituli, Civitatis, Universitatis, vel alterius communitatis munitum est, etiamsi sit à privato scriptum *d. c. 2.* Ordinariè tamen non sufficit nudum sigillum, sed apponens debet, vel se subscribere, vel in literis exprimere, se apposuisse, saltem eo casu, quo sigilla non sunt propria ipsorum contrahentium, sive in literis loquentium juxta Innocent. in *d. c. 2 n. 2.* Cujus ratio est, tum ne ita facilè possit committi falsum, & apponi sigillum authenticum aliis literis abstractum: tum quia variis de causis potest aliquis apponere suum sigillum, unde si nulla causa exprimatur, res incerta est, & sigillum, sive scriptura est quasi testis mutus, aut sui dicti rationem non reddens. Hinc licèt v. g. in alienatione rei Ecclesiasticæ apponatur sigillum Capituli, vel Conventûs, non tamen ex hoc probari posset, consensum debitum Capituli interveniisse, sed si subscriptio desit, potiùs præsumeretur, tale sigillum subtractum, vel aliàs citra consensum Capituli appensum esse, ut docet Nicol. Everhard. *consil. 14. n. 9.* Cæterùm quænam sigilla in proposito pro authenticis habenda sint, ad consuetudinem locorum attendendum est juxta *c. cùm dilectus 9. h. t.*

III. Acta judicialia, Gerichts- und 8
Cantzley-Handlungen/ puta confessiones, exceptiones, testium depositiones, & omnia durante processu dicta & facta, per Tabellionem, sive Atchigrammatæum, conscripta. Ad hoc autem ut Judici, & libris judicialibus, seu protocollis, in quibus hujusmodi acta, & actitata conscribuntur, sua fides constet, debet judex durante processu secum habere duos viros honestos, quasi testes, vel locô illorum unum Notarium publicum, qui omnia fideliter annotet. Secus, si judex se solo omnia expediat, & scribat, fides non habebitur. *c. quoniam 11. de Probat. & ibi* DD.

9 IV. Omnes scripturæ, qualescunque etiam privatæ, quarum publicatio interveniente Magistratûs authoritate facta est, ut cùm testamenta, vel codicilli, aut aliæ tabulæ authore Judice aperiuntur. *l. publicati 2. C. de Testam. l. ult. C. de Re judic.*

10 V. Instrumentis publicis accensentur scripturæ ex publico Archivo, seu Cancellaria depromptæ per *c. 1. causâ 30. q. 1. auth. ad hæc C. h. t.* Est autem archivum locus authoritate publicâ ejus, qui hanc potestatem habuit, erectus ad hunc finem, ut ibi scripturæ, acta & monumenta rerum gestarum asserventur sub fida custodia Archiotæ, seu Cancellarii, de quo fit mentio in *l. ult. §. 10. ff. de Munerib. & honorib.* Quare archiva Civitatum municipalium, Prælatorum, Comitum, & aliorum Nobilium, quibus non solet præponi aliquis Cancellarius, non esse propriè archiva, & consequenter neque scripturas inde productas pro publicis habendas esse, tradit D. Fritsch *de Jure Archivi & Concell. c. 1. n. 30.*

11 VI. Huc pertinent Libri censuales Cammer-Steur / und Zahl-Bücher / in quibus descripta est æstimatio bonorum, seu patrimonii cujusvis subditi, eo fine, ut à Superiore cum debita proportione possint imponi exactiones, contributiones, steuræ, seu collectæ. *l. 10. ff. de Probat. c. 13. de Præscript.* Quò etiam referri possunt Libri Officialium publicorum, modò de his conscripti sint, quæ ad officium illorum spectant. Menochius *de Arbitr. Judic. 2. casu 99. & 112.* Item libri Collegiorum, Opificum die Zunfft-Bücher: libri Parochiales die Tauff-Bücher ꝛc. Struv. *Exercit. 28. th. 18.*

12 *Instrumentum privatum* est, quòd ab homine privato nullâ auctoritate publicâ confectum est. Cujus species sunt Schedulæ, Literæ, Registra, & Libri.

Nomine *schedularum* comprehenditur *chyrographum*, vulgò Schuld-Brief / quo debitor fatetur, quid & quantum alteri debeat; *apocha*, seu *quittantia*, aut *quietantia*, quâ creditor attestator, se solutionem recepisse; *antapocha*, quâ debitur asserit, se censum, vel annuas præstationes solvisse, & ita prædium suum pensioni obnoxium; & *syngrapha* que est scheda paciscentium manu scripta, vel subscripta.

Per *literas* intelliguntur *Epistolæ* familiares, Brief / oder Send-Schreiben; quibus adnumerari possunt literæ commendatitiæ, testimoniales, procuratoriæ. Item literæ credentiæ, cambii, &c.

Registra dicuntur inventaria privata, v. g. si tutor describat res sui pupilli: si socius conscribat merces nomine societatis emptas; item huc spectant rationes, quid v. g. in litem expensum: quid in negotiorum gestione datum, vel acceptum sit.

Inter *libros privatos* veniunt inprimis libri Mercatorum, quibus data & accepta, conventiones, & solutiones annotant; deinde libri censuales dominorum, Erb- vel Zinß-Bücher / Erb- oder Zinß Register: quibus servitia subditorum, vel quæcunque alia, à quibuscunque in unum volumen studiosè, & tersè conscribuntur.

Disputant aliqui: sitne instrumentum publicum, vel privatum, quod ab ipso principali & tribus testibus subscriptum est? Posterius affirmo: quia nihil publicum intervenit. Interim in effectu quasi pro publico habetur, si prædicti tres testes probatæ & integræ sint opinionis. *l. un. C. Qui potiores in pignore.* ubi cavetur, creditorem posteriorem, cui vel per instrumentum publicum, vel per chyrographum à tribus testibus subscriptum bona debitoris sunt hy-

hypothecata, præferri aliis, quibus simplici chyrographo, quamvis priùs, eadem bona sunt hypothecata. Adeóque si bona debitoris non sufficiunt omnibus creditoribus, defectum sentiet ille, qui simplicem hypothecam sine testibus habet contra regulam: prior tempore potior jure.

18 II. Dividitur instrumentum in authenticum, seu originale, & exemplar. Authenticum est scriptura, quæ primò & principaliter de aliquo actu, vel contractu confecta est. Germanicè ein Haupt-Brief/ oder Original. Exemplar, seu Exemplum, aut *vidimus*, ut vocant, est scriptura, quæ transumpta est ex originali, vulgò Copey/ Außzug/ oder Abschrifft. Eckold *ad ff. h. t. §. 2. in fine.* Hinc in instrumentis publicis, si propriè loqui velimus, Originale est ipse liber, sive protocollum Notarii, ubi primitus in præsentia partium & testium actus annotatur; de qua annotatione passim in jure nostro sub nomine imbreviaturæ, notarum, sive matricis mentio fit: quando autem postea instrumentum in solenni forma in pergameno describitur, sive, ut ajunt, in mundum redigitur, illa scriptura propriè non est originale, sed exemplum, licèt principale. Similiter copia, aut exemplum est, si ex aliquo libro authentico unus, vel alter articulus describatur; quod communiter *extractum* nuncupant. Idem copiæ tantùm censentur, si Notarius publicus instrumenta alia, vel etiam sua, olim à se confecta, de novo describat, & suâ subscriptione attestetur, originale à se visum, & collationatum esse, quæ *copia vidimata* vocitantur.

§. V.

19 *Causa efficiens* instrumenti est persona publica, vel privata, quæ id facit. Plerumque autem facit Notarius, qui à Principe, aut Comite Palatino potestatem habet ritè conficiendi instrumenti publici. Aliàs Tabellio, Tabularius, Scriba, aut servus publicus dictus. Jacob. Bornit. *de Instrumentis. l. 2. c. 12.*

Porro ut Notarius legitimè conficiat in-20
strumentum, respectu ejus tria sunt necessaria.

Primum est, ut notarius illius negotii, de quo instrumentum conficit, habeat scientiam, & cognitionem per se; nec aliud debet scribere, quàm quod ipse vidit vel audivit, adeò ut etiamsi per testes, vel alias probationes sufficienter sciret, verum esse, quod dicitur v. g. matrimonium esse contractum, testamentum hoc, vel illo modo factum &c. non tamen possit instrumentum conficere, eò quòd per se scire, & actui interfuisse debeat, de quo testatur Text. & Gloss. *in Novel. 44. c. 1.*

Secundum, ut sit rogatus ad conficien-21
dum instrumentum. Tuschus *Pract. concl. V. Notarius concl. 73. 75. & 89.* Propterea quòd irrequisitus sit suspectus, quasi qui se ingerat spontaneo motu, & affectu.

Si *queras*, quis possit, & debeat rogare Notarium pro conficiendo instrumento? R. sub distinctione: an actus dependeat à voluntate duorum: an à voluntate unius: vel an omnino non dependeat à voluntate humana? Si à duorum voluntate dependeat, ut dependent omnes contractus, debet Notarius ab utroque rogari; aliàs si quid contra alterius voluntatem in instrumento scribitur, contra illum fidem non facit; si actus dependet à voluntate unius tantùm, ut testamentum, protestatio, hæreditatis aditio, vel repudiatio, sufficit ab illo solo Notarium rogari. Sin verò talis sit actus, qui omnino non dependeat à voluntate humana, non potest Notarius face-

re instrumentum, nisi intercedat Judicis authoritas. Sic licèt Notarius ad meam petitionem instrumentô publicô attestetur, hodie Titium esse mortuum, vel rem mihi commodatam sine culpa mea periisse, tale instrumentum fidem non faciet, nisi priùs Judex de tali negotio cognoverit, & instrumentum erigi jusserit: cùm enim judex ipse tali casu non possit testes ad perpetuam rei memoriam recipere, vel attestationem dare petenti nisi causâ cognitâ, & propter justam necessitatem. *l. 2. C. de Naufragiis.* minùs id Notario licebit. Bald. *in C. ad rubr. h. t. n. 13.* Sichard. *in l. neque naturales C. de Probat. n. 9.* Mascard. *de Probat. concl. 1100. n. 28.*

Planè quando actor ad probandam suam intentionem producit instrumentum publicum, non est necesse, ut priùs probet, Notarium legitimè rogatum esse: quia præsumptio stat pro ipso, & onus probandi in adversarium rejicit, eo præsertim casu, quo Notarius in instrumento inserit, se rogatum esse, ut passim & consultò inserunt, vel si aliæ conjecturæ suppetant, de quibus fusè Menoch. *de Præsumpt. lib. 2. præsumpt. 81.*

22 *Tertium* requisitum est, ut Notarius ipse instrumentum conficiat, & scribat: non enim potest hoc munus, utpote merè personale, & respiciens industriam personæ alii delegare. *Novell. 44. c. 1. §. ult.* adeò ut nec morbo impediti commissio valeat. Bacchovius ad Treutl. *Vol. 2. disp. 5. th. 2. lit. C.* Restringitur tamen, ut possit scribi instrumentum ab Amanuensi, modò manu Notarii approbantis subscribatur. *Novell. 73. c. 7.* Ummius *ad Proceſſ. jud. disp. 17. n. 25.*

§. VI.

2 *Materia*, seu *objectum* instrumenti, circa quod versatur, est negotium ab homine, vel inter homines gestum, licitum tamen, hoc est, non prohibitum jure communi, statuto, vel moribus.

Dicitur I. *negotium:* puta judiciale, vel 3 extrajudiciale. Ad judiciale referuntur citationes, dilationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, renuntiationes, conclusiones, sententiæ, appellationes, & si quæ alia hujus generis. *c. quoniam 11. de Probat.* Ad extrajudiciale spectant emptiones, venditiones, locationes, conductiones, permutationes, mutuum, pignorationes, transactiones, emphyteuses, feuda, constitutio servitutis, matrimonia, arrharum dationes, dotes, donationes, solutiones, acceptilationes & omnes alii actus, qui inter vivos celebrantur *l. Contractus C. h. t.* Item ultimæ voluntates, ut testamentum, codicillus, donatio mortis causâ, & cætera, quæ his æquiparantur. *t. t. C. de Testam. or din. l. cùm de mortis. C. de Donationib. causâ mort.*

Dicitur II. *& ab homine vel inter ho-* 25 *mines gestum*; quippe quòd necesse sit, rem, de qua scriptura fit, existere, vel extitisse: quod enim non est, probari non potest, cùm non entis nullæ sint qualitates, juxta Regulam vulgatam, & text. *in l. 13. C. de Nuptiis.* ibi: *neque sine nuptiis instrumenta facta sunt idonea, diversum veritate continente.*

Est autem tota series facti, & rei gestæ, 26 perfectè instrumenti scripturæ inferenda cum clausulis & circumstantiis debitis. *l. scripturas* ibi: *tota series C. Qui potior. in pign.* Et verò si instrumentô aliquid factum asseratur, non aliter creditur, quam si illa observata dicantur, sine quibus ritè fieri non potuit. Itaque si nudè ponatur,

Ti-

Titium mihi vendidisse domum suam, non facta mentione pretii, tale instrumentum non sufficienter probat, nec propter hoc Titius, vel ejus hæredes condemnari debent ad domum mihi tradendam, nisi priùs probem, me pretium ritè solvisse. Eâdem ratione nil probat instrumentum transactionis, nisi exprimat, quid hinc inde datum, vel promissum, aut retentum sit, teste Gail. *lib. 2. observ. 13. & 71. per tot.* cum plurimis aliis ibidem citatis. Idque ideo: tum quia etiam testi non creditur, nisi circumstantias, & sui dicti idoneam causam assignet, ut in *Tit. de Testib. n. 48.* dictum; à teste autem ad instrumentum valet argumentum. *l. in exercendis. C. h. t.* tum quia pretium numeratum, aut quid datum, retentum, promissúmve esse, est quid facti, ideóque probari debet, cùm facta non præsumantur per text. *in c. cùm in jure de Offic. Jud. deleg. c. 1. de Constit. in 6. l. 1. C. de Probat.*

27 Verùm hoc procedit, si adversarius, contra quem tale instrumentum producitur, excipiat, & defectum solennitatis requisitæ in judicio alleget: alioquin enim stat præsumptio pro instrumento, quòd videlicet omnia modô debitô acta & celebrata sint per *l. sciendum 30. & ibi* Alex. *ff. de V. O.* Deinde si in instrumento venditionis saltem in genere mentio fiat, justum pretium solutum esse, tametsi quantitas non exprimatur, tale instrumentum fidem faciet ex generali consuetudine Germaniæ, de qua testatur Mynsing. *cent. 4. observ. 74. num. 1.* Præterea probant instrumenta pervetusta, licèt non exprimant, omnes solennitates necessarias interveniisse: nam ex diuturnitate temporis, & propter difficilem probationem omnia solenniter acta præsumuntur: neque tantùm in instrumentis, sed universim in omnibus factis antiquis præsumuntur solennitates extrinsecæ per text. & DD. communiter *in l. si filiusf. 10. C. de Petit. hæredit.* Gail. *d. observat. 71. n. 7. & 8.* ubi cum Gloss. *in c. pervenit de empt. & vendit.* tenet, in alienatione rei Ecclesiasticæ ex diuturnitate temporis præsumi, consensum Capituli, aliásque solennitates interveniisse. Quantùm verò temporis requiratur, ut instrumentum, vel factum aliquod dicatur antiquum, & solennitates extrinsecæ præsumantur, in ambiguo hæret? Alexand. *l. 1. consil. 79. num. 4.* respondet, sufficere 30. annos. Jason *in l. cùm aliquis C. de Jure delib. n. 7.* requirit 100. annos, & hanc esse communem opinionem ait: Rectiùs arbitrio Judicis relinquitur, ut ipse pro diversitate negotiorum dijudicet, quando aliquid ex memoria hominum exciderit, & ob antiquitatem difficilis probationis censendum sit. Speculator, & alii apud Jason *d. l.*

Dicitur III. *Licitum*, quoniam ea, quæ 28
pietatem & honestatem lædunt, atque contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, Papinianus ait *in l. filius 15. ff. de Condit. Instit.* nedum, ut super istis scripturæ, aut instrumenta fiant. Quod & *constitutio Imperialis* Maximiliani I. *de anno 1512.* nominatim prohibet. Excluduntur ergo injuriosi & famosi libelli *l. un. C. de Famos. libell.* contractus usurarii. Farinac. *de Falsat. q. 154. n. 14.* Artificum illicitæ pactiones, & conspirationes, puta, ne opus ab altero cæptum perficiat alter. *l. 12. §. 18. Cod. de Ædif. privat.* bonorum Ecclesiasticorum alienationes sine debita solennitate. *l. jubemus 14. §. 3. C. de SS. Eccles.* venditio liberorum. *l. 2. C. de Patrib. qui fil. distrax.* & si quæ alia.

§. VII.

§. VII.

29 *Forma* instrumenti concernit vel ejusdem confectionem, vel productionem, seu exhibitionem.

Confectio Instrumenti dependet à certis & solennibus requisitis, quæ varia.

30 Instrumentum confectum à Notario his capitulis constat. I. In præloquio nomen DEI Opt. Max. invocatur plerumque his verbis: *In Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis.* Quæ invocatio non tam Jure Civili, quàm moribus, & consuetudine requiritur & in *d. Constitutione Imperii de Anno* 1512. Von Ordnung der offnen Notarien §. und nach dem Rosbach *in Prax. Civil. tit.* 62. *n.* 5, ubi & hoc addit, illam invocationem omissam non vitiare instrumentum, & ita usu in foro observari. Consultissimum tamen existimem ad præcavendas disputationes illam adjicere, propter allegatam sanctionem Imperialem. II. Annus à nato, vel incarnato Christo, ut usus loci est, inseritur. Ummius *ad Proceff. judic. disp.* 17. *n.* 13. III. Nomen & annus Pontificis, Imperatoris, Regis, vel Principis regnantis, in cujus territorio conficitur. Plerumque tamen, si in Imperio de rebus Ecclesiasticis scriptura fit, tam Pontificis, quàm Imperatoris nomen adjicitur teste Denich *in suo Processu* §. 4. *h. t.* IV. Apponitur indictio Romana, die Römer Zinß-Zahl; quæ solet in Calendariis passim præfigi, & computatur juxta rationem versiculis sequentibus comprehensam.

Si per quindenos Domini diviseris annos
His tribus adjunctis, Indictio certa patebit.
Si nihil excedit, quindena Indictio currit.

Vide Covarr. *Var. resol.* 1. *c.* 12. *n.* 5. & *seqq.* V. Annorum tempori connectitur Mensis & dies, vel etiam hora negotii gesti. *l. generali C. de Tabul. d. Constit. Imperiali* §. und nach dem Menoch. 2. *præsumpt.* 82. & 84. VI. Designatur locus tam generalis, quàm specialis, nempe in qua civitate, vel pago, in qua platea, in qua domo, & quo conclavi domûs instrumentum confectum sit. arg. *l. optima C. de Contrah. stipul. d.* §. Und nach dem ibi: Walstatt / und an welchem Orth derselben. Omisso tamen nomine conclavis instrumentum non vitiari, censet Um *d. n.* 13. VII. Enarratur rei gestæ series, videlicet quis debeat, cui debeat quid debeat, & ex qua causa debeat. *Novel.* 47. *c.* 1. §. 1. junctâ *l. cùm de indebito ff. de Probat.* VIII. Ponitur utrumque nomen testium rogatorum adhibitorúmve. *Novel.* 73. *c.* 5. *d.* §. und nach dem. Ut autem manu propriâ se subscribant vel sigilla sua apponant, necessarium non est, nec usitatum, præterquam in quibusdam casibus, ubi id specialiter à Jure exigitur, ut in Testamentis. Sicut etiam non requiritur testes esse specialiter rogatos, vel vocatos; quia hoc nullibi statutum reperitur, & generaliter ad fidem rei gestæ faciendam sufficit testis etiam non rogatus. *l. ad fidem* 11. *ff. de Testib.* Imò etiam non requiruntur omni exceptione majores, nec corruit instrumentum, etsi aliquis testium sit infamis, criminosus &c. ut bene monet Everhard. *consil.* 116. *n.* 1. cùm testes per se inhabiles habilitentur ex ipsa acceptione partium, quas inter instrumentum erigitur. IX. Denique in Epilogo Notarius manu propriâ subscribit instrumentum, addendo cujus authoritate, an Cæsareâ, vel Pontificiâ sit. Notarius, & unà signum notariatûs, No-

Notariat Zeichen / puta certam aliquam imaginem, vel figuram sculptam, aut calamo depictam subjungit: quod tamen signum non esse de substantia, sed ideò solùm apponi, ut facilius comparatio fieri, & Notarii manus agnosci valeat, tradit Panorm. in *cap. 1. h. t. num. 3.* quamvis alii apud Gilhausen *p. 3. de Instrument. n. 38.* propter consuetudinem passim receptam hoc signum necessariò appingendum esse, & alioquin instrumentum tanquam suspectum rejiciendum opinentur. Præter hoc signum à Notariis solet etiam adjungi sigillum consuetum, sed id de substantia non est & etiam fracto, vel sublato sigillo instrumentum manu publica factum fidem facit. Innocent. in *c. inter dilectos h. t.* Zasius *lib. 1. consil. 2. n. 37.* cum communi.

31 In aliis *instrumentis publicis* apud acta, vel à Judice confectis nulla solennitas desideratur, cùm eam Judicis præsentia & authoritas suppleat. per *l. omnium 19. C. de Testam. l. 31. C. de Donation.*

32 *Privatum instrumentum* ex conventione & voluntate disponentis formam accipit. Duarenus *ad ff. hoc tit. cap. 2.* Wesenb. *in Parat. n. 2. Eod.* Quæ quò propiùs accedit ad publicum, eò privata scriptura est firmior. Bartol. & DD. *in auth. atsi contractus C. h. t.* & in *l. scripturas C. Qui potiores in pignor.* Mascard. *de Probat. vol. 1. q. 6. n. 28.*

33 *Editio ac productio* instrumenti fieri debet post litis contestationem, antequam, quia nulla est lis, nec probatio erit, adeò ut si quis ante litem contestatam instrumenta produceret, illa postea non probarent, quàm si reproducerentur lite contestatâ. Wesemb. *consil. 3. num. 34.* Lite autem contestatâ semper produci possunt, tam ante, quàm post publicationem testium usquè ad conclusionem in causa. *c. 9. & ibi* Mynsing. *h. t.* Bald. *in l. ampliorem 39. num. 5. C. de Appellat.* qui asserit, quòd ad probationem instrumenti etiam Notarium & testes producere, & examinare liceat, non obstante publicatione aliorum testium præcedente. Num verò necessariò producenda, & litiganti edenda sint? *supra in Tit. de Probat. num. 16. & 17.* discussimus.

34 *Dubitatum* scio: debeatne totum instrumentum edi, vel tantùm in ea parte, circa quam lis versatur? nam in *c. 5. h. t. & l. argentarius 10. §. edi 2. ff. de Edendo* cautum est, non esse integrè parti edendum, sed solùm in Capitulo, de quo quæstio est, ne pars adversa ex aliis fortè nova litigia suscitet. Econtra in *c. cùm persona 7. de privileg. in 6.* Statuit Bonifacius VIII. ut ii, qui se asserunt per privilegia Apostolicæ Sedis Exemptos à locorum Ordinariis, requisiti, hujusmodi privilegia ipsis Ordinariis ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere teneantur. Difficultate hujus textûs oppressi Felin. Innocent. Cardinal. & Butr. *ad d. cap. 5. hoc tit.* arbitrati sunt *d. c. 5.* per illam Bonifacii decisionem correctum esse. Sed ne facilè correctionem in Jure nostro admittamus, dici potest, Bonifacii rescriptum procedere, quando privilegia, & instrumenta non habent separata capitula, privilegium autem, de quo in *citat. c. 5.* diversa capitula habuisse, ut ex litera textûs constat, unde satis erat partem, super qua lis fuerat, editam esse. P. Engl. *h. t. num. 37.* Nec secura est Pragmaticorum cautela, videlicet, ut qui instrumentum edit, protestetur tempore editionis, se instrumentum edere in ea tantùm parte, quæ pro se facit: semel enim

enim editô instrumentô in judicio jus illius communicatur. *l. 2. C. de Edendo. l. fin. C. de Re judic. c. quoniam de Probation.*

§. VIII.

35 *Finis* instrumenti, ob quem conficitur, est, ut rerum gestarum veritas & probatio conservetur. *l. contrahitur* 4. §. *fin. ff. de Pignorib. l.* 4. *ff. h. t. l.* 5. *C. de Transactionib.*

§. IX.

36 *Effectus* instrumenti est, facere fidem rei gestæ; ut autem de fide singulorum supra *in* §. 4. memoratorum instrumentorum dilucidè constet

Dico I. Instrumentum à Notario indebita forma confectum se solo facit plenam fidem. *l. in exercendis C. h. t.* hinc probatio probata dicitur. Bald. *in l. 2. C. Quando fisc. vel privat.* Neque necesse est, ut etiam protocollum, è quo transsumptum est, edatur, arg. *l. 2. C. de Testam.* Jacob. Bornit. *de Instrument. l. 3. cap.* 10. vel ut testes in instrumento descripti & Tabellio producantur, & deponant, cùm etiam mortuis tabellione, & testibus eidem stetur. *cap. 2. & ibi* Panorm. *h. t.* Sed hoc intellige quantùm ad illos, inter quos tale instrumentum à Notario confectum est, & à quorum voluntate actus talis dependebat. Si autem incidenter instrumento inseratur factum tertii, vel universim si aliqua non dispositivè, sed tantùm narrativè ponantur, instrumentum quoad illa fidem non facit, teste Bartolo in *auth. si quis in aliquo n.* 8. *C. de Edendo.* Fachin. *Controvers. lib.* 11. *c.* 36. Ipsum tamen factum, vel contractus illorum, quorum mandatô Notarius instrumentum confecit, plenè probatur etiam in præjudicium tertii, ut rectè notat Bald. *in Rubr. C. h. t. num.* 12. Ut ecce! produco instrumentum, quo continetur, me illam domum, quæ Titio à Principe donata est, emisse 1000. fl. per hoc instrumentum non probatur donatio Principis, eò quòd citra ejus consensum factum sit; probatur tamen mea emptio contra quemcunque alium; ut si quis contra me intentaret Publicianam, possem illum repellere probando titulum emptionis per hujusmodi instrumentum. arg. *l.* 9. *§.* 4. *ff. de Public. in rem act.* Similiter post decem annos possem probare, me justô titulô possedisse, adeóque præscripsisse &c. Patri rationes si in instrumento fiat mentio de confinibus, quibus domus empta sit contigua, aut in cujus territorio, vel Diœcesi sita sit, non probat quoad ista, saltem in præjudicium tertii: quia incidenter & narrativè duntaxat talia in instrumento ponuntur. Dixi: *in præjudicium tertii*: nam in præjudicium illorum, quorum voluntate instrumentum confectum, ac ejusmodi impertinentia inserta sunt omnimodam fidem habendam, docet Jason in *l. cùm aliquis num.* 4. *C. de Jure delib.* Gail. *lib. 2. observat. 37. num.* 12. per text. *in l. optimam* 14. *C. de Contrah. & commit. stipul.* Ampliùs dicunt alii, scilicet instrumenta perantiqua etiam in præjudicium tertii probare. Nec improbabiliter; quia in antiquis etiam fama probat: item testes ex auditu, ut alibi dictum.

Dico II. Scripturæ sigillô publicô & authenticô munitæ plenè probant *cap. 2. hoc tit.* Quod verum est, etsi nulli omnino testes actui interfint, vel in literis nominentur. Imò non tantùm instrumenta communi consensu partium erecta, sed etiam literæ missivæ, sive epistolæ sigillô authenticô Principis, aut Belliducis cognatæ plenàm fidem merentur. Myn-

sing.

sing. *consil.* 21. *n.* 26. pro quo communem totius Germaniæ consuetudinem allegat *ibid. n.* 30.

38 *Limita* tamen I. Ut quemadmodum instrumentum Notarii, ita nec tales literæ sigillatæ probent factum tertii incidenter insertum, citra cujus consensum sigillum appositum est, maximè si agatur de commodo sigillantis. Card. Tuschus *Pract. conclus. lit. S. conclus.* 240. *num.* 1. Bald. *lib.* 1. *consil.* 464 *in pr.* ubi asserit, per literas Principis castrum pignoratum non probari.

39 *Limita* II. Ut non credatur literis majori sigillo, ac secundùm apparentiam authentico signatis, si id prorsus sit ignotum, ac in tantùm turbatum, ut figuræ ampliùs dignosci nequeant. *c. inter dilectos 6. h. t.* Sed hoc potissimùm procedit, quando tales literæ producuntur contra tertium, vel in præjudicium aliorum; quòdsi in solum favorem producentis citra alterius præjudicium proferantur, ut si Clericus, vel Religiosus peregrinus proferat licentiam sui Abbatis, vel formata, ut vocant, ignoti alicujus Episcopi, quamvis Sigillum ignotum sit, attamen fidem habendam esse, post Tuschum *d. concl.* 240. *n.* 12. docet P. Engel *h. t. n.* 18.

40 *Dico* III. Acta publica, & judicialia plenè probant, rem gestam esse, prout in actis reperitur. *l. fin. C. de Re judic.* ibi: *gesta, quæ sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem: neque enim morte cognitoris perire debet publica fides.* Acta tamen unius judicii in alio fidem non faciunt, nisi inter easdem personas, & in ordine ad eundem finem, seu effectum producantur arg. *c.* 2. *de Except. in* 6. *c. multi* 18. *causa* 2. *q.* 1. *l. fin. C. de Testib.* Latè Pirrhing. *in tit. de Judiciis. sect.* 3. §. 2. *per tot.* & Nos *ibid. n.* 79.

Dico IV. Plenam quoque, & publicam 41
fidem merentur scripturæ etiam privatæ à Judice confirmatæ, aut publicatæ. arg. *l.* 2. *C. de Testam.* & *l. ne in arbitris* 4. §. 1. *C. de Recept. arbitris.* Jacob. Bornit. *de Instrument. l.* 3. *cap.* 9. cum pluribus citatis.

Dico V. Omnes scripturæ ex archivo 42
publico prolatæ plenam & perfectam probationem pariunt æquè ac alia instrumenta publica, & non tantùm inter subditos ejus, qui archivum habet, sed etiam inter non subditos, & in, & extra territorium. *Novel.* 49. *c.* 2. §. 2. *auth. ad hæc & ibi* DD. *C. h. t.* Haunold. *de J. & J. tom.* 5. *tr.* 49. *& seqq.*

Non incongruè hìc *quæritur*: quan- 43
tum probent scripturæ, quæ in archivo privato, v. g. Monasterii, Civitatis, vel personæ cujusdam illustris asservantur: Hujus quæstionis exactam resolutionem refert P. Engel *h. t. n.* 21. quam transcribo. Primò, quamvis scripturæ ex archivis inferiorum dominorum depromptæ ex titulo archivi nullam authoritatem participent, nihilominus libris Civitatum, Monasteriorum, Nobilium &c. quibus redditus, prædia, jura, aut fines territorii descripti sunt, creditur in rebus alienis, quando scilicet unus subditus tales libros allegat, & producit contra alterum, vel etiam contra ipsum dominum. Jason in *l. admonendi* 31. *ff. de Jurejur. n.* 137. *per l. census* 10. *ff. de Probat.* Quòdsi verò Monasterium, vel domus territorialis vellet producere tales libros à se, vel à majoribus suis conscriptos pro se, & ad probanda jura sua, regulariter talibus libris non crederetur per DD. modò citatos, & text. generalem

in *l. 7. C. de probat.* ubi dicitur: *exemplò pernicioſum eſt, ut illi ſcripturæ credatur, quâ aliquis ſibi ipſi debitorem conſtituit, unde neque fiſcum, neque alium quemlibet ex ſuis annotationibus debitum probare poſſe oportet.* Quod maximè verum eſt, ſi talis Civitas vel Dominus contra homines non ſubditos, & extra territorium ſuum exiſtentes talibus ſcripturis uti velit, ſecundùm Baldum *in d. l. 7. n. 1.* quia reſpectu extranei Civitas vel Reſpublica cenſetur jure privatorum, & conſequenter ejusmodi ſcripturæ tanquam merè privatæ non probant. Contra ſubditum autem duobus ſaltem caſibus fidem faciunt, videlicet ſi tales libri communiter pro authenticis habeantur, & in dubiis paſſim ad iſtos recurratur ab ipſis ſubditis; item in factis antiquis, & hominum memoriam excedentibus teſte Weſenb. *in Paratit. h. t. numer. 6.* & Bald. *in d. l. 7. n. 3.* quia priore caſu conſuetudo dat authoritatem ſcripturæ, & in antiquis univerſim propter difficultatem probationis leviores probationes acceptantur. Hucusque P. Engel.

44 Illud addo, & libris, ſeu ſcripturis ex chartophylaciis Monaſteriorum, vel Eccleſiarum jus archivi non habentium prolatis attribuit Zypœus *Conſul. lib. 2. conſult. un. de Fide inſtrum.* quòd ſcilicet tales ſcripturæ tantam fidem faciant, quantam facerent illi, qui tales libros, vel inſtrumenta ſcripſerunt: ſi enim creditur Clerico, vel Monacho pro ſuo Monaſterio, vel Eccleſia teſtimonium dicenti, cur non etiam credatur ſcribenti, præſertim ſi cauſæ & circumſtantiæ ſufficienter exprimantur, & plures ejusmodi ſcripturæ concurrant, vel alia adminicula probabilitatem concilient? Interim, ut nihil diſſimulem, hanc ſententiam à nullo alio receptam, ac relatam videre potui.

Dico VI. Libri cenſuales plenè probant inter ſuperiorem, & eum, cujus bonorum æſtimatio ibi deſcripta eſt: nempe, quòd res deſcriptæ tantùm valeant, licèt ſubditus probet, nunc minùs valere: item quòd res ibi deſcriptæ publicis oneribus ſubjectæ ſint adeò, ut nec privilegio immunitatis ſe amplius tueri poſſit ille, qui voluntate paſſus eſt, res ſuas ibi deſcribi. *l. 10. ff. de Probationib.* Econtra nihil probant tales libri in præjudicium tertii, quia non intervenit, nec conſenſit in ejusmodi deſcriptionem. *l. 25. C. de R. V. l. 4. & 7. C. de Donation.* Haunold. *de F. & F. tom. 5. tr. 4. c. 8. num. 483. & 485.* 45

Dico VII. Scripturæ & libri officialium publicorum, & aliorum, quibus fides publicè data eſt, publicam & plenam fidem faciunt, modò conſcripti ſint de iis, quæ ad officium eorum pertinent arg. *l. argentarius 10. ff. de Edendo.* Haunold. *d. c. 8. n. 497. & ſeqq.* Ex quo deducitur, etiam libros parochiales nuptorum, baptizatorum, ac defunctorum, ſicut & libros opificum talem probandi vim habere. 46

Dico VIII. Chyrographum, ſingrapha, apocha, & antapocha contra ipſum ſcribentem regulariter plenè probant, modò fateatur ſe ſcripſiſſe, & inſuper exprimatur cauſa obligationis: v. g. ex empto, ex mutuo &c. ſine expreſſione cauſæ cenſetur ſcriptura indiſcreta, & plenam fidem non facit. *c. ſi cautio 14. h. t.* Et hoc vel maximè obtinet reſpectu debitoris, ſi is obligationem ſcripſerit creditori, ſi liberationem debitoris in apocha ſcribat, etiam non expreſsâ causâ, eam ideo præjudicare aliqui cenſent, quòd jura proniora ſint ad liberandum, quàm obligandum. 47

Dixi: *regulariter*: Excipitur ſpecia- 48 li-

liter causa mutui, & dotis : in illa enim chyrographum, quô mutuarius fatetur mutuam pecuniam sibi datam ; & in hac apocha, quâ maritus asserit, se dotem accepisse, nil probat contra scribentem propter exceptionem non numeratæ pecuniæ, vel dotis, quæ probationem numerationis in adversarium transfert. *t. t. C. de non num. pec. & de Dote cauta non num.* Unde si numerans mutuum, vel dotem securus esse velit, semper debet advocare duos saltem testes, ut per eos postea numerationem probare valeat. Porro exceptio non numeratæ pecuniæ competit quoque creditori, qui in apocha solutionem confessus postea excipere potest, non numeratam esse pecuniam, ex quacunque demum causa fuerit debita : in quo est melioris conditionis, quàm debitor, qui solùm in causa dotis & mutui illam exceptionem habet ; in eo verò deterioris conditionis est, quòd dictam exceptionem proponere debeat intra 30. dies, debitor autem intra biennium. *l. 14. in princ. & §. 2. C. de non num. pec.* eò quòd creditorem non urgeat tanta necessitas scribendi apocham ante solutionem receptam, cùm apud Judicem possit debitorem etiam invitum ad solvendum compellere, quanta tamen urget debitorem, qui mutuantem cogere non potest, ut ante chyrographum datum pecuniam numeret. De his plura Civilistæ.

49 *Dico* IX. Prædictæ scripturæ privatæ fidem non faciunt, si à scribente, vel ejus hærede producantur contra alium per *l. 5. l. 7. C. de Probat.* & per rationem, quòd nemo sit testis idoneus in propria causa. *l. 10. ff. de Testib.*

Reperias tamen casus, in quibus hæ scripturæ privatæ pro scribente probant. *Primus* est, si utriusque partis consensu scriptæ sint, eâ intentione, ut plenam fidem faciant, prout convenire possunt Partes : quia quod scripturæ privatæ non probent, introductum est favore partium cui renuntiare possunt. *Secundus*, quando instrumentum privatum est trium idoneorum testium subscriptione munitum. *c. 2. h. t.* quia tunc quasi publicè confectum creditur. *l. scripturas* 11. *C. Qui potior. in pign.* Mors tamen testium istiusmodi instrumenti vigorem de Jure Canonico perimit. *d. c. 2. & ibi* Gonzalez *num. 2.* *Tertius*, si instrumentum tale longo tempore inter partes observatum fuerit, & in judicio pro tali sæpius agnitum, & productum. *Quartus*, si agatur de modica summa. *Quintus*, si ejusmodi scripturæ aliunde fomentum, vel supplementum accipiant, ex quo authenticæ fiant. *Sextus*, si juramento firmatæ sint. *Septimus*, si adversarius instrumentum tale pro se producat. *auth. ad hæc C. h. t.* nam hoc ipsò censetur illud approbare, & adversarii testimonium fateri *l. 26. §. fin. ff. Depositi.* Vallens. §. 2. *n. 5. h. t.*

Dico X. Epistolæ sive literæ missivæ 50 à scribente recognitæ plenè probant contra scribentem. *d. l. 26. §. fin.* Ratio est : quia per scripturæ recognitionem evadit confessio illius, quod scriptum est ; confessio autem est apta probatio contra confessum. Fallit in literis commendatitiis, quæ regulariter contra scribentem nihil operantur. Neque illud reticendum est, quod de epistolis docet Jason in *l. admonendi n.* 142. *ff. de Jurejur.* quòd nempe epistola ab eo, ad quem scripta est, acceptata probet contra ipsum pro scribente ; veluti si ego per epistolam alterum admoneam debiti, aut petam in-

tereſſe, is verò hanc epiſtolam recipiat, nec ſtatim contradicat, cùm poſſet, ex poſtfacto ego ex hac ipſa mea epiſtola probare poſſum debitum: quia qui ſimpliciter acceptat epiſtolam, nec contradicit, nec remittit, cenſetur fateri, & approbare omnia, quæ in illa continentur, per text. in *l. ſi filiusfam.* 16. *ff. de SCto Maced.*

51 *Dico* XI. Libri rationum & regiſtra Tutorum, Curatorum, negotiorum Geſtorum, Procuratorum, Sociorum, & ſimilium contra ſcribentem, & pro eo, ſaltem accedente juramento probant. Quod poſterius non tam jure deciſum, quàm uſu practico receptum eſt: eò quòd moraliter loquendo pro ſingulis, & tam variis punctis aliæ probationes haberi non poſſint. Jaſon. in *d. l. admonendi num.* 125. & alii.

52 Specialis *difficultas* eſt de libris Mercatorum, ſi ab ipſo ſcribente producantur, quamnam fidem faciant? Equidem multorum & probabilis ſententia eſt, ſi hæc quatuor concurrant, nempe ſi producens ſit integræ opinionis: ſi ipſe manu propriâ ſcripſerit: ſi cauſa obligationis expreſſa ſit: & ſi in talibus libris non tantùm, quid ſibi debeatur, ſed & quid ipſe debeat, contineatur; hos libros ſemiplenè probare, ita ut proferenti poſſit juramentum ſuppletorium deferri. Imò inter Mercatores etiam plenam fidem facere, docet Gail. 2. *obſervat.* 20. *num.* 4. quia in foro Mercatorum judicatur ex æquo & bono, & ſemiplenæ quoque probationes pro ſufficientibus recipiuntur juxta Zaſium *conſil.* 15. *n.* 53. *vol.* 1. Interim in puncto juris res hæc dubiô non caret, & abſtrahendo à conſuetudine, & niſi ailia adminicula concurrant, ferè probabiliùs videtur, quod tenet Bartol. *in l. admonendi n.* 24. & 25. *ff. de Jurejur.* & Panormit. *in c.* 2. *h.t. num.* 9. ſcilicet libros Mercatorum noſtri temporis nec ſemiplenè probare, quia ſunt ſcripturæ privatæ, conſequenter per ſe nullam authoritatem habent, ſed tota vis & efficacia eorum conſiſtit in confeſſione, & aſſertione ſcribentis. Sicut ergo vivæ voci mercatoris non crederetur, nec ſemiplena quidem fides haberetur in præjudicium tertii, ita neque ſcripturæ ipſius credi debet. Weſenbec. in *Paratit. h.t. num.* 6.

53 *Dico* XII. Regiſtra, annotationes, & rationes à privato Patrefamilias de acceptis ſuis, & expenſis conſcriptæ plenè probant contra ſcribentem, ſed non pro illo, niſi aliis adminiculis juventur. *l.* 6. *C. de Probat.* ne fallaciis & fraudibus præbeatur occaſio, dum homines facilè in his privatis annotationibus alios ſibi obligatos ſcriberent. Hinc id ipſum exemplò pernicioſum eſſe, aſſerit Imperator Gallienus in *l.* 17. *C. Eod.* ita ut nec fiſcus, nec alius quilibet, conſequenter nec nobilis, ac illuſtris perſona ex ſuis privatis ſubnotationibus debiti probationem deſumere poſſit. Neque obſtat. *l.* 9. §. 2. *ff. de Edendo.* ubi habetur probationes rectè deſumi ex rationibus Nummulariorum, & Argentariorum etiam pro ipſis; ſiquidem horum rationes olim pro publicis habitæ ſunt, cùm Nummularii & Argentarii ad inſtar Notariorum publica authoritate fuerint conſtituti pro recipiendis hominum pecuniis uſurarum, permutationum, & depoſiti causâ & propterea in ſuſceptione ſui officii juramentum deponere tenebantur.

54 *Dico* XIII. Exemplo regulariter non creditur, niſi producatur originale *c.* 1. *h.t.* ubi Gregorius Pontifex: *Si ſcrip-*

turam authenticam non videamus, ad exemplaria nihil facere possumus. In eandem sententiam consentit JCtus in *l. 2. ff. Eod.* ibi: *quicunque à fisco convenitur, non ex indice & exemplo alicujus scripturæ, sed ex authentico conveniendus est.* Nec malè: quia scriptura exempli variis modis fallax esse potest.

Hæc verò *regula* suas exceptiones patitur. Nam exemplum plenam fidem facit, si levetur ab ipsomet Tabellione, qui originale, seu protocollum, ac matricem conscripsit. arg. *l. 2. C. de Testament. l. Sempronius 47. ff. de Legat. 2. l. cum precibus Cod. de Probat.* vel si intra acta reperiatur, modò per Notarium actorum collatum fuerit. Mynsing. *cent. 6. observat. 75. num. 1.* vel si in archivo sit positum, aut ex archivo extractum cum originali concordans. *Novel. 49. cap. 2. l. gesta C. de Rejudicat.* vel si constet ab antiquo jam tempore tale instrumentum fuisse exemplatum, quo casu antiquitas temporis magnam fidem inducit. Gonzalez in *c. 1. h. t. num. 12.* vel quando Judex ordinarius aut ad id specialiter delegatus propter vetustatem, vel aliam justam causam præhabitâ diligenti inspectione, num instrumentum aliquâ sui parte vitiatum sit, id per Notarium jusserit exemplari. *c. fin. hoc tit.*

ff At quid dicendum de copiis, seu transumptis per Notarios publicos passim fieri solitis cum subscriptione: *Collationatum concordat cum originali &c.* apposito signo Notariatûs, aut etiam proprio sigillo? Fragilem esse harum copiarum fidem, nisi jussio, & authoritas Judicis intercesserit, nec iis sine originali plenè credi, scribit Sichard. *in Rubr. C. h. t. num. 6.* Bartol. *in auth. si quis C. de Edenda num. 6.* Zasius *lib. 2. consil. 1. num. 97.* Panorm. *in c. fin. h. t. num. 2.* ubi practicam Notariorum, qui sibi persuadent, sufficere, si ipsi attestentur, reprehendit. Et meritò: quia non ad officium Notarii, sed Judicis pertinet, cognoscere de instrumentis, utrùm integra, sine rasura, fallatione, vitio, aut defectu sint. Accedit, quòd Notarius non possit attestari, vel instrumentum conficere, nisi de illo, quod ex arbitrio rogantis vel rogantium dependet, ut supra *num. 21.* dictum. Ergo neque potest attestari, quòd instrumentum sibi oblatum vitiô careat: quia etiam hoc non dependet à voluntate rogantis. Quare licèt duo, tres, vel plures Notarii tales copias conficiant, & se fideliter descripsisse, nullúmque in originali defectum deprehendisse attestentur, necdum talibus copiis, plena fides in judicio habenda est: faciunt tamen magnam præsumptionem, eísque tam diu creditur, donec adversarius excipiat, & ipsa originalia exhiberi petat. Quin imò amisso originali talibus copiis, si alia adminicula concurrant, fidem plenam attribuit Farinac. *Decision. civil. lib. 2. decis. 368.*

§. X.

Contraria instrumenti sunt exceptiones, quibus impugnari solent: quæ exceptiones ex triplici potissimùm causa competunt, nempe ratione contrarietatis, falsitatis, & rasuræ, vel cancellationis. 56

Ratione *Contrarietatis* certum est, everti instrumentum, si illa probetur, cùm verborum repugnantia dolum arguat, & fraudem. *cap. 3. & ibi* Panorm. *h. t.* D. Richter *p. 2. consil. 15. num. 101. vol. 1.* unde instrumentum in se complectens repugnantia directè, vel per sequelam necessariam derogat sibi fidem. 57

Quem-

Quemadmodum etiam fit, cùm repugnantes scripturæ ab eodem producuntur: Nam *scripturæ diversæ fidem sibi invicem derogantes, ab una eademque parte prolatæ nihil firmitatis habere poterunt* inquit Imperator in *l.* 14. *C. hoc tit.* circa quæ verba

58 *Dubium* movetur: an *lex* ista locum obtineat in casu, quo duo instrumenta contraria diversi generis, puta unum publicum, alterum solùm privatum ab eodem producuntur? Gloss. & Bald. in *d. l.* 14. *num.* 13. existimant, textum exaudiendum tantùm de scripturis ejusdem generis, ut tunc instrumenta contraria se mutuò elidant, si vel utrumque publicum, vel utrumque privatum sit. Secus, si unum publicum, & alterum privatum est. Sed pronior sum in sententiam contrariam, quam sustinet Sichard. *in d. l.* 14. *num.* 3. Cynus *ibid. num.* 4. & alii: ex ea ratione: quia quando agitur contra scribentem, vel producentem instrumenta, non est differentia inter publica & privata: cùm & hæc contra scribentem plenè probent, ut paulò ante memoratum, & qui instrumentum producit contra alium, hòc ipsò illud tanquam verum recognoscit, & fatetur, adeòque sine contradictione amplius excipere non potest, quando contra seipsum retorquetur; sicut, si testis à me productus præter meam opinionem contra me deponit, non possum ultrà excipere, quòd v. g. consanguineus adversarii, vel aliàs fide minùs dignus sit; quem enim approbavi & fide dignum credidi pro me, pro tali quoque agnoscere debeo contra me per text. in *l. si quis* 17. *C. de Testib.*

59 Ratione *falsitatis* impugnatur instrumentum vel alio instrumento, vel testibus. *Si instrumentò* impugnatio fiat, Judex diligenter attendet ad circumstantias, ut colligat, cuinam illorum major fides habenda sit: quoniam si unum instrumentum producatur ab actore, alterum contrarium à reo, digniori, & verisimiliori standum est. arg. *c. in nostra* 31. *de Testib. & l.* 21. *ff. Eod. Si Testibus* videndum: num testes instrumento adscripti contrarium deponant, vel alii extranei? Si adscripti contra instrumentum deponant, & vel negent, se confectioni interfuisse, vel asserant, aliud scriptum, quàm actum esse; fides instrumenti penitus evacuatur, ut quæ tota in testibus residet. Ubi tamen plures adscripti instrumento forent, v. g. quatuor, & duo se interfuisse asserunt, duo negant; sanè videtur per illos duos affirmativè deponentes, accedente præsertim personâ Notarii, & sigillo authentico, reliquos duos de mendacio convinci posse. Quòdsi per testes extraneos, qui instrumento non intervenêre, illud evertere pars conetur (sicut potest juxta *c.* 10. *h. t.*) refert: an testes instrumentarii adhuc vivant, & pro instrumento constanter deponant, an non? Priori casu testium extraneorum de falso deponentium ratio nulla habenda est, nisi illos tam numero, quàm dignitate & conditione antecedant; ac proinde si instrumento Notarius, & duo testes inscripti sint, ad minimum quatuor extranei contra stare debent: cùm etiam Notarius personam testis sustineat, & quasi duobus æquiparetur in *c.* 11. *de Probation.* Casu posteriore nempe si testes inscripti jam obiêrint, vel examinari nequeant, duo testes jurati, & omni exceptione majores instrumentum infringunt: quia probatio per duos testes non tantùm per se plenissimam fidem facit, sed etiam verisimilior, ac

ac rationi & veritati conformior est, quàm probatio per instrumentum, utpote quæ spectatâ rei causâ est tantùm semiplena probatio, ut testimonium unius hominis; & solùm ex singulari beneficio, & indulgentia juris pro plena probatione acceptatur propter maximam præsumptionem, quâ præsumitur, Notarium ob officium publicum, & præstitum juramentum testes absentes, vel aliud falsum instrumento non inscripturum, hanc verò præsumptionem veritati, & omni jure firmissimæ probationi per duos testes cedere, æquissimum est. In dubio tamen semper instrumento, maximè si publicum sit, plùs favere Judex debet, quàm probationi in contrarium adductæ. *Novel.* 73. *c.* 3. Panorm. *in d. c.* 10. *num.* 13. *h. t.*

Ratione *rasuræ & cancellationis*, quatenus reprobetur instrumentum, considerandum est ex loco, & tenore: etenim rasura alicujus dictionis vel syllabæ, aut cancellatio facta in loco suspecto, id est, in aliqua parte substantiali, ex qua nimirum quæstio dependet, & alteratio sententiæ induci potest, instrumentum vitiat, suspectumque reddit. *c. inter dilectos 6. h. t.* non verò, si rasura vel cancellatio reperiatur in parte non substantiali. Quæ sensum principalem non mutet, adeóque in loco non suspecto. *cap. 3. & ibi* Gonzalez. *num. 5. h. t. c. cùm venerabilis de Religios. domib. l. ult. & ibi* Dec. *C. de Edicto D. Hadriani.*

TITULUS XXIII.
De Præsumptionibus.

SUMMARIA.

1. *Præsumptionis etymologia.* 2. *Synonymia.* 3. *Definitio.* 4. 5. 6. *Et divisio.* 7. *Per quæ verba significetur præsumptio?* 8. *Usque* 12. *Præsumptio versatur circa personas, res & judicia.* 12. *Forma.* 13. *Finis.* 14. *Et seqq. Effectus præsumptionis.* 24. *In quo præsumptio differat à fictione?*

LOcò probationis in foro præsumptionibus nonnunquam utimur, quibus etiam tam diu stamus, quàm diu certior probatio non affertur.

§. I.

Præsumptio nomen sortita est à dictione 1
præ, id est, *ante*, *& sumptio*: quia ante legitimas probationes aliquid sumit pro vero. Umm. *ad Proces. judic. disp.* 15. *num.* 27.

§. II.

Synonyma Præsumptionis vulgò esse 2
censentur: indicium, conjectura, signum, & suspicio. Dixi autem vulgò pro Synonymis haberi: siquidem inter hæc manifestæ differentiæ sunt, quas videre est apud Menoch. *De Præsumption. l.* 1. *q.* 7.

§. III.

Definitur Præsumptio, quòd sit conjectura, ex aliquo signo verosimili proveniens probationis locò allegata, aut à Judice assumpta ad adstruendam rei dubiæ fidem. 3

§. IV.

Dividitur Præsumptio I. in præsumptionem violentam, seu vehementem, probabilem, seu discretam, & levem, seu temerariam. Præsumptio violenta est, quæ urgenti, & valde probabili conjecturæ innititur, ac vehementer movet, cogítque ad credulitatem. Probabilis seu discreta est, quæ ex probabili, & minùs urgente ratione concipitur. Temeraria, quæ communiter *suspicio* vocitatur, est, quæ ex levibus, vanísque causis 4

ac privato affectu deducitur, atque ideo in jure reprobatur. Pirrhing. *h. t. n.* 5.

5 I. Dividitur præsumptio in præsumtionem hominis & juris. Præsumptio hominis, quam aliqui præsumptionem judicialem appellant, est conjectura nullo jure expressa, aut firmata, sed quam concipit homo ex facti qualitate, & circumstantiis aliquid conjiciendo, & assumendo pro vero, donec aliud demonstretur, ac doceatur. Præsumptio juris dicitur, quæ legibus est expressa, id est, quando suppositis circumstantiis ipsa lex
6 aliquid conjicit. Atque hæc præsumptio est vel juris tantùm. vel juris & de jure. Præsumptio juris tantùm est, quando jus in dubio aliquid præsumit, & tam diu pro vero habet, donec vel contrariâ probatione, vel fortiori præsumptione elidatur. Nuncupatur ab aliis præsumptio probabilis, ejúsve complura exempla in *cap.* 1. 2. 3. 4. & 15. *h. t.* & passim alibi occurrunt. Præsumptio juris & de jure autem est, cùm lex aut canon ita aliquid præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuat, eámque præsumptionem ita pro vero vult haberi, ut regulariter probationem in contrarium non admittat. Ab aliis nominatur præsumptio necessaria, & immutabilis, ejúsque exempla proponuntur in *c.* 21. & 30. *de Sponsalibus. in l. antiquæ* 23. *C. ad SC. Velleian. in l. miles* §. 8. *ff. ad Leg. Jul. de Adul. in. l. final. C. Arbitrium tutelæ*

§. V.

7 *Causa efficiens* Præsumptionis, ut ex modò dictis liquet, est vel *homo, seu Judex, vel Jus, seu Lex.* Censetur autem præsumptio à lege induci. I, cùm Lex ait, esse *quæstionem voluntatis* & deinde aliquid statuit; ut in *l. is qui ff. de Legat.* 3. *in l. jam hoc jure ff. de Vulg. & pupill. substit. & in l. quamvis C. Eod.* II. Per verbum: *videtur, ut in l.* 2. *ff. de Pactis in l.* 24. & 27. *ff. de Probation.* III. Per verbum: *intelligitur;* juxta *c.* 3. *h. t. & l.* 9. §. *fin. ff. de Rebus dubiis.* IV. Per verbum: *creditur;* juxta *d. l.* 9. §. *fin. in fin.* V. Per verbum: *existimo, vel æstimo: ut in l. Divus ff. de in integr. restit. & in l. fin. in fin. ff. de O. & A.* VI. Per verba hæc: *conjecturam est: conjecturam facimus:* juxta *l.* 21. §. *sed etsi notam ff. Qui testam. fac. & l.* 102. *ff. de Condit. & demonstr.* VII. Per verba: *præsumptum est* juxta *l. quòdsi nolit* §. *qui mancipia ff. de Ædilit. Edict.* VIII. Per verbum: *arbitror.* juxta *l.* 7. *in pr. ff. Depositi.* IX. Per dictionem: *proinde & fortè: ut in* §. *si scriptum Instit. de Inutil. stipulat. & in Novell.* 1. *c.* 2. *in pr.* ℣. *sancimus.* Menoch. *de Præsump. l.* 1. *q.* 10. *per tot.* Sed in his omnibus considerandæ est subjecta materia, de qua lex loquitur, & attendenda communis DD. interpretatio, cùm illa vocabula varios sensus recipiant, & sæpe etiam fictionem juris, aut interpretationem importent.

§. VI.

Materia, seu Objectum præsumptionis sunt personæ, res, & actiones, seu judicia: circa hæc tria enim, ut jus, ita omnis versatur præsumptio.

Circa personas: qualitates, quæ à natura insunt, semper adesse præsumuntur. Sic quilibet præsumitur liber, non servus: arg. *l.* 4. *ff. de J. & J.* Parentes præsumuntur amare liberos, & viceversâ: arg. *l. si pupillorum* 7. §. *si pater* 2. *ff. de Rebus eor. qui sub tutel.* Inter personas valde propinquas naturale fœdus non permittit, quidquam sævi criminis suspicari. *c.* 15. *& ibi* Panormit. *h. t.* In possidente præsumitur bona fides. *l. penult. C. de*

C. de Evict. in fœminis loquacitas, imbecillitas, & timiditas *l. 2. ff. Ad SC. Vellejan. l. 4. ff. de Nuptiis.* in senibus prudentia. *l. semper ff. de Jure immunit.* in minoribus inconsulta facilitas & ignorantia *l. si quis patremf. ff. Ad SC. Maced.* Homo præsumitur castus, sobrius, laudabilis conservationis, & honestæ vitæ. *c. 75. causâ 1. q. 1.* Quilibet creditur idoneus ad officium, beneficium, vel actum aliquem exercendum. *c. fin. h. t.* Nemo præsumitur vivere ultra 100. annos. Menoch. *lib. 6. præsumpt. 49.* Si duo simul pereant naufragiô, aut incendiô præsumitur infans periisse ante adultum, senex ante robustum, infirmior ante fortiorem. *l. 22. & seq. ff. de Reb. dubiis.*

10 *Circa res* præsumitur, eas in statu & conditione, quâ ante fuerunt, esse & durare. Ita v. g. ubi olim fuerunt termini confinium, etiam hodie esse præsumuntur, nisi probentur mutati. *l. 11. ff. Fin. regund.* Res quælibet præsumitur libera, donec probetur servitus per *l. 15. ff. de oper. novi nunciat. l. 8. C. de Servitut.* allodialis, usquedum probetur feudalis. Alex. *consil. 129. vol. 1. & consil. 6. vol. 4.* Rosbach *in Praxi civil. tit. 64. num. 16.*

11 *Circa judicia* præsumitur pro justitia processûs, & pro Judice, quòd officiô suô ritè functus sit. *l. 2. C. de Offic. civilium Judicum. c. in nostra de Procuratorib. c. nisi essent de Prabend. c. absit causâ 11. q. 3.* Unde colligunt Theologi, posteriorem confessarium præsumere posse, & debere de primo, bene functum esse officiô suô circa examen numeri, specierum, aut restitutionem pœnitentis. Quod certas causas attinet, illarum favor de jure proditur, ut in matrimoniali pro matrimonio; in liberali pro libertate; in causa dotis, pro dote; venditi, pro emptore, stipulationis, pro promissore præsumatur per ea, quæ notat Sichard. in *l. 9. C. de Nupt. l. inter partes 38. ff. de Re jud. l. in ambiguis ff. de Jure dot. l. veteribus ff. de Pactis l. stipulatio §. in stipulationib. ff. de V. O.* De reliquo in benigniorem partem sumenda est præsumptio, ut & interpretatio facienda. *l. quoties 21. l. semp. 15. ff. de R. I. c. estote 2. Eod.* & ut actus sustineatur. *l. 2. ff. de Milit. testam.* & ut dolus, & delictum excludatur. Menoch. *de Præsumpt. lib. 5. præsumpt. 2. & 3.*

§. VII.

12 *Forma* præsumptionis potest intelligi ex definitione, & divisione suprà traditis.

§. VIII.

13 *Finis* præsumptionis est subire vices probationis; ad præsumptionem enim recurrimus, ubi alia probatio non est, vel non tam potens; quapropter indirecta vocatur probatio.

§. IX.

14 *Effectus* præsumptionis pro ejusdem varietate variat, cùm præsumptio alia sit efficacior, ac in asseveranda veritate potentior.

15 *Effectus* præsumptionis hominis est, quòd interdum, si vehemens sit, plenam fidem faciat; interdum transferat onus probandi in adversarium; interdum semiplenè probet; interdum minùs, quàm semiplenè, prout vel fortior est, vel levior, quod prudens Judex arbitrabitur. Menoch. *de Præsumpt. l. 1. q. 79.*

Effectus præsumptionis juris est, quòd eum, pro quo stat, liberet probandi necessitate, eámque transferat in adversa-

rium, quí nisi contrarium probet, intentio alterius habetur pro veritate. *l.* 12. *ff. de Probat. l.* 16. *C. Eod.* adeò, ut nec juramentum deferatur implendæ probationi, si semiplenè probâsset per unum testem, vel alio modo. Mynsing. *cent.* 5. *observ.* 68. *num.* 3. Licèt nonnunquam deferatur ad purgandam præsumptionem. *c. fin. de Jurejur. c. ult. Qui matrim. accus.*

17 *Effectus* præsumptionis juris & de jure est, quòd ita habeatur pro veritate, ut *regulariter* contrariæ probationi locus non sit, ut tradunt communiter DD. ex *c. ad id c. is, qui fidem de Sponsalib. ex l. à Divo* §. *pignora ff. de Re jud. l. fin. in fin. C. Ad SC. Maced. l. fin. C. Arbitr. tut.*

18 Dixi: *regulariter*; Fallit I. si per indirectum duobus, vel tribus testibus probetur contrarium, probando scilicet aliquem defectum, quo probato corruit fundamentum præsumptionis; veluti si contra præsumptionem illam juris, & de jure, quâ ex possessione immemoriali præsumitur titulus & consequenter præscriptio, ostendas, possessionem non esse immemorialem, vel possessorem semper in mala fide fuisse. Haunold. *tom.* 5. *de J. & J. tr.* 4. *c.* 5. *n.* 641.

Fallit II. Si confessio saltem judicialis contra talem præsumptionem pugnet, modò sit de facto, quod in illius potestate est, contra quem militat præsumptio. Panorm. in *c. is, qui fidem. n.* 9. *de Sponsal.* Unde licèt præsumptio juris & de jure stet pro eo, pro quo sententia lata transit in rem judicatam, si tamen victor fateatur, aliter rem se habere, sententia revocatur. Quia quamvis præsumptio juris & de jure pro veritate habeatur, tamen à parte rei veritas non est, sed tantùm præsumptio; ubi verò clara veritas elucet per propriam confessionem, præsumptioni locus esse non potest per *l.* 29. §. 1. *ff. de Probat.*

Fallit III. Si contrarium sit notorium: nam evidentia facti nunquam censetur excluſa, cùm prævaleat omnibus aliis probationibus. Menoch. *l.* 1. *de Præsumpt. q.* 60. Et hinc in foro conscientiæ, ubi non valent præsumptiones, sed homo certam habet notitiam rei, necesse est, ut possit contra præsumptionem juris & de jure retinere rem v.g. tutor, si sciat rem à se in inventarium relatam, non esse pupilli, sed suam. Brunnemann *in Processu civil. cap.* 24. *n.* 1.

Cæterùm una præsumptio tollit alteram, & fortior enervat debiliorem. *c. transmissa qui filii sint legit. l. Divus. ff. De in integr. restit.* idque obtinet etiam in præsumptione hominis, quæ, si validior sit, & verosimilior, juris quoque præsumptionem refellit. arg. *l. Lucius* 93. §. 3. *ff. de Legat.* 3. Advertit verò Menoch. *de Præsumpt. q.* 29. præsumptionem, quæ favet animæ, quæ stat pro valore actûs, quæ à substantia potiùs, quàm à solennitate petitur, quæ est benignior, quæ juri communi consonat, quæ est specialis potiùs, quàm generalis, quæ est pro reo, quæ fundatur in ratione naturali potiùs, quàm in civili, quæ deducitur à possessione: has, inquam, præsumptiones suis oppositis esse meliores, & prævalere. 19

Restat *controversia:* num ex nudis præsumptionibus in causa criminali sententia ferri, reúsve condemnari queat?

Prima sententia est, reum criminis ob præsumptionem damnandum non esse, sed potiùs absolvendum; cui suffragatur *primò* text. in *c. literas* 14. *h. t.* ibi: *præ-*

præ-

per solam suspicionem quamvis vehementem, nolumus illum de tam gravi crimine (hæresis) *condemnare.* Secundò text. in *l. absentem* 5. *ff. de Pœnis.* ibi: *sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari, Divus Trajanus Assiduo Severo rescripsit satiùsque esse, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari.* Tertiò text. in *c. nos in quemquam causâ* 2. *q.* 1. & in *l. qui sententiam C. de Pœnis.* perspicuè tradit, in convictum, aut confessum tantùm sententiam proferri non posse. Et hanc sententiam defendunt Clar. *recept. sentent. §. fin. q.* 20. *n.* 5. & Fachin. *lib.* 1. *controvers. c.* 29.

21 *Secunda* sententia contendit, ex præsumptione violenta in causa criminali reum etiam pœnâ ordinariâ condemnari posse; quæ probatur *primò* ex *c.* 12. *h. t.* ubi ex actibus adulterio propinquis judicatur adulter manifestus. *Secundò* ex *l. fin. C. de Probat.* ubi apertè docetur, posse crimina vel idoneis testibus, vel apertissimis documentis, vel indiciis indubitatis probari. *Tertiò* ex *l. si qui* 34. *C. Ad Leg. Jul. de adult.* ubi qui adulterii accusati obtentu consanguinitatis magnam vim argumentorum elidentes evasêre, si postea nuptias coiêrunt, ex præsumptione ista condemnantur tanquam convicti. Idem est in eo, qui uxorem tuam, tertiâ denuntiatione à te admonitus, ut suspectâ conversatione abstineret, deinceps alloquitur. *Novel.* 117. *c.* 15.

22 *Tertia* sententia vult, in criminalibus reum quidem ex violentis præsumptionibus puniri posse, non tamen pœnâ ordinariâ, sed mitiori juxta Judicis arbitrium; cui favet *d. c.* 14. *h. t. & c.* 10. *de Purgat. can.* ubi de hæresi suspecto ob vehementem præsumptionem pœna aliqua extraordinaria infligi jubetur. Atque hanc opinionem in praxi receptam, testatur Zoës. *h. t. n.* 12. *in fin.*

23 Ego primas secundæ defero, modò præsumptiones ita violentæ sint, & evidentes, ut pariant moralem certitudinem, neque contrarium suaderi, aut cogitari possit; ex ea ratione: quia delicta evidenter probata possunt utique puniri pœnâ ordinariâ. Ergo cùm præsumptiones vim probationis habeant, poterit quoque secundùm illas, si evidentes sint, ordinaria pœna infligi, præsertim in delictis occultis, ut in simonia, incœstu, & adulterio, quæ sunt difficilis probationis, ne aliàs semper maneant impunita, & reddantur improbabilia. Quòdsi præsumptiones violentæ sint, sed non evidentes & indubitatæ, sufficiunt quidem ad indicendam purgationem canonicam in foro Ecclesiastico *t. t. de Purgat. can.* & in foro civili indicium faciunt ad torturam. *l.* 18. *§. reus ff. de Pœnis l. miles* 8. *§. oportet ff. Eod.* Ex his solis verò, cùm plenæ probationi non æquivaleant, reus neque pœnâ ordinariâ, maximè capitali, juxta *jura* pro *prima sententia* adducta, neque extraordinariâ plecti potest, imò post admotas torturas, aut purgationem canonicam absolvi debet; nisi ipsamet indicia per se mala & scandalosa sint, ob quæ reus pœnâ arbitriâ puniri valet, licèt à crimine principali absolvatur; quo sensu accipitur *d. c.* 14. *h. t. & c.* 10. *de Purgat. can.*

§. X.

24 *Affinis* præsumptioni est fictio juris. Differt tamen: nam fictio non est rei dubiæ, sed certæ falsitatis pro veritate assumptio ex certâ causa, & ad inducendum aliquem juris effectum; ut si jus fingat

existentem in utero, quando agitur de ejus commodo, esse natum: Religiosum esse mortuum, dum verè vivit: Patrem & filium esse unam personam, cùm sint duæ: Canonicum, qui est in studiis, esse præsentem ad effectum percipiendi redditus &c. Unde contra fictionem juris non admittitur probatio, bene autem contra præsumptionem. Item leges, quæ in falsa præsumptione fundantur, non obligant in conscientia, bene autem, si fundentur in fictione. P. Engel *h. t. numer.* 14. *&* 15.

TITULUS XXIV.
De Jurejurando.

IN probationum aliarum defectum sæpius in judicio defertur jusjurandum; de quo hìc priùs in genere, deinde in specie de juramento litis decisorio, nempe voluntario, judiciali, & necessario; atque de juramento in litem, seu litis æstimatorio agemus.

Pars I.
De Jurejurando in genere.

SUMMARIA.

1. *Juramentum quid nominis? 2. quid rei.* 3. 4. 5. *& quotuplex?*
6. *Est omni jure licitum.*
7. *In jurante requiritur usus rationis.* 8. *usque* 11. *& intentio jurandi.*
11. *Quod juramento asseritur debet esse certum.*
12. *usque* 19. *Quod juratò promittitur, debet esse honestum & licitum.*
19. *usque* 29. *Requisita juramenti in genere.* 29. *Ejusdem finis.*
30. *usque* 32. *Quatenus obliget.* 32. *usque* 36. *& contractus confirmet?*
37. *& seqq. De contrariis juramenti.*

§. I.

Jusjurandum, quod alio nomine *juramentum*, & subinde *Sacramentum* appellamus, primam originem trahit à *jure* & *jurando*, quasi id, quo super juratur, juris instar obliget, & ad præstationem adstringat arg. *l.* 5. *in pr. ff. hoc tit. l.* 2. *l.* 12. § 5. *C. de Reb. cred.* vel quia id, quod Divinô testimoniô firmatur, quasi jure suo pro vero habendum sit, & inviolabiliter observandum, cùm DEUS testis sit infallibilis, & ipsa veritas *c. à nobis* 28. *de Sentent. excom.* Covarr. *in c. quamvis. de Pact. in* 6. 1. *p. in principium.* 3. 1

§. II.

Definitur jusjurandum, seu juramentum, quòd sit invocatio Divini nominis in testimonium veritatis. S. Th. 2. 2. *q.* 89. *a.* 1. 2

§. III.

Dividitur I. In juramentum assertorium, & promissorium. Juramentum as- 3

assertorium est invocatio Divini Nominis in testimonium veritatis ejus rei, quam dicimus, quale est, quod præstare solent testes in dicendo testimonio. *c. nuper 51. de Testib.* Promissorium verò est invocatio Divini Nominis ad confirmandam promissionem factam; quale est, quo Episcopi in sua ordinatione jurant fidelitatem, & obedientiam Papæ. *cap. ego 4. hoc tit.*

4 II. Tam assertorium, quàm promissorium juramentum subdividitur in id, quòd fit per simplicem contestationem, quâ DEUS in testem adducitur absque obligatione sui, aut suorum ad pœnam: ut *Testor DEUM*; & in id, quod fit per execrationem seu imprecationem: ut, quando quis aliquid affirmat, vel negat adducendo DEUM non solùm in testem, sed etiam in Judicem & vindicem, si falsum sit, quod jurat; v. g. *Non movear hinc per animam meam: non vivat filius meus, &c.*

5 III. Dividi potest in judiciale, & extrajudiciale. Illud est, quod præstatur in judicio; hoc, quod extra judicium deponitur.

§. IV.

6 *Causa efficiens* jurisjurandi, seu juramenti est vel remota, vel proxima.

Remota est jus, tum Divinum, tum humanum: Omni quippe Jure ex necessitate, vel adstante justâ causâ jurare licitum est. Jure Divino Veteri per text. *Exod 22. vers. 8. & 12. Deuter. 6. v. 13. Psalm. 62. vers. ult.* Jure Divino novo per text. *ad Hebr. 6. vers. 14. Ad Roman. 1. v. 9. 1. ad Thessalonic. 2. vers. 10.* Jure humano Canon. & Civili per *t. tit.* utriusque Juris, quibus jusjurandum tanquam res licita, & in foro omnino necessaria supponitur. Et quidni jurare liceat? cùm jurans DEUM, tanquam testem infallibilem, qui nec fallere, nec falli potest, advocet, sicque ei honorem impendat, profitendo Ipsum esse primam veritatem. Neque obstant verba Christi apud Matth. *5. vers. 34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* & Jacobi *in Epistol. Cathol. c. 5. v. 12. Ante omnia autem fratres mei nolite jurare.* Intelligitur enim hæc prohibitio solùm de frequenti jurandi usu, etiam pro rebus levissimis & absque justa causa; non verò si subsit necessitas, aut rationabilis causa, & aliæ conditiones, de quibus in *§. 6. num. 24.*

Causa efficiens proxima jurisjurandi est jurans; in quo duo desiderantur. 7

Primò jurandi capacitas, quam ex natura rei omnibus dat usus rationis; ideóque etiam impuberes jurare possunt. arg. *c. 1. de Delict. pueror.* ubi dicitur, pueros ante 14. annum ætatis posse pejerare. In Jure tamen aliquæ personæ excipiuntur, quæ in judicio jurare non permittuntur, ut I. impuberes. *cap. 14. & 15. causâ 22. quæst. 5.* II. Perjuri infames, seu notorii. *c. si quis 7. & d. cap. 15. causâ 22. quæst. 5.* III. Sacerdotes, qui in levi causa non possunt compelli ad jurandum in judicio. *c. si quis Presbyter 4. causâ 2. quæst. 5.* Si gravis sit necessitas, aut utilitas, jurare possunt; veluti pro sui purga-

gatione, pro fide, pace, obedientia, & Ecclesiæ immunitate, vel si agatur de gravi præjudicio alterius, & ejus innocentia aliter probari nequeat. Zoës. *n.* 8. *hoc tit.* Sed & tunc jurare non debent in manu Laici, tanquam sui Superioris, nisi cum licentia sui Ordinarii *cap. nullus* 22. *causâ* 22. *quæst.* 5. Episcopis verò non nisi in arduis causis juramenta sunt offerenda, ut puta pro fide in abjuratione erroris, & in causa purgationis. *cap.* 1. 3. & 6. *causâ* 2. *q.* 5. Item ad præstandam obedientiam Papæ. *d. c.* 4. *h. t.* & de calumnia. *c. fin. de Juram. calumn.*

Secundò requiritur voluntaria & deliberata intentio. Refert autem: an quis juret exteriùs & non habeat animum jurandi: an non adsit intentio faciendi, quod jurat: vel an desit intentio promittendi, aut se obligandi? Ut distinctè respondeam.

§ *Dico* I. Qui fingit se jurare, animum tamen jurandi non habet, nec verum juramentum emittit, nec aliqua, vi juramenti præcisè, obligatio nascitur. Quòd verè non juret, patet: quia deest intentio & voluntas jurandi, quæ essentialiter requiritur ad actum humanum, qualis est juramentum: ac per consequens vi juramenti, quod nullum est, nulla quoque obligatio oritur. arg. *c. humanæ aures* 11. *causâ* 22. *quæst.* 5. & *c.* 25. *de Sponsalib.* Nihilominus, vel ratione scandali, quod ex juramenti neglectu nasci potest; vel ratione damni, aut injuriæ proximo per similem deceptionem illatæ juramentum observare teneretur, imò in foro externo, quod ex verbis præsumit intentionem. *l. Labeo* 7. *ff. de Suppellect. Leg.* ad implendum simulatum hoc juramentum cogeretur. Num verò hujusmodi fictum juramentum semper sit grave peccatum? variant Moralistæ, neque nostri instituti est, excutere.

Dico II. Quando promittens & jurans intentionem promittendi, ac jurandi habuit, non autem animum adimplendi promissum, peccat, & ad implenda promissa obligatur: quia sicut executio ad essentiam juramenti non pertinet, ut patet, cùm illa justè vel injustè impeditur, ita nec intentio exequendi; licèt ergo hæc defuerit, juramentum valebit. *c. in dolo* 1. *causâ* 12. *q.* 1. 9

Dico III. Similiter si jurans animum jurandi habet, non autem se obligandi in omni eventu, peccat, & talis tam in foro externo, quàm interno vi hujus juramenti tenetur, eò quòd licèt sit in potestate hominis, jurare, vel non jurare, non tamen ex juramento præstito obligari; cùm obligatio sit naturalis, ac à jurante independens effectus juramenti. Et certè reverentia DEO debita postulat, rem promissam adimpleri, ne illius Nomen frustra adhibitum fuerit. Zoësius *h. t. num.* 10. At objiciunt hic Adversarii: is qui vovit, qui matrimonium promisit, qui contraxit sine animo se obligandi, non obligatur, ergo nec qui jurat sine animo se obligandi, obligatur, saltem in foro interno. Sed parùm probat hoc argumentum: nam permisso antecedente nego consequentiam, & paritatem: etenim tota essentia voti, & promissionis in obligatione consistit, & ideo exclusâ obligatione excluditur tota voti, ac promissionis substantia, & inducuntur actus se mu- 10

mutuò destruentes, & perinde est ac si dicas: *volo nolo vovere: volo nolo promittere;* qui actus utique neminem obligant. Secus est in juramento promissorio, cujus substantia non est obligatio faciendi, sed adductio DEI in testem, quæ inducit obligationem religionis. Obligatio igitur faciendi effectus est juramenti promissorii ex invocatione Divini Nominis in testem tam necessariò emergens, quàm calor ex flamma. Unde in arbitrio nostro non est, eum impedire.

§. V.

11 *Materia, seu Objectum* aliud est juramenti assertorii, aliud juramenti promissorii.

Materia, seu objectum juramenti assertorii est res, vel factum præsens, aut præteritum, debet autem hoc factum juranti esse certum, aut satis exploratum pro conditione, seu qualitate ejusdem. Equidem; si jurans proprium factum juramentô confirmet, requiritur major certitudo, ac plerumque evidentia veritatis, qualis de propriis actibus haberi potest, & solet; sin verò jures de actu vel facto alieno, de quo certa, aut evidens cognitio haberi nequit, sed verisimilis tantùm, tunc verisimilis quoque & probabilis certitudo ad juramentum assertorium sufficit, etsi præter opinionem contingat, rem aliter se habere: adeóque oportet, ut jurans rem ita se habere arbitretur, non levi conjecturâ ductus, sed certâ, aut verisimili, ac probabili: temeritatis enim & impietatis est, de incognitis jurejurandô testimonium dicere: nam ubi veritas locum non habet, nec jusjurandum locum habebit. Sester. *de Juram. l.* 1. *c.* 17. *n.* 4.

12 *Materia, seu Objemum* juramenti promissorii est res, vel factum futurum: honestum scilicet, ac licitum, non merè indifferens, aut illicitum. Hinc

Inferes I. Temerarium & invalidum es- 13
se juramentum de facienda re aliqua indifferente, quæ nec in honorem DEI, nec in propriam, & proximi utilitatem cedit; ut si jures non levare festucam, non dormire in sinistra aure, non rescindere ungues tali die, non transire per talem locum &c. quia cùm res indifferens, quàm diu talis manet, non sit apta juramenti materia, est saltem venialis quædam irreverentia, & vanitas, uti DEI Nomine ad hujusmodi rem confirmandam; consequenter non obligaris tale juramentum servare ob defectum debitæ materiæ. Azor. *Instit. moral. tom.* 1. *l.* 11. *c.* 5. *q.* 1.

Inferes II. Eum, qui jurat, se omissu- 14
rum aliquid superrogatorium, seu se facturum aliquid contra consilia Evangelica, ùt se non futurum Religiosum, vel Clericum, non se mutuaturum, aut daturum eleemosynam, quando non est obligatus, peccare, nec juramentô obligari: tum quia hæc non est apta materia juramenti; tum quia talis ponit obicem Spiritui S. ac per consequens est ad minimum venialis irreverentia, quæ DEO in juranda ejusmodi abstinentia irrogatur, cùm ipse contrarium consulat. S. Th. 2. 2. *q.* 98. *a.* 2. *ad* 2.

Inferes III. Improbum, nec obligato- 15
rium esse juramentum, quoties id, quod juratum est, sine peccato etiam veniali fieri, aut omitti non potest; ut si Princeps juret de servanda moneta, quam tempore editi juramenti scit, in legitimo pondere esse vitiatam. *c. quando* 18. *hoc tit.* si Religiosus juret, se cum aliis in Monasterio, in quo professus est, non permanturum. *c. sicut* 13. *h. t.* si filius juret, se

Parentibus non locuturum, aut ipsis, vel aliis personis conjunctis debita obsequia ac subsidia non præstiturum *c. cùm quidam* 12. *§. illi verò h. t,* si conjuges temerè, & sine justa ac honesta causa, puta ex odio, aut vindictæ alicujus cupidine, non pietatis, ac continentiæ amore jurent, se ab invicem nunquam velle debitum conjugale exigere, ac reddere, & propterea instituant separationem quoad thorum, & cohabitationem. *c. tua nos* 24. *h. t. &c.* Cujus illationis generalis ratio assignatur in *d. c.* 18. quòd *juramentum, ut esset iniquitatis vinculum, non fuerit institutum.* Et sanè injuriosum est, DEUM invocare in testem, & velut patronum iniquitatis. Unde ulteriùs

16 *Inferes* IV. Non stringere juramentum, quod in præjudicium tertii redundat; veluti si Rex aut Princeps bona Coronæ, ac jura regalia alienans juret, ea se non repetiturum *c. intellecto* 33. *h. t.* si Prælatus rebus Ecclesiæ spoliatus juret, res ablatas, non revocaturum. *c.* 2. *& ibi* Gonzalez *Eod.* si Canonicus vel Capitularis juret in aliquas capitulationes, quæ dignitati, potestati, aut redditibus Episcopalibus, vel Ecclesiæ præjudicant. *c. sicut* 27. *h. t.* si Clericus beneficiarius juret Patrono præsentanti ad beneficium Ecclesiasticum de antiquo censu, sive pensione augenda, *c.* 11. *& ibi* Pirrhing *num.* 31. *h. t. cap. 7. de Censib.* Si subditus juret alicui obedientiam & fidelitatem, cui non debebat, in præjudicium sui Superioris. *c.* 19. *&* 22. *h. t.* quippe hujusmodi juramenta, cùm damnum aliorum, & consequenter injustitiam involvant, sunt de re illicita, adeóque nec valent.

17 *Inferes* V. Non obligare juramentum factum contra jus publicum, quod videlicet ad publicam utilitatem principaliter introductum est, ut si Judex juret, etiam crimen manifestum non punire sine accusatore. *c. ad nostram* 21. *h. t.* vel si maritus uxori juramentò promittat, se illam de nullo crimine committendo accusaturum. *c. quemadmodum* 25. *§. illud autem Eod.* vel si testis juret, se nolle testimonium ferre. *c. pervenit* 4. *& ibi* Interpp. *de Testib. cogend.* Nam & talia juramenta sunt de re illicita.

Planè si aut jus, vel lex aliqua principaliter in utilitatem privatorum introducta sit, illi per jutamentum contraveniri potest, & tale juramentum servari debet; Ita enim licèt de jure mulier ex intercessione non obligetur. *l.* 1. *&* 2. *ff. ad SC. Velleian.* si tamen juramentò huic beneficio renuntiet, obligatur *c.* 9. *h. t.* Alienatio fundi dotalis etiam consentiente uxore secundùm leges Civiles irrita est *pr. Inst. Quib. alien. licet, vel non* juramentò tamen velata servanda est. *c.* 28. *h. t.* Renuntiatio paternæ hæreditatis de jure prohibetur. *l. ult. ff. de Suis & legitimis hæredib.* sed jurata admittitur. *c.* 1. *de Pact. in* 6. Ratio est: quia quilibet licitè & validè suo juri, favori, & privilegio renuntiat, neque hoc ullam continet injustitiam. *l.* 29. *C. de Pactis.* Unde subintrat regula desumpta ex *c.* 8. *&* 28. *h. t.* quòd omne juramentum editum in alterius utilitatem servandum sit, si sine salutis dispendio, *id* est, sine peccato, servari possit.

§. VI.

Forma jurisjurandi, seu juramenti alia est essentialis, alia accidentalis.

Forma essentialis posita est in invocatione expressa, aut saltem tacita Divini nominis ad faciendam fidem dictis vel promissis. Ita disertis verbis habetur *Deuteron.* 6. *v.* 13. *Dominum DEUM tuum* tim-

timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. Juratur autem per DEUM expresè, si dicam: *juro per DEUM: DEUM testem invoco: DEUM testor: per DEUM ita est, &c.* tacitè verò, si jurem per fidem Catholicam, per Sacramenta, per Crucem, per Evangelia, per Sanctos, per animam, aut salutem meam, per cœlum, terram, aliásve creaturas cum ordine & relatione ad Creatorem, quatenus ejus virtus, bonitas, veritas & sapientia in iis singulariter relucet. Pirrhing. *h. t. n.* 6.

20 *Dubitatur* I. an verba: *DEUS scit,* vel *videt, ita esse: coram DEO loquor: DEUS novit meam conscientiam &c.* juramentum contineant? In affirmativam propendet S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *a.* 1. *ad* 3. ubi inter juramenta has formulas numerat: *est mihi DEUS testis: coram DEO loquor.* Ego cum Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. c.* 2. *num.* 20. distinxerim: an hujusmodi verba invocativè vel tantùm enuntiativè proferantur? Si invocativè proferuntur, invocando scilicet DEUM ad confirmandum id, quod dicitur, tunc habent rationem juramenti; in quo sensu Apostolus *ad Galatas.* 1. juravit: *coram DEO, quia non mentior;* & *ad Rom.* 1. *Testis mihi est DEUS.* Sin autem solùm enuntiativè sive per modum simplicis enuntiationis proferuntur, ut sensus sit: *ego his verbis ajo, sed tamen verba mea DEI judicio remitto, ipse enim, quid verum sit, novit:* non erunt juramenta. Adeóque in his dignoscendis inprimis spectanda est intentio loquentis; ubi verò de animo proferentis hæc verba non constat, recurrendum est partim ad communem loquentis morem, partim ad particularem loquentis consuetudinem: si enim quis frequenter jurare soleat, censetur jurásse; sin minùs, & bonæ sit conscientiæ, nec juramenta reputabuntur.

Dubitatur II. Quid dicendum de hac 21
formula: *in conscientia mea:* vel *per conscientiam meam.* Quidam ajunt, verba: *in mea conscientia:* non esse juramentum, bene autem hæc: *per meam conscientiam;* eò quòd in prioribus nihil adduci videatur in testem, secus in posterioribus. Alii tenent, utramque formulam comprehendere juramentum, ut videre est apud Sanchez. *d. c.* 2. *n.* 30. Plerique volunt, neutram vim juramenti habere, nec unam ab altera esse diversam, & sensum utriusque non esse alium, quàm hunc: *hoc est, quod sentio in mea conscientia:* vel: *hoc dictat mihi mea conscientia:* vel *ex conscientia loquor:* vel *testis est mihi mea conscientia.* Layman. *in Theol. Moral. l* 4. *tr.* 3. *c.* 2. *ad fin.* qui tamen addit, fore juramentum, si quis intentionem haberet jurandi per conscientiam, sicut per animam suam juramentò execrationis; aut si vellet jurare per conscientiam, quatenus est radius & participatio quædam Divinæ veritatis. Sed hæc intentio prælumi non debet, nisi ex patriæ consuetudine, vel circumstantiis, probabilis juramenti conjectura fieri possit.

Dubitatur III. de hac formula: *volo* 22
dictum vel promissum meum juramentum esse: germanicè auf mein Ayd/ an veram rationem juramenti habeat? Affirmo, prælertim in foro judiciali, ut si Judex dicat: *promitte mihi juratus.* gelobe an auf dein Ayd/ & alter annuat, vel promittat: censetur enim jurare, & juratus promittere, cùm hæc sit Judicis intentio juramentum exigentis; extra judicium autem, si deliberatè proferatur, plerumque juramentum continet, testa Layman *d. c.* 2. *n* 1. ex Germanorum consuetu-

dine, apud quos dicta verborum formula pro juramento usurpatur; nisi de alia usurpantis intentione constet: cùm multi ita loquantur: ich schwöre dir einen Ayd / vel: auf mein Ayd / hoc, vel illud faciam, quorum tamen animus non est, seriò id jurare, sed graviter solùm affirmare. Hinc nobiles, ac alii, qui ad singula fermè verba, quæ pronuntiant, verbum *juro*, aut *per DEUM* intermiscent, rariùs jurant, eò quòd non habeant intentionem jurandi, quæ in juramento potissimùm spectanda est, sed firmiter, quod pronuntiant, asserendi. Quamvis hic modus ob periculum, quod involvit, reprehensione sit dignus, & à Christiano ore penitus ablegandus. Vid. Pirrhing. *h. t. n.* 7.

23 *Dubitatur* IV. an fidei interpositio pro juramento haberi possit, & an verè is juret, qui quid fide suâ bey Trauen Ehrn/ und d Glauben promittit?

Sunt non pauci, qui affirmant, maximè si Sacerdos sub fide sua Sacerdotali, Religiosus, sub fide sua religiosa, Princeps sub fide sua principali, illustris sub honore suæ dignitatis aliquid adstruant. Moventur *primò* textu *c.* 3. *de His, quæ vi metúsve caus.* ubi renuntiatio electionis ob laicorum terrorem facta irrita decernitur, *nisi fortè juramentò, vel fide interpositâ sit confirmata. Secundò* textu in *c.* 2. *de Fidejussorib.* ubi dicitur, Clericos, *si religionem fidei, & juramenti sui eos violâsse constiterit* ab officio & beneficio suspendendos esse. Et hanc esse communem sententiam, testatur Gail. 2. *observ.* 59. *n.* 1.

Negativæ patrocinantur Cajetan. 2. 2. *q.* 89. *a.* 6. Less. *de J. & J. l.* 2. *c.* 42. *n.* 4. Covarr. *in relect. c. quamvis de Pact. in* 6. *p.* 1. §. 2. *n.* 3. & alii propter text. in *c. commissum* 16. *de Spensalib.* ibi: *de contrahendo matrimonio fidem dedit, & se cum ea intra biennium per verba de præsenti contracturum præstitò juramentò firmavit;* quibus verbis insinuari videtur, non esse idem omnino juramentum, & fidei præstationem. Accedit ratio; nam, qui dicit, per fidem meam hoc faciam, se ipsum adfert in testem, non DEUM; perinde enim est, ac si diceret, ita hoc faciam, sicut fidelis sum, aut haberi volo. Quæ ratio etiam in personis Ecclesiasticis, Principibus, & Nobilibus militat.

Ego utramque sententiam approbo; affirmantium quoad fidem contractûs, & quoad firmitatem obligationis: non enim caret perfidiâ, venire contra fidem promissam; Negantium verò quoad pœnam perjurii: non enim verè potest dici perjurus, qui simplicem assertionem fidei interpositione firmatam est transgressus. Unde etiam plerique ajunt, severiùs puniendum esse juramenti, quàm simplicis fidei violatorem. Covarr. *l. cit.* Mynsing. *cent.* 1. *observ.* 17. nec pœnam perjurii locum habere in violatore simplicis fidei tradit Felin. in *c. præterea n.* 15. *de Spons.* Gail. *d. observ.* 59. *n.* 6.

Forma accidentalis jurisjurandi stat in 24 modo jurandi; ex parte cujus tres conditiones sunt necessariæ, nempe veritas, justitia, & judicium, juxta illud *Jeremiæ c.* 4. ℣. 2 *jurabis: vivit Dominus: in veritate, & in judicio, & in justitia.*

Veritas in eo consistit, ut veracissimis Numinis testimonium non adducatur in confirmationem falsi, aut mendacii; adeóque in veritate jurat, qui in juramento assertorio rem, quam certò scit, vel omnino credit esse veram, veram affirmat, vel similiter falsam negat. In juramento autem promissorio duplex debet esse

esse veritas una de præsenti, scilicet ut jurans, quando jurat, verum dicat, id est, intentionem habeat adimplendi, quod promittit; altera veritas de futuro, id est, ut id, quod juramento promisit, faciat esse verum, adimplendo promissionem.

26 *Justitia*, seu *æquitas* consistit in hoc, ut justissimi, & sanctissimi Numinis testimonium non adducatur in confirmationem dicti vel facti injusti, iniqui, & peccaminosi; adeóque jurare in justitia dicitur, qui rem licitam, justam & honestam jurat.

27 *Judicium*, *seu discretio* consistit in hoc, ut Divini Numinis testimonium non adducatur temerè, inconsultò, & irreverenter sine justa causa, & reverentia; adeóque in judicio jurare dicitur, qui non nisi cum prudenti deliberatione, ac cum pia affectione ex necessitate, vel magna utilitate jurat. Zoës. *h. t. n.* 11.

28 Ad *formam accidentalem* juramenti pertinet etiam ritus jurandi, qui ex more hodierno talis est, ut jurans sacra tangat, puta Crucem, reliquias, vel sacra Evangelia, addendo hanc formulam: *Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia. c. tibi Domino* 33. *dist.* 63. Requiritur autem hic ritus, ut cum majori deliberatione, reverentia, ac timore juretur; atque ex hujusmodi circumstantiis aggravatur obligatio, & violatio juramenti solennis, seu corporalis, majorémque pœnam meretur, quàm violatio juramenti simplicis. Covarr. in *d. c. quamvis p.* 1. *§.* 1. *n.* 2

§. VII.

29 *Finis* Jurisjurandi, seu juramenti est confirmatio rei controversæ: siquidem ut insinuat Apost. *ad Hebr.* 6. *v.* 16. *omnis controversia finis ad confirmationem est juramentum.* Cùm enim humanum testimonium sæpe non sit sufficiens ad veritatis confirmationem, partim propter defectum humanæ sinceritatis, partim propter defectum cognitionis, necessum est, recurrere ad Divinum testimonium, quia DEUS nec mentiri potest, nec eum aliquid latet. S. Th. 2. 2. *q.* 89. *a.* 1.

§. VIII.

30 *Effectus* jurisjurandi, seu juramenti alius est, si sit assertorium, alius, si promissorium.

Effectus juramenti assertorii est, quòd jurantem perjurum efficiat, pœnisque perjurii obnoxium reddat, si falsum dicat, & veritatem non fateatur. Quæ verò pœnæ sint perjurii, vid. Menoch. *de Arbitr. Judic. c.* 319. Gonzal. *in c.* 11. *n.* 5. *& seqq. h. t.* Covarr. *in d. quamvis p.* 1. *§.* 7. *n.* 1. *cum* 6. *seqq.* Rosbach. *tit.* 57. *n.* 16. *&* 17. & Fachin. *lib.* 1. *Controvers. jur. c.* 15.

31 *Effectus* juramenti promissorii est *primò*, quod inducat obligationem tum religionis, tum justitiæ ad præstandum id, quod juratò promissum est; in quantum juramentum ex vi sua, & virtute religionis obligat, tantùm constringit jurantem, nec quoad vinculum religionis ad successores, hæredes, vel alios, qui non jurârunt, transit, quamvis suo, & successorum suorum nomine jurans aliquid promiserit: quia obligatio juramenti, quæ oritur ex virtute Religionis, nonnisi propriâ voluntate suscipitur, cùm sit merè personalis. Panormit. in *c.* 14. *n.* 3. *h. t.* In quantum verò juramentum promissorium ex vi promissionis, seu pacti, & ex virtute justitiæ obligat, eatenus etiam hæredes jurantis obligat, ut adimpleant, quod ille promisit: quia pactum, vel contractus transit ad hæredes, vel successores paciscentis, vel contrahentis etiam non fa-

factâ mentione illorum. *l. veteris* 13. *C. de Contrah. ſtipul.* Suarez *lib. de Juram. c.* 31. *n.* 13. Haunold. *de J. & J. tom.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 859.

32 *Alter* effectus juramenti promiſſorii eſt vis pacta, promiſſiones, & contractus roborandi, ac confirmandi. Ubi

Quæritur I. An juramentô veſtiantur, & firmentur pacta nuda ita, ut civilem obligationem, & actionem pariant?

Prima ſententia eſt, juramentum promiſſorium jure civili non ſuperaddere majorem vim obligationi, quæ oritur ex conventione cadente ſub juramentum, & ideò ex pacto nudo etiam jurato non dari obligationem ad agendum efficacem. Ita Zoëſ. *ad ff. h. t. n.* 86. Fachin. 2. *controverſ.* 100. & alii.

Secunda, & valdè probabilis ſententia vult, juramentum veſtire nudum pactum, & inde producere obligationem civilem & actionem. Molin. 2 *de J. & J. diſp.* 256. Covarruv. *in d. c. quamvis p.* 1. §. 2. *num.* 9. Probatur per *l.* 7. *ff. de Oper. libert. l ult. ff. de Liberali cauſa & l.* 57. *pr. ff. de Fidejuſſoribus.* quamvis enim in his locis habeatur caſus particularis de libero promittente operas patrono ſuo per pactum nudum juratum, doctrina tamen videtur generalis, cùm non poſſit dari ratio ſpecialitatis. Quod attinet Jus Canonicum conveniunt etiam Adverſarii, hoc jure ex pacto nudo jurato actionem competere. Moribus noſtris quæſtio hæc parùm utilis videtur, cùm hodie etiam ex pacto nudo ſeriô & deliberatô animô inito actio detur in utroque foro, Canonico & Civili, prout teſtantur morum periti uno ore.

33 *Quæritur* II. An & quatenus juramentum firmet actus vel contractus, quibus accedit? Quam quæſtionem ut exactiùs ventilem.

Dico I. Si juramentum accedit contractui aliàs firmo & valido, tunc hoc operatur, quòd ultra obligationem juſtitiæ inducat obligationem religionis, adeò ut ſi fortè contrahens non abſterreatur turpitudine injuſtitiæ, ſaltem deterreatur gravitate, & pœnis perjurii à violatione contractûs. Et huc pertinet, quod dicitur: juramentum ſequi naturam actus cui adjicitur, ſenſus enim non eſt, quod ſi actus ſubſiſtat, juramentum obſervetur, eo autem nullo reddito, juramentum nullum ſit; ſed potiùs iſte, quòd, quoties juramentum adjungitur actui, qui ex ratione contractûs obligationem producit, obligatio jurisjurandi reguletur per obligationem, & juxta modum illius, ita ut eâ ceſſante ceſſet obligatio juramenti; quia eo caſu adducitur juramentum in confirmationem illius actûs; & ſi in ipſa promiſſione ſubſint, & ſubintelligantur aliquæ obligationes, etiam in juramento illæ tacitè veniant; item ſi ille, cui promiſſio jurata facta eſt, nolit ſibi promiſſionem impleri, ſicut tunc ceſſat obligatio promiſſionis, ita etiam ceſſet obligatio juramenti. Gonzalez *in c.* 28. *n.* 11. *hoc tit.*

Dico II. ſi juramentum accedit contra- 34
ctui jure naturæ irrito, contractum per hoc non firmari: quia juramentum non poteſt ſupplere defectum ſubſtantialem, ob quem contractus jure naturæ nullus eſt, ut per ſe claret.

Dico III. Adjectô juramentô neque eum contractum firmari, qui ex jure naturæ, & naturâ ſuâ eſt irritabilis, ut irritabilis eſt omnis contractus injuriâ, puta dolô, metu injuſto, aut uſurariâ pravitate extortus: quia juramentum non poteſt effi-

efficere, quin res, quæ per talem contractum transfertur, propter injuriam sit obnoxia restitutioni, consequenter tunc contractus non potest ex juramento accipere robur, ut rescindi nequeat. Gomez *tom. 2. resol. c. 14. n. 24.* Molin. *de J. & J. tom. 1. tr. 2. disp. 149.* Sanchez *l. 4. de Matrimon. disp. 20. num. 5.* Interim adjectum juramentum ordinariè validum & servandum est, si sine jurantis peccato servari potest, & turpitudo, seu injustitia tantùm invenitur ex parte ejus, in cujus favorem juratum est: non quidem ex justitia, quasi contractus sit firmatus, aut quasi alter ex juramento aliquod jus acquisiverit, sed ex sola religione, ne jurans DEUM faciat testem falsi. Potest tamen injuriâ ad jurandum inductus, si postea de solutione conveniatur, statim ad Judicem confugere, ut is promissarium ad relaxationem cogat, vel eo etiam invito obligationem ipse relaxet, arg. *cap. 1. h. t.* aut si defacto jam quid solverit, id repetere. per *c. 6. Eod. c. ad audientiam* junctâ Gloss. *V. resignandum De his, quæ vi metúsve causâ.* S. Thom. 2. 2. *q. 89. a. 7. ad 3.*

25 *Dico* IV. Juramentum, si accedit contractui solo jure positivo irrito, vel irritando, ex privilegio utriusque juris purgare vitium nullitatis, atque contractum inde accipere robur, & firmari: modò juramentum sit de re licita, ita ut sine peccato servari possit. *De Jure Canonico* id probant Textus in *c. cùm contingat 28. hoc tit. & c. quamvis 2. de Pactis. in 6.* qui sanè, si rectè expendantur, non possunt intelligi de obligatione solius juramenti: quia S. Pontifex *in d. c. 2.* disertè dicit, pactum juramentô, nec vi, nec dolo prælitô *firmatum* fuisse. Deinde in utroque *cap.* statuit Pontifex, juramentum illud esse servandum, *si modo sponte, sine vi, & dolo præstitum sit.* Atqui licèt vis, dolúsve interveniat juramento, ipsum tamen nihilominus producit obligationem Religionis, cùm servandum sit, quoties sine dispendio salutis servari potest; ergo debet in proposito adhuc ex alio capite, & ob novam quandam obligationem juramentum servandum esse, quæ est obligatio justitiæ ex pacto per juramentum firmato: alioquin enim exceptio ita: *nisi juramentum vi vel dolo præstitum sit*: omnino inutilis foret, ac superflua. *De Jure Civili* idem suadet Textus in *auth. Sacramenta puberum. C. si adversus vendit.* ibi: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur.* Ubi Glossa ad particulam *contractibus* notat, etsi contractus ipso jure non valeant. Neque dicas cum Adversariis, hanc *auth.* ita esse accipiendam, ne contradicat *l. 5. C. de Legib.* ubi statuitur contractus à lege irritatos manere irritos, quamvis juramentum accedat: nam hæc *lex* vel correcta est per *cit. auth.* ùt vult Perez. *ad d. t. de Legibus num. 12.* vel loquitur de illis contractibus, qui à jure reprobati sunt, eò quòd contineant turpitudinem accipientis, vel sunt in præjudicium tertii, aut contra bonum commune, ut respondet Brunneman. ad *d. auth. n. 6.*

§. IX.

Contraria jurisjurandi, seu juramenti 36
sunt modi, quibus ejusdem obligatio evacuatur; videlicet mutatio materiæ, condonatio, commutatio, irritatio, & dispensatio, quæ relaxatio indigitatur.

Mutatione materiæ cessat obligatio 37
juramenti, si materia juramenti propter aliquam supervenientem circumstantiam red-

reddatur illicita: quia juramentum non est vinculum iniquitatis, *c.* 18. & 19. *h. t.* II. Si fiat impossibilis, cùm ad impossibile nemo teneatur. *c. nemo potest 6. de R. J. in 6.* & in omni juramento involvatur tacita conditio: *si potuero.* III. Si ita difficilis evadat, ut si ille, qui juravit, eam difficultatem suspicatus fuisset, non jurâsset: juramentum enim intelligitur, *rebus sic stantibus per c.* 10. 17. & 25. *h. t.*

38 *Condonatione* obligatio juramenti extinguitur, si is, in cujus favorem, & gratiam præstitum est, sive tacitè, sive expressè eam obligationem remittat: quippe omni promissioni juratæ inest conditio: *si is, in cujus favorem præstitum est juramentum, voluerit illud servari* per *c.* 2. *de Sponsalibus. l. fin. ff. Qui & à quibus manumissi vind.* Sed hoc ita, si juramentum cedat tantùm in favorem, & utilitatem alicujus hominis: nam si fiat DEO, & homini simul, distinctione opus est: vel enim fit principaliter DEO, & secundariò solùm in gratiam hominis, sed non directè in ejus utilitatem; ut si alicui juratò promittas, te ingressurum Religionem, aut aliquod pietatis opus facturum, & hoc casu, inquit S. Th. 2. 2. *q.* 89. *a.* 9. *ad* 2. *ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem: quia promissio non fit facta ei principaliter, sed DEO.* Vel principaliter quidem fit DEO, seu ob ejus honorem de præstando aliquo opere charitatis, aut misericordiæ erga certum hominem, ita tamen, ut in hujus utilitatem cedat; ut si juratum votum edas, te pauperem in uxorem ducturum, & in hoc casu deobligaris promissione, si persona illa, cui benefacturum te jurâsti, beneficium respuat, sive recipere nolit. Quòd à fortiori verum est, si simpliciter illam ducturum te promisisses absque hujus modi virtutis motivo ob datam rationem. Layman *in Theol. moral. lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 9. *num.* 5.

Commutatione tollitur obligatio juramenti, si in aliud onus transferatur. Possunt autem juramenta commutare. I. Illi, in quorum gratiam facta sunt, si finant aliud opus loco illius, quod juratò promissum est, præstari. II. Omnes, qui possunt in juramentis dispensare, quia commutare minùs est, quàm dispensare, cùm dispensatio omnino remittat obligationem juramenti, commutatio verò secundùm quid. III. Quivis pro suo arbitratu potest juramentum in aliud opus apertè melius, & DEO gratius commutare: *Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat. cap.* 2. *hoc tit.* Nisi juramentum in commodum alicujus hominis emissum, ab eóque acceptatum sit: tunc enim juramentum assumit naturam contractûs, qui est in specie adimplendus. *l.* 2. §. 1. *ff. de Rebus cred.* Zoes. *h. t. n.* 75.

Irritatione finitur juramenti obligatio, si fiat per Superiores, quibus materia juramenti est subjecta. *c. pueri* 15. *cau. sâ* 22. *quæst.* 5. *cap.* 2. *h. t.* quia in juramento semper intelligitur excepta auctoritas Superioris *c.* 19. *Eod.* Habent autem irritandi, seu annihilandi juramenti facultatem etiam sine causa Prælati respectu Religiosorum, Superiores respectu subditorum, Parentes respectu liberorum, Tutores respectu pupillorum, Domini respectu servorum, Mariti respectu uxorum in iis rebus, in quibus tales personæ subditæ sunt. Et generaliter, qui possunt irritare vota, possunt etiam & eodem modo, ac in eisdem casibus irritare juramenta: quia hæc sapiunt naturam votorum. Armilla in *Summa V. juramentum.* Tabiena *V. jurare q.* 19.

Di-

41 *Dispensatione* seu *relaxatione* solvitur vinculum juramenti, si à Potestate Ecclesiastica ex justa causa concedatur. Unde differt dispensatio ab irritatione: hæc namque pertinet ad potestatem dominativam, & nullâ indiget causâ; at dispensatio pertinet ad potestatem Ecclesiasticum, & requirit justam causam. Competit autem ordinaria potestas dispensandi in juramentis I. S. Pontifici, qui ex justa causa, & cessante præjudicio tertii in omni juramento dispensare potest. Addidi: *cessante præjudico tertii*: siquidem si juramentum in favorem tertii præstitum sit, id neque S. Pontifex relaxare potest absque illius, cui præstitum est, consensu; nisi relaxationem postulet vel bonum commune Ecclesiæ, vel delictum promissarii, vel gravis injuria, quam passus est jurans. Layman *d. tr. 3. c. 11. num. 5.* II. Competit hæc potestas Episcopis respectu suorum subditorum, qui non solùm possunt declarare, quando dubium est, an aliquid sub juramento promissum, sit debita materia, sed etiam dispensare in omnibus juramentis, quæ si essent vota, possent relaxare: quia vinculum juramenti minus est, quàm vinculum voti, consequenter quicunque potest à voto absolvere, valet & juramentum relaxare, Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 2. n. 18.* III. Competit enim Prælatis Regularibus exemptis jurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus, qui cum suis subditis in juramentis dispensare queunt instat Episcoporum: quia hujusmodi Prælati quoad ea, quæ sunt jurisdictionis, regulariter omnia possunt, quæ Episcopi in suis diœcesibus. Gloss. in *Clem. 1. V. proprii de Reb. Eccles. non alien.* Barb *J. E. U. lib. 1. c. 17. n. 94.*

Pars II.

De Jurejurando voluntario.

SUMMARIA.

42. Jurisjurandi voluntarii etymologia. 43. Definitio. 44. Et origo.

45. 46. A quibus 47. 48. 49. Quibus 50. 51. 52. in quibus causis. 53. Usque 58. Et quo modo deferatur, ac præstetur juramentum voluntarium?

58. Ejusdem juramenti finis. 59. Cum seqq. & ejusdem effectus.

§. I.

Jusjurandum voluntarium, inde appellatum est, quòd ex libera partium voluntate deferatur, & ex libera etiam voluntate partium suscipiatur. Alii id juramentum *extrajudiciale*, vel conventionale vocitant. 42

§. II.

Definitur jusjurandum, seu juramentum voluntarium, quòd sit illud, quòd ex conventione pars parti extra judicium defert, sub ea conditione, quòd velit, ab ulteriori processu abstinere, & juramento stare, si præstiterit. Colligitur ex *l. 17. & l. 28. §. fin. ff. h. t.* 43

§. III.

Causa efficiens jurisjurandi voluntarii est vel remota, vel proxima. 44

Remota est jus Prætorium: nam ad hanc quoque speciem edictum Prætoris pertinere, verius est arg. §. 11. *junctô* §. 8. *Instit. de Actionib.* Echolt. *ad ff. h. t. §. 14.*

Proxima est is, qui hoc juramentum defert, & is, cui defertur, quive relatum præstat. 45

Deferre potest omnis, qui potest paciscì, & liberè de re controversa disponere: quia hoc juramentum ex conventione defertur. *l. 17. pr. & l. 26. §. fin. ff.*

h. t. & id in eo agitur, ut à lite discedatur, & jus nostrum remittatur. *l. 2. ff. Eod.* Hinc in specie deferre potest

I. Dominus habens rerum suarum administrationem, sive is actor sit, sive reus: nam & reus rectè defert jusjurandum actori. *l. 1. l. 28. §. fin. l. 29. l. 30. pr. & §. 1. ff. Eod.*

II. Deferre potest Prælatus in rebus Ecclesiæ, Tutor in rebus pupilli, Curator in rebus sui Clientis: ut quibus rerum alienarum libera administratio à jure concessa est per *l. 17. §. 2. ff. h. t.* Non aliàs tamen hi deferre debent, quàm deficiente aliâ probatione, ne alioquin videantur perdere rem alienam. *l. tutor 35. ff. Eod.* Quæ *lex* licèt loquatur tantùm de Tutore, in aliarum tamen rerum administrationibus locum habet arg. *l. Præses C. de Transact.*

III. Deferre potest servus, & filius familias in re peculiari, si habeant liberam ejus administrationem. *l. 20. & 2. seqq. ff. h. t.*

IV. Hoc juramentum deferre potest procurator, si habeat mandatum generale cum libera: vel si nominatim ei mandatum est: vel si est procurator in rem suam. Secus non potest. *d. l. 17. §. fin. l. 18. & seqq. l. 34. §. 1. ff. Eod.*

46 Econtra juramentum hoc deferre non potest I. pupillus sine Tutoris authoritate. Quòdsi sine tutore auctore defacto alicui jusjurandum detulerit, & is, cui delatum est, juraverit, exceptio quidem obstabit pupillo, sed replicabitur, quòd pupillo rerum administrandarum jus non competat. Text. *in d. l. 17. §. 1. ff. h. t.*

II. Juramentum voluntarium deferre non potest minor sine consensu Curatoris, si quem habet. Quòdsi curatorem non habeat, deferre potest, cùm etiam alias conventiones celebrare queat per *l. 2. C. De integr. restit. min.* sed si docuerit, se circumscriptum esse, petere potest restitutionem in integrum. *l. nam posteaquam 9. §. 4. ff. h. t.*

III. Prodigus, & similes, quibus rerum suarum administratio denegata est, veluti furiosus, mente captus, aut fatuus, jusjurandum deferentes non audiuntur: nam sive pro pacto convento, sive pro solutione, sive pro judicio hoc jusjurandum cedat, non ab aliis delatum probari debet, quàm qui ad hæc habiles sunt. Text. in *l. 35. §. 1. ff. h. t.*

IV. Filius quoque vel servus non possunt deferre jusjurandum in re Patris, vel Domini *l. 7. ff. Eod.* item in repuculiari, si non habeant liberam administrationem juxta *d. l. 20. 21. & 22. ff. Eod.*

Deferri juramentum voluntarium potest 47 omnibus, qui ex conventione sibi, vel alii actionem, vel exceptionem quærere possunt sine discrimine sexûs, ætatis conditionis *l. 26. pr. ff. h. t.* Haunold *tom. 5. de J. & J. tr. 4. c. 6. num. 936.*

Potest igitur deferri etiam pupillo. *d. l. 26.* Nec quempiam turbet *l. 34. ff. Eod.* ibi: *Pupillo non defertur jusjurandum*: quoniam hæc *lex* intelligenda est de juramento judiciali, quòd id pupillo deferri nequeat: quia non habet legitimam personam standi in judicio; quæ responsio colligitur ex contextu Legis præsertim ex §. 4. ubi dicitur: *qui jusjurandum defert, prior de calumnia debet jurare, si hoc exigatur.* quod ad voluntarium juramentum aptari nequit. Potest à fortiori deferri minori 25. annis. Item servo *l. 25. ff. h. t.* item filiofamilias *l. 24. ff. Eod.* Et si Pater, filium dare non oportere, juraverit, juramentum hoc prodest Patri & filio *l. 26. §. 1. ff. Eod.*

Eod. Et si Procurator, & Defensor juramentum hoc sibi delatum præstiterit, præstatio prodest Principali. *l.* 9. *§.* 6. *ff. Eod.* De Tutoribus, vel Curatoribus non est dubium, quin jurando in causis pupillorum, vel minorum ipsis juramentô suô prosint.

48 De Extraneo disputatur, si ei hoc juramentum deferretur in causa tangente tertium, & ille juraret, an per hoc tertio acquireret actionem? Negat Anton. Faber 1. *conject.* 4. eò quòd regula generalis sit, per extraneum nobis non acquiri actionem, sed affirmativa juri quoque valde consentanea est propter text. in *l. fin. §.* 2. *ff. h. t.* ubi dicitur, si actore deferente Defensor absentis, vel præsentis juraverit, eum, quem defendit, dare non oportere, exceptionem jurisjurandi acquiri ei, cujus nomine juratum est. Quapropter cùm ex juramento Defensoris, qui est judicialis negotiorum gestor, exceptio quæratur tertio, nempe defenso; non video, cur aliud statuendum in extrajudiciali negotiorum gestore, qualis esset ille extraneus juramentum hoc præstans in causa tertii. Ad fundamentum Fabri responderi potest, actionem in proposito non acquiri tertio directè seu immediatè, sed indirectè, ac per consequentiam, quatenus nempe deferens juramentum cedit jure suo, & vult non habere jus, si extraneus juret, illum non habere jus; extincto itaque principali non videtur neganda exceptio illi, in cujus favorem extraneus juravit. Haunold. *d. c.* 6. *n.* 939.

49 Planè cui juramentum hoc delatum est, non tenetur illud invitus præstare, aut deferenti referre, si malit per viam juris procedere, & in judicio litigare. P. Engel *h. t. n.* 21. Gloss. & DD. *l. jusjurandum* 17. *ff. Eod.* hoc namque juramentum, quod à parte delatum est, & pars altera acceptat, est quædam pacti, & transactionis species. *l.* 2. *l.* 31. *in fin. ff. Eod.* transactio autem sicut & quælibet pactio voluntariam causam habet. Imò si is, cui juramentum hoc primitus delatum est, illud delatori referat, etiam hic præstationem ejus liberè recusare poterit: cùm ex utraque parte planè liberum, & voluntarium sit. Et ita accipienda est *d. l.* 17. *pr. ff. h. t.* ibi: *jusjurandum, quod ex conventione extra judicium defertur, deferri non potest*: scilicet cum hoc effectu, ut deferens illud subire, vel causâ cadere debeat; alioquin potest referri, & perinde erit, ac si referens ab initio detulisset. Semel verò susceptum à suscipiente recusari nequit, sed omninò præstari debet, nisi suscipiens pro confesso haberi velit: siquidem licèt susceptio hujus juramenti initiô sit liberæ voluntatis, suscepti tamen præstatio evadit necessitatis, arg. *l.* 5. *C. de Oblig. & Act.*

§. IV.

Materia seu *objectum* jurisjurandi voluntarii est res controversa: & quidem regulariter nullum est privatæ controversiæ genus, super quo deferri, aut præstari non possit: *quacunque enim actione quis conveniatur, si juraverit, proficiet ei jusjurandum: sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive pœnali actione, vel quavis aliâ agatur, sive de interdicto. Sed & si de conditione personæ fuerit juratum, Prætor jusjurandum inebitur; ut puta, detuli jusjurandum, & juràsti, in potestate mea te non esse, tuendum erit jusjurandum.* Text. in *l.* 3. *§.* 1. *& 2. ff. h. t.* 50

Dubitatur I. An juramentum voluntarium etiam in causa matrimonii deferri possit? Et hîc communis sententia est, pro 51

matrimonio posse deferri, non etiam contra matrimonium. Bartol in *d. l. 3. ff. h. t.* Gutierrez *de Matrim. c.* 38. Gail. *2. observ.* 94. Ratio primæ partis stat in favore matrimonii. Ratio secundæ partis est: quia non est in potestate partium per juramentum dissolvere, aut impedire matrimonium, est enim vinculum indissolubile; & hinc est, quòd nec transactio contra matrimonium facta valeat, sicut nec compromissum. *c. fin. & ibi* Gloss. *in V. Sacramentum de Transact.* Eadem distinctio observanda est in matrimonio spirituali, nempe Professione Religionis, ut delatio hujus juramenti pro, non contra eam locum habeat, ut notat Gloss. & Bartol. *in d. l. 3. §. quacunque:* nam validum est argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, & à pari procedunt per text. in *c. sicut vir causâ 7. q. 1. c. 2. de Translat. Episc.*

52 *Dubitatur* II. Num in criminalibus etiam causis jusjurandum deferri possit? Affirmo, accusatorem hoc juramentum posse deferre reo, & à reo præstitum eidem prodesse: sed tantùm quoad personam accusatoris, ut hic reum accusare denuo nequeat, non etiam quoad alios, neque quoad Judicem volentem inquirere de crimine. Dissentit Zoësius *ad ff. h. t. n.* 20. Nego vicissim, reum posse deferre accusatori: tum quòd reus non sit dominus membrorum suorum. *l. liber homo* 13. *in pr. ff. Ad leg. Aquil.* ut proinde de illis arbitriò suò disponere, vel delatione juramenti probabili periculo mortis, vel mutilationis exponere non possit: tum quia licèt actor juret, & juramentum habeat vim probationis. *l. non erit §. dato ff. h. t.* tamen non est probatio luce meridiana clarior, qualis in causis criminalibus desideratur. *l. fin. C. de Probat.* Sester *de Juram. lib. 4. c. 4. n. 5. & h. t.*

§. V.

Forma jurisjurandi voluntarii consistit 53 in legitima ejusdem delatione, & præstatione, quæ his requisitis absolvitur.

Primum est, ut præstetur alio deferente: juramentum enim ultroneum, quod nullo deferente quis præstat, nullum effectum operatur, *l. 3. pr. ff. h. t.* ubi ratio additur: quia talis sibi juravit: & alioquin facilè quisque ad jusjurandum decurrens nemine sibi hoc deferente oneribus actionum se liberare posset.

Secundum requisitum est, ut delatio 54 fiat extra judicium: hâc quippe notâ juramentum voluntarium potissimùm fere differt à juramento judiciali, de quo postea.

Tertium, ut is, cui jusjurandum delatum est, illud statim præstet, vel saltem 55 intra tempus, ad quod delator restrinxit: alioquin is, qui detulit semel, expostulato admittere non tenetur, cùm interim mores ejus mutari possint. *l. 5. §. 4. ff. h. t.* Rosbach. *in Praxi civil. tit. 66. num. 16.* Schambogen *ad §. 11. Inst. de Action.*

Quartum est, ut juramentum præsta- 56 tur, prout delatum est. Aliter præstitum ratum non habetur *l. 3. in pr. & §. ult. l. qui per salutem 33. ff. h. t.* Unde purè delatum, purè est præstandum, nec addendum: *quantùm credo:* vel *quantùm memoria fert:* nam cùm ille sit effectus juramenti, ut ei stetur per deferentem, qui cessat à lite, formula ab eo præscripta servanda est, nec addenda clausula, quæ rem faciat dubiam, aut ponat ignorantiam vel hæsitationem jurantis. Zoës. *ad ff. h. t. num.* 56.

Quintum denique requisitum est, ut 57 juramentum delatum à deferente non sit re-

revocatum: nam præstitum, postquam revocatum est, nihil prodest, cùm perinde sit, ac si delatum non esset *l.* 11. *C. de Reb. cred.*

Illud verò *quæstionis* est, an & quousque juramentum voluntarium revocari possit? Enimvero cùm quod semel placuit, ampliùs displicere non possit, videtur juramentum semel delatum revocari non posse, maximè si jam sit acceptatum: quia tunc habet speciem conventionis. *d. l.* 17. *pr. ff. h. t.* à qua alterâ parte invitâ recedere non licet per *l.* 5. *C. de O. & A.* Struv. *Exercit.* 17. *th.* 39. Bachov. ad Treutl. *vol.* 1. *disp.* 21. *th.* 8. *lit. C.* Nihilominus valde probabile existimo, juramentum voluntarium posse revocari, usquedum sit præstitum, etiam postquam ab adversario est susceptum, per text. & Gloss. in *d. l.* 11. *C. de Reb. credit.* Et quamvis *d. lex* loquatur de delatione facta in judicio, seu Judiciali juramento, à fortiori tamen de voluntario & extrajudiciali idem dicendum est. Haunold. *de J. & Jure tom.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *num.* 960. Neque officit citata *Regula*; quam distinguo: quod semel placuit, ampliùs displicere non potest; lege non permittente, concedo, lege annuente, ut in præsenti, nego. Ita enim mandatum contractum, si dum adhuc integra res est, revocatum fuerit, evanescit *§.* 9. *Inst. de Mandato.* In societate nemo invitus permanere cogitur. *§.* 4. *Institut. de Societ.* & universim in contractibus innominatis sine consensu alterius licet recedere, dummodo res sit integra, & ex parte alterutrius contractus non sit impletus. *l.* 5. *ff. de Condict. causâ datâ, causâ non sec.* Quidni ergo idem dici potest de revocatione juramenti? Neque hoc sapit iniquitatem: cùm sic magis præcludatur via peccandi, eò ipsò quòd quis propter instrumenta fortè noviter reperta revocando juramentum alteri facultatem adimat ex libidine sua pejerandi.

§. VI.

Finis Jurisjurandi, seu juramenti voluntarii est litem finire & controversias dirimere, ac expedire: unde maximum expediendarum litium remedium meritò dixeris. *l.* 1. *ff. h. t.* 58

§. VII.

Effectus potissimus, &, ut aliqui volunt, proprius jurisjurandi voluntarii est actio *in factum*, & exceptio juratoria.

Actio in factum ex jurejurando datur actori, qui deferente adversario juravit rem suam esse, vel sibi debitam, aut cui ad jurandum parato juramentum ab adversario remissum est, ejúsque hæredibus adversus deferentem, ejúsque hæredes, ut præstetur id, quod juratum est. *l.* 5. *§. fin. l.* 6. *l.* 9. *§.* 1. *& fin. l.* 11. *§.* 2. *l.* 13. *§.* 3. 4. *& 5. ff. h. t.* Adversus tertium verò, qui neque detulit, neque in delatoris locum successit, si actione hac uti velit actor, nihil ei proderit: quia non debet nocere alii, quod inter alios actum est. *l.* 3. *§.* 3. *l.* 9. *§. fin. l.* 10. *ff. Eod.* 59

Exceptio juratoria competit reo, qui deferente actore juravit, se nihil debere, aut rem petitam suam esse, vel cui parato juramentum remissum est, ejúsque successoribus, tum universalibus, tum singularibus, sicut & fidejussoribus contra illum, qui Juramentum hoc detulit, ejúsve successores ad elidendam priorem actionem contra se intentandam: cùm enim per juramentum prior obligatio non tollatur ipso jure, actor adhuc eâ agere poterit, saltem si ambigitur, num juratum sit? Sed quia iniquum est, reum, qui juravit, condemnari, ideò defenditur per 60

exceptionem jurisjurandi. §. 4. *Instit. de Except. l. 9. pr. ff. h. t.*

61 Et huic tam actioni, quàm exceptioni locus est, sive verè, sive falsè juratum sit: nam ex communi sententia juramentum voluntarium etiam detecto postea perjurio retractari, & rescindi nequit. *l. 1. C. de Reb. cred.* ibi: *causa jurejurandò ex consensu utriusque partis decisa nec perjurii prætextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur.* Sine dubio ideò: quia conventione isthac hoc agi intelligitur, ut si alter audeat jurare, deferens velit acquiescere juramento, ergo si non excipit casum detectionis perjurii, tota conditio sufficienter impletur per juramentum præstitum, & ille, qui jurat, non alio sensu, vel lege suscipit delationem juramenti, quàm quòd imposterum velit esse securus à molestia litis. Casus tamen præter specialem conventionem, de qua *in d. l.* 1. exceptus etiam est *in l. fin. C. Eod.* ubi jurans, sibi legatum quid esse, si postea ex tabulis appareat, nihil legatum esse, non debetur, imò solutum repetitur, ne pereat suprema voluntas testatoris. Haunold. *de J. & J. tr. 4. c. 6. num. 967. & seqq.*

Pars III.

De Jurejurando judiciali.

SUMMARIA.

62. Jusjurandum judiciale unde nominetur? 63. Quid sit? 64. Unde ejus origo?
65. Quis. 66. & an etiam actor sine probationibus deferre possit?
67. 68. Cui deferri possit, & quando delatum præstandum sit?
69. In quibus casibus. 70. quo modo. 71. & cur deferatur?
72. Effectus juramenti judicialis.

§. I.

62 *Jusjurandum judiciale* ita nominatur tum à loco, in quo defertur; tum à Judice, qui delatum approbat, & eum, cui delatum est, vel solvere, vel jurare cogit per *l. 34. §. 6. ff. h. t.*

§. II.

Definitur jusjurandum, seu juramentum judiciale, quòd sit illud, quod authoritate Judicis in judicio à parte parti defertur sub ea lege, ut si jurare ausit, absque ulteriori processu victoriam obtineat. 63

§. III.

Causa efficiens jurisjurandi judicialis est vel remota, vel proxima. 64

Remota est Jus Prætorium: de hoc siquidem jurejurando vel maximè conceptum videtur edictum Prætoris de jurando: ita namque verba edicti habent: *Si is, cum quo agetur, conditione delatâ juraverit l. 3. in pr. ff. h. t.*

Proxima est is, qui hoc jusjurandum defert, & is, cui defertur, quive delatum præstat. 65

Deferre jusjurandum judiciale potest fere omnis, qui potest deferre juramentum voluntarium, de quo *supra n. 45.* Nec actor duntaxat reo, sed etiam versâ vice reus actori rectè defert *l. 12. pr. ff. omne igitur C. de Reb. cred.*

Juvat hoc loco illam *controversiam* attingere: an actor, si nihil omnino probaverit, reo juramentum judiciale cum effectu deferre possit, ita ut reus delatum præstare, vel referre, aut solvere cogatur? 66

Negativæ assistunt Panorm. in *c. fin. §. sanè h. t.* Mascard. *de Probat. vol. 2. conclus. 957. numer. 7.* Menoch. *lib. 1. de Præsumpt. q. 81. num. 2.* Gloss. Bartol. Bald. & Salicet. in *l. 3. C. de Reb. cred.* moti *primò:* quia actore non probante reus est absolvendus, etsi nihil præstiterit, id est, nihil probaverit, non juraverit *d. c. fin. §. sanè h. t. l. qui accusare C. de Edendo. Secundò* actore plenè probante intentio-

tionem suam reus ita condemnatur, ut illum ad jurandum provocare non possit *c. 2. de Probat.* ergo & reus actore nihil probante absolvendus est, nec ad juramentum præstandum cogi debet: cùm actor & reus non debeant ad imparia judicari *l. fin. C. de Fructib. & lit. expens. Tertiò*: quia non sunt petendæ probationes ex domo rei *l. 4. C. de Edendo. l. 7. C. de Testib.* & actor, qui ad judicium accedit, debet propriis probationibus reum convincere. *l. 29. ff. de O. & A.* ergo, si in ipsis defecerit, non debet petere ex juramento rei.

Affirmativam propugnant Jason in *l. manifesta n. 3. ff. h. t.* Zoës. *ad ff. Eod. num.* 35. P. Engl *num.* 16. Fachin. 1. *Controv. c.* 19. cum pluribus relatis, & probant *primò* per *d. l. manifesta ff. h. t.* ubi sine distinctione, utrùm actor aliquid probaverit, necne, generaliter dicitur, manifestæ turpitudinis, & confessionis esse, nolle nec jurare nec juramentum referre, *Secundò* per *l. tutor 35. ff. Eod.* quæ ait, tutorem omnibus aliis probationibus deficientibus posse jusjurandum deferre. *Tertiò* per *l. generaliter C. de Reb. credit.* ubi habetur, juramentum reo non tantùm circa finem causæ, sed etiam in principio litis, adeóque antequam aliquid probatum sit, deferri posse. Accedit, quòd nulla appareat ratio, cur actor aliquid probare debeat, priusquam per delationem juramenti veritatem detegere, & confessionem Adversarii elicere liceat: cùm etiam ad eliciendam confessionem, libellum, & articulos positionales porrigere possit, atque reus respondere cogatur ante omnem probationem. Neque potest, cui illud defertur, prudenter conqueri super eo, quòd nil adhuc à delatore probatum sit: cùm ipse hoc casu constituatur judex & testis in propria causa.

Ego pro componendis his opinionibus cum Setsero *de Juramnt. lib. 4. c. 2. num. 49. in fin.* concludo: actorem quidem, si ab initio tentaverit aliquid probare, & non potuerit, juramentum reo deferre non posse, sed tunc reum potiùs esse absolvendum juxta prioris sententiæ fundamenta. At secus esse, si actor ab initio statim nihil probare conatus sit, sed in ingressu litis juramentum reo detulerit: tunc enim locus erit delationi & reus aut jurare cogitur, aut juramentum actori referre. Si neutrum faciat, habebitur pro condemnato, & convicto.

Deferri potest juramentum judiciale, 67
ferè omni, qui potest deferre, quique vel est dominus rei controversæ, vel locò domini. Is autem, cui hoc juramentum defertur, debet vel jurare, vel si hoc nolit, debet referre. *d. l. 38. ff. h. t.* Si referat, is cui relatum est, omninò tenetur suscipere, nisi respiciat proprium ejus factum, cui delatum est. *l. 34 §. 7. & 8. ff. Eod.* arg. *c. fin. h. t.* Si nec juret, nec referat, sed simpliciter recuset, & quidem *sine justa causa*, tunc si reus est, condemnatur ad satisfaciendum petitioni actoris; sin actor est, repellitur à limine judicii, ut summatim trâdit Ulpianus in *d. l. 34. §. fin. cùm res in jusjurandum demissa sit, Judex jurantem absolvit: referentem audiet: &, si actor juret, condemnet reum: nolentem jurare eum, si solvat, absolvit: non solventem condemnat: ex relatione, non jurante actore, absolvit reum.*

Dixi: *sine justa causa*: nam ex justa 68
causa, licet recusare; qualis est I. si deferens juramentum hoc nolit jurare de calumnia ad petitionem partis. *l. 34. §. 4. ff. h. t.* II. Si quis semel delatum & revocatum iterum deferat. *l. 11. §. si quis C. de Reb.*

Reb. cred. III. Si referens non habet potestatem deferendi. *l.* 35. §. 1. *ff. h. t.* IV. Si is, cui defertur, jam ante intentionem suam plenè probaverit, vel alio modo legitimo intentionem suam probare velit. *per c.* 2. *de Probat.* V. Si deferatur super facto alieno ignoto ei, cui defertur; ut si deferatur hæredi. *l.* 11. §. 2. *ff. de Act. rer. amot.* Tutori vel curatori arg. *l.* 4. *pr. ff. De in lit. jurando* Procuratori. *d. l.* 34. §. 3. *ff. h. t.* sicut & defensori. *d. l.* 34. §. 3.

§. IV.

69 *Materia*, seu *objectum* jurisjurandi judicialis coincidit cum materia, seu objecto jurisjurandi voluntarii, ita ut in omnibus controversiis, in quibus potest deferri juramentum voluntarium, etiam judiciale deferri possit. *l.* 3. §. 1. *& seqq. ff. h. t.* Ummius *ad Proces. judic. disp.* 14. *n.* 36.

§. V.

70 *Forma* quoque jurisjurandi voluntarii, & judicialis ferme eadem est, & quæ in illo, etiam in isto requiruntur. Nisi quòd juramentum judiciale in præsentia Judicis, eóque approbante deferri *l.* 12. §. 1. *C. C. de Reb. cred.* & tum demum ab eo cui delatum est, præstari debeat, si deferens prior de calumnia juret, si ita exigatur *l.* 34. §. 4. *ff. h. t.*

§. VI.

71 *Finis* jurisjurandi judicialis est, ne inopiâ probationum alicui jus suum pereat, sed juramentô in locum probationis suffectô lites expediantur. *l.* 1. *ff. Eod.*

§. VII.

72 *Effectus* juramenti judicialis est I. quòd ejus præstatio cedat pro probatione. *l.* 5. §. 2. *l.* 11. §. 3. *ff. h. t.* quam sequitur sententia Judicis absolutoria, vel condemnatoria. *l.* 34. §. *ult ff. Eod.* tantæ firmitatis, ut neque ab ea appellari *d. l.* 12. §. 2. *C. de Reb. cred.* neque sub prætextu perjurii, vel ob instrumenta noviter reperta retractari possit. *l.* 1. *C. Eod.* II. Quòd inde detur actio, & exceptio, ut omnes agnoscunt; qualis autem ea exceptio & actio sit, inter partes dissidentes hæret? Bachov. ad Treutl. *vol.* 1. *disp.* 21. *th.* 9. *lit. E.* cum aliis contendit, esse exceptionem, & actionem judicati. Econtra Schambogen *ad Institut. de Actionib.* indubium putat, esse actionem & exceptionem juratoriam in factum. Ego litem meam non facio. Tu, benevole Lector ipse ex his opinionibus.

Elige, cui dicas, tu mihi sola placet.

Pars IV.

De Jurejurando necessariô.

SUMMARIA.

73. Jurisjurandi necessarii definitio nominis. 74. Definitio rei. 75. Divisio. 76. approbatio.
77. Deferre potest omnis Judex. 78. Imò debet ex officio.
79. 80. 81. Quibus 82. 83. 84. Et in quibus tantùm deferendum sit?
85. 86. 87. Jurisjurandi necessarii requisita. 88. Finis. 89. & seq. & Effectus.

§. I.

Jusjurandum necessarium inde sic dictum est, quòd necessitate quâdam ob defectum aliquem probationis introductum, & à Judice necessariò deferendum, & à parte, cui defertur, necessariò præstandum sit. Rosbach *in Praxi Civil. tit.* 67. 73

§. II.

Definitur jusjurandum, seu juramentum necessarium, quòd sit illud, quod Judex causâ cognitâ ob inopiam probationis plenæ uni ex litigantibus defert. Colligitur ex *l.* 31. *ff. h. t. l.* 3. *l.* 12. *C. de Reb. Cred.* 74

§. III.

Dividitur jusjurandum necessarium in suppletorium, & purgatorium. Supple-

pletorium est, quod Judex defert parti, quæ semiplenè probavit, ut ejus adminiculo probatio impleatur *d. l. 3.* Purgatorium est, quod Judex imponit ei, qui suspicionibus oneratus est, ad inde se purgandum, & ostendendam innocentiam suam. *c. ult. h. t.*

§. IV.

76 *Causa efficiens* jurisjurandi necessarii alia est remota, alia proxima.

Remota est Jus, quod *in l. 1. & l. 31. ff. h. t. in l. 3. & 12. in pr. & §. 1. C. de Rebus cred.* hoc jusjurandum peculiariter recipit, approbat, & informat.

77 *Proxima* est is, qui defert, & is, cui defertur, quive delatum præstat.

Deferre potest Judex tum ordinarius, tum delegatus: qnia jura citata loquuntur generaliter. Idémque videtur dicendum de Arbitro: cùm Arbitria ad instar judiciorum redacta sint *l. 1. ff. de Recept. qui arbitr.* Haunold. *tom. 5. de J. & J. tr. 4. c. 6. n. 995.*

78 *Scrupulo* non caret: num Judex juramentum hoc deferre queat, etsi à neutra partium petatur? Negant Bartol. in *d. l. admonendi num. 60. ff. h. t.* Jason *ibid. n. 316.* & alii, quos refert Mascard. *de Probat. lib. 2. Conclus. 956. n. 46.* ex ea potissimùm ratione: quia jura vigilantibus scripta sunt, & Judex non debeat imperiri officium suum, nisi petenti *l. 4. §. hoc autem judicium ff. de Damno infecto.* Affirmant Panormit. *in c. fin. hoc tit. n. 15.* Gail. *lib. 1. observat. 108. num. 3.* Alex. *consil. 53. tr. 6. vol. 1.* quibus accedo inprimis propter Text. *in d. l. admonendi 31. ff. h. t.* ibi: *solent enim sæpe Judices in dubiis causis exactô jurejurandô secundùm eum judicare, qui juraverit.* Deinde propter Tex. *in d. l. 3. C. de Reb. cred.* ubi Judici imponitur quædam necessitas recurrendi ad juramentum, quando alioquin non potest facilè causam decidere: ergo non debet exspectare petitionem partis, sed ex officio deferet, & ad jurandum coget. Tertiò propter Text. *in d. c. ult. h. t.* ubi verba expresè diriguntur ad Judicem, ejúsque prudentiæ committitur, an actori, vel reo velit deferre juramentum, atqui quando verba legis ad Judicem diriguntur, censenda sunt, requirere illius officium. Et ratio est: quia Judices per se partes interrogare, & cuncta rimari debent, quæ ad veritatem indagandam necessaria videntur. *l. Judices 9. C. de Judiciis.* Quare nihil obstat regula *l. 4. §. hoc autem judicium ff. de Damno infect.* cùm ad eruendam veritatem satis constet, Judicem multa ex officio decernere posse.

Deferri potest juramentum necessa- 79
rium tam reo, quàm Actori; modò fide digni sint: non viles, non infames, non perjuri, ob periculum perjurii. Haunold *d. c. 6. n. 997.* Quòd reo deferri possit hoc juramentum ad sui purgationem, apertè colligitur ex *d. c. fin. h. t. d. l. admonendi ff. Eod. & t. t. de Purgat. can. & vulg.* Quòd verò etiam actori deferri possit, deducitur ex *l. 3. C. de Reb. cred.* ubi in supplementum probationis hoc juramentum conceditur; item ex *c. 2 de Probat.* ubi prohibetur, actori deferri juramentum, quando plenè probavit: cùm tunc demum, inquit Pontifex, ad hujusmodi sit suffragium recurrendum, dum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur.

Difficultas est: in quibus casibus, vel 80
circumstantiis, actori potiùs ad complendam probationem, quàm reo ad ostendendam innocentiam juramentum à judice deferri debeat? Non potest hac in re generalis regula tradi, sed multùm Ju-

dicis arbitrio relinquendum est per *c. fin. §. sanè h. t.* Attamen *primò*, si actor suâ probatione minùs, quàm semiplenè probaverit, & aliquam tantùm præsumptionem induxerit contrà reum, tunc reo juramentum purgationis deferre oportet. *d. c. fin.* *Secundò* in causis criminalibus ad juramentum suppletorium admitti non potest actor, ut dicemus. *Tertiò* in causis pecuniariis Actori non debet deferri juramentum suppletorium, nisi possit deponere de sensu corporeo, & jurare de actu à se ipso, vel secum gesto: quia juramentum hoc non est credulitatis, sed veritatis, & certæ scientiæ, unde si dicam, me meo creditori solvisse debitum, & hoc probem per meum famulum, per quem pecunias misi, non concedetur juramentum suppletorium: cùm non possim pro certo scire, utrùm solutio facta sit, etsi sciam, me famulo dedisse pecunias. *Quartò* etiam ad personam jurantis, & qualitatem ac quantitatem rei petitæ attendi debet. Pirrhing *h. t. n.* 91. De reliquo, quando actor semiplenè intentionem suam probavit, v. g. per unum testem omni exceptione majorem, siquidem reus nihil opponat, quò probatio actoris obscuretur, vel in tantùm debilitetur, ut minùs, quàm semiplena probatio censenda sit, communis sententia & forensis usus docent, teste Fachin. *Controvers. lib.* 1. *c.* 18. hoc casu non reum, sed actorem ad juramentum admittendum, & juxta *d. l.* 3. *Cod. de Rebus cred.* propter inopiam probationum jurejurando rem decidendam: quamvis enim actore nihil probante reus sit absolvendus, & absolutè loquendo magis sit favendum reo, quàm actori, secus tamen est, quando actor semiplenè probavit; quo casu maxima præsumptio est pro actore, neque reus absolvi debet: quia est penè convictus; cùm verò nec condemnari possit, quia non est plenè convictus, actori conceditur, ut defectum probationis per juramentum suppleat, & ita ex duabus semiplenis probationibus, scilicet per unum testem & juramentum suam plenam probationem conficiat.

Porrò is cui delatum est juramentum necessarium sive suppletorium, sive purgatorium, tenetur illud suscipere, & præstare, nec licet referre adversario, autrecusare, nisi ex justa causa. *c. ult. h. t. l. generaliter §. 1. & 2. C. de Reb. cred.* Quòd si sine justa causa recuset, causâ cadit, & contra illum pronuntiat Judex. Haunold. *d. tr.* 4. *c.* 6. *n.* 1018. *&* 1064. §. 81

§. V.

Materia, seu objectum jurisjurandi necessarii est causa, in qua defertur. Non potest autem deferri, nisi in causa modica & civili. §. 82

Excipiuntur itaque I. causæ civiles arduæ & magnæ. Gail. 1. *observ.* 18 *n.* 11. Mynsing. *cent.* 1. *observ.* 18. *n.* 4. quia hoc casu propter suspicionem perjurii juramentum non faceret semiplenam probationem, sed tantùm indicium, & præsumptionem, ut bene notat Alex. *consil.* 74. *n.* 5. Quæ autem causæ magnæ sint, & arduæ Judicis arbitrio deferri solet. Fallit tamen hæc exceptio, si actor plùs, quàm semiplenè probaverit, & valde parùm de plena probatione desideretur. Gail *ubi supra.*

II. Excipiuntur causæ matrimoniales, in quibus juramento suppletorio locus non est. Setser. *lib.* 4. *c.* 14. *n.* 10. nam & matrimonii causa gravis & ardua est. arg. *c. ult. de Procurat. in* 6. & æquiparatur causæ criminali. Zas. *vol.* 2. *consil.* 3. *n.* 27. §. 83

Idque maximè procedit, si agatur de ma-

tri-

trimonio impedlendo, vel dissolvendo non enim valet contra matrimonium jurisjurandi facta delatio. Si de contrahendo, aut sustinendo matrimonio lis sit, à Judice juramentum in supplementum probationis actori petenti, qui semiplenè probavit, deferri potest, si probitatis opinionem apud omnes habeat, sítque integritate conspicuus, & inferiorem se, vel certè parem in matrimonium petat. Panor. in *c. mulieri* 34. *n.* 7. *h. t.*

84 III. Excipiuntur causæ criminales, criminaliter intentatæ, in quibus licèt reo ad sui purgationem juramentum à Judice deferri possit juxta *cit. c. fin. §. sanè Eod.* non potest tamen actori deferri juramentum suppletorium ad complendam probationem: quia in criminalibus requiruntur probationes plenissimæ, & luce clariores. *l. fin. C. de Probat.* Fachin. *l.* 1. *controv. c.* 15. Sichard. *in l.* 3. *C. de Reb. cred. n.* 5. & eo casu, quo crimen non omnino plenè probatur, in supplementum tortura adhibenda est, non juramentum. *l.* 1. *ff. de Quæstionib.* Hinc non adversatur generalitas *d. l.* 3. *C. de Reb. cred.* & *l.* 3. *ff. h. t.* ubi in omnibus causis & quibuscunque actionibus hoc juramentum proficere dicitur: quoniam generi derogatur per speciem, vel certè hæ leges oppositæ intelligendæ sunt de actionibus propriè dictis, quatenus actio pro causa civili accipitur, & distinguitur contra accusationem. Dissentit Accursius, & plures alii apud Menoch. *de Arbitr. Judic. casu* 464. *n.* 7. eo saltem casu, quo actor plùs, quàm semiplenè probavit.

§. VI.

85 *Forma* jurisjurandi necessarii desumitur à requisitis, quæ duorum sunt genera: quædam utrique speciei communia: quædam huic, vel illi propria.

Communia sunt quatuor, *Primum*, ut à judice deferatur. *Secundum*, ut deferatur prævia causæ cognitione. *l.* 3. *C. de Reb. cred.* ibi: *per Judicem jurejurando causâ cognitâ res decidi oportet.* quæ cognitio potissimùm consistit in eo, ut Judex bene consideret circumstantias, v. g. an causa controversa modica sit, vel magna? an civilis vel criminalis? an litigans sit persona legalis, nécne? an, & quantùm à parte probatum sit? *Tertium*, ut deferatur alterâ parte præsente, vel citatâ ad videndum deferri: alioquin non valeret. Mascard. *de Probat. vol.* 2. *conclus.* 956. *num.* 60. Gail. *lib.* 1. *observ.* 980. *num.* 8. ubi tamen hoc in Camera non observari dicit, sed sufficere citationem ad totam causam. *Quartum* est, ut deferatur, antequam in causa concluſum sit. Mynsing. *cent.* 1. *observ.* 68. *in fin.* Judex tamen ex officio tam ante, quàm post conclusionem in causa, etiam parte non petente illud deferre potest. Fachin. 1. *controv.* 17. Brunnemann *in Proceſſ. civil. cap.* 23. *n.* 30. Setser. *lib.* 4. *c.* 15. *n.* 8. utut alii contrarium teneant.

86 *Speciale* requisitum jurisjurandi suppletorii est, ut is, cui defertur, semiplenè probaverit intentionem suam, & insuper, ut illa semiplena probatio per contrariam aliquam præsumptionem non fuerit elisa, aut diminuta. Mynsing. *cent.* 1. *observ.* 68. *n.* 5. Et in hoc sensu juramentum hoc dicitur suppletorium: quia scilicet supplet defectum, vel alteram medietatem plenæ probationis.

87 *Speciale* requisitum jurisjurandi purgatorii est, ut contra eum, cui defertur, minùs, quàm semiplenè probatum sit, vel ut tales suspiciones contra ipsum militent, quæ reddant probabiliter suspectum. *l.* 6. §. 4. *V. ſicubi C. de His, qui*

ad Eccles. confug. d. c. ult. h. t. c. 19. ¶. ipse ergo Sacerdos causâ 2. q. 4. Quæ autem tales suspiciones sint, prudens Judex arbitrabitur.

§. VII.

88 *Finis* jurisjurandi necessarii est, vel firmare intentionem jurantis aliàs non satis probatam, vel purgare conscientiam suspecti.

§. VIII.

89 *Effectus* Jurisjurandi necessarii est, alius est, si sit suppletorium, alius, si sit purgatorium.

Effectus Jurisjurandi suppletorii est, quòd probationem imperfectam perficiat, & integret, consequenter faciat, ut sententia debeat ferri pro eo, qui juravit. Ab hac tamen sententia non tantùm intra decendium licet appellare, sed potest ea etiam retractari & causa ex integro agi ob instrumenta noviter reperta. *l. 31. ff. h.t.* Ratio disparitatis, cur hæc retractatio in præsenti specie licita sit, non etiam in duabus prioribus, duplex assignatur: *prima* est: quia juramentum necessarium Judex ex inopia probationum detulit, ergo copia probationum emergens id infirmat. *Altera:* quia in hoc juramento nullus vertitur consensus litigantium: cùm Judex uni litigantium hoc deferat altero invito, quem novis instrumentis comprobantem, alterum falsum jurâsse, audiri æquum est, econtra juramentum voluntarium & judiciale volentibus partibus deferuntur, neque ullo modo ferendum est, ut quis infirmet ea, quæ ipse facienda procuravit. *l. generaliter 12. §. 1. C. de Reb. cred.*

90 *Effectus* Jurisjurandi purgatorii est purgatio suspicionis, & quòd judicetur pro eo, qui juravit. Qui ita purgatus, & absolutus non tenetur ad ulteriorem purgationem, neque facilè ampliùs de eodem delicto accusator contra eum admitti debet, nisi concurrentibus novis indiciis, & nisi accusator se specialiter ad probandum offerat, obligétque, ut habet noster Panorm. in *c. ex tuarum ad fin. de Purgat. canon.* ubi de hoc plura suo tempore.

Pars V.

De *Jurejurando in litem.*

SUMMARIA.

91. Jurisjurandum in litem qui nominis? 92. quid rei? 93. quotuplex. 94. & unde ejus origo? 95. à quo. 96. usque 101. Quibus. 102. usque 107. qualibus cautis. 107. 108. & qualiter deferendum sit hoc juramentum?

109. Juramenti in litem finis. 110. 111. Ejusdem effectus.

§. I.

Jusjurandum in litem inde nomen sortitur: quia principaliter in litem, aut potiùs in ipsam litis, id est rei in judicium deductæ, æstimationem concipitur: unde etiam litis æstimatio, & juramentum litis æstimatorium appellitatur. Jason & alii in *Rubr. ff. De in litem jurando.* 91

§. II.

Definitur Jusjurandum in litem, quòd sit juramentum, quo lis, seu res, de qua in judicio agitur, æstimatur. Colligitur ex *l. 1. & seqq. ff. de in lit. jur.* 92

§. III.

Dividitur communiter in juramentum affectionis & veritatis. Eckold *ad ff. De in lit. jur. §. 2.* Setser. *l. 5. c. 2. per tot.* 93

Juramentum affectionis illud dicitur, quo propter dolum adversarii, qui detrectat, aut facit, quò minùs possit rem restituere, res in judicium deducta ultra ejus pretium pro arbitrio & affectione domini æstimatur. *l. 1. l. 2. §. 1. l. 8. ff.*

De

De in lit. jur. l. 68. ff. de Rei vindic. Pone: ego in judicio probavi equum meum esse, sed tu, ne restituere debeas, illum occidis; hoc casu mihi à Judice juramentum in litem deferri potest, quo æstimem talem equum non tantùm secundùm se, sed etiam affectum meum, dicendo v. g. mallem habere equum ipsum, quàm 100. aureos, etsi secundùm communem æstimationem equus non valeat ultra 100. florenos.

Juramentum veritatis nuncupatur, quo lis, résve litigiosa æstimatur, quanti revera est, vel quanti actoris verè interest secundùm verum rei valorem. *l. 2. §. 1. ff. De in lit. jur. d. l. 68. ff. de Rei vind.* Pone: deposui apud te certam pecuniæ quantitatem, quam condemnatus es restituere, & quia illam non restituis, vel pignora mea distracta sunt, vel in pœnam incidi; isto casu debet mihi Judex deferre juramentum in litem, non quidem de affectione, quia in nummos non cadit affectio, sed de meo interesse, nempe ut jurem, quantum damni acceperim per hoc, quòd pecuniam non restitueris.

§. IV.

94 *Causa efficiens* jurisjurandi in litem est vel remota, vel proxima.

Remota est Jus. Quo jure autem introductum sit hoc juramentum? variæ quæstionis est. Sed crebriùs Juri Civili tribuitur, ut quod de eo peculiaribus titulis agit in *ff. lib. 12. tit. 3.* & in *C. lib. 5. tit. 53.*

95 *Proxima* est is, qui jusjurandum in litem defert, & is, cui defertur, quive delatum præstat.

Deferre hoc jusjurandam potest Judex qualiscunque. At hoc discrimine. Juramentum affectionis Judicem deferre oportet. Si alius detulerit, vel eô non delatô juratum sit, nulla erit religio, nec ullum jusjurandum. *l. 4. §. deferre ff. De in lit. jur.* Ratio est: quia, ùt jam insinuatum, juramentum hoc defertur in pœnam doli, & contumaciæ, solus autem Judex potestatem puniendi habet. Econtra juramentum veritatis deferre potest non tantùm Judex, sed etiam reus: quia hoc juramento non coërcetur dolus, & contumacia rei, sicut juramentô affectionis, consequenter causa restringens potestatem deferendi juramentum ad solum Judicem, hìc non subest. Debet tamen reus illud deferre præsente judice. Haunold. *de J. & J. tom. 5. tr. 4. c. 6. num.* 1123.

Deferri juramentum in litem potest 96
actori, qui dominus litis est, & litem suo nomine contestatus est: ita enim Ulpian. in *l. vulgò 7. ff. De in lit. jur.* tradit: *vulgò*, inquit, *præsumitur, alium in litem non debere jurare, quàm dominum litis; denique Papinianus ait, alium non posse jujare, quàm eum, qui litem suo nomine contestatus est.* Hinc

Sequitur I. Procuratori hoc jusjuran- 97
dum deferri non posse: quia etsi litis contestatione evadat dominus litis, hoc est, instantiæ *l. 22. & seq. C. de Procuratorib.* tamen non suo nomine, sed nomine, Principalis litem contestatur. Quod aliqui malè extendunt ad procuratorem in rem suam: quia hic est æquivalenter dominus & phrasi juridicâ locô domini habetur. *l. 13. §. 1. ff. de Pactis.* Hodie quoque procuratorem habentem speciale mandatum juramentum hoc in mandantis animam præstare posse, scribit Rosbach *in Praxi civil. tit. 68. n. 6.*

Sequitur II. Pupillum in litem jurare 98
non posse *l. 4. in pr. ff. De in lit. jur.* etsi enim pupillus dominus litis sit, sicut &

& aliarum rerum quarumlibet, tamen in judicio sine tutore suo consistere non potest. *l.* 1. *C. Qui legit. pers. standi in judic.* sed tutore auctore agit, & convenitur. *l.* 2. *C. Eod.* sícque non tam ipse litem contestari videtur, quàm tutor. Aliud dicendum de minore. *d. l.* 4. ibi: *adolescens verò si velit, jurare potest.*

99 De Tutoribus & Curatoribus JCtus, in *cit. l.* 4. monet, eos cogendos non esse in litem jurare, ídque Rescriptis Imperatorum contineri. Tutores & Curatores, quia res alienas administrant, justam ignorantiam habere possunt ejus rei, de qua agitur, eámque ob causam grave visum fuit, & periculosum, eos & ignorantes & invitos sub alieni compendii emolumento etiam perjurium anceps subire. Si tamen tantam affectionem pupillo suo vel adolescenti Tutores, vel Curatores præstare voluerint, authoritas juris non refragabitur, quin judicio, quod inter ipsos acceptum est, finis ejusmodi possit adhiberi. non enim ad suam utilitatem jurisjurandi referenda æstimatio est, sed ad eum, cujus nomine tutelæ ratio postulatur. Ex quibus verbis apparet, Tutores & Curatores pro pupillo & cliente suo in litem jurare posse, dummodo non ad suam, sed domini utilitatem jurisjurandi æstimationem referant. Nec absque ratione: quia etsi Tutor, vel Curator non sit dominus litis, habetur tamen locò domini arg. *l. tutor, qui tutelam. ff. de Administrat. tutor. l. qui fundum* §. *si tutor ff. Pro emptore.*

100 *Sequitur* III. Potestatem jurandi in litem etiam ad hæredes transire, ita ut non de defuncti, sed sua jurent affectione: & sufficit eos ab aliis comparare ejus rei notitiam, & de credulitate jurare arg. *d. l.* 7. *ff. De in lit. jur.* Eckolt. *ibid.* §. 4. Quòdsi verò defunctus juramentum sibi delatum jam susceperit, id pro præstito habetur, & mors locò juramenti est, ac vim jurisjurandi obtinet, eò quòd quilibet præsumatur memor salutis suæ, nec velle mori in peccato cum mendacio per *c. sancimus 26. causâ* 1. *q.* 7. *l. fin. C. Ad L. Jul. repetundar.* Cravet *vol.* 1. *consil.* 158. *n.* 7. Zas. *consil.* 5. *n.* 58. *lib.* 1. & ita in Camera conclusum fuisse, refert Gail. *l.* 2. *observ.* 43. *n.* 1.

Planè, cui defertur juramentum in litem, ad id præstandum invitus cogi non debet, sed, si quanti res est, adversarium condemnari malit, morem ei gerere oportet, *l. quòdsi possessor* 71. *ff. de Rei vindic.* Neque adversatur *l. fin. ff. De in lit. jur.* ubi dicitur, actorem ex necessitate juris in litem jurare: siquidem actor jurat ex necessitate juris: quia jus necessariò propter dolum rei rem non restituentis, vel non exhibentis, actoris jusjurandum in litem defert, non autem actor hoc juramentum ex necessitate juris sibi delatum invitus suscipit, sed volens, & si non vult jurare, mos ei gerendus est.

§. V.

Materia, seu *objectum* jurisjurandi in litem sunt causæ & actiones, in quibus defertur. Ubi cum Marciano JCto in *l.* 5. *in pr. ff. De in litem jur.* hanc regulam statuo: *in actionibus in rem, & in ad exhibendum, & in bona fidei judiciis in litem juratur.*

Dicitur I. *in actionibus in rem*: Enim verò juramento in litem locus est in rei vindicatione: *l.* 46. *l.* 68. *ff. de Rei vindic.* in petitione hæreditatis: *l.* 25. §. *hæc verba* 10. *ff. de Hæredit. petit.* in actione Publiciana, cùm in hac omnia eadem sint, quæ in rei vindicatione: *l.* 7. §. 8. *ff. de Public. in rem. act.* in actione con-

confessoria & negatoria: *l. 7. ff. Si servit. vind.* in actione hypothecaria: *l. 16. §. 2. ff. de Pignorib.* sicut & in cæteris in rem actionibus. *d. l. 16. §. 3. d. l. 68. in fin. ff. de Rei vindic.*

104 Dicitur II. *& in ad exhibendum:* Adde: & in omnibus aliis actionibus arbitrariis in litem jurari posse. *d. l. 68. ff. de Rei vindic.* ut puta in actione de dolo, & actione quod metûs causâ: *l. arbitrio 18. pr. ff. de Dolo male.* in actione rerum amotarum: *l. 8. §. 1. ff. de Action. rer. amot.* in interdicto, quod vi, aut clam: *l. 15. §. 9. ff. Quod vi, aut clam* in interdicto de tabulis exhibendis: arg. *l. 2. §. 1. ff. de in lit. jur.* junctâ *l. 3. §. 14. ff. de Tabul. exhib.* & cæteris ejus generis judiciis in rem & in personam, ex quibus arbitratu Judicis aliquid restituitur. *d. l. 68. ff. de Rei vindic.*

105 Dicitur III. *& in bona fidei judiciis* intellige directis, *in litem juratur:* veluti in actione commodati: *l. 3. §. in hac 2. ff. Commodati.* in actione depositi: *l. 1. §. 26. ff. Depositi* in actione locati: *l. 48. §. 1. ff. locati.* in actione tutelæ: *l. 8. ff. & passim C. de in lit. jur.* in actione repetitoria dotis: *l. 25. §. 1. ff. Solut. matrim.* in actione negotiorum gestorum: arg. *l. 2. & 3. C. de in lit. jur.* & similibus aliis. In contrariis judiciis depositi, commodati, &c. in litem non jurari, diserte habetur in *l. ei, apud quem 5. ff. Depositi.* ubi ratio redditur: quia in iis non agitur de fide rupta, seu dolo non restituentis rem contra fidem datam, sed solùm de indemnitate ejus, qui quid impendit in rem alterius, vel occasione ejus damnum passus est. Idem juris est in judiciis stricti juris. arg. *l. 5. §. fin. & l. 6. ff. de in lit. jur.*

Cæterùm hæc regula accipienda est 106 de juramento affectionis: nam juramentum veritatis non tantùm in actionibus realibus, arbitrariis, & bonæ fidei directis, sed etiam in actionibus bonæ fidei contrariis, & actionibus stricti juris, sive ex contractu, sive ex delicto venientibus deferri potest per *d. l. 5. §. fin. & l. 6. l. 9. ff. Eod.* Mynsing. *Resp. 21. n. 87.* Haunold. *d. tr. 4. c. 6. n. 1123.*

§. VI.

Forma jurisjurandi in litem stat in litis, 107 seu rei in judicium deductæ æstimatione: quæ alia in juramento affectionis, alia in juramento veritatis.

Per juramentum affectionis lis æstimatur pro arbitrio & affectione actoris ultra verum rei pretium, & interesse *l. 1. l. 2. §. 1. l. 8. ff. De in lit. jur.* Et quidem potest actor in infinitum jurare, quanti scilicet rem æstimet, eò quòd certa quantitas, ad quam usque in singulis causis juretur, jure expressa non sit. *l. 4. §. 2. ff. Eod. l. 68. ff. de Rei vindic.* Interim Judex potest certam summam definire, intra quam juretur, dicendo v. g. jures quanti facias, quòd equo tuo carere debeas, sed non ultra 300. florenos *d. l. 4. §. 2. l. 5. §. 2. ff. Eod. l. 18. pr. ff. de Dolo.* Imò etiam postquam juratum jam est, potest adhuc inordinatum affectum jurantis moderari, & in minorem summam reum condemnare per *d. l. 4. §. 3. & d. l. 5. §. 2. Novel. 8. c. 10.* Rosbach *in Praxi civil. tit. 68. n. 13.*

Per juramentum veritatis lis, seu res 108 æstimatur, quanti est, seu quanti revera actoris interest, rem in judicium deductam factô adversarii non exstare, vel extinctam esse. *l. 2. §. 1. l. 3. l. 8. ff. de in lit. jur.* Et quidem non solùm rei principalis, verum etiam ejus, quod interest, æstimatio in

hoc

hoc venit. *d. l. 3. ff. Eod. l. 2. §. ult. ff. de eo, quod certo loco.* Judex autem primò intereſſe, damnum, vel expenſas æſtimare, ſeu taxare, & deinde actor deſuper jurare debet, ita ut ſemper Judicis taxatio, ſeu æſtimatio præcedat juramentum veritatis, ne ſi juramentum ſequatur, jurans fortè perjurium incurrat. *auth. poſt jusjurandum C. de Judiciis.* Umm. *ad Proceſſ. jud. diſp. 20. a. 35.*

§. VII.

109 *Finis* jurisjurandi in litem alius eſt juramenti affectionis, alius juramenti veritatis.

Finis juramenti affectionis eſt, ut puniatur dolus, & contumacia rei rem non reſtituentis, vel non exhibentis *l. 1. l. 8. ff. de in lit. Jur.* Unde ſi citra dolum, etſi ex culpa adverſarii res reſtitui nequeat, non defertur hoc juramentum, ſed tantùm verum intereſſe æſtimatur. *l. 2. ff. Eod.*

Finis juramenti in litem veritatis eſt, ut hac ratione poſſit conſtare de vero valore rei, adeóque defertur non tam ob dolum, vel culpam, quàm difficultatem probationis, & ideo, ſi aliunde de vero rei valore appareat, juramento huic locus non eſt per *l. 5. §. ult. in fin. ff. de in lit. jur.*

§. VIII.

Effectus Jurisjurandi in litem ſimiliter non unus, ſed diverſus eſt.

110 *Effectus* juramenti affectionis eſt I. quòd poſtquam hoc juramentum præſtitum eſt, reus condemnandus ſit in ſummam juratam, niſi gravis cauſa ſuadeat, vel minoris eum condemnari, vel etiam prorsus abſolvi. *l. 4. §. 3. l. 5. §. 2. ff. Eod.* II. Quòd præſtito hoc juramento dominium rei hoc modo æſtimatæ transferatur in reum, & quidem ſtatim, ſi res eſt propria actoris, & à reo poſſeſſa; ſecus non aliter, quàm ſi reus ex voluntate actoris poſſeſſionem rei nactus fuerit. *l. 46. & 47. ff. de Rei vindic.*

Effectus juramenti in litem veritatis eſt, I. quòd hôc præſtitô reus condemnandus ſit, ad ſolvendum pretium juratum, & quòd de perjurio actoris hic non facilè quæri ſoleat *l. fin. ff. de in lit. jur.* Subinde tamen actor hic perjurus reddi poteſt, ſi nempe reus oſtendat rem revera minùs valuiſſe, quo facto Judex ſummam juratam debet minuere. Haunold *d. c. 6. n. 1128* Eckolt *ad ff. de in lit. jur. §. 7.*

TITULUS XXV.
De Exceptionibus.

SUMMARIA.

1. Exceptionis etymologia. 2. Synonymia. 3. definitio. 4. usque 8. diviſio. 8. 9. Origo.
10. Quitus. 11. contra quos competat exceptio?
12. Exceptio excludit actionem.
13. usque 26. Quando, & quomodo ſingula exceptiones opponendæ?
26. Exceptionis finis. 27. 28. 29. Ejusdem effectus.
30. Exceptioni opponitur replicatio, huic duplicatio &c.

PRobatâ actoris intentione reus condemnatur, niſi aliquâ exceptione ſe tueatur.

§. I.

Exceptio derivatur à verbo *excipere*, id I eſt, à præpoſitione *ex*, & verbo *capere* quaſi aliquid capiens & tollens ex actione propoſita. Trancred. *de Ord. jud. lib. 2. tit. 5.* Germanicè dicitur ein Außzug/ Schutz/ oder Gegenwehr/ und Einrede.

§. II.

§. II.

2 *Synonyma* exceptionis sunt præscriptio, *l.* 11. *& penult. ff. h. t.* & defensio *l.* 4. 9. *&* 11. *C. h. t. c.* 5. 8. *&* 11. *Eod.* Rectè autem notat Donellus *lib.* 22. *c.* 1. omnem quidem exceptionem esse defensionem, sed non æquè omnem defensionem esse exceptionem. Unde si lege, aut statutô prohibeatur alicui excipere contra instrumentum, non impeditur proponere alias defensiones: si verò defensiones illi proponere interdicatur, interdicetur etiam objicere exceptiones: cujus differentiæ ratio in eo consistit: quia cùm defensio genus sit, remoto genere removentur species sub eo contentæ, remotâ vero specie non removetur genus *l. si eborum* 79. *ff. de Legat.* 3. *l. semper* 147. *ff. d. R. J.*

§. III.

3 *Definitur* exceptio, quòd sit actionis exclusio, quâ reus actionem contra se institutam vel retardat, vel penitus elidit. Colligitur ex *l.* 2. *ff. h. t.*

§. IV.

4 *Dividitur* exceptio I. in exceptionem juris, seu propriè dictam, & in exceptionem facti, seu impropriè talem. Illa est, quæ actionem, seu potiùs effectum actionis de rigore juris contra æquitatem naturalem adversario competentis excludit, ut ecce! si is, qui metu te adegit ad rem vendendam, agat ex empto ad traditionem rei, quæ actio emptori de jure, quamvis inefficaciter, competit, tunc excipere poteris, quòd metu adactus vendideris, sicque iniquum sit, ut cogaris ad implendum contractum propter injustum adversarii metum. Exceptio verò impropria est exclusio intentionis, seu actionis facto solùm intentatæ, cùm tamen de jure nulla omninò competeret; veluti si ex empto agat, qui emptionem non celebravit, aut si quis rem repetat, quam alter jam præscripsit; vel si reus conventus super mutuo excipiat, sibi datum non esse, aut proponat solutionem, novationem, aut acceptilationem. Et ita quotiescunque ipso jure actio seu obligatio sublata, vel nulla est, toties tantùm est exceptio facti, & impropria. Illud autem inter has duas species exceptionum interest, quòd propriè dicta regulariter post sententiam non amplius competat, bene verò impropriè dicta: eò quòd obligatio, actio, & consequenter etiam sententia nulla fuerit.

II. Dividitur exceptio in exceptionem realem & personalem. Realis est, quæ rei seu causæ cohæret; unde etiam aliis proficit, puta hæredibus, & fidejussoribus; quò pertinent exceptio rei judicatæ, doli mali, quod metûs causâ, SCti Velleiani, SCti Macedoniani &c. *l.* 7. §. 1. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* §. 4. *Instit. de Replic.* 5 Exceptio personalis est, quæ non causæ, sed personæ intuitu datur, cum qua consequenter etiam extingui solet, ut exceptio competentiæ *d. l.* 7. Unde nec ad hæredes ipsius transit per *l.* 12. *ff. soluto matrim. l.* 21. *ff. de Pactis. l.* 1. §. 1. *ff. de Jure immun.* Nec impedit, quod dicitur, hæredem eodem jure uti, quod defunctus habebat. *l.* 59. *l. qui in jus ff. de R. J.* Nam hæc regula solùm procedit in his, quæ naturâ suâ transmitti possunt: non verò in iis, quæ morte defuncti extinguuntur, ut sunt exceptiones personales.

III. Et principaliter exceptio dividitur 6 in dilatoriam, seu temporalem, & peremptoriam, seu perpetuam.

Exceptiones dilatoriæ, vulgò die auf-zügliche Einreden / so die Hauptsach nicht

nicht antreffen / oder abschneiden / sunt, quæ tantùm ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt, id est, in certum tempus actionem differunt. *l.* 2. §. 4. *cum ll. seqq. ff. h. t.* §. 10. *Institut. Eod.* Et hæ concernunt vel ipsam causam, ut exceptio plùs petitionis, pacti conventi temporalis, præscriptio moratoria, excussionis, vel ordinis, cedendarum actionum, divisionis, competentiæ, spolii &c. vel ipsum judicium, quæ desumuntur aut ex persona Judicis; ut exceptio incompetentiæ, præventionis, recusationis, & inhabilitatis: aut ex conditione litigantium; ut exceptio non impetratæ veniæ, revocandi domum, cautionis, contumaciæ, justi impedimenti, legitimationis personæ, procuratoriæ, & hujusmodi: aut ex modo procedendi; ut exceptio libelli, obscuri, inepti, ineptæ cumulationis: aut ex aliis circumstantiis; ut exceptio loci non tuti, vel inhonesti, termini angusti, feriarum &c. Confer Ummium. *ad Proceſſ. judic. disp.* 8. *th.* 2. 3. *&* 4.

Exceptiones peremptoriæ, seu perpetuæ dicuntur, quæ in totum excludunt actiones, perimúntque jus agentis: Die ein Sach gar auffschieben. *l.* 2. *ff. h. t.* Tales sunt exceptio metûs, doli, erroris, non numeratæ pecuniæ, pacti de non petendo, jurisjurandi, rei judicatæ, SCti Macedoniani, SCti Vellejani, transactionis, solutionis, præscriptionis, & aliæ innumeræ, de quibus interpp. ad §. 1. *& seqq. Instit. h. t.*

7 IV. Dividitur exceptio in nominatam, & innominatam. Nominata est, cui nomen aliquod à jure inditum est, veluti exceptio solutionis, jurisjurandi, rei judicatæ, &c. Innominata est, quæ certo nomine in jure non designatur, eámque ob causam exceptio in factum, vel exceptio doli indigitatur. *l.* 14. *ff. h. t. l.* 2. §. 5. *ff. de Doli mali, & metûs except.*

§. V.

Causa efficiens exceptionis est vel remota vel proxima.

Remota est jus. Sed quale: an naturale, vel positivum? Panormit. Felin. & Decius in *c.* 5. *h. t.* originem exceptionis referunt ad jus naturale: quia exceptio defensio est, quæ ad jus naturæ pertinet. *Clem. pastoralis* §. *caterùm de Sent. & Re Judic.* Econtra Coras. *lib.* 6. *Miscel. c.* 16. *num.* 10. & Faber *in Jurisprud. tit.* 2. *princ.* 5. *illat.* 5. exceptionem potiùs juri positivo, quàm naturali attribuunt, eò quòd exceptio lege positivâ aut Principis Rescripto tolli queat. *c.* 13. *de Offic. delegati. l.* 3. §. 3. *ff. Quod quisque jur.* tolli autem exceptio non posset, si esset juris naturalis. §. 11. *Instit. de I. N. G. & C.* Mihi sub distinctione utraque opinio placet. *Prima*, si exceptiones ad justam defensionem introductæ, & necessariæ sint. *Altera*, si exceptiones defensioni non deserviant, nec ad eam necessariæ sint, ut exceptio competentiæ, SCti Macedoniani, SCti Vellejani &c. Et hæ tolli possunt lege civili, aut Rescripto Principis, cùm nullam defensionem naturalem, sed tantùm positivam contineant.

Causa efficiens proxima exceptionis est jus Civile & Prætorium: cùm exceptionum quædam ex legibus, vel ex iis, quæ legis vicem obtinent, vel ex ipsius Prætoris jurisdictione substantiam capiant. Text. in §. 7. *Inst. h. t.*

§. VI.

Subjectum exceptionis duplex est: activum, & passivum.

Activum est is, qui exceptionem opponit. Omnes autem opponere possunt ex-

exceptionem, qui agendi facultatem habent: nam cui damus actionem, eidem multò magis exceptionem competere quis dixerit *l.* 156. §. 1. *ff. de R. J.* Imò etiam iis competunt exceptiones, qui agere nequeunt; quod ostendit exemplum excommunicati in *c.* 5. §. 8. 10. *&* 11. *h. t.* Neque obstat, quòd reus in exceptionibus actor fiat. *l. in exceptionibus ff. de Probat.* nam id procedit quoad onus probandi exceptiones propositas, quod regulariter actori incumbit. *l. actor C. de Probat.* non verò simpliciter appellari actor potest, cùm sibi non petat dari, vel fieri arg. §. 1. *Inst. de Action.* sed solùm intendat in totum, vel in partem actorem repellere & actionem elidere. *l.* 1. *ff. h. t.*

11 *Subjectum passivum* exceptionis est is, cui opponitur. Opponitur autem actori, ejusque hæredibus. arg. *l.* 143. *ff. de R. J.*

§. VII.

12 *Materia* seu *objectum* exceptionis est actio seu judicium, cui opponi solet. *l.* 2. *ff. h. t.*

§. VIII.

13 *Forma* exceptionis consistit in modo eandem allegandi, & proponendi. Et verò ut in effectu prosit exceptio, allegari debet ab eo, qui eâ uti desiderat: neque enim Judex ex officio eam supplet, nisi ex ipso contractu fluat, vel ipso jure perimat actionem institutam. arg. *Rubr. & t. t. C. Ut quæ desunt advoc. part.*

14 Hic non incommodè *quæsieris*: quando singulæ exceptiones opponi debeant? Et ut distinctè respondeam.

Dico I. Exceptiones dilatoriæ, quæ causam ipsam respiciunt, regulariter inter exordia litis opponi debent. *l. si quis* 12. *in fin. C. h. t.* & post litem contestatam proponi non possunt, probari autem non debent, nisi post litis contestationem, & quidem posteaquam actor intentionem suam fundaverit, & monstraverit, quod asseverat. *l.* 19. *C. de Probat. l.* 9. *C. h. t.* Rectè: quia merita causæ ante litem contestatam disputari nequeunt.

15 *Dico* II. Exceptiones dilatoriæ, quæ judicium concernunt, regulariter ante litem contestatam & opponendæ, & probandæ sunt. *l. penult. & ult. C. h. t. l.* 13. *&* 24. *C. de Procuratorib. l.* 40. §. 3. *ff. Eod.* Imò si personam Judicis concernant, & sint fori declinatoriæ, non tantùm ante litis contestationem, sed etiam ante omnes alias exceptiones, & ante omnem alium actum judicialem producendæ sunt: siquidem qui ad aliquem actum Judicem approbat, prorogâsse videtur, & non potest ultrà eum repudiare. Panorm. in *c.* 12. *h. t. n.* 12. Bartol. in *l.* 19. *C. de Probat.*

16 Dixi *regulariter*: nam fallit I. si dilatoriæ demum post litem contestatam competere incipiant ex facto adversarii. *c. pastoralis* 4. *h. t.* v. g. exceptio spolii, vel respectu Judicis exceptio recusationis. Alex. & DD. in *l. si mulier ff. Soluto matrim.*

17 Fallit II. Si exceptiones post litis contestationem primùm innotuerint *d. c. pastoralis & l.* 11. *ff. h. t.* cujus ratio est: quia impossibilium nulla est obligatio, erat autem impossibile, exceptionem opponere, antequam illa innotesceret: nec potest præsumi in Judicem incompetentem consentire, qui nesciebat esse incompetentem.

18 Fallit III. In exceptione excommunicationis, quæ hoc speciale habet, quòd in quacunque parte judicii opponi possit, etiamsi scienter, & malitiosè ab initio omissa sit. Cujus ratio assignatur in *c.*

12. *h. t.* ne reus cum periculo suæ animæ communicare cogatur excommunicato. Hinc licèt Judex certum terminum statuat, intra quem omnes dilatoriæ proponantur cum comminatione de non audiendis postea, exceptionem tamen excommunicationis opponi posse, textus est in *Clem. nn. h. t.*

19 Fallit IV. Si hæ exceptiones processum reddant retrò nullum, ut est exceptio falsi procuratoris; item Judicem esse furiosum, vel impuberem; tutorem, vel curatorem esse nulliter datum &c per *l.* 24. *C. de Procuratorib. c.* 4. *Eod.* Vant. *de Nullit. Tit. quib. mod. sent. nullit. defend. poss.* Ex quo capite etiam Clericus coram Judice sæculari conventus ante & post litis contestationem potest excipere de incompetentia: maximè quia cessat ratio taciti consensûs: cùm Clericus in sæcularem Judicem consentire nequeat. *c.* 12. *de Foro compet.*

20 Fallit V. Si exceptiones dilatoriæ habeant gravamen successivum, v. g. exceptio loci non tuti, vel suspecti. Gail. 1. *observ.* 52. item exceptio termini angusti, feriarum &c. Confer. Eckolt *ad ff. h. t.* §. 12.

21 Fallit VI. Si reus protestatus fuerit de dilatoriis post litem contestatam opponendis *d. c. pastoralis.* ibi: *nullatenus audiantur, si partes alias exceptiones opposuerint, quas non fuerint protestatæ h. t.* Mynsing. *cent.* 2. *observ.* 53. & 74. Gail. *d. observ.* 52.

22 *Dico* III. Exceptiones peremptoriæ regulariter ante sententiam, & post litis contestationem opponendæ sunt: Nam expostfacto sententia semel lata propter illas non rescinditur. *l. peremptorias* 2. *C. sententiam rescindi non posse.* litis contestatio verò propter illas non impeditur, sed si quis antea vellet opponere exceptionem peremptoriam, non audiretur, sed cogeretur priùs litem contestari. *c. fin. de Lit. contest. in* 6.

Sunt tamen & hìc utrinque fallentiæ; aliquæ enim exceptiones peremptoriæ ante litis contestationem proponi possunt, eámque impediunt, nempe exceptiones impropriè dictæ, puta solutionis factæ, præscriptionis &c. quia frustra litem contestaretur reus, si actor actionem de jure nullam habet; & nonnullæ exceptiones propriè dictæ, quæ ex speciali privilegio litis ingressum præcludunt; quales sunt exceptio rei judicatæ, transactionis, & perisjurandi, quæ exceptiones litis finitæ dicuntur. *c.* 1. *de Lit. contest. in* 6. Ratio eadem est: quia lis semel aliquò horum modorum finita amplius inchoari non debet. Econtra aliquæ exceptiones peremptoriæ, quin etiam dilatoriæ sunt, quæ post sententiam quoque proponi queunt. Scilicet I. exceptio nullitatis sententiæ ex quacunque causa: quoniam de nullitate sententiæ semper cognoscere potest Judex, & de novo sententiam ferre, cùm ferendo nullam suo officio functus non sit. II. Exceptiones, quæ sententiam rescindunt, ut exceptio restitutionis in integrum. *l.* 36. *ff. de Minorib.* III. Illæ, quæ non tam sententiam impugnant, quàm executionem moderantur, aut impediunt, ut sunt exceptio SCti Macedoniani, SCti Velleiani, exceptio non numeratæ pecuniæ, exceptio competentiæ, & id generis aliæ. *l.* 11. *ff. Ad SCtum Maced.* & *l.* 4. §. fin. *ff. de Re judic.* eò ipsò namque, quòd similes exceptiones tantùm respiciant evacuationem, licèt ante sententiam non opponantur, non tamen ideo illis renunciatum fuisse præsumi potest. P. Engel *h. t. num.* 5.

Ca-

25 Cæterùm plures Exceptiones, unam scilicet post alteram opponere, vel etiam plures simul allegare Jure Civili permissum est. *l. 5. & 8. ff. h. t.* in tantùm, ut contrariis quoque uti liceat, modò alternativè proponantur: v. g. nego, me accepisse pecuniam, vel si numerata est, solvi; ubi exceptio non numeratæ pecuniæ cum solutionis exceptione tanquam contrariantes, alternativè tamen rectè allegantur. In terminis Juris Canonici verò (quod hac in parte in materia processûs praxis sequitur) quando Judex statuit terminum præclusivum cunctis exceptionibus, aliæ ne quidem successivè opponi valent. *d. c. pastoralis 4. hoc tit.* Id quod novissimè adhuc Recessus Imperii *de Anno 1654.* es soll auch hinfüro confirmat, in quo dispositum, omnes exceptiones simul & semel uno scripto esse allegandas, nisi postea emergant, ad abbreviandas lites. Struvius *Exercit. 46. th. 27. in fin.* Eckolt. *ad ff. hoc tit. §. 14. & seq.*

§. IX.

26 *Finis* exceptionis indicatur in §. 1. *instit. h. t. comparatæ*, infit Justinianus, *sunt exceptiones defendendorum eorum gratiâ, cum quibus agitur. Sæpe enim accidit*, sunt verba Oldendorpii *in Enchiridio except. p. 3. ut licèt ipsa persecutio, quâ actor experitur, sit justa in suo genere, tamen iniqua sit adversus eum, cum quo agitur, propter circumstantias facti, quod in actionem specialiter deducitur.*

§. X.

27 *Effectus* exceptionis præcipuè duo sunt.

Primus est, quòd excipientem faciat actorem, juxta illud decantatum JCtorum: *reus excipiendo fit actor. l. 1. ff. h. t.* quoad onus probandi nimirum: perinde enim uti actor, sic & reus suam exceptionem probare tenetur. *l. 9. l. 19. pr. & §. 2. l. 25. §. 2. ff. de prob.* Interim si reus 28
in probatione deficiat, nihilominus actor intentum suum probare tenetur; neque enim propter exceptionem rei ab onere probandi liberatur, quasi intentionem fundatam habens in confessione adversarii: quia qui excipit, non censetur per hoc fateri intentionem adversarii. *l. 9. ff. h. t. c. 63. de R. J. in 6.* Nisi forsan quoad factum, casu quo ejusdem confessio expressè ex verbis confessionis colligitur: ut ecce! petis à me 100. quos mutuos dedisti, excipio, pactum esse de non petendo, aut solutionem factam esse; si hoc probare non possum, non ideo præsumor confessus; etsi enim fatear intentionem adversarii quoad factum, seu mutuum datum, non tamen quoad Jus: quia adhuc ulterius possum excipere, illum contractum mutui non valuisse vel inefficacem esse propter competentem exceptionem SCti Macedoniani. Vid. Gloss. in *c. cùm venerabilis 6. V. confessus h. t.*

Alter effectus est, quòd exceptio pro- 29
bata excludat id, quod in intentionem condemnationémve est deductum. *l. 2. ff. Eod.* Et hoc primariò peremptoriæ, dilatoriæ tamen etiam suo modo competit: etenim si quis dilatoriam probet, absolvitur ab observatione judicii, von dem Gerichts-Zwang; si verò probet peremptoriam, definitivè ab instituta actione, von angestellter Klag absolvitur. Et sanè magna est utriusque differentia: cùm in hac postea exceptio rei judicatæ oriatur, quæ semper removet actorem, etiam imposterum agere volentem, secus in priori. Tancred. *de Ordin. Judic. lib. 2. tit. 26.*

§. XI.

30 *Contraria* exceptioni est replicatio, quæ nihil aliud est, quàm exceptionis elisio, quâ actor rursus reum contra se excipientem repellit; veluti cùm pactus est aliquis cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat, postea contrariâ voluntate placuit, ut peteret, exceptio ex priori pacto competens elidetur per replicationem ex pacto posteriori. *pr. Instit. de Replicat.*

Replicationi respondet reus per duplicationem. §. 1. *Inst. Eod.* Duplicationi actor per triplicationem. §. 2. & triplicationi reus per quadruplicationem. §. 3. *Instit. d. t.* Et sic porro multiplicantur defensionum nomina, quousque vel actor, vel reus habeat, quod objiciat ad se salvandum. *l. 2. §. 3. ff. h. t.* Verùm Judicis partes erunt, hac in re modum statuere, ne lis in infinitum abeat cum gravi partium detrimento, quem in finem in *Ordinatione Camera p. 3. tit. 26. §. 2. & tit. 29. §. ult.* cautum est, ut in exceptionibus dilatoriis ultra duplicam, in peremptoriis verò ultra triplicam non procedatur: In praxi tamen quadruplica etiam solet admitti, nisi Judex circumstantiis facti permotus, vel etiam partes inter se conventione prohibuerint, ne ultra duplicam fiat progressus, duobus scriptis alternis terminato processu, & submissione factâ, ut Practici loquuntur.

Plura de Exceptionibus, præsertim in specie, si scire cupis, adi & consule Mar. Anton. Blancum, Joannem Zangerum, Carolum de Grassis *tr. de Exceptionibus.*

TITULUS XXVI.
De Præscriptionibus.

SUMMARIA.

1. Præscriptionis synonymia. 2. definitio. 3. divisio. 4. origo.

5. Quis possit præscribere. 6. usque 25. quæ possint præscribi, quæ non?

25. usque 31. Præscriptionis requisita sunt possessio. 31. usque 34. titulus. 36. usque 41. bona fides. 41. usque 48. & tempus legitimum.

48. Præscriptionis finis.

49. usque 53. Ejusdem effectus. 53. cum seqq. Contraria.

INter exceptiones peremptorias improprias frequentissima & utilissima est exceptio præscriptionis; quæ proinde *hoc tit.* exponitur.

§. I.

Præscriptio etsi olim multùm diversa 1
fuerit ab usucapione, ut tradunt Interpp. *ad pr. Instit. de Usucap.* modò tamen fermè pro synonymis ponuntur, & sunt ejusdem effectûs. *t. t. C. de Usucap. transform.* hâc nihilominus remanente differentiâ, quòd usucapio hodiedum adhuc veram desideret possessionem, secus ac præscriptio, ut hinc servitutum, aliorúmque jurium incorporalium juridicè loquendo nulla detur usucapio, sed tantùm præscriptio. Arnold. Rath. *tr. de Usucap. th. 3. lit. B.*

§. II.

Definitur præscriptio, quòd sit dominii 2
acquisitio, vel alieni juris, sive realis, sive personalis peremptio per continuationem temporis lege definiti. Colligitur ex *l. 3. ff. de Usurp. & usucap.*

§. III.

Dividitur præscriptio in ordinariam, 3
seu longi temporis, in extraordinariam, seu longissimi temporis, & in immemorialem. Præscriptio ordinaria est, quæ completur tempore ordinario 10. vel 20. an-

annorum. Extraordinaria, quæ perficitur tempore extraordinario 30. vel 40. annorum. Immemorialis verò illa dicitur, quando possessio tam diu duravit, ut initium ejus hominum memoriam excesserit. Unde differt à præscriptione centenaria, eò quòd hæc possit esse non immemorialis: quia possent aliqui esse ultra 100. annos, & contrarii meminisse. Præterea notat Molina *de J. & J. tr. 2. disp. 76. num. 3.* ex eo, quòd constet, possessionem aliquem cepisse post longissima etiam tempora 200. 600. aut 1000. annorum, non tolli, quòd sit immemorialis, modò initium illius memoriam senum, qui modò sunt, etiam ex auditu, & traditione suorum antecessorum excedat: constat enim Majoratus omnes, aut fere omnes Hispaniarum cœpisse post tempora Principis Pelagii, qui Hispanias à Sacracenis primus cœpit vindicare: constat item impositiones, quas multi Nobiles à suis subditis accipiunt, longè minoris esse temporis, quæ tamen dicuntur esse temporis immemorialis.

§. IV.

4 *Causa efficiens* Præscriptionis est Jus Civile: hoc quippe jure præscriptio introducta, statutúmque est, ut si quis rem alienam debito tempore & modo possideat, ejus dominium irrevocabiliter acquirat, sítque deinceps liber ab omni infestatione, actione, repetitione & vindicatione prioris domini. Neque hoc alienum est à jure naturali, quo præcipitur, cum alterius jactura neminem locupletari oportere: id enim intelligendum est de locupletatione injusta, non de ea, quæ fit legis authoritate ex justa & publica causa: nam quotiescunque concurrunt duæ rationes naturales, illa vincit aliam, quæ fortior est, quæque majori nititur fundamento ob publicam Reipublicæ utilitatem. *l. stichum 95. §. naturalis ff. Solutô matrimoniô.* Taceo, quòd præscribens non videatur locupletari cum damno domini, quia cùm is rem tanto tempore neglexerit, eámque passus sit præscribi, & ita damnum & jacturam hanc suâ culpâ sentiat, sentire non censetur. *l. quod quis 203. ff. de R. J.*

§. V.

Subjectum Præscriptionis est præscribens. Possunt autem in genere præscribere omnes, qui possunt rem alienam nomine proprio possidere, & dominium acquirere. Pirrhing. *h. t. n. 9.* Eckolt. *ad ff. de Usurp. & Usucap. §. 8.* 5

§. VI.

Materia, seu Objectum Præscriptionis est res apta & non prohibita præscribi. *l. 24. ff. de Usurpat. & usucap.* Prohibentur autem res quædam præscribi naturâ, quædam legis dispositione. 6

Naturâ Præscriptionem refugiunt res, quæ tanquam propriæ possideri nequeunt: quia cùm inventa sit præscriptio, ne dominia rerum in incerto sint, res, quæ tanquam propriæ possideri nequeunt, nec præscribi valent. Gonzalez ad *c. 7. h. t. n. 8.* Hinc.

I. Præscribi non possunt res sacræ; 7 quales sunt, quæ ritè & solenniter per Pontifices (hodie per Episcopos) DEO sunt consecratæ, ut sunt Ecclesiæ, templa, sacella, oratoria, Monasteria, altaria, calices, vestes ornamenta sacra, reliquiæ Sanctorum, &c. per *l. qui universas §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. possess. §. 1. Inst. de Usucap.* Quòdsi tamen res sacra rursus profanaretur, præscriptionem admitteret. *l. cùm loca & ibi* Gloss. *ff. de Relig. & sumpt. fun.*

II. Res religiosæ; quales sunt sepul- 8 chra, sive loca, in quæ corpus ossáque homi-

minis illata sunt, ut ibi perpetuò maneant. §. 9. *instit. de Rer. divis.* junctâ *l.* 9. *ff. de usurp. & usucap.* Quæ tamen non ampliùs, ut olim, cujusvis voluntate fiunt, sed hodie cœmiteria auctoritate Episcopi consecrantur. *c.* 4. *de Religios. domib. c.* 1. *causâ* 13. *q.* 1. Rectè verò Accursius in *l.* 4. *C. de Mort. Infer.* distinguit jus sepeliendi à dominio sepulchri, ita ut jus sepulchri præscriptione acquiri possit per *l.* 6. *C. de Relig. & sump. fun.*

9 III. Res sanctæ; quales sunt quæ speciali sanctione ab injuria, & violatione hominum sunt defensæ, atque munitæ §. 10. *Instit. de Rer. divis. l.* 8. *pr. ff. Eod.* junctâ *l.* 9. *ff. de Usurpat. & usucap.* veluti sunt muri, & portæ civitatum, quas violare capitale est. *d. §.* 10. *Instit. & l. fin. ff. de Rer. divis.* item Imperium Romano-Germanicum, quod ideo vernacula dicimus das Heil. Röm. Reich.

10 IV. Res publicis usibus deputatæ, ut sunt forum, via publica, fons, pons, theatra, stadia, scholæ, curiæ, porticus &c. *d. l.* 9. *ff. de Usurp. & usucap.* idque verum est, etiamsi iis populus uti desierit. *l. viam ff. de Via publ. & itin.* quia satis est, quòd eis uti possit, & ad eum finem fuerint assignatæ. Molina *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 79.

11 V. Præscribi nequeunt officia publica *Novel.* 8. *c.* 7. maximè beneficia Ecclesiastica: quia hæc omnino exempta sunt commercio humano, nec etiam vendi possunt sine labe simoniæ, sed sola canonica institutione, & authoritate Superiorum obtinentur. *c.* 1. *& ibi* Gloss. *de R. J. in* 6. & probatur ex *c.* 3. *de Instit. c. contingit* 9. *de Dolo & contum.* Covar. *in Relect. c. possessor p.* 2. *§.* 10. *n.* 9. Neque contrarium est *c. cura* 11. *de Jure patronat. ubi dicitur: mandamus, quatenus ex donatione Laicorum, nisi auctoritas Diœcesani Episcopi & consensus adsit, Nullus vestrûm aliquas sibi Ecclesias vindicare præsumat, vel retinere taliter acquisitas, nisi legitimâ fuerit præscriptione munitus.* Ergo dari potest legitima præscriptio ad acquirendum beneficium sine canonica institutione acceptum. Nam ut bene observat Barb. & Panorm. *ibid.* Textus ille intelligitur, non de Ecclesiis in beneficium & titulum, sed in proprietatem concessis: quod colligitur inprimis ex eo, quòd *dict. cap.* non tantùm ad Clericos, sed etiam ad Monachos, & Monasteria scriptum sit, qui tamen beneficia in titulum habere non possunt. Deinde: quia in textu dicitur, ne ex donatione quispiam Ecclesias vindicare præsumat; atqui donatio facta loco religioso intelligitur non in beneficium, sed in proprietatem facta juxta *c.* 4. *de Donationib.*

II. A Laicis præscribi non possunt jura Ecclesiastica, & spiritualia, veluti jus decimarum, primitiarum, oblationum, jus eligendi, aut conferendi beneficia Ecclesiastica, jus cognoscendi & judicandi causas Ecclesiasticas, & Clericorum quia à Laicis possideri nequeunt. *c.* 7. *h. t.* Quamobrem etiamsi mille anni transierint, Laici ejusmodi jura haud præscribent, uti cum Joan. Andr. in *c.* 2. *de Præbend. in* 6. docet Azor. *instit. moral. tom.* 3. *lib.* 1. *c.* 20. *p.* 2. Diversum obtinet in bonis Ecclesiasticis, quæ sacra non sunt, ea enim à Laicis præscribi valent, longiore tamen tempore, de quo *infra n.* 15.

VII. Liber homo, qui nullo tempore 13 præscribi potest, ut fiat servus, licèt possessor bonâ fide illum emerit, putans esse servum §. 1. *Instit. de usucap. l. fin. C. de Longi temporis. præscript. quæ pro libertate.* Econtra verò servus præscribere potest li-

ber-

bertatem contra dominum, si per 20. annos bonâ fide gesserit se pro libero, etiam sine titulo libertatis. *cit. l. ult. C. de Longi temp. &c.* quod favore libertatis introductum est.

14 VII. Ex natura præscriptionem respuunt res meræ facultatis, hoc est, quæ citra obligationem, aut conventionem cujusque libero arbitrio relinquuntur, arg. *l. 2. ubi* Glossa & Bartol. *ff. de Via public.* Gail. *2. observ. 18. num. 4.* Zoës. *ad ff. h. t. num. 40.* Ratio est: quia quæ hujusmodi sunt, cùm sint meri facti, nihil juris ponunt, cui præscribi possit, & antequam fiant, nec sunt in rerum natura. Adde, quòd non deceat, ut beneficium in debitum vertatur. Sic is, qui quot annis Ecclesiæ, aut Hospitali cuidam certam pecuniæ quantitatem liberè donavit, cogi non potest, ut imposterum similiter donet. *c. 61. causâ. 16. q. 1.* Similiter licèt Monachi ex alieno Monasterio Abbatem longissimo tempore elegerint, nequeunt tamen aut jure consuetudinis, aut præscriptionis ad ejusmodi electionem imposterum continuandam compelli *cap. Abbate 25. de V. S.* Eâdem ratione, si 40. annis continuis molendinum meum frequentâsti, ut frumentum moleres, non propterea possum prætextu præscriptionis te impedire, quò minùs, si libeat, aliud molendinum accedas. Covarr. in *d. c. possessor 2. p. relect. §. 4. n. 6. & seq.* Quod tamen intelligendum est, nisi alius prohibeat, & huic prohibitioni is, qui meram facultatem habet, acquiescat: per similem enim prohibitionem, & acquiescentiam constituitur prohibens in quasi-possessione juris contrarii, & consequenter in præscribendi conditione. Layman. in *Theol. morali lib. 3. tr. 1. c. 8. n. 8.* Præterea actus facultativi cessant esse tales, & præsumuntur obligatorii, si concurrat eorum multiplicitas & continuatio per longum tempus. Rip. in *c. cùm Ecclesia Sutrina num. 55. de causa possess. & propr.* Rota *decis. 397. num. 3. & 640. num. 3. p. 2. Rec. & dec. 86. num. 8. p. 5. Rec.*

15 *Lege positivâ* præscribi prohibentur res Ecclesiarum, eatenus, ut contra eas nonnisi 40. annorum præscriptio locum habeat, non tantùm, si eâ privatus quis, sed etsi alia Ecclesia uti velit. *c. 4. & 6. h. t. T. C. Ne rei dominicæ, & templorum vindicatio temporis præscriptione submoveatur.* Sed nec antè incipiet hæc præscriptio, quàm post mortem Prælati, qui rem Ecclesiæ malè alienavit. Menoch. *consil. 261.* Excipiunt non pauci res mobiles, & actiones propriis terminis per Jus Civile conclusas, ut v. g. ædilitias, itémque quando Ecclesia ex lege municipali jus acquirit, certo per eandem tempore circumscriptum: in his enim casibus Ecclesia communi præscriptioni subjicitur. Si Ecclesia successit alicui privato, contra quem usucapio cœperat, dividentur tempora, ut in præteritum quidem jure privati, in futurum verò utatur privilegio suo. Pancrm. *lib. 2. consil. 14.* Porro Ecclesiæ Romanæ nonnisi centenaria præscriptio obstare potest, idque certum est ex Jure Canonico. *c. 13. h. t.* quamvis in Jure Civili hæc res sit controversa. Fachin. *lib. 8. Controvers. cap. 3.* Quin etiam contra ordinem & Monasteria S. Benedicti ex privilegio Eugenii IV. contra congregationem S. Salvatoris ex privilegio Julii II. & contra horum privilegia participantes, non præscribitur nisi annis 60. Molina *de J. & J. tr. 2. disput. 72.* Less. *lib. 2. c. 6. dub. 13. n. 14.* Vallens. *§. 6. h. t. n. 8.*

16 II. Non possunt præscribi limites Parochiarum, & Episcopatuum, & quæ hujusmodi limitibus cohærent, modò sufficienter constet, eò usque illos fines fuisse præfixos. *c. quicunque c. licèt c. inter memoratos causâ* 16. *q.* 3. *c. super eo de Parochiis. c. quia* 9. *h. t.* cujus ratio est: ne termini Provinciarum confundantur. Qua ex causa Hostiens. apud. Molin. *disp.* 79. id extendit ad limites Ducatuum & Comitatuum; secus est de limitibus prædiorum privatorum. *c. volumus causâ* 16. *q.* 4. *d. c.* 9. *h t.*

17 III. Res fisci. §. 9. *Instit. de Usucap. l.* 18. *l.* 24. *ff. de Usurpat. & Usucap.* Intellige tempore ordinario, puta 10. aut 20. annis: extraordinario enim, & longissimo tempore, hoc est, 40. annis præscribi queunt: *l.* 4. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Et hoc, si res fisco jam sint acquisitæ, seu incorporatæ. Aliud dicendum est de bonis vacantibus, sed fisco nondum nuntiatis, quæ tempore ordinario præscribuntur, sicut alia bona privatorum; videlicet cum bona fide & titulo mobilia triennio, immobile, decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes, sine titulo verò 30. annis *d. l.* 18. *ff. de Usucap.* quæ ait, diutina possessione talia bona capi alii, *diutina* autem 10. aut 20. annos denotat. Neque adversatur *l.* 1. *C. de Quadriennii præscript.* ibi: *notum est à fisco quæstionem post quadriennium continuum super bonis vacantibus inchoandam non esse:* etenim aliqui hanc legem accipiunt de bonis, fisco quidem denuntiatis, nondum tamen ab eo occupatis, quæ quatuor annis præscribi autumant. Alii volunt, *cit. legem* loqui non de usucapione, sed præscriptione, seu exceptione quadriennii, nempe qui per quadriennium possedit rem fisco nondum nuntiatam, si postea à fisco conveniatur, quadriennii exceptione defenditur, sed ad acquirendum dominium talis rei opus est diuturnâ possessione.

IV. Extra præscriptionem ordinariam sunt res & bona Principis. Sunt autem bona Principis in duplici differentia: quædam pertinent ad Principem, ut talem; alia ad principem tanquam privatum. Bona Principis primi generis dicuntur bona fiscalia, de quibus statim diximus. Bona Principis secundi generis vocitantur res dominicæ, aut bona patrimonialia: quæ non acquiruntur longi temporis præscriptione, per *l.* 2. 3. *& rubr. C. Ne rei dominicæ, vel templorum vindicatio temporis præscriptione submoveatur.* sed tantùm longissimo tempore per *l.* 3. *&* 4. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* Quidquid contra commiscantur Zoës. *ad ff. de Usurp. & Usucap. num.* 21. Schambogen *ad Institut. de Usucap.* §. 4.

Planè si agatur de rebus ærarii, vel patrimonii Principis, seu de juribus Majestatis, sive prærogativis supremæ potestatis, hæc ab omni præscriptione omnino exempta sunt. Covar. *ad Reg. possessor p.* 2. §. 7. tum quòd ne expressâ quidem conventione diminuere ea Princeps possit: tum quòd eorum jurium reliqui extra supremum Principem sint incapaces. Unde nullâ temporis præscriptione acquiretur quis potest immunitatem vectigalium aut tributorum, quæ Principi penduntur in recognitionem supremæ Majestatis & subjectionis *l.* 6. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* Panorm. in *c. cùm nobis h. t.* Similiter à nullo subditorum adversus Principem præscribi potest summa illa, & suprema jurisdictio, quæ in eo consistit, quòd ab omnibus inferioribus Judicibus

ad

ad Principem appelletur : hæc quippe Principi competit in signum supremæ jurisdictionis. Aliter se res habet in iis, quæ reservantur Principi non in signum supremæ jurisdictionis, sed solùm in signum specialis dignitatis ac privilegii : ut sunt potestas legitimandi, restituendi famam, creandi notarios, cudendi monetam, indicendi tributa pro expensis alicujus belli, vel simili aliqua publica necessitate : hæc enim per inferiorem acquiri possunt præscriptione 40. annorum cum titulo, sine titulô spatiô tanti temporis, quod hominum memoriam excedat. Bartol. *in l. cunctos populos C. de S. Trinit. l. si publicanus ff. de Publican.*

20 V. Præscriptionem ordinariam non admittunt res Civitatis. *l. 9. ff. de Usurp. & usucap.* junctâ *auth. quas actiones C. de SS. Eccles.*

21 VI. Res pupillorum tam mobiles, quàm immobiles ne quidem longissimo tempore, id est, 30. vel 40. annis præscribi possunt, ita ut tempus pupillaris ætatis ad tempus præscriptionis computetur. *l. 3. C. de Præscription. 30. vel 40. ann.* Limitatur : ut usucapio contra defunctum inchoata impleatur contra eum, qui adhuc in utero est : nec enim voluit jus ob incertitudinem posthumi nascituri præscriptionem impedire ; sed datur tamen postea restitutio in integrum. *l. 45. ff. de Minoribus. l. un. C. Si adversus usucap.*

22 VII. Res Minorum, contra quos non currit præscriptio, nisi extraordinaria, seu 30. annorum. *d. l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. ann. l. 3. C. Quib. non objic. longi temp. præscript. l. 5. C. In quib. caus. in integr. restit. necess. non est.*

23 VIII. Ordinariæ præscriptioni non subjiciuntur, quæ lege, vel testamento alienari vetantur ; uti prædium dotale, res primogenii vinculo alligatæ, feuda, fideicommissa, legata, si, antequam hæc onera subierant, præscriptio incœpta fuit. *l. si fundum 16. ff. de Fundo dotali. l. fin. §. fin. autem C. Communia de Legat.* An verò præscriptione extraordinariâ, seu longissimo tempore tricenniô, vel quadrienniô præscribi valeant, diversimodè DD. sentiunt, ut videre est apud Card. de Lugo *de J. & J. disp. 4. sect. 8. n. 147.* Covar. in *Reg. possessor p. 3. §. ult.* cum quibus in affirmativam transeo.

IX. Præscribi ordinario tempore ne- 24
queunt res furtivæ, aut vi possessæ, neque à fure, seu invasore, neque à tertio quodam, usquedum vitium fuerit purgatum, id est, res in potestatem prioris domini redierint. *§. 4. & 5. Instit. de Usucap* vel quolibet modo vero domino fuerit satisfactum. *l. 4. §. 3. ff. de Usurp. & usucap.* cujus prohibitionis ea ratio datur : quia dispositione juris res furtivæ, aut vi possessæ, vitio reali laborant, cum quo proinde ad quoscunque possessores deveniunt. Huc quoque revocantur ea, quæ contra legem repetundarum Judici data sunt, & deinde ad tertium bonæ fidei possessorem pervenerunt : nam hæc perinde, ut furtiva, non nisi purgatô vitiô præscriptionem admittunt. *l. 8. ff. ad Ad Leg. Jul. repetund.* Dixi autem : res furtivas, aut vi possessas non posse præscribi *tempore ordinario :* cùm communis & recepta sententia sit, res tales à tertio bonæ fidei possessore, puta ab emptore, aut hærede furis spatio 30. annorum præscribi arg. *l. sunt in rem 3. & l. omnes 4. C de Præscript. 30. vel 40. ann.* Sylvester *V. præscriptio 2 n. 12.*

§. VII.

25 *Forma* præscriptionis desumitur à requisitis; quæ quatuor: possessio, Titulus, Bona fides, & tempus à lege definitum:

26 *Primum* itaque requisitum est: *Possessio*: nam *sine possessione præscriptio non procedit c. 3. de R. I. in 6. l. 25. ff. de Usurp. & usucap. c. 7. & 17. h. t.* Debet autem possessio esse civilis, hoc est, detentio rei cum opinione dominii. Naturalis possessio, licèt justa existat, cùm tamen citra dominii animum sit, hìc nihil prodest. *l. 13. §. 1. ff. de Publiciana in rem. act. l. 13. ff. de Usurpat. & usucap.* enimvero cùm præscriptio sit modus dominium acquirendi, quod non acquiritur sine animo & voluntate acquirentis, *l. 55. ff. de O. & A.* ideo necesse est, talem hìc intelligi possessionem, quâ animo, & voluntate domini res detinetur. Dissentit Vasquius *l. 2. illustr. controvers. c. 52.* & Valascus *de Jure emphyt. 1. p. q. 8. n. 30.* Hinc

27 *Inferes* I. Eum, qui est incapax possessionis respectu alicujus rei, nullo unquam tempore posse præscribere, consequenter licèt laicus tempore, cujus initii, vel etiam contrarii memoria non exstat, jus aliquod spirituale detinuerit, id tamen præscriptione acquirere non potest, per text. in *c. 7. h. t.*

28 *Inferes* II. Duos eandem rem simul in solidum præscribere non posse: non solùm quia non datur duorum dominium in solidum, sed quia nec duo in solidum quoad civilem possessionem possessores esse queunt, *l. 3. §. ex contrario ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Quo non obstante secundùm partes, aut secundùm diversa jura eadem res præscribi poterit à diversis, ita scilicet, ut unus præscribat dominium, alter usumfructum: unus dominium directum, alter utile: una pars præscribatur ab uno, alia ab alio. Item in eodem loco duo possunt præscribere jurisdictioeem concurrentem, si uterque actus possessorios sufficientes sine prohibitione alterius exercuerit; nec tamen simpliciter erit jus & possessio utriusque in solidum, sed in actu, seu exercitio jurisdictionis semper melior erit conditio prævenientis juxta text. & DD. in *c. proposuisti de Foro compet.* Panorm. in *c. audit. n. 14. h. t.*

Inferes III. Casu quò fortè Cajus existens in possessione domûs alienæ bonâ fide emptæ aliò profectus eandem domum relinquat vacuam, sed animò possessionem retinendi, alius verò eò diutiùs absente domûs possessionem clam ingrediatur, illámque possidere incipiat, hoc, inquam, casu non obstante clandestinâ possessione alterius, & absentiâ Cajum præscriptionem domûs legitimo tempore complere posse. Ratio est: quia licèt Cajus abeundo & relinquendo domum vacuam naturaliter possidere desinat, maximè postquam alter possessionem naturalem occupavit, tamen adhuc civiliter possidet, ac possessionem civilem retinet, & consequenter nihil impedit, quin præscriptio procedat per text. in *l. 6. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. possess.* Quòd si autem Cajus longo tempore, nimirum 10. annis abfuerit, & ita oblivionem quasi suæ rei induxerit, tum amittet possessionem per *l. 37. §. 1. ff. de Usurp. & usucap.*

Inferes IV. Non plùs aliquem præscribere, quàm possederit, juxta vulgatum illud: *tantùm præscriptum, quantùm possessum* arg. *l. 1. §. 5. ff. de itin. actuque priv.* Gail. 2. *Observ.* 68. Berlich. *p. 2. con-*

concluſ. 49. *n.* 23. Unde ſi Prælatus inferior contra Epiſcopum aliqua jura Epiſcopalia poſſideat, ſolùm illa præſcribet, quæ poſſedit, non alia. *c. cùm olim* 18. *h. t.* ubi Panorm. *num.* 7. notat, eum, qui poteſtatem excommunicandi tantùm præſcribendo exercuiſſet, completâ præſcriptione non præſcripſiſſe poteſtatem ſuſpendendi & abſolvendi, quamvis illæ aliàs æquiparentur. *c. quærenti de V. S. & c. is, cui* 20. *de Sentent. excom. in* 6. Vid. Barb. *de Jur. var. axiom. axiom.* 185. cum cit.

31. *Alterum* requiſitum eſt *Titulus*, ſive cauſa ex ſe habilis ad transferendum dominium, vel aliud jus reale, ut ſunt donatio, emptio, permutatio, do ut des, in dotem, aut in ſolutum datio, transactio, occupatio rei pro derelicto habitæ, adjudicatio, legatum, fideicommiſſum, aditio hæreditatis, & ejusmodi. Quibus ſi tradens fuit dominus, & alienandæ rei poteſtatem habuit, ipſum dominium, ſin minùs, ſaltem uſucapiendi conditionem transfert. *l. nullo juſto titulo* 24. *C. de Rei vindic.* ex qua regula generalis deducitur, quòd absque juſto titulo non poſſit dominium per uſucapionem, ſeu præſcriptionem acquiri.

32 Debet autem in uſucapione titulus vel verus intervenire, vel ſaltem rationabiliter exiſtimatus. Titulus verus tunc intervenit, ſi res (intellige à non domino) verè tibi donata, vel legata, vel vendita eſt; quem ſufficere, apud omnes peritos pro judicato eſt. Titulus rationabiliter exiſtimatus tunc intercedit, ſi probabiliter creditur, titulum interveniſſe, qui tamen à parte rei non intervenit, ut ſi Procurator vel ſervus tuus, cui emendam rem mandâſti, falsò tibi perſuaſerit, ſe emiſſe, atque ita tradiderit; & hunc ad præſcriptionem eſſe idoneum dubitare non ſinunt textus in *l.* 11. *ff. pro emptore.* ubi JCtus ait: *quod vulgò traditum eſt, eum, qui exiſtimat, ſe quid emiſſe, nec emerit, non poſſe pro emptore uſucapere, hactenus verum eſſe ait, ſi nullam juſtam cauſam ejus erroris emptor habeat: nam ſi fortè ſervus, vel procurator, cui emendam rem mandâſſet, perſuaſerit ei, ſe emiſſe, atque ita tradiderit, magis eſſe, ut uſucapio ſequatur.* Et in *l. fin. §.* 1. *ff. pro ſuo.* ubi Neratius id, quod dicitur cum falſa exiſtimatione uſucapionem procedere, ita interpretandum inquit, ſi error ſit probabilis; *veluti ſi ob id aliquid poſſideam, quòd ſervum meum, aut ejus, cujus in locum hæreditario jure ſucceſſi, emiſſe id falsò exiſtimem: quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error eſt.* Sanè titulus irrationabiliter putatus uſucapionem non ponit. §. 11. *Inſtitut. h. t.* Ideóque qui putat, ſe emiſſe, cùm non emerit: ſibi donatum, vel legatum eſſe, cùm ſit commodatum, aut depoſitum, pro emptore, pro donato, vel pro legato uſucapere nequit. *d. §.* 11. *l.* 27. *ff. de Uſurpat. & uſucap. l.* 1. *pr. ff. pro donato l.* 2. *& 3. ff. pro legato.* Nec malè: quia opinio nihil ponit in re, & veritas prævalet opinioni, præſertim ubi (prout etiam in propoſito contingit) vertitur error facti proprii, qui in jure non toleratur.

33 Cæterùm titulus non ad omnem præſcriptionem, ſed ad eam duntaxat, quæ trium, decem, aut viginti annorum eſt, deſideratur. In præſcriptione temporis longiſſimi, & multò magis in centenaria & immemoriali ordinariè titulus non requiritur, ſed ſufficit bona fides, quâ præſcribens credit, ſe titulum habere, ſeu cauſam poſſidendi, tametſi fortè non

habeat. *l. 3. & 4. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Ratio est, quòd antiquitas possessionis & lapsus tot annorum dispositione juris habeatur pro titulo, & præsumatur ex tam longo temporis spatio
34 justa possidendi causa. Et hoc quidem, quando aliunde non est præsumptio malæ fidei in possidente, quæ præsumptionem justi tituli elidat: neque jus resistit, ac positivè prohibet possessionem rei præscribendæ: alioquin enim etiam in præscriptione longissimi temporis allegari & probari debet titulus, aut possessio temporis immemorialis. Qua de causa in *c. 1. hoc tit. in 6.* sancitum est, Episcopum, qui in Diœcesi alterius Episcopi possidet Ecclesias, & decimas, contra eum non præscribere, nisi titulum ostendat, vel alleget tanti temporis præscriptionem, cujus contrarii memoria non existat.

35 *Tertium* præscriptionis requisitum absolvit *Bona fides*, id est, judicium, quo quis prudenter statuit rem esse suam, aut se à debito esse liberum: nam *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. c. 2. de R. J. in 6.* Quæ regula desumpta est ex *c. fin. h. t.* ibi: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat sine bonæ fide præscriptio, tam canonica quàm civilis, cùm generaliter omni constitutioni, & consuetudini sit derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari.* Quibus verbis corrigitur Jus Civile, quod solùm in initio præscriptionis bonam fidem requirebat, ita ut postea mala fides superveniens non officeret juxta §. *diutina Instit. de Usucap. l. si aliena 10. ff. de Usurp. & usucap. l. un. C. de Usucap. transf.* in præscriptione verò 30. vel 40. annorum simpliciter malam fidem admittebat per *l. 3. & seqq. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Sed

Dubitatur I. An qui ex ignorantia in- 36
vincibili juris rem ut suam usurpat, habeat bonam fidem ad præscriptionem sufficientem? Affirmativam amplectitur Medina *de Restit. q. 17.* quam videtur etiam ut probabilem agnoscere Lessius *de J. & J. l. 2. c. 6. dub. 5.* Layman. in *Theol. morali lib. 3. tr. 1. c. 8. numer. 11.* moti, quòd hæc juris ignorantia, eò ipsò quòd sit invincibilis, sit inculpata, & consequenter apta bonam fidem inducere, quæ ad præscribendum sufficiat arg. *l. 25. §. 6. ff. de Hæredit. petit.* Sed verius est, manifesti juris ignorantiam præscriptionem ordinariam impedire: tum quia præscriptio est modus acquirendi jure humano adinventus, ergo locum non habebit, ubi prohibet jus humanum; sed prohibet stante ignorantia juris clari. *l. 31. pr. ff. de Usurp. & usucap. l. 4. ff. de Juris & facti ignor. l. 2. §. 15. ff. Pro emptore.* tum etiam quia errans in jure claro non tantùm præsumitur, sed etiam fingitur esse in mala fide: *malæ fidei namque possessorem esse, nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur. l. 7. C. de Agricolis, & censitis.* Quare, ut docet Panorm. in *c. dudum de Decimis & in c. de quarta num. 12. h. t.* si quid emisti à Prælato sine consensu Capituli, putans hujus consensum non requiri, præscribere non potes, quia est error juris: secus, si arbitratus sis, illud consensisse, hic enim non est juris, sed facti error. Nec quicquam me movet adducta ratio: quia etsi simili ignorantiâ laborans non habeat malam fidem moraliter & theologicè, id est, malam conscientiam, habèt tamen malam fidem civiliter, id est, à legibus reprobatam.

Di-

Dixi notanter: *ignorantiam juris manifesti impedire præscriptionem ordinariam*: nam in præscriptione temporis longissimi 30. vel 40. annorum non obest: quia in hac nec titulus requiritur, nec mala fides nocet de Jure Civili. *l. siquis 8. C. de Præscription. 30. vel 40. ann.* De Jure Canonico verò tantùm ea mala fides excluditur, quæ peccatum est. *d. cap. ult. hoc tit.* Non est autem peccatum invincibilis juris ignorantia. Lessius *d. c. 6. num. 17.*

37 *Dubitatur* II. An fides dubia ponat obicem præscriptioni, an non? Ubi præmitto, dubium esse vel speculativum, vel practicum. Speculativum est, quo quis in genere & absolutè dubitat, an res sit sua, nec ne? Practicum, quo quis in particulari, & consideratis omnibus circumstantiis dubitat de rei dominio, & an rem licitè retinere possit. Quibus præmissis.

38 *Dico* I. Dubium speculativum, si jam adsit initiò cœptæ possessionis impedire præscriptionem; si postea irruat, non impedire. Ratio *prioris* est: quia ut rem, quam quis antè non habuit, licitè sibi vindicare incipiat, necesse est, ut determinatè judicet, eam vel nullius esse, vel legitimô titulô ad se pertinere: quoniam si dubitet, iniquè facit sibi usurpando: cùm non sit melior sua, quàm alterius conditio. Ratio *posterioris* est; quia tunc procedit regula, quòd sit melior conditio possidentis. *cap. in pari. 65. de R. J. in 6. l. 128. ff. Eod.* Qui enim possessionem jam cœpit, non debet illâ privari præcisè ex eo, quòd in ejus intellectu desinat hìc & nunc judicium de probitate dominii, alioquin omnes præscriptiones facilè vacillarent, sed insuper necesse est, quòd inducatur probabile & moraliter certum judicium, cui prudenter assensus negari non potest, rem esse alienam. Huc faciunt etiam omnia jura, quæ statuunt, dubitantem haberi pro ignorante. *l. ult. Cod. de Condict. indeb. l. in totum 76. ff. de Re judic. l. 1. ff. de Legat. 3.*

Dico II. Dubium practicum non tantùm impedire præscriptionem inchoandam, sed etiam inchoatæ cursum sistere: quia hoc dubium pugnat cum bona fide per *l. 32. §. 1. ff. de Usurp. & usucap.* ibi: *Si quis id, quod possidet, non putat sibi per leges licere usucapere, dicendum est, etiamsi erret, non procedere tamen ejus usucapionem: vel quia non bona fide videatur possidere: vel quia in jure erranti non procedat usucapio.* Et certè taliter dubitans, an licitè possit rem retinere, si nihilominus retinet, hòc ipsò peccat: tum quia se exponit periculo peccandi: tum quia, quod non est ex fide, hoc est, quod non sit cum determinato judicio conscientiæ esse licitum, peccatum est. *Ad Roman. 14. ℣. ult.* Clarissim. P. Paulus Mezger *de Justitia nat. & object. cap. 4. §. 8. num. 6.*

Dubitatur III. An mala fides respectu unius impediat bonam fidem respectu alterius? Affirmo: quia impossibile est, ut circa eandem rem, & idem jus quis habeat respectu unius personæ bonam fidem & respectu alterius malam: qui enim habet scientiam rei alienæ respectu unius, in bona fide esse nequit, sed necessariò putat, rem esse non suam: cùm duorum dominium in solidum esse non possit, & omnes scire debeant, quod suum non est, ad alios pertinere, ut dicit Imperator *in l. ult. C. Unde vi.* & consequenter talis respectu nullius potest præscribere. Ratione tamen diversi juris bene

39 po-

potest procedere, ut mala fides bonam non tollat, sic in una & eadem re unus potest habere dominium, & alius usumfructum, tertius esse possessor: iste possessor potest esse in bona fide respectu dominii, putans rem esse suam, & non alterius, & ita præscribere proprietatem; potest simul esse in mala fide respectu alterius, putans illum habere jus ususfructûs, & ita usumfructum respectu illius non præscribet. Bartol. in *l. naturaliter ff. de Usurpat. & usucap. num.* 11.

40 *Dubitatur* IV. An & quomodo mala fides auctoris noceat, vel bona prosit successori ad præscribendum? Distinguo inter successorem singularem, seu particularem, qui ex titulo singulari, puta emptionis, donationis, legati &c. rem ab alio consequitur, ac inter successorem universalem, qui titulo universali, atque in universum jus defuncti succedit; &

Dico I. Bona fides authoris prodest successori tam singulari, quàm universali, ita ut, nisi in hoc mala fides superveniat, accessione temporis uti, & tempus, quo author rem bonâ fide possedit, computare valeat cum tempore, quo ipse possidet, & sic complere tempus necessarium ad præscriptionem. §. 7. & 8. *Institut. de Usucap.* Ratio est: quia Author tradit rem successori cum omni Jure, quod ipse habuit, est autem pars juris, cœpisse præscriptionem.

Dico II. Mala fides authoris non nocet successori singulari, quò minùs possit rem præscribere, inchoando à propria possessione bonæ fidei. *d. §.* 8. *Institut. de Usucap. l.* 5. *pr. ff. de Diverſ. temporal. præſcript.* Ratio est: quia successor particularis non repræsentat authorem, consequenter licèt author communicet illi omne jus, quod habuit circa rem, non tamen hòc ipsò ei communicat vitia personalia. Excipitur successor in re immobili, cui mala fides authoris in tantum nocet, ut contra dominum ignorantem non possit præscribere, nisi tricenniò. *Novel.* 119. *c.* 7. *auth. malæ fidei C. de Præſcript. longi temp.* Schambogen *ad Inſtit. de Uſucap.* §. 8.

Dico III. Mala fides defuncti successori universali, seu hæredi usque adeò nocet, ut licèt ipse sit in bona fide, à se tamen præscriptionem inchoare non possit. *l.* 11. *C. de Acquir. poſſeſſ.* ubi dicitur: *vitia poſſeſſionum à majoribus contracta perdurant, & ſucceſſorem authoris ſui culpa comitatur, & l.* 11. *ff. de Diverſ. temporal. præſcript.* ex qua sic licet argumentari: quod defunctus non potuit præscribere, hoc neque hæres potest, atqui rem mala fide possessam defunctus non potuit præscribere, ergo rem malâ fide possessam neque hæres poterit præscribere. Accedit ratio: quia cùm hæres repræsentet personam defuncti, habet & ipse tali casu malam fidem, nempe fictam fictione juris: hoc est, jura fingunt possessionem hæredis initium capere ab illo puncto, & cum illa fide, quâ defunctus cœpit possidere, possessio namque defuncti eadem censetur cum possessione hæredis. Facit *l.* 3. *C. Communia de Uſucap.*

Verùm hæc assertio plurium DD. sensu restringitur ad præscriptionem ordinariam, seu longi temporis: eo quòd præscriptio longissimi temporis 30. vel 40. annorum Jure Civili locum habeat, etiam cum vera mala fide. *l.* 8. *C. de Præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* ergo multò magis cum mala fide ficta. Neque dixeris, in hoc jus Civile esse correctum à Jure Canonico: id quippe solùm correctum quoad malam

Jam fidem veram, quæ cum peccato, vel periculo peccati conjuncta est: cùm tota causa, cur Jus Canonicum voluerit corrigere Jus Civile fuerit, quia sine peccato, & animæ dispendio hæc Juris Civilis dispositio observari non poterat; ubi autem est ficta mala fides, nullum est peccatum Theologicum in possidendo, vel retinendo, ergo quoad hanc malam fidem non est correctum Jus Civile.

41 *Quintum*, quod hìc exigitur, requisitum est tempus legitimum. Et hoc secundùm naturam præscriptionis variatur, dicitúrque aliud *breve*, aliud *longum*, aliud *longissimum*, aliud denique *immemorale*.

42 *Breve* appellatur, quod est infra, vel supra triennium, minùs tamen decennio. Hoc modo triennio præscribuntur res mobiles quantumvis pretiosæ, tam contra privatos, quàm contra Ecclesias, saltem Romanâ inferiores. §. 1. *Instit. de Usucap. & Leon. C. de Usucap. transfor.*

43 Tempus *longum* sunt 10. anni inter præsentes, & 10. inter absentes, quo res immobiles cum titulo de Jure communi præscribuntur. *l. cùm in longi C. de Longi temp. præscript.* Censebantur autem olim præsentes, qui sub eodem Provinciæ Præside domicilium habebant. *l. fin. C. Eod.* absentes, qui sub diversis. Hodie præsentes dicimus, qui in eodem territorio, vel, si hoc minùs amplum est, sub eodem Præfecto domicilium habent; absentes, qui non ita habent. P. Engel *h. t. §. 5. n. 29.* Inter Clericos autem eadem Provincia reputatur respectu ejusdem Archi-Episcopatûs.

44 *Longissimum* tempus sunt 30. anni, & ultra. Sic bona privatorum sine titulo triginta annorum spatio. *l. 3. & 4. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* res fiscales, Ecclesiarum, Romanâ inferiorum, Monasteriorum, Hospitalium, piarum causarum, & Civitatum spatio 40. annorum. *Auth. quas actiones C. de SS. Ecclesiis. Novel. 111. & 131. c. 7.* res autem, maximè immobiles, Romanæ Ecclesiæ centum annis demum præscribuntur. *c. ad audientiam h. t.* Confer dicta *ad §. 6.*

Tempus *immemoriale* est, cujus initii 45
memoria non exstat; quod necessarium est toties, quoties nullum aliud sufficit. In specie locum habet & necessaria est præscriptio immemorialis, quando jus resistit præscribenti, hoc est, cùm positivè possessionem prohibet juxta *c. 1. h. t. in 6.*

Quæres I. Quanto tempore præscriban 46
tur obligationes, & actiones? R. actiones Civiles secernendas esse ab actionibus criminalibus.

Actiones Civiles præscribuntur ordinariè 30. annis. *l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. ann. Ordinariè* inquam. Excipitur I. actio hypothecaria, quæ etsi quando competit contra extraneum, extinguatur annis 30. quando tamen agitur contra ipsum debitorem, ejúsque hæredes, non excluditur, nisi lapsu 40. annorum. *l. 7. §. 1. Cod. Eod.* II. Actio redhibitoria, quæ 6. mensibus exspirat: & actio quanti minoris, quæ terminatur anno. *l. 1. & seqq. ff. de Ædilitio edict.* III. Eodem tempore finitur actio injuriarum. *l. 5. C. de Injuriis.* & regulariter omnes actiones prætoriæ pœnales. *l. 35. ff. de O. & A. princ. Instit. de Perpet. & tempor. actio.* IV. Actio doli, quæ biennio durat. *l. fin. C. de Doli mali except.* V. Querela inofficiosi testamenti, quæ quinquennio consumitur *l. 34. C. de Inoffic. testament.* & plures aliæ.

Actiones Criminales, & obligationes ex delicto ordinariè 20. annorum præscriptione tolluntur. *l. 12. Cod. ad Leg.*

Cornel. de Falſ. Excipitur accuſatio adulterii, lenocinii, & peculatûs, quæ quinquennio eliditur. *l.* 5. *C. ad Leg. Jul. de Adult. l.* 7. *ff. ad Leg. Jul. de pecul.* Præterea aliqua crimina valde enormia, ut læſæ Majeſtatis, parricidii &c. nullâ præſcriptione præſcribuntur per *l. fin. ff. ad L. Pompeiam de Parricid. l.* 19. *§.* 1. *ff. ad Leg. Cornel. de Falſ. l.* 4. *de Apoſt.* Plura de his Civiliſtæ.

47 *Quares* II. Quanto tempore præſcribantur ſervitutes? R. Servitutes tam reales, quàm perſonales, tam ruſticas, quàm urbanas, tam diſcontinuas, quàm continuas cum bona fide, & titulo inter præſentes 10. inter abſentes 20. annis, ſine titulo autem 30. annis præſcribi. *l. ult. C. de Præſcript. longi temp.* quæ indiſtinctè ſtatuit, ſervitutes longo tempore præſcribi. In praxi tamem receptum eſt, ut ſervitutes diſcontinuæ ſine titulo non præſcribantur, niſi tempore immemoriali. Vid. Pirrhing. *h. t. n.* 119. *& ſeq.*

§. VIII.

48 *Finis* Præſcriptionis eſt bonum publicum: unde *in l.* 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.* dicitur: *bono publico introducta eſt uſucapio;* ob multiplicem rationem. *Primam* aſſignat *d. l.* 1. *ne ſcilicet quarundam rerum diu, & fere ſemper incerta dominia eſſent, cùm ſufficeret dominis ad acquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium. Altera* eſt, ut importuna litium frequentia præcaveretur, & *ut aliquando litium eſſet finis. l. ult. ff. pro ſuo. Tertia*, ac minùs principalis, ut negligentia, ac deſidia hominum res, ac jura ſua proſequi negligentium vel acuatur, vel puniatur. *l.* 2. *C. de annali except.*

§. IX.

49 *Effectus* præſcriptionis eſt vel generalis, vel ſpecialis.

Effectus generalis Præſcriptionis eſt, quòd vel jus alienum perimat, vel dominium in præſcribentem transferat, eúmque ab onere reſtituendi liberet, etiam in foro conſcientiæ, eſto poſtea reſciat obligationem ſuam, vel rem eſſe alterius: nam completâ jam præſcriptione mala fides ſuperveniens nil officit; hic enim ſubintrat *Regula* 73. *Juris in* 6. factum legitimè retractari non debere, etſi caſus eveniat, à quo non potuit inchoari. Ratio eſt: quia completo tempore præſcriptionis cum bona fide, & aliis requiſitis jam eſt translatum dominium in poſſeſſorem, aut extincta ejus obligatio, non tantùm in foro externo, ſed etiam conſcientiæ; quapropter licèt poſtea comperiat, rem antea fuiſſe alienam, tamen non habet ampliùs malam fidem inducentem peccatum, atque adeò hæc illi nihil nocet. Vid. Fachin. *l.* 1. *controv. c.* 64. Covarr. *in Reg. poſſeſſor p.* 1. *§.* 1. *n.* 4. *& ſ. & p.* 3. *tot. §.* 2. cum citatis.

Effectus ſpecialis præſcriptionis immemorialis eſt I. Quòd id, quod eſt impræſcriptibile, ſive præſcribi non poteſt, præſcriptibile faciat. Panormit. *lib.* 2. *conſil.* 26. Anton. Natta. *conſil.* 446. *n.* 12. Roland. à Valle *conſil.* 3. *num.* 81. *lib.* 1. Et hinc ea, quæ jure Gentium omnibus communia ſunt, quæque regulariter præſcribi nequeunt, ſpatio temporis immemorialis acquiruntur, & præſcribuntur. Franciſ. Balb. *in tr. de Præſcript.* 4. *p. quinta principal. q.* 6. *n.* 5. *&* 8. ubi atteſtatur, hanc opinionem communiter eſſe receptam.

II. Quòd in ſubjecto capaci poſſeſſionis habeat vim privilegii à Principe conceſſi. *c. ſuper quibusdam §. præterea & ibi* Gloſſ. in V. *non exſtat de V. S.* Natta. *d. conſil.* 446. *n.* 11. Roland. à Valle. *conſil.*

fol. 66. n. 6. & consil. 89. n. 9. lib. 2. Consequenter illud, quod est acquisibile privilegiò, potest etiam acquiri præscriptione immemoriali. Latè Decius in consil. 589. n. 2. & in consil. 649. Cœvall. in tr. de Cognit. per viam violent. n. 224.

52 III. Quòd hæc præscriptio immemorialis non comprehendatur statuto, aut lege generalibus tantùm verbis excludente præscriptionem per clausulam: *non obstante præscriptione; arg. l. 3. §. ductus aqu. ff. de Aqua quotid. & æstiva* Layman in *Theolog. morali lib. 3. tr. 1. c. 8. n. 13.* P. Engel *h. t. sub n. 33.*

§. X.

53 *Contraria* sunt modi, quibus præscriptio vel non procedit, vel dormit, vel interrumpitur, aut rescinditur.

Non procedere dicitur præscriptio, quando ob defectum alicujus conditionis requisitæ non potest incipere, ut si in præscriptione triennali, decennali, aut vicennali desit titulus, bona fides, aut possessio civilis.

54 *Dormire* dicitur præscriptio tunc, quando legitimè inchoata ob impedimentum superveniens suspenditur, & quiescit, ita tamen ut remotô impedimentô denuo procedat, possitque tempus subsequens continuari cum præcedente, deducto solùm tempore intermedio inutili. Sic dormit contra pupillum durante ætate pupillari. *l. 48. ff. de Acquir. rer. dom. l. 10. ff. Quib. mod. servit. amitt. l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. Ann.* contra minorem durante minorennitate. *l. 3. C. Quib. non obiic. longi temp. præscript, l. ult. C. In quib. caus. in integr. restit. necess. non est. d. l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* contra Ecclesiam sede vacante, aut Prælato excommunicato, vel quomodocunque agere impedito. *c. 1. c. 14. c. 15. h. t.* Item tempore sævientis belli, aut grassantis contagionis, dum non est in loco, qui jus dicat. *c. 10. Eod.*

Interrumpi præscriptio potest vel na- 55
turaliter, vel civiliter. *Naturaliter* interrumpitur: si aliqua ex conditionibus requisitis deficiat, fortè quòd mala fides superveniat, titulus resolvatur, possessio amittatur. DD. in *l. naturaliter ff. de Usurpat. & usucap.* Etsi verò Felinus cum aliis opinetur, ob tituli, vel bonæ fidei defectum non interrumpi, sed dormire, ac sopiri præscriptionem, ita ut bonâ fide postmodum redeunte, continuari possit; verius tamen est, omnino interrumpi, ita ut debeat de novo inchoari. Molin. de *J. & J. tr. 2. disp. 78. n. 10. Civiliter* præscriptio interrumpitur, quando jus possidendi per aliquem actum juridicum in dubium vocatur, quod, ut alibi commemoravimus, fieri potest per citationem, litis contestationem, & maximè per sententiam.

Quæstio hic agitatur: an litis conte- 56
statio non tantùm præscriptionem longi temporis, sed etiam triennalem interrumpat?

Affirmativam evincere videtur textus in *l. 2. C. de Annali except.* quo perspicuè insinuatur, præscriptionem triennalem quoque interrumpi per litis contestationem, eò ipsô, quòd ibidem dicatur interrumpi etiam per denuntiationem factam Præsidi, si possessor præscribens propter absentiam, potentiam, vel infantiam conveniri non possit. Juvat quoque text. in *l. nemo 10. Cod. de Acquir. & retin. possess.* in qua generaliter & indistinctè decernitur, legitimam possessionem cessare, ubi litis contestatio intervenerit. Et hæc sententia communior usúque comprobata est.

57 Verùm ut jura juribus concordentur, neque facilè admittatur antinomia inter *Digesta*, & *Codicem*, valde probabiliter sustineri potest, triennalem præscriptionem non interrumpi litis contestatione, sed tantùm per sententiam definitivam per *l. 2. §. ult' ff. Pro emptore.* & *l. post accepium. 10. ff. de Rei vindic.* Ratio, cur non tam facilè interrumpatur præscriptio triennalis, ea datur, quòd hæc potissimùm in favorem præscribentis inducta sit; econtra præscriptio longissimi temporis maximè contra negligentiam, & in odium non exigentis debitum concessa sit, & respectu præscribentis minimè favorabilis, consequenter etiam solâ citatione interrumpitur, ut in *Tit. 3. sub num. 98.* dictum; præscriptio verò longi temporis medio modo se habet, & partim ob favorem præscribentis, partim ob odium & negligentiam non petentis comparata est, sícque litis contestatione tanquam modo quodam medio inter citationem, & sententiam interrumpitur: ita namque convenienter observari videtur juris ordo, & ratio. Gail. *l. 1. observ. 64. n. 22.*

58 Ne autem prædictis Legib. obloquatur *l. 2. Cod de Annali except.* intelligenda est, non de vera, & absoluta interruptione, sed potius de suspensione, ita videlicet, ut lite pendente, vel durante impedimento, quo minùs possessor conveniri possit (de quo casu solùm loquitur *d. l. 2.*) nulla currat præscriptio, vel usucapio, sed quasi dormiat, & in suspenso maneat, donec lis finiatur, & sententia sequatur, postea verò rursus continuetur, si sententia pro possessore lata sit; atque ideo in *d. l. 2.* dicitur in illo casu sufficere denuntiationem factam Præsidi *ad omnem temporalem interruptionem*, quæ verba rectè accipiuntur de suspensione, non verò de propriè dicta interruptione. Unde etiam *in fine* subjungitur: *omnibus aliis, quæ de longi temporis præscriptione, vel 30. vel 40. annorum curriculis constituta sunt, in suo robore duraturis.* Ad *l. 10. C. de Acquir. & retin. possess.* respondeo, eam exaudiendam esse in sensu accommodo, & proportionaliter aliis supra *cit. legib.* quæ in usucapione triennali propter litem contestatam malam fidem, & consequenter interruptionem non inducunt, sed duntaxat in longi temporis præscriptione; de hac igitur commodè exponi potest prædicta *Lex*, cùm necessariò limitari debeat: quòd enim litis contestatio simpliciter, & quoad omnes juris effectus in ficta mala fide possessorem non constituat, atque adeò *d. l. 10.* generaliter accipi nequeat, patet: quia alias, si lite pendente res possessa casu fortuito periret, ipse reus ejusmodi rem possidens propterea teneretur instar malæ fidei possessoris, quod repugnat æquitati, & *l. illud quoque 40. ff. de Hæredit. petit.* Quare litis contestatio fictione juris malam fidem inducit tantùm quoad impediendam longi temporis præscriptionem, & perceptionem fructuum, quoad alia verò relinquit possessorem in bona fide: neque absolutè vel à parte rei malæ fidei possessorem efficit, cùm tantùm causet dubium speculativum.

59 Denique *rescindi* dicitur præscriptio jam completa, quando adversus eam restitutio in integrum conceditur. Conceditur autem I. Minoribus quadriennio continuo à die, quo majores facti sunt, id est, ab anno 25. completo usque ad annum 29. completum. *l. un. C. Si adversus usucap.* II. Ecclesiis & piis locis integro quadriennio numerando à die, quo re

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

intellectâ integrum fuit restitutionem petere. c. 1. & 2. h. t. in 6. junctâ l. ult. Cod. de Temporib. in integr. restit. III. Ex causa, quæ judici justa videbitur, restitutio etiam indulgetur Majoribus. l. 1. ff. Ex quibus caus. Major. qualis causa justa censetur, si legitimè constet, aliquem non potuisse præscriptionem litis contestatione interrumpere propter absentiam causâ Reipublicæ, Studiorum, vel ob aliam similem rationem. An verò talis justa causa sit ignorantia prioris domini, ambigitur? negativa tamen juri magis est consentanea: siquidem si ignorantia justa causa esset, præscribens plenissimè securus non esset contra l. 4. in fin. Cod. de Præscript. 30. vel 40. ann. & finis usucapionis obtineri haud posset, nullúsque foret litium finis contra l. 5. princ. ff. Pro suo.

TITULUS XXVII.
De Sententia, & re judicata.

POst probationes, exceptiones, replicationes, &c. ac hinc inde allegata merita causæ sequitur *conclusio in causa*, & post hanc *sententia*, quæ nisi ab ea appellatum sit, transit *in rem judicatam*.

Pars I.
De Conclusione in causa.

SUMMARIA.

1. *Quid sit conclusio in causa. 2. 3. & quotuplex?*
4. *5. 6. In causa concludere debet pars utraque 7. & 8. si alterutra detrectet, à Judice cogitur.*
9. *Conclusio in causa est necessaria in omni processu ordinario.*
10. *Quomodo. 11. & cur fiat?*
12. *& seqq. Effectus conclusionis in causa, & quando post eam probatio recipiatur?*

§. I.

Definitur conclusio in causa, quòd sit controversiæ ad decisionem submissio. Strauch. *dissert. 26. aphor. 1.* 1

§. II.

Dividitur conclusio in causa I. in expressam, & tacitam. Expressa est, quando simpliciter, expressis, & disertis verbis renuntiatur omnibus probationibus, & exceptionibus juris, & facti. Tacita, quando non ita verbis expressis renunciatur, sed partes nullâ interpositâ protestatione de ampliùs deducendo jure suo simpliciter referunt causam ad sententiam. vulgò: Bitten den Richter stracks das Urthl zu sprechen. Termin. c. 49. Speculator. *in tit. de Renunt. & conclus. per tot.* 2

II. Dividitur conclusio in causa in puram, & eventualem. Pura est, quæ simpliciter, & absolutè causam concludit. Eventualis, quæ fit cum conditione, protestatione, & reservatione: veluti si etiam pars adversa concludat: si ea nihil novi ampliùs attigerit, vel alioquin nihil facti de novo emerserit; &c. Atque hoc modo concludendi semper uti deberet ille, qui prior concludit: cùm enim nesciat, an non adversarius adhuc aliquid in medium sit prolaturus, quod responsionem, aut refutationem postulet, nunquam deberet sibi ipsi penitus os occludere, & simpliciter omnibus allegationibus, aut responsionibus renuntiare. 3

§. III.

Causa efficiens conclusionis in causa est vel principalis, vel instrumentalis. 4

Principalis sunt Partes concludentes. Et quidem ut ad sententiam procedi possit, necessum est, ut pars utraque in causa

concluserit: nec enim Judex litigantibus suâ sententiâ obviare debet, priusquam ambo jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant. Text. in *cap. judicantem.* 11. *causâ* 30. *q.* 5.

5 Quod non tantùm de sententia definitiva, sed etiam de interlocutoria rectè intelligitur, ita ut neque hæc unquam feratur, aut publicetur, nisi priùs à Partibus conclusum, vel submissum sit, prout in Camera receptum testatur Gail. 1. *observ.* 107. *num.* 2. idque ideo: quia facultas probandi arctanda, & defensio cuiquam deneganda non est, sive de causa principali, sive de articulo aliquo inci-

6 dente loquamur. Uter autem priùs concludat, actor, an reus, nil interest, modò illud semper observetur, ut sicuti prima scriptura actoris fuit, ita ultima reo permittatur: cùm reus non debeat esse deterioris conditionis, & unâ scripturâ minùs habere; maximè quia non posset suspici, vel credi, quod scribit actor parte adversâ inauditâ.

7 Sed quid juris, si alterutra Partium negotium aliis, aliisque allegationibus procrastinare, & in longum producere velit, debétne tunc Judex usque ad illius placitum sententiam differre? Minimè; sed judex concludere nolentem compellet intra 30. dies omnia, quæ ad causam suam faciunt, proponere, & ita concludere, quòd si non fecerit, tunc ad ejus malitiam convincendam alium unum mensem indulgebit. Si verò & sic distulerit, alterius unius mensis dilationem præbebit, eóque elapso non ampliùs exspectans causam ipso facto pro concluса acceptabit; atque ad ferendam sententiam procedet. *Novel.* 115. *cap* 2. & inde desumptâ *auth. jubemus C. de Judiciis.* Brunnemann in *Proceſſ. civil. c.* 26. *num.* 3. Mynsing. *cent.* 3. *observ.* 17. *num.* 7. Menoch. *de Arbitr. Judic. lib.* 1. *q.* 35. *num.* 6. Verùm istiusmodi terminorum (sicut & aliarum dilationum) observationem hodie non esse necessariam, sed arbitrariam, post Speculator. notat P. Engel. *h. t. num.* 2. & supra *tit.* 8. *n.* 10. diximus.

Causa efficiens instrumentalis est Procu- 8
rator, qui nomine sui Principalis in causa concludit. Concludere verò non potest, nisi ad id speciale mandatum habeat. *Ordin. Cam. p.* 3. *tit.* 33. §. Es soll auch. Quia conclusio est species renuntiationis, quæ per alium sine speciali mandato fieri nequit.

§. IV.

Materia, seu objectum conclusionis in 9
causa sunt causæ controversæ. Est autem hæc conclusio in omnibus causis ordinariis, & processu ordinario necessaria, imò de substantia judicii per *c. quoniam contra de Probat.* & arg. *cap. cùm dilectus de Fide instrum.* traditque Gloss. *in Clem. sæpe in V. conclusione de Verb. signif.* Nisi aliud consuetudine obtineat. Felin. in *d. c. cùm dilectus num.* 33. Dissentit Gail. *d. observ.* 107. *num.* 1. dicens, in causis ordinariis de consuetudine potiùs, quàm de substantia requiri conclusionem in causa, & Panorm. *in cap. cùm J. & A.* 22. *num.* 12. *h. t.* ubi docet, jure non vitiari processum etiamsi conclusio omittatur. In causis summariis omitti posse hanc conclusionem, decisum est in *d. Clem. sæpe de V. S.* & tradit Menoch. *d. q.* 35. *n.* 1.

§. V. 10

Forma conclusionis in causa stat in modo concludendi. Certum autem est eam tam oretenus, quàm scripto fieri posse: neque alia solennitas requiritur, quàm ut mens concludere, & ulteriori pro-

processui renuntiare volentis, verbis, literis, aut quocunque modo declaretur. P. Engel. *h. t. n.* 1. Est tamen hæc renuntiatio postea ad acta referenda, eò quòd non præsumatur concluſum in causa, nisi ex actis constet. *d. c. quoniam contra de Probation.* Rosbach. in *Praxi civili tit.* 70. *num.* 2.

§. VI.

11 *Finis* conclusionis in causa est, ut veniatur ad finem processûs judiciarii: ideo namque conclusio in causa inventa est, ne per moratorias ambages lites redderentur immortales, & ut per eam præcluderetur via infinitis propemodum probationibus & exceptionibus.

§. VII.

12 *Effectus* conclusionis in causa alius est, si sit pura, alius si sit eventualis.

Effectus conclusionis in causa puræ est, quòd post eam regulariter nulla ampliùs admittatur probatio, aut exceptio. *c. cùm dilectus* 9. *de Fide instrum. c. pastoralis* 5. *de Causa possess. & propriet.* Covar. *in pract. qq. c.* 20. *n.* 8. cum aliis relatis. Cujus ratio est: quia conclusio in causa est terminus exclusivus omnium probationum, propterea quòd factâ conclusione dicatur omnino liquere de causa. Gloss. in *c. significaverunt in V. liquere de Testib.*

13 Dixi: *regulariter:* nam interdum contra est. Ita enim I. si Judici ex causa legitima videatur, testes, instrumenta, aliasve probationes post conclusionem in causa admittere, potest admittere. Panor. in *d. c.* 9. *de Fide instrum. n.* 3. quia Judici nunquam in causa concluditur. *c.* 10. *Eod.* ubi contra instrumentum, in quo simpliciter domus vendita dicitur, absolvitur venditor, ne teneatur restituere propter testes asserentes, venditionem conditionaliter factam, *non obstante,* inquit Pontifex, *quòd ipsa interrogatio facta fuerit, postquam à partibus extitit in causa concluſum: cùm Judex, qui usque ad prolationem sententiæ debet universa rimari, possit interrogare de facto, quoties dubitationis aliquid occurrit.* Qua ratione quamvis *in d. c. pastoralis* 5. *de causa possess. & propriet.* partibus denegetur transitus à petitorio ad possessorium post conclusionem causæ, Judici tamen sua potestas expressè reservatur, ut ex justa causa animum suum movente, puta si actori dolo, vel etiam casu probatio dominii subtrahatur, tunc transitum offerre, & permittere possit.

II. Post conclusionem in causa licet 14
exhibere allegationes juris, & requirere consilium à facultate aliqua Juridica, illúdque Judici offerre. Bald. *in auth. jubemus num.* 9. *C. de Judiciis.* quia per hujusmodi consilia DD. & allegationes juris non contravenitur conclusioni factæ: cùm Judici tantùm pro meliori informatione & instructione habeantur, parti verò adversæ omnino non communicentur; consequenter non renovat litem semel conclusione terminatam, neque tardant, sed magis promovent sententiam. Interim etiam sæpius contingit, quòd hujusmodi consilia parùm, aut nihil juvent proferentem, quando scilicet facti species, aut circumstantia aliqua, quæ in tali consilio supponitur, non sufficienter in judicio allegata, vel probata est: nam Judex parte altera inaudita non potest attendere ad talem scripturam, quatenus articulum, vel factum aliquod in actis non deductum continet, sed deberet procedere secundùm allegata, & probata.

III. Recipiuntur instrumenta, si novi 15
ter

ter reperta sint post conclusionem in causa. *l. oratione 7. ff. de Feriis.* ibi: *& maximè si aliquid inopinatum emergat. Ordin. Cam. p. 3. tit. 23.* von mündlichen Beschlüssen. Nec immeritò: quia, quæ de novo emergunt, novo indigent auxiliô. *l. de aetate §. ex causa ff. de Interrogat. l. 1. in fin. ff. de Ventre inspic.* Accedit, quòd tempus concessum ad producenda instrumenta currat à die notitiæ, non antea. *c. pastoralis de Except.* Debet tamen producens juramentô firmare, se noviter ea reperiisse, & post conclusionem ad ejus notitiam pervenisse, *d. c. pastoralis* Fachin. *l. 11. Controvers. cap. 26.*

16 IV. Post conclusionem in causa instrumenta edere potest minor, vel qui fruitur jure minoris, petitâ restitutione in integrum. Brunnemann *de Proceff. civil. c. 26. n. 9.* Fragos. *de Regim. Reip. Christ. p. 1. l. 5. disp. 13. num. 153.*

17 V. In causis criminalibus, licèt conclusum sit, donec sententia fuerit prolata, instrumenta, testes, & aliæ probationes à reo oblatæ admittuntur. *l. Divi fratres ff. de Pœnis l. 1. §. Si quis ultrò l. 18. §. 9. ff. de Quæstionib.* Ratio in promptu est: enimvero ideo post conclusionem in causa non recipiuntur novæ probationes, quia per eam omnibus renuntiatum fuit. Ergo cùm reus non possit in causa criminali renuntiare defensionibus propriis, ut qui non est Dominus vitæ, & membrorum, & post renuntiationem judex possit, & debeat recipere omnia, quæ ad rei innocentiam probandam faciunt, consequens est, à reo in causis criminalibus post conclusionem in causa instrumenta, testes, aut probationes novas edi posse. Et hæc exceptio procedit, si agatur de pœna corporali, secus si agatur de pœna pecuniaria. Fragos. *l. cit. n. 147.*

VI. In causa quoque matrimoniali, quæ æquipollet causæ criminali, post conclusionem in causa probationibus novis locum esse, tradit Gonzalez in *d. c. cùm dilectus 9. de fide instrum.* tum quia & hæc causa requirit probationes concludentes, & liquidissimas, præsertim si agatur de vinculo matrimonii infringendo, ex notatis per Gloss. & DD. in *c. mulieris & c. ult. de Jurejur.* ubi docent, non minùs in causa matrimoniali, quàm criminali juramentum suppletorium non deferri: tum quia etiam post sententiam latam in causa matrimoniali permissum est, novis, imò contrariis allegationibus & probationibus uti. *c. Lator 7. c. Consanguinei 11. h. t.* ergo multò magis idem post conclusionem in causa licebit.

VII. In causa appellationis produci possunt instrumenta & probationes, quibus in priori instantia obstabat conclusio. *l. per hanc Cod. de Temporib. appellation.* Si tamen partes expressè dixissent, se simpliciter concludere, & probationibus renuntiare etiam in casu interponendæ appellationis, talis conclusio valeret, & litigantibus in secunda instantia os occluderet. Specul. *de Renuntiat. & Conclus. num. 4.* Plures alias exceptiones adducunt Interpp. ad *d. c. cùm dilectus 9. de Fide instrum.* & aliquas *in Tit. de Except.* §. 8. prælibavimus.

Effectum conclusionis in causa eventualis quod attinet, spectandum est, quâ conditione, aut reservatione facta sit: si enim actor concludat sub conditione: si reus quoque concludere velit, vel novi aliquid in medium non proferat; actor conclusisse non censetur: quia actus sub conditione factus, eâ deficiente creditur

ditur non factus. Si concludens adjecerit clausulam cum oblatione *si quid facti &c.* Daß er zu beweisen / wo es vonnöthen / sich wolle anerbotten haben: ea hoc operatur, ut si Judex postmodum deprehendat, causam pleniori indigere probatione, eò facilius ex officio rescindat conclusionem, & altiorem probationem injungat. *d. cap.* 10. §. *ad hoc* ℣. *responsionem in fin. de Fide instrument. d. cap.* 5. §. *si verò de Caus. possess. & propr.* Gail. *lib.* 1. *Observat.* 107. Similiter si quis concludat cum clausula: *salvâ productione scripturarum;* posset instrumentum producere, eò quòd quoad illa concluſum non sit; quamvis sint, qui hanc clausulam rejiciant, & illusoriam putent cum Gilhausen *c.* 4. *Ram.* 6. *num.* 6.

Pars II.

De Sententia & re judicata.

SUMMARIA.

21. *Sententiæ etymologia.* 22. *Definitio.* 23. 24. 25. *Divisio.*
26. *usque* 36. *à quo.* 36. 37. 38. *in quem.*
39. 40. *& de quibus rebus sententia feratur?*
41. *usque* 50. *Requisita sententiæ.* 50. *Ejusdem finis.*
51. *usque* 59. *Quos effectus tum à parte Judicis, tum ex parte litigantium operetur sententia?*
59. *Contrariæ sententiæ.*

§. I.

21 *Sententia* dicitur à sentiendo; quia Judex per illam declarat, quid ipse in causa dubia, & inter partes controversa sentiat.

§. II.

22 *Definitur* sententia, quòd sit pronuntiatio Judicis super causa in judicio controversa.

Dicitur: quòd sit *pronuntiatio Judicis*, ut excludatur laudum arbitri, quod sententia propriè dicta non est, & consequenter etiam non parit actionem, aut exceptionem rei judicatæ.

§. III.

Dividitur sententia I. in definitivam, & 23 interlocutoriam. Eckolt *ad ff. h. t.* §. 4.

Definitiva, vulgò ein Ends-Bescheid / End-Urtl est, quæ principali causæ pronuntiatione Judicis per condemnationem, vel absolutionem finem imponit Glossa *in Clement.* 2. *de Sequestr. possess. & fruct.* Ut ecce! peto à Titio fundum Tusculanum; quem meum esse Titius in judicio negat; si Judex pronuntiet esse meum, aut non esse meum, & Titium ad restitutionem condemnet, vel ab ea absolvat, controversia est finita, & sententia definitiva à Judice prolata, quippe super puncto litis principali.

Sententia verò interlocutoria, vulgò ein Bey-Bescheid / Bey-Urtl dicta, quæ nomen sententiæ tantùm impropriè participat, est, quæ non super principali negotio, sed super emergenti, vel incidenti quæstione inter principium & finem causæ interloquendo fertur. Maranta in *Spec. aur. p.* 6. *de Sent. num.* 12. Ut ecce! peto à Titio 100. ex causa mutui, & mutuum probo per duos testes: excipit Titius contra testes, quasi sint inidonei, aut contra Judicem tanquam incompetentem, si Judex pronuntiet testes esse repellendos, aut exceptionem incompetentiæ esse legitimam, ejus sententia erit interlocutoria: quia litem non dirimit, nec definit negotium principale, non enim principaliter quæritur, an testes sint idonei, aut Judex competens, sed an 100. debeantur.

24 Porrò hæc sententia interlocutoria, vel simplex est, vel mixta. Simplex dicitur, quæ principali negotio non obest, nec effectum ad summam rei extendit: ut si partes litigandi causâ Judex certo die adesse jubeat, vel si exceptionem aliquam admittendam esse pronuntiet. Gail. 1. *Observat.* 129. Mynsing. *cent.* 11. *Observat.* 49. *& cent.* 4. *Observ.* 46. Mixta vocatur, quâ publicatâ Judicis officium exspirat, sententiáque definitiva alia non speratur, quæque summæ rei, sive controversiæ principali præjudicium facit, momentúmque affert ad absolutionem, vel condemnationem. Vult. 3. *de Judic. cap.* 11. *num.* 12. Gail. 1. *observ.* 130. *num.* 6. *&* 8. Qualis est, quæ absolvit partes ab observatione judicii, sive instantia, fortè propter actoris absentiam, vel etiam propter desertam appellationem. Mynsing. *cent.* 3. *Observat.* 88. quæ juramentum purgatorium defert parti: quæ pronuntiat actorem sufficienter probâsse intentum suum, aut reum non teneri respondere libello tanquam inepto: quâ se competentem, vel econtra dicit, & plures aliæ, quas adducit, & copioso apparatu exponit Felin. *ad Rubr. h. t.* Decian. 5. *respons.* 62. Carpzov. 3. *respons.* 48. *n.* 10. Atque hujusmodi sententia tum quoad formam interponendæ appellationis, tum quoad alios effectus juris definitivæ æquiparatur.

25 II. Sententia dividitur in condemnatoriam, & declaratoriam criminis; quos inter latum discrimen est; hæc enim posterior non damnat reum, neque pœnam infligit, sed solùm commissum esse crimen declarat, & condemnationem priùs per legem jam factam ostendit, unde fit, ut ea sententia quoad effectum retrotrahatur ad momentum, quo crimen patratum est: v. g. si reus privetur à lege bonis suis, etiamsi non teneatur iis se spoliare ante sententiam declaratoriam, ubi tamen illa prolata fuerit, restituere tenebitur omnes bonorum illorum fructus à die delicti commissi, & omnes contractus circa ea bona, eorúmque alienationes erunt irritandi; quia cùm esset privatus per legem dominio illorum bonorum, neque de illis disponere valide potuit, neque fructus illorum suos fecit. Sententia condemnatoria damnat reum, & infligit pœnam, quæ antea inflicta non erat, quamvis fortassis lex jussisset eam infligere. Vid. P. Engel. *de Constit. sub num.* 43.

§. IV.

Causa efficiens est Judex, qui eam profert, ut autem Judex sententiam legitimè proferat, ex parte ejus plura concurrant, necesse est.

I. Ut sit competens: nam Judex incompetens frustra pronuntiat. *l. ult. ff. de Jurisdiction.* & ab eo judicatum dici non potest, *l.* 1. *§. fin. ff. ad SCtum Trebell. l.* 1. *in fin. ff. Quod quisque jur. t. t. C. Si à non compet. c.* 4. *de Judiciis. c.* 3. *de Foro compet.* Quod extenditur, ut statutum excludens querelam nullitatis, non tamen excludat nullitatem profluentem ex defectu jurisdictionis. Gail. 1. *observ.* 42. *num.* 13. Glossa. *in Clem. un. de Sequestr. possess. in fin.* & ideo, licèt alioquin in Camera nullitates processûs, si de causa sufficienter ex actis constet, regulariter non attendantur. *Ordinat. Cam. p.* 3. *tit.* 34. *§.* und soll die Nullität attendantur tamen nullitates ex defectu jurisdictionis. Mynsing. 5. *observat.* 83. *& respons.* 47. *n.* 3. 10. *&* 29. *decad.* 5.

II. Ut sit prudens, & juris peritus. *Novel.* 82. *in pr.* ibi: *Neque enim putavi-*

mus convenire, ut illi Judicum nomen gerant, qui & rerum sunt imperiti, & in rebus agendis nullum habent usum, nullam experientiam &c. l. 14. ibi: *legum observatione judicium esse disposituros C. de Judic.* Non tamen in omnibus causis requiritur legum peritia, sed in quibusdam experientia cum bono judicio conjuncta sufficit. Unde artifices de causa sui artificii, Mercatores de causis suæ negotiationis, Milites de re militari optimè judicant. *l. fin. C. de Jurisdict. omn. Jud. l. penult. C. de Judic. & l. ult. C. de Re milit.* Cuilibet enim in sua arte credendum est. arg. *l. 12. ff. de Statu hom.*

28 III. Requiritur, ut Judex in formanda sententia sit memor, ut nullo odio, nullâ offensione, nulla levitate ducatur, sed merita causæ diligenter examinet plenâ cognitione adhibitâ. *l. 9. C. de Judiciis l. 23. C. de Transact.* Sed hîc

29 *Quæres* I. An Judex in ferenda sententia possit sequi sententiam minùs probabilem, vel an sequi teneatur probabiliorem. Posterius affirmo: hoc quippe exigit natura justitiæ, quæ respicit jus, & illi victoriam tribuit, cujus potior est causa, ac instar lancis eò inclinat, ubi majus est pondus rationum, & merita causæ: hoc postulat voluntas Principis, qui nunquam ferret Judicem jura partium confundentem, & qui victoriam adjudicaret minùs merenti: hoc à Judice exposcit ipsum suum officium, qui cùm minister sit legis pro eo stare debet, cui lex plùs favet: hoc inculcat consensus totius orbis, qui justitiam ideo velatam oculis, & cum bilance pingit: hoc denique evincunt jura. *necesse causa 3. q. 9. c. 12. de R. J. in 6. & l. non novam C. de Judiciis.* ut proinde meritò Innocentius XI. *anno 1679. die 2. Martii* contrariam sententiam damnaverit, & prohibuerit. Et quamvis in paritate probationum à Judice pronuntiandum sit in favorem matrimonii, dotis, libertatis, causæ piæ, & cujusvis alterius causæ favorabilis, si tamen sint probabiliores, digniores & efficaciores probationes in contrarium, tunc non debere judicari pro matrimonio, aliisve causis favorabilibus post alios tradit Mascard. *de Probat. conclus. 1143. num. 14. vol. 3.* Gutierez *de Matrim. c. 3. num. 18.* tum propter text. in *l. si pars 10. ff. de Inoffic. testam.* tum quia ita est causæ favorabili favendum, ut aliis non fiat injustitia. *c. ex tenore de Foro compet. & c. fin. de Donat. inter vir. & uxor.* Dissentit Menoch. *de Præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. n. 30.* cum plurimis aliis, qui contendunt, quòd quoties probationes vel opinio contra matrimonium, dotem, aut aliam causam favorabilem non sunt claræ, sed dubiæ, licèt probabiliores, dummodò probationes vel opinio pro causa favorabili sint probabiles, judicandum esse pro matrimonio, & alia causa favorabili, & privilegiata; quibus suffragari videtur *d. l. si pars 10. ff. de Inofficioso testam.* vult enim hæc lex, non esse attendendam sententiam latam pro testamento, quando apertè constat, Judices iniquè pronuntiâsse, ergo secus, si non constet clarè & apertè, licèt fortè altera sententia pronuntiata contra testamentum videatur niti clarioribus probationibus.

30

Quæres II. An non saltem in causa pro31 utraque parte æquè probabili Judici in judicando liceat sequi opinionem, quam maluerit, & totam rem amico adjudicare? Sunt, qui affirment, integrum esse Judici, adjudicare rem, cui maluerit; si-

cut cùm duo contendunt de beneficio, & sunt æquè ad illud digni, collaturo liberum est, cui maluerit, beneficium conferre. Panormit. in *c. 1. n. 15. de Constit.* Less. *de J. & J. lib. 2. c. 14. n. 44.* Sed magis est, ut censeam in casu æqualitatis probationum Judicem debere rem æqualiter utrinque adjudicare componendo partes inter se, vel dividendo rem inter partes, si divisibilis sit, aut dividendo fructus, vel pretium, si res ipsa non sit divisibilis: quia quando jura, leges, & rationes æquè, vel fere æquè probabiliter fovent utramque partem, utraque pars habet æquale jus ad rem. Ergo Judex pro suo arbitratu non potest totam rem uni adjudicare, nisi committendo acceptionem personarum, & manifestam injustitiam, scilicet auferendo alteri litiganti partem, in qua bonum jus fovet. Atque hanc sententiam defendit Menoch. *de Arbitr. Judic. casu 339. n. 22.* & pro ea expendi possunt §. *fin. Instit. Quib. ex caus. manumitt. non lic.* §. 25. *Institut. de rer. divis. l. antiqui* §. *ult. ff. Si pars hæredit. pet.* quibus juribus habetur, in varietate opinionum oppositarum mediam viam esse eligendam; & *l. 41. ff. de hæredib. Instit. l. 54. ff. Ad SCtum Trebell.* in quibus juribus proponitur medietatem in ambiguis servandam. Neque ad rem facit instantia de beneficio Ecclesiastico: quia nullus competentium (cùm neutrius sit) habet aliquod jus, etiam justitiæ distributivæ, ut sibi conferatur, sed hæc justitia potiùs dictat, ut alteri illorum tantùm conferatur; at extra materiam beneficiorum, cùm circa rem quampiam lis vertitur, & hinc inde sunt æquales probationes, utraque pars habet jus justitiæ commutativæ ad rem illam, quia utriusque est, cùm utrique æquè competat, ac proinde utrique per æquales portiones applicanda à Judice, cujus munus solùm est declarare, cui jus præfatum competat, consequenter pro utraque parte declarare debet.

Limita tamen I. ut procedat hæc opi- 31
nio, cùm nullus litigantium rem possidet, veluti si lis agitetur de hæreditate. Aliud est, si alter habeat rei possessionem: nam tunc res tota relinquenda possidenti per *c. ex literis de Probation.* cujus verba sunt: *quòdsi ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes præferantur;* Ad quod etiam facit *c. 11. de R. J. in 6. cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori:* Reus autem in causis civilibus censetur & dicitur possessor rei. Item *c. 65. Eod. in 6.* juxta quod *in pari causa* potior est conditio possidentis. Menoch. *de Adipisc. remed. 4. n. 955.* & *de retin. possess. remed. 3. n. 725.*

Limita II. Ut hæc doctrina solùm lo- 33
cum habeat in causis civilibus, non in criminalibus; in quibus dum sunt æquales probationes tam ex parte rei, quàm accusatoris, aut fisci, judicandum est in favorem rei, ut apertè constat ex *d. c. cùm sunt 11. de R. J. in 6.* & ex *c. 30. Eod. in 6.* ibi: *in obscuris minimum est sequendum*, quæ juxta omnes Interpp in criminalibus procedunt. Ratio est: tum quia in criminalibus ad condemnandum reum debent probationes esse luce meridianâ clariores. *l. fin. C. de Probation.* tum quia quàm diu quis non est probatus nocens, censendus est innocens ex vulgatis regulis; At in hoc casu accusatus non probatur nocens, cùm se æqualiter defendat. Mascard. *de Probat. conclus. 497. n. 1.* & alii ab eo laudati.

Limita III. Ut hæc opinio non obti- 34
neat in causis favorabilibus; cujusmodi sunt

sunt causæ matrimoniales, dotis, testamentorum, liberralis, pupillorum, peregrinorum, viduarum, aliæve causæ piæ: nam tunc cæteris paribus, seu in æqualitate probationum seu probabililatis favor illius causæ prævalet, & pro ea judicandum, etiamsi sit actrix juxta *c. fin. h. t.* & ibi Glossa. Menoch. *de Præsumpt. l. 2. præsumpt. 90. n. 16.*

35 IV. Requiritur, ut ipsemet Judex sententiam concipiat, & proprio ore promulget. *Ut ipse concipiat*: quia quamvis possit aliorum consilium requitere, non tamen potest sententiam aliorum arbitrio committere: unde Maranta *p. 6. tit. de Sent. num. 13.* tradit: si Judex requirat à Jurisperito consilium, illúdque locò sententiæ legat, quòd talis sententia de Jure non valeat, cùm sit Doctoris privati carentis jurisdictione; nisi Judex in calce scribat: *Nos Judex pronuntiamus, prout in tali suprascripto consilio continetur. Ut proprio ore promulget*: aliàs neque nomen sententiæ merebitur, nec ab ea appellare necesse erit juxta *c. fin. h. t. in 6. l. 2. C. de Sent. ex brevic.* Ab hac tamen regula *ibidem* excipitur Episcopus aliæque personæ illustres, quibus permissum est, sententias à se conceptas per alium recitare; imò si alicubi consuetudine receptum sit, quòd Judex sententiam per Archigrammatæum, vel alium promulget, talis consuetudo improbanda non est.

§. V.

36 *Subjectum* sententiæ est is, in quem fertur. Fertur autem in eum, qui vel suo, vel alieno nomine judicium suscipit, ut Procurator *l. 1. C. de Sentent. & interloc.* cùm enim procurator post litem contestatam dominus litis fiat. *c. 1. de Procuratoribus in 6. l. 23. & 24. C. eod.* imò omnes actus judiciales per eum expediri possint, utique etiam in eum sententia ferenda est. *d. l. 1.*

Sed hæc fortassis vera sunt, si ipse pro- 37
curator litem contestatus est. Quid dicendum, si post litem contestatam procurator à principali constitutus sit? Existimem, nihilominus Procuratorem condemnandum esse per text. in *l. 31. §. 1. ff. de Negot. gest.* Propterea, quòd judicatum solvi satisdare teneatur, ut maximè post litem contestatam datus sit. *l. 42. §. fin. l. 46. in pr. ff. de Procuratorib.* Et etiamsi litis contestationi principalis quasi intecesserit, ùt potiùs sententiam in eum retorquendam esse videatur, constitutione tamen procuratoris hoc jus in eum translatum esse, dicendum est, aliàs nec substitutus Procuratoris condemnari posset contra id, quod in praxi observatum est. Excipiuntur 38
tamen causæ criminales, & matrimonii, in quibus sententia non in procuratorem, sed principalem ferenda est arg. *l. ult. C. de Injuriis.* Planè in Camera legalis hæc subtilitas non attenditur, etsi enim ibi causæ non aliter, quàm per procuratorem agitentur, tamen sententiæ indistinctè in personam domini concipiuntur, exceptâ causâ injuriarum, ubi illud ad evitandam infamiam observatur. Gail. *1. observ. 111. num. 2. & 3.*

§. VI.

Materiam seu *objectum* sententiæ po- 39
nunt res, quæ in disceptationem judicialem cadunt: neque tantùm de re principali, sed & de accessoriis, ut puta de usuris, fructibus, litium expensis, de damnis, ac interesse sententia ferenda est. *t. t. C. de Fructib. & lit. expens.*

Quod expensas attinet, in eas con- 40
demnari solent duntaxat temerarii & im-

probi litigatores. §. 1. *Instit. de Pœna temer. litig.* Quæ improbitas non semper ex eventu litis, sed potiùs ex causa litigandi impulsiva æstimanda est, sæpe namque in judiciis evenit, ut victus abeat, qui alioquin optimo jure fruitur; ubi profectò iniqua sententia foret, si insuper expensarum condemnationem contineret. Hinc modò probabilem litigandi causam habuerit victus, compensari invicem solent expensæ. *l. pen. C. de fructibus & lit. expens.* Ipsa verò probabilitas litigandi præsumitur ex eo, si alicujus intentio semiplenâ probatione, consilio cujusdam Facultatis Juridicæ, vel ad minimum unius Doctoris privati suffragio suffulta sit: taliter enim qui litigat, temerarius dici nequit. Fragos. *de Regim. Christ. Reip. p. 1. l. 5. disp. 13. num. 16. & seqq.* Panorm. *in c. finem litibus de Dolo, & contum.*

§. VII.

41 *Forma* Sententiæ desumitur à solennitatibus, & requisitis, quibus sententia instructa esse debet; inter quæ

Primum est, ut sententia saltem æquivalenter contineat absolutionem, aut condemnationem. *l. præses 3. C. de Sentent. & interloc.* Unde licèt Judex comminetur condemnationem, aut pronuntiet, reum fore absolvendum, vel etiamsi dicat, actorem meliùs probâsse &c. necdum tamen erit sententia. Zasius *l res judicata ff. de Re judic. n. 6.* quia scilicet ad sententiam requiritur, ut Judex defacto vel reum condemnet juxta petitionem actoris, vel eundem absolvat, & liberum pronunciet ab eo, quod petitur.

42 *Secundum* requisitum sententiæ est, ut libello sit conformis. *l. 15. C. de Comm. divid. c. 31. de Simonia l. fin. C. Fidecom. lib.* fatuus enim dicitur Judex, qui in aliud condemnat, quàm quod fuit petitum, redditúrque sententia ipsô jure nulla. *d. l. fin. & ibi DD. cap. 3. §. cæterùm h. t. in 6.* Intellige quoad modum decidendi, non quoad conclusionem, & petitionem actoris; quia alioquin sequeretur omnem sententiam esse condemnatoriam, nec unquam reum absolvi posse, cùm actor in suo libello reum condemnari semper petat.

Tertium est, ut sententia sit certa vel 43
in se, vel in relatione ad aliud. Sententia omnino incerta, & obscura, quæ litem potiùs accendit, quàm extinguit, nihil valet juxta *l. in sententiis 59. ff. de Re judic.* itaque nulla est sententia, si Judex inclamet: *Redde quod debes;* vel si condemnet reum ad 1000. fl. & usuras: cùm enim variæ, & multùm diversæ sint usuræ, quoad eas talis sententia esset incerta, adeóque nulla. Monet tamen Zasius *in d. l. in sententiis n. 3.* & Innocent. *in c. inter dilectos de Donationibus* valere sententiam, quâ jubetur restitui fundus cum fructibus, domus cum suppellectili, castrum cum pertinentiis: quia tametsi tempore sententiæ fructus &c. sint incerti, tamen tempore executionis certificari, & specificari debebunt, atque Judex eò respexisse videtur.

Quartum, quod in sententia exigitur, 44
requisitum est, ut sit pura: non enim sub conditione sententia dicenda est, inquit JCtus in *l. 1. §. 5. ff. Quando appell.* Inde concludo sententiam ita prolatam: *Condemno Titium, si est probatum, eum debere;* haud consistere posse, cùm hâc ratione nullus finis imponatur controversiæ contra *l. 1. ff. de Re judic.* neque tale quid pronuncietur, ut propterea litigantes à tota controversia discedere velint. *l. 19. §. 1. ff. de Recept. qui arbitr.*

Ad-

Adde, quòd talis sententia lata censeatur absque causæ cognitione, cùm adhuc in dubio sit, an Judex cognoverit: an probatum sit, nec ne?

45 *Quintum* requisitum est, ut sententia juri, & legibus congruat: *pr. Institut. de Offic. Judic.* Contra jus lata est ipso jure nulla, & sine appellatione rescindi potest. *l.* 1. *§.* 2. *ff. Qua sent. sine Appel. rescind.* Hæc extendo etiam ad receptas constitutiones extravagantes, ad consuetudinem, & statuta locorum, ut quæ vim & effectum legis habent. *l.* 9. *ff. de J. & J. l.* 32. *ff. de Legib.* Bartol. *in l. cùm probatis. ff. de Re judic.* Restringo tamen ad jura, seu leges claras, & manifestas. Alias si constitutio, vel lex communiter reputetur obscura, ob hujusmodi probabilem excusationem, si Judex contra eam, quasi putans ad causam non facere, pronuntiâsset, sententia sustinetur. *l.* 32. *ff. de Re judic.*

46 *Dubitari* posset: valeátne sententia contra privilegium lata, veluti si Monasterium per privilegium Pontificium exemptum jurisdictioni Episcopi subjacere pronuntietur. Panorm. *in c.* 1. *h. t. n.* 18. ait, talem sententiam valere, & nisi tempestivè appelletur, transire in rem judicatam per text. *c. suborta* 21. *Eod.* ubi hæc ratio redditur: vel enim tale privilegium fuit in judicio probatum; & Judex tulit sententiam contra illud; & intelligitur reprobâsse: vel non est exhibitum, ac probatum; & Judex illius rationem habere non debuit: neque etiam vi privilegii noviter reperti, vel producti sententia, à qua appellatum non est, retractari potest. Non obstat, quòd privilegium sit, & dicatur lex in *cap. privilegia dist.* 3. quia est tantùm lex privata, & talis, cui quivis renuntiare potest, proinde Judex ad privilegium non debet attendere, nisi allegetur, cùm penes partem sit, utrùm suo privilegio uti velit, nec ne: & licèt allegetur, non est, nisi lex dubia & incerta, cùm semper dubitari possit, an non fortè per subreptionem obtentum, vel falsificatum sit, sicque sententia contra privilegium lata non est contra legem claram & indubitatam, adeóque valida.

Sexti in sententia requisiti vicem explet 47
citatio partium: siquidem si unus litigantium non fuerit specialiter citatus ad audiendam sententiam, ea nulla erit, usque adeò, ut etiam pro absente lata non valeat. *l. ea quæ* 7. *C. Quomodo, & quando Judex.* & ibi Gloss. & Bartol. Gail. 1. *Observat.* 109. *num.* 1. Et hoc non solùm de sententia definitiva, sed & interlocutoria plures accipiunt, si interlocutio talis sit, quæ absenti magnum possit adferre gravamen: quia tunc causæ cognitione, & per consequens adversæ partis citatione opus foret. Quòdsi tamen partes citatione factâ contumaciter comparere nolint; rectè & validè sententiam promulgari, constat ex *d. l. ea quæ. & auth. qui semel C. Eod.*

Septimum requisitum est, ut in scri- 48
pturam redigatur sententia, & ex scripto per Judicem recitetur: unde inprimis sententia nulla est, quam Judex scriptam dedit litigantibus, si eam non priùs recitavit, *l.* 1. *C. de Sentent. ex peric. recit. & cap. fin. hoc. tit. in* 6. Econtra sententia, quæ dicta fuerit, cùm scripta non esset, nulla est, nec nomen sententiæ meretur per *d. l. fin. C. de Sent. ex peric. recit.* Excipiuntur in *auth. nisi breves C. Eod.* causæ breves, & levis momenti, in quibus, ut tempori, & sumptibus parcatur, sine scriptura procedi potest, sicut etiam quando Episcopus inter suos subditos

cognoscit, scripturam non requiri, *ibidem* deciditur.

49 *Octavum* denique sententiæ requisitum est, ut debito loco, & tempore proferatur. Hinc non potest Judex in convivio, vel inter pocula sententiam ferre, sed debet pro tribunali sedere, & in loco consueto, vel judicio destinato jus dicere, & quidem sedens, ut major sit, & appareat attentio, & authoritas in judice, ita ut si Judex stans, vel deambulans sententiam promulgaret, ea nulla & invalida foret. *cap. fin. hoc. tit. in 6.* & DD. *in Novell. 82. §. sedebunt &c.* Circa tempus præprimis observandum est, ne sententia die feriato promulgetur. *l. 4. Cod. Quomodo & quando Judex.* alioquin, ut omnis alius actus judicialis tempore feriarum factus, inutilis, & sine valore foret. Præterea ut interdiu sententia feratur, juri consonum existimo, non de nocte, vel post vesperas. Glossa. in §. *omnis stipulatio 2. Institut. de Verbor. obligat. cap. 24. de Offic. delegat.* Interim de antiquo stylo Curiæ Romanæ sententias etiam de noctu ferri solitas, nec propterea ipso jure nullas esse censendas, tradit Hostiens. *in Summa de Judiciis num.* 11. Sicut universim in his & aliis solennitatibus judiciorum non tam jus commune, quàm rationabiles locorum consuetudines observandæ sunt, & in praxi non statim sententia nullitatis arguenda est, tametsi fortè una vel altera ex modò memoratis conditionibus desit. P. Engl. *h. t. n. 6.*

§. VIII.

50 *Finis* sententiæ ritè latæ est, ut sit litium finis, & actor vel reus certus sit de jure suo, peragatúrque id, quod pronuntiatum est *c. 2. h. t.*

§. IX.

Effectus sententiæ varii sunt & multiplices tum respectu Judicis, tum respectu litigantium.

Respectu Judicis hunc operatur effectum, quòd officio ejus finem imponat: enimvero postcaquam Judex semel dixit sententiam devinitivam, officio suo functus censetur, sic ut sententiam latam revocare aut corrigere nequeat, quamvis illam iniquam esse, manifestè agnoscat, modò non sit omnino nulla. *l. Judex §. ff. de Re judicat.* Diversum procedit in sententia interlocutoria, quam semper revocare, & corrigere Judici permissum est per *l. quod jussit 14. ff. End. & c. 60. de Appellat.* Ita ut etiamsi pars, contra quam talis interlocutoria pronunciata est, non appellet aut reclamet intra decendium, tamen sententia non transeat in rem judicatam ex parte Judicis, quin usque ad definitivam ab eo recantari queat. Text. & Bartol. in *d. l. quod jussit.* Imò valde probabile reor, quòd licèt Judex non revocaverit sententiam interlocutoriam injustam, possit nihilominus in calculo ferendæ sententiæ definitivæ sui erroris habere rationem, eámque emendare, quapropter si Judex per interlocutoriam aliquod instrumentum ab actore prolatum tanquam vitiosum rejecerit, & ex postfacto agnoscat, se injustè rejeciisse, poterit hanc sententiam revocare, vel si culpam suam fateri erubescat, in sententia definitiva sui erroris rationem habere poterit, & pro actore judicare, ac si instrumentum tale nunquam rejecisset. Decius *consil. 86.*

Respectu litigantium effectus sententiæ sunt. I. Sententia post decem dies transit in rem judicatam, & pro veritate habetur. *l. res judicata 207. ff. de R. Jur.* adeò ut ulteriùs impugnari vel iniquitatis argui non possit, nec audiatur pars victa etsi

ctli siquidè de Jure suo, & iniquitate sententiæ probare velit: quia pro sententia, quæ transivit in rem judicatam est præsumptio juris, & de jure, quæ probationem in contrarium non admittit etiam per instrumenta, vel privilegia noviter reperta. *c. suborta. 21. h. t. l. post rem. 56. ff. de Rejudic.*

13 Reperias tamen casus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, sed semper impugnari, & retractari potest. Scilicet I. In causis matrimonialibus: quamvis enim Judex Ecclesiasticus secundum allegata & probata justam sententiam divortii tulerit, si tamen ex postfacto appareat, vel legitimè probetur, nullum impedimentum revera subesse, rescinditur sententia. *cap. 7. & 11. h. t.* Quia in materia Sacramenti præsumptio non præjudicat veritati, & matrimonium semel validum nec per sententiam nec ullâ aliâ ratione dissolvi potest. II. Quando Judex actori non planè probanti juramentum suppletorium detulit, atque propterea causam adjudicavit per text. in *l. admonendi ff. de Jurejurando.* III. Sententias pretio emptas, sive à Judice pecuniis corrupto latas, etiamsi non appelletur, infirmas esse, adeóque non transire in rem judicatam, cautum est in *l. 7. Cod. Quando provocar. non est necesse.* IV. Si causa, propter quam aliquis est condemnatus, redit ad cautam: nam tunc sententia ritè lata in effectu fit nulla, & solutum tanquam sine causa datum repetitur; ut si fullo propter vestimenta suâ culpâ omissa condemnatus pretium solvit, postea quam Dominus vestimenta iterum invenerit, fullo pretium repetet. *l. si fullo 2. ff. de Condictionib. sine causa.* V. Si error, aut falsa causa Judicem movens sententiæ inseratur. *l. 1. §. 1. ff. Quæ sent. sine appell. rescind.* Unde pro cautela adverte, quòd licèt in causis criminalibus debeat exprimi causa, nec valeat sententia, si judex dicat, se propter justas causas sufficienter probatas aliquem condemnare ad mortem, tamen in causis civilibus id necessum non sit, sed Judex fatuus dicitur, qui sui judicii causam dicit: cùm per hoc sententiam suam exponat periculo nullitatis, impediátque, quò minùs perfectè transeat in rem judicatam: quòd semper timendum, ne fortè probetur causam insertam esse falsam, & consequenter sententia rescindatur. P. Engl. *h. t. num. 26.*

II. Sententia pro satisfactione parit 14
actionem & exceptionem rei judicatæ. *de actione judicati* textus est in *l. 4. & in l. 6. §. fin. ff. de Rejudic.* Ubi tamen scire prodest, illam non contra quemlibet agentem, utpote contra Procuratorem, Tutorem, Curatorem &c. sed contra Principalem regulatiter intentari posse. *d. l. 4. in pr. ff. Eod. l. 61. ff. de Procuratoribus,* iniquum enim esset, eum actione judicati teneri, qui non suo, sed alterius nomine litigavit. *l. 1. ff. Eod. de Exceptione rei judicatæ* textus est in §. 5. *Institut. de Exception. & t. t. ff. de Exceptione rei judic.* Nam sicut in reum condemnatum, si non satisfaciat sententiæ, petitor habet actionem, ita ex diverso, si actor finitam litem restaurare voluerit; de eadem re adversus eandem personam in eadem causa, tunc reo competit exceptio rei judicatæ.

III. Sententia jus facit inter litigantes, 15
aliis verò non præjudicat, quantumvis par sit ratio omnium, & una causa plu-

res tangat. Hinc tametsi cohæres meus sit damnatus debito testatoris, nihilominus ego contradicere & defensiones meas opponere possum. Idem est, si duobus aliquid ex eadem causa debeatur, puta ex stipulatione, aut legato. *l. sæpe 63. ff. de Re judic. t. t. C. Res inter alios acta &c.* Ratio est: quia licèt à parte rei par sit ratio, & idem jus utriusque, cùm tamen secundùm allegata, & probata sententia ferenda sit, sine omni iniquitate & injustitia Judicis fieri potest, ut in eadem causa unus vincat, alter succumbat.

56 Verùm duo casus excipiuntur tam in *d. l. sæpe.* quàm in *c. penult. h. t.* Sententia inter duos litigantes lata prodest, vel nocet aliis, qui ab illis causam habent, & quorum jus vel actio à Jure litigantium dependet: v. g. si à venditore meo vindicatur, & eviucitur res mihi hypothecata, per eandem sententiam mihi hypotheca tollitur. Similiter si contra hæredem pronuntiatur testamentum esse invalidum, hôc ipsô legatarius suum legatum ampliùs petere nequit. *l. Papinianus §. 16. ff. de Inoffic. testament.* Secundus casus est, si is, cui principaliter & primô locô actio competit, patitur scienter agere sequentem: quia hôc ipsô consentire videtur, ut alter suo nomine quasi Procurator suus experiatur; veluti si debitor patiatur creditorem agere de dominio, & proprietate rei sibi oppignoratæ; vel si possessor cujuscunque rei patiatur illum, à quo emit, de dominio illius in judicio respondere. Text. & Bartol. in *d. l. sæpe ff. de Re judic.*

57 IV. Sententia condemnatum nonnunquam infamiâ notat: ut I. in omnibus judiciis, & delictis publicis, utpote si quis condemnetur de adulterio, veneficio, &c. II. Etiam in nonnullis delictis privatis, quorum quatuor recensentur in §. *ex quibusdam Instit. de Pœnal. tem. litig.* nimirùm furtum, rapina, injuria, & dolus, quibus plura addi possunt ex *l. 1, & t. t. ff. de his, qui de not. infam.* III. In quatuor quoque contractibus: depositi, mandato, tutela, & societate sententia condemnatoria, infamiam irrogat, siquidem directâ actione, & propter dolum agatur: veluti si depositarius dolo rem destruxit, si Tutor dolosè versatus est in bonis pupilli. *d. l. 1. ff. de His, qui not. infam.* Idque ideo in dictis contractibus singulariter constitutum est, qui non solùm fides, in omnibus contractibus servanda, sed specialiter etiam amicitia violatur, eò quòd is, qui mecum societatem init, depositum recipit, tutelam, aut mandatum acceptat, singularem meum amicum se simulet, & pro tali à me habeatur; ac proinde si dolum committat, fallit me sub specie amicitiæ, & duas res sanctissimas fidem pariter, & amicitiam lædit.

58 Demum ad *effectum* sententiæ spectat executio; quæ quidem non semper per actionis modum, sed interdum per implorationem officii Judicis fit, & mixti est imperii; consequenter non à quolibet Judice fieri debet, sed ab ordinario tantùm, sive ab eo, qui Judicem dedit. *l. 5. l. 15. ff. de Re judic. l. cognitio. ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* Modus autem executionis talis est, ut post quadrimestre tempus à sententia elapsum, vocatis partibus, in rebus in condemnationem deductis præcisè, deinde in pignoribus fiat, ita videlicet, ut pignora primò in mobilibus, deinde in immobilibus, & denique in nominibus capiantur,

tur, póstque duos menses solutioni destinatos debitô non solutô distrahantur, & si emptorem non invenerint, eâ quantitate, quæ debetur, addicantur. *l.* 4. §. 3. *d. l.* 15. §. 2. 3. & 4. *ff. de Re judic. l.* 2. *l.* 3. *C. de Usur. rei judic.*

§. X.

59 *Contraria* sunt modi, quibus sententia impugnatur. Potest autem impugnari ex duplici capite, nempe ex capite iniquitatis, vel nullitatis. Et verò multùm interest, an sententia à Judice non rectè lata iniqua tantùm sit vel omninò nulla? quoniam si tantùm iniqua, vel injusta sit, suppedit remedium appellationis, quæ nisi intra 10. dies interponatur, sententia transibit in rem judicatam, & mandabitur executioni, non secus, ac si justissima foret juxta *c. cùm inter* 13. *h. t.* Sin autem nulla, & de jure invalida sit, non transit in rem judicatam, sed per 30. annos de nullitate agi poterit. Neque opus erit adire Judicem superiorem, sed ipse Judex primæ instantiæ talem sententiam retractare poterit: quia nondum est officio functus, eò ipsô, quòd sententia, quam tulit, nulla sit, & per consequens nullam in jure effectum habeat, sícque nec faciat officium Judicis exspirare juxta *l.* 1. *C. de Sentent. & interloc.* Aliud est, si sententia solùm injusta sit: eo quippe casu, cùm Judex verè sententiam tulerit, desinit esse Judex: quia ut diximus, functus est officio, sive bene, sive malè per *d. l. Judex.* 55. *ff. de Re judic.*

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.

ATque hæc de *primo judicio*. Sequitur *secundum*, sive *appellationis*; cum qua parificatur *Recusatio*, & *Relatio*; quæ idcirco *hoc tit.* conjunguntur.

Pars I.

De Appellationibus.

SUMMARIA.

1. Appellationis homonymia. 2. definitio. 3. 4. & divisio.

5. 6. 7. Quo jure. 8. usque. 17. quibus. 17. usque 23. à quo Judice. 23. usque 26. ad quem Judiceme 26. usque 37. In quibus causis appellatio interponi possit?

37. usque 43. proponitur Appellationis ordo. 43. usque 48. tempus. 48. 49. & modus.

50. Appellationis finis. 51. usque 55. Effectus. 55. Ejusdem remedia affinia.

§. I.

Appellationis vocabulum variè tam à Grammaticis, quàm Jurisconsultis usurpatum legimus. Omissis illis, his appellare modò est, familiariter aliquem de debito compellare. *l.* 16. §. *fin. ff. de Fidejussorib.* Aliquando blandâ oratione pudicitiam attentare. *l.* 15. *§.* 15. & §. 20. *ff. de Injur.* Sæpe Judicis officium implorare. *l.* 1. §. 1. *ff. Ex quib. caus. major.* Sæpissimè á gravamine Judicis inferioris ad superiorem provocare. *t. t. X. in* 6. *in Clem. ff. & C. h. t.* Scacc. *de Appellat. q.* 1. Quæ significatio nostro potissimum instituto servit. 1

§. II.

Definitur appellatio, quòd sit à Judice inferiore ad Superiorem ratione sententiæ vel gravaminis gradatim ritéque 2

facta provocatio. Colligitur ex *l.* 1. & 86. *ff. h. t.*

§. III.

3 *Dividitur* appellatio I. in judicialem, & extrajudicialem, quæ divisio fundatur in *l.* 1. §. 2. & 3. *ff. Quomodo appell. c.* 1. & 8. *h. t. in* 6. *Clem.* 3. *Eod.* Judicialis est, quæ fit ab actu judiciali, puta à sententia definitiva, vel interlocutoria, scilicet in iis casibus, in quibus ab interlocutoria jure appellare licet. Extrajudicialis ea dicitur, quæ ab actu, aut decreto extrajudiciali interponitur, quoties quis gravatur, vel gravamen sibi inferendum esse suspicatur; ut quando quis inique captus, aut incarceratus est. Zoës. *ad ff. h. t. n.* 2. vel si fiat appellatio contra electiones, collationes, & provisiones. *c.* 23. *h. t. c.* 8. *Eod. in* 6. Et hæc extrajudicialis appellatio propriè appellatio non est, sed provocatio ad causam dici solet: quia pertinet ad causam inchoandam. *c.* 5. *h. t.* ideóque in rescriptis, ac materia præsertim odiosa nomine appellationis non continetur. Scaccia *d. q.* 1. *n.* 8.

4 II. Dividitur in appellationem frivolam, seu frustratoriam, & in justam, seu legitimam. Appellatio frivola est, quæ tantùm interponitur morandæ solutionis, vel suspendendi judicii causâ. *l. tutor. ff. de Usur.* & propterea repellenda est. *l. si rem alienam. §. solutam autem. ff. de Pignorat. act. c. cùm appellationib. h. t. in* 6. Justa ac legitima est; quæ ad excutiendum gravamen adhibetur, & ideo huic deferendum est. *c.* 11. *Eod.*

§. IV.

5 *Causa efficiens* Appellationis est vel remota, vel proxima.

Remota est Jus. Sed quale: num naturale, an positivum?

Panormit. *in rubr. h. t. n.* 6. Treut. *vol.* 2. *disp.* 33. *th.* 1. & alii appellationis originem à jure naturali cient: quia sapit quandam defensionem, quæ juris naturalis est. *l. ut vim.* 3. *ff. de J. & J. l.* 45. *§. qui cùm aliter. ff. Ad leg. Aquil. Clem. pastoralis. §. cæterùm de Sent. & re judic.* Et certè non alia ex ratione, quam quia appellatio defensio est, excommunicatis, etsi ut actores in judicio comparuissent, appellare permissum est in *c.* 5. 8. 10. 11. *& ult. de Except.* Unde etiam Gail. 1. *observ.* 135. *n.* 12. Mynsing. *cent.* 1. *observ.* 14. & Roland. à Valle *vol.* 1. *consil.* 29. deducunt, statuto, aut lege municipali appellationem quidem restringi, sed non in totum tolli posse. Quatenus verò appellationi certa forma data, scilicet ut fatalia exactè observentur, appelletúrque vel vivâ voce, vel in scriptis, juris civilibus esse, dubitare non sinunt text. in *l.* 2. §. *exactis.* 16. *ff. de Orig. jur.* & *l. un. C. de Sent. Præfect. prætor.*

Econtra Covarr. *Pract quæst. c.* 23. & 6 Pinell. *in rubr. C. de Rescind. vend. l.* 5. *n.* 22. appellationem esse defensionem, sed non juris naturalis, imò juris positivi sustinent: tum quia jus appellandi pactò remitti potest. *l. fin. §. fin. C. de Temporib. appell.* tum quia appellatio per Principem impediri solet: frequens namque est causas committi, ac delegari cum clausula: *appellatione remota. c.* 1. *de Rescript. c.* 25. 28. *& 47. de Offic. deleg. c.* 41. 53. *& 59. h. t. l.* 1. §. *interdum ff. A quib. appell.* Quæ, si appellatio juris naturalis esset, fieri non possent: quæ enim juris naturalis sunt, firma, & immutabilia semper persistunt. *d. Clem. pastoralis. §. cæterùm, de Sent. & re judic.* §. 11. *Inst. de J. N. G. & C.*

In

7 In hoc dissidio præfero sententiam mediam; videlicet quòd licèt appellatio ùt est defensio oppressorum, jure naturali nitatur, non tamen omnino juris naturalis sit, & semper, sed tunc solùm, cùm perpensis negotii circumstantiis necessaria est ad justitiem administrandam, atque jus suum consequendum: neque tunc lege, aut rescripto Principis tolli poterit, ut docet Fragos. *de Regim. Reip. Christiana p. 1. l. 8. disp. 24. §. 12. n. 213.* Eckolt. *ad ff. h. t. §. 3.* in aliis verò casibus poterit per Principem tolli, nec ex eo defensio jure naturali introducta sublata dici potest, quandoquidem si per clausulam: *appellatione remotâ;* appellatio inhibetur, non omnis defensio denegatur; sed modus defensionis à lege humana inductus restringitur, & limitatur; poterit enim gravatus non obstante hac clausulâ adire superiorem per viam querelæ. *c. consultationi h. t. in 6.* vel per supplicationem. *l. un. C. de Sentent. præfect. prætor.* vel per viam recusationis. Covarr. *Pract. quæst. c. 23. n. 6.* Fragos. *d. §. 12. n. 218.* Taceo, quòd, si sententia manifestam contineat iniquitatem, aut ex dolo prolata sit, appellatio non censeatur denegata juxta *c. inter 9. de Sent. & re judic. c. ex conquestione 19. & ibi* Gloss. *de Restit. spoliat.*

8 *Causa efficiens proxima* appellationis est appellans. Licet autem regulariter cuilibet appellare, qui per iniquitatem, vel imperitiam Judicis inferioris gravatus est. *l. 1. ff. h. t. l. 20. l. 30. C. Eod. l. 3. ff. Rem. ratam hab. c. oppressus. c. ideo & passim causâ 2. q. 6.* Rosbach *in prax civ. sit. 73. n. 10.* Ratio est: quia appellatio defensionem continet, quam natura omnibus æquam indulsit. Hinc

9 I. Appellare potest etiam excommunicatus, sive reus sit, sive actor: ex generali regula, quâ cavetur, excommunicatis in judicio omnem defensionem, & per consequens appellationem concedi. *c. 5. §. 8. 10. & 11. de Except.* Quod verum est, quando appellat judicialiter, non item si appellat extrajudicialiter: quia appellatio extrajudicialis habet speciem conventionis, & actio potiùs est, quàm appellatio, indéque provocatio ad causam dicitur *d. c. 5.* & ita sicut excommunicatus non potest agendo alium convenire, & ad judicium provocare. *c. 7. de Judiciis.* ita nec extrajudicialiter appellare poterit. Gonzal. in *d. c. 5. de Except.*

II. Nec Judex, qui tulit sententiam, appellare prohibetur, si contingat, eundem condemnato succedere. Gloss. in *l. 1. ff. de Except. rei vend. & trad.* Zoës. *ad ff. h. t. num. 7.* Neque est, quòd huic objiciatur, non debere Judicem aspernari, idem sibi jus dici, quod ipse aliis dixit. *l. 1. ff. Quod quisque juris.* Retorsio enim hæc procedit, quando dolo jus iniquum pronuntiavit. *l. 2. ff. Eod. & ibi* Gloss. Zas. & DD. communiter. 10

III. Appellare potest consors ejusdem litis, ita ut appellatio unius prosit etiam aliis *c. 72. h. t. l. 10. §. fin. ff. Eod. l. 1. & 2. C. Si unus ex plurib.* Ratio est: quia licèt res inter alios acta regulariter aliis nec noceat, nec prosit. *l. sæpe ff. de Re judic. c. pen. h. t.* in causa tamen appellationis æquitas suggerit, ut omnibus prosit, sicut etiam idem observatur in rescripto impetrato in causa communi. *l. 1. C. de Divers. rescript. d. l. 10. §. ult. ff. h. t.* Dummodo tamen consortes omnes unâ sententiâ, non separatim sint condemnati. *d. l. 10. in pr. & l. 17. in pr. ff. Eod.* & omnes communi jure utan- 11

tur non verò unus speciali jure fruatur *l. un. C. Si in communi eademque causa.*

12 III. Appellare potest non tantùm condemnatus, verùm & non condemnatus, si ejus interfit, sententiam retractari. *l.* 4. *§.* 2. *ff. h. t.* Sic si hæredi scripto adjudicetur hæreditas, potest appellare legatarius: quia in consequentiam etiam de suo legato agitur. *l.* 5. *ff. Eod.* venditor ratione sui interesse rectè provocat re ab emptore evicta: quia emptori esset regressus contra venditorem. *d. l.* 4. *§.* 3. *ff. Eod.* Mulier ratione dotis à sententia contra maritum lata. *l. sæpe ℣. scientibus. ff. de Re judic.* Creditor ratione pignori alteri adjudicati, modò creditor ignoraverit causam agitari. *d. l. sæpe ℣. scientibus.* Et hoc procedit, etsi principalis non possit appellare à sua condemnatione: quia appellatione prohibitâ in aliqua causa, prohibitio extenditur ad principales personas, non autem ad tertium; atque ita quando à Principe delegatur causa *appellatione remotâ*, tertio appellare licet. Bartol. in *l.* 1. *§. interdum. num.* 4. *℣. quaro ff. A quib. appell. non lic.* Covar. *Pract. qq. c.* 15. *n.* 4. *in fin. ℣. quartò.* & est textus notabilis in *c. super eo.* 15. *de Offic. deleg.* Imò tertio, cujus interest, competit appellatio, licet condemnatus principalis renuntiet appellationi, aut post sententiam se componat cum actore. Menoch. *de Adipisc. poss. Remed.* 4. *q.* 100. *num.* 847.

13 V. Alieno nomine rectè appellat, imò tenetur Procuratore pro suo principali. *c.* 14. *& ibi* Gloss. *de Procuratorib. l.* 9. *C. h. t.* Conjunctus cum cautione de rato pro conjuncto. *l.* 14. *ff. Qui satisd. cog. l.* 35. *ff. de Procuratorib. l.* 12. *&* 21. *C. Eod.* veluti Pater pro Filio, & filius pro Patre. *l.* 23. *§.* 2. *ff. h. t. d. l.* 35. *ff. de Procuratorib.* Frater pro fratre. Scaccia *tr. de Appellat. q.* 5. *n.* 62. Maritus pro uxore *l.* 21. *C. de Procurat.* Uxor tamen pro Marito non appellat, nisi pro libertate mariti agatur. *l.* 3. *ff. de Lib. caus.* Gail. 1. *observ.* 133. Tutores, vel Curatores pro Pupillis, vel minoribus, ita ut teneantur etiam appellationem prosequi: *l.* 27. *ff. h. t.* Capitulum pro Episcopo, si agatur de præjudicio Ecclesiæ. *c.* 13. *de Majorit. & obed. & ibi.* Panorm. *num.* 1. Dominus pro subditis, sed sub distinctione tradita à Gail. 1. *observ.* 125. Denique Jure Communi ex humanitatis ratione quilibet extraneus pro eo, qui ad supplicium ducitur, ita quidem ut etsi condemnatus reclamet, & ultrò ad supplicium festinet, tamen executio differri debeat. *l.* 6. *ff. h. t. l.* 29. *C. Eod. l.* 6. *C. de Episcop. aud.*

14 Hæc licèt ita sint, & regulariter omnibus beneficium appellationis indultum sit; plures tamen exesse jussi sunt, à numero provocantium: ut

I. Is, qui appellandi beneficio voluntariè renuntiavit, vel expressè per pactum, aut judicialem professionem de non appellando. *l.* 1. *§.* 3. *ff. A quib. appell. non lic. l. fin. §. fin. C. de Temporib. appellat.* vel tacitè, ut si appellans non petat Apostolos, aut appellationem non prosequatur intra tempus præscriptum. *c.* 4. *§.* 5. *&* 6. *h. t.* vel si condemnatus post appellationem litiget adhuc coram Judice à quo. *c.* 20. *de Offic. deleg.* vel petit dilationem ad solvendum judicatum, vel aliò modò acquievit *l. ad solutionem. C. de Re judic.*

15 II. Ad appellationem non admittitur, qui ex vera & mera contumacia convictus, & condemnatus est. *l.* 23. *§. ult. ff. h. t. l.* 1. *&* 4. *C. Quor. appell. non recip.* No-

Novell. 82. *c.* 5. Quod propriè accipiendum est de eo, qui contumax est in non veniendo propter contemptam Judicis jurisdictionem. per *l. ult. §. jussus. ff. hoc tit. l.* 53. *§.* 1. *ff. de Re judic.*, secus si contumax fuerit in non restituendo, in non exhibendo, vel in non jurando de calumnia &c. quia tunc appellat. *l. ult. §. jussus ff. h. t.* quia hic videtur tantùm diffidere juri suo, non verò judicem contemnere. Scacc. *de Appellat. quæst.* 17. *limit.* 3. *num.* 16.

16 III. Ab appellatione excluditur sponte confessus in judicio. *l.* 2. *C. Quor. appell. non recip.* quæ *lex* duo copulativè requirere videtur, scilicet ut confessus, & argumentis testibúsque convictus sit; quod in criminibus facilè admitti potest, de quibus loquitur *d. l.* 2. at in civilibus, quia confessio inducit notorium. *c.* 7. *junctô c. ult. de Cohabit. Cleric. & mul. c. cùm olim.* 24. *in fin. ubi* Gloss. *de V. S.* & in notoriis non recipitur appellatio. *cap.* 14. *h. t.* Forsan id negari potest, utcunque in alia omnia nostri abeant; præsertim quia nullo colore ad appellationis æquissimum subsidium decurrere poterit, cùm hoc iniquitatem judicantium corrigat; quomodo verò iniquitatis eum Judicem arguet qui sui oris testimonium sequitur? Nisi forsan errore lapsus confessus sit; quo casu suam imperitiam corrigere ipsi ex natura appellationis concedendum est. per *l.* 1. *ff. hoc tit.* Panorm. *in c.* 61. *V. porro n.* 5. *Eod.*

§. V.

17 *Subjectum* Appellationis constituit partim Judex à quo, partim Judex, qui, seu ad quem appellatur.

Circa *Judicem à quo* regula traditur, quòd ab omni Judice tam ordinario, quàm delegato appellare liceat: nec enim Judicem oportet injuriam sibi fieri existimare, eò quòd litigator ad provocationis auxilium convolârit. *l.* 20. *C. h. t.* nec ad ignominiam Judicis spectat, si ei lege permittente canonicè inhibeatur, tametsi aliàs appellatione interpositâ non esset quidquam attentaturus. Gail. 1. *observ.* 144. *n.* 5.

Fallit tamen hæc regula I. in Principe: 18
& quidem, ut infit JCtus in *l.* 1. *§.* 1. *ff. A quib. appell. non lic. stultum est illud admonere, à Principe appellare fas non esse, cùm ipse sit, qui provocatur.* Nomine Principis autem hic, uti aliàs in jure, tantùm venit summus Princeps, qui superiorem non recognoscit, qualis in Spiritualibus est S. Pontifex, in temporalibus Imperator, & Reges illi, qui Romani Imperii Vasalli, aut membra non sunt.

Fallit II. In Supremis Principum Con- 19
siliis & Consistoriis; ut quorum sententiæ nomine & authoritate ipsius Principis promulgantur. Vallens. *§.* 3. *n.* 3. *h. t.* Zoës. *ad ff. à quibus appell. non licet. n.* 10. Hinc appellatio non admittitur à Camera Imperali, aut Imperiali Consilio Aulico.

Fallit III. In Præfectis Prætorio juxta 20
l. un. C. de Sentent. Præfect. Prætor. l. 19. *l.* 30. *l.* 35. *C. h. t. Novell.* 82. *c.* 12. In quorum locum & privilegium hodie succedere censentur Electores S. R. I. à quorum proinde sententiis appellare non licet *Aurea Bulla Caroli IV. sub tit.* Von der Chur-Fürsten Freyheiten. Gilhausen *de Appellat. n.* 24. Quô exemptionis privilegiô ex judicio Cameræ gaudent etiam Archi-Duces Austriæ, Duces Lotharingiæ, & Burgundiæ. Mynsing. *Cent.* 5. *observ.* 58. *n.* 1.

Fallit IV. In Judicibus sive Commis- 21
sariis

fariis à Principe datis eâ lege, ut ab iis provocari non possit, sive, ut loquuntur, cum clausula : *appellatione remota*. quo modo tam Imperatorem, quàm S. Pontificem causas committere & delegare posse, ac solere, apparet ex *l. 1. §. 4. ff. à quibus appell. non lic. & c. 27. §. si verò. de Offic. deleg.* qui textus quoque insinuant, neminem alium præter S. Principem hoc modo, *appellatione remota*, judicem dare posse; adeò ut tametsi delegatus Papæ liberè possit causam alteri subdelegare, tamen, quando ipse justus est *appellatione remota* de causa cognoscere, nullatenus possit cum simili clausula alteri causam subdelegare per text in *d. c. 27. §. si verò.*

22 *Fallit* V. In judice, qui revocavit gravamen, quod fuerat comminatus, nisi aliunde sit suspectus. *c. 60. h. t.*

23 Circa *Judicem qui*, sive *ad quem* appellatur pro regula sit, appellationem à judice inferiore in eodem ordine, & foro fieri debere ; idque meritò: quia Superioris est corrigere errorem inferioris, non econtra. *c. 16. de Majorit. & obedient.* Ex quo

24 *Deduces I.* Invalidam esse appellationem à Superiore ad inferiorem, vel à pari ad parem, vel ab eodem ad eundem: adeò ut tametsi aliquis per errorem ad inferiorem Judicem, quem tamen esse superiorem putat, appellet v. g. à Vicario generali ad Præpositum, vel Archi-Diaconum, error nihilominus ei noceat, & sententia transeat in rem judicatam, non aliter, ac si omnino in vocem appellationis non prorupisset per text. in *l. 1. §. 3. ff. h. t.*

25 *Deduces II.* Appellantem in eodem ordine, sive foro debere superiorem quærere, nec posse à judice sæculari ad ejusdem Superiorem Ecclesiasticum, vel econtra provocare. Unde de jure non tenet appellatio, si à judice sæculari, qui non est de temporali jurisdictione Ecclesiæ, ad S. Pontificem appelletur. *c. si duobus. 7. h. t.* Multò minùs tenebit, si ab Episcopo vel alio judice Ecclesiastico ad Imperatorem appelletur. Quòd si tamen Episcopus, Abbas, vel alia persona Ecclesiastica temporalem jurisdictionem exerceat, & in causis sæcularibus sententiam ferat, eo casu ad Superiorem in temporalibus appellari consuevit: neque enim attenditur qualitas personæ judicantis præcisè, an Clericus sit, vel Laicus, sed utrùm quà Clericus, sive Judex Ecclesiasticus, an verò quà Dominus temporalis sententiam tulerit. Quapropter Christophor. Prigl in *Manuali pract. de Appellat. Observat. 1. num. 4.* & ea teste praxis ipsa docet, à sententia lata in Consistorio Archi-Episcopali ad S. Pontificem, à sententiâ autem pronuntiata in Consilio Aulico ad Augustissimum Imperatorem appellandum esse, quamvis utraque ejusdem Celsissimi Principis, & Archi-Episcopi nomine, & authoritate sit promulgata.

§. VI.

Materia, seu Objectum Appellationis 26 sunt causæ, quæ appellationem recipiunt. Recipiunt autem *regulariter* omnes tam majores, quàm minores. *c. 11. h. t. l. 20. C. Eod.* Qui igitur dicit, aliquo casu appellationi locum non esse, id ostendere debet, cum regula sit in contrarium. Scaccia *d. q. 17. n. 4.*

Dixi : *regulariter :* nam interdum contra est. Sic I. denegatur appellatio in notoriis: cùm appellationis remedium non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ inventum sit *c. 14. c. 51. §. porro. h. t. c. 24. de V. S.*

II. Non

II. Non licet tertiò appellare ab una & eadem sententia sive definitiva, sive interlocutoria. *c. 65. h. t. l. un. C. Ne liceat in una cad. causa.* quia verisimile non est, Judices toties à recto tramite deviâsse, totiésque appellantem gravâsse. Hæc tamen dispositio non observatur in Camera Imperiali; ibi enim pro amplianda jurisdictione Imperii, & ne jurisdictio supremi Tribunalis eludatur, cùm inferior Magistratus in suo territorio tres instantias facere possit, tertiæ, & quartæ recipiuntur appellationes. Gail. 1. *observ.* 72. *num.* 3. Mynsing. *cent. Observ.* 15.

28 III. Si causa per juramentum voluntarium decidatur, is, qui juramentum detulit, non potest appellare. *l. generaliter C. de Reb. credit.* Idem ob paritatem rationis dicendum videtur de referente, quòd scilicet, si reo juramentum referente juret actor, non possit reus appellare: quidquid Cynus in *d. l. generaliter.* & alii apud Fachin. *l. 1. c. 25.* contradicant: quia non est ferendus ad appellationis veniens auxilium in his, quæ ipse facienda procuravit, & nimis absurdum est, parti, quæ hoc juramentum detulit (idem est, si retulit) propter hoc ipsum, quòd Judex petitionem secutus est, supereſse provocationem, ut loquitur Imperator in *d. l. generaliter §. 1. & 3.*

29 IV. Appellari non potest in judicio possessorio, aut certè appellatio non impedit effectum, sive executionem sententiæ. *l. un. C. Si de momentanea possess.* Quam tamen cum communi DD. intelligo juxta *rubricam* de judicio momentaneo; sive summarissimo, in quo absque tela judicii, nec plenis probationibus requisitis, sed solâ facti veritate inspectâ proceditur, ad eum finem potissimum, ne lite pendente partes ad arma veniant, quod propterea momentaneum indigitatur: quia non perpetuum præjudicium infert, sed momentaneum, quod non tantùm in petitorio, sed & in possessorio ordinario reparari potest. In pleniore autem, sive ordinario possessorio, ubi damnum per injustam sententiam illatum, non facile ampliùs posset in petitorio reparari; ut quando agitur de possessione Sylvarum, juris venandi, piscandi, &c. ubi plerumque propter temporis antiquitatem instrumenta, testes, aliáve documenta probandi proprietatem, vel dominium haberi non possunt, omnino appellationem concedendam censeo cum Wesenb. *in Parat. de Appell. n.* 8. Quod de Jure Canonico minùs dubium esse potest, cùm secundùm illud etiam pro causa minima, & à quocunque gravamine appellatio liberalissimè indulgeatur, juxta *d. c. 11. h. t. & c. 1. Eod. in 6.*

V. Non appellatur à sententia lata in 30
causa decimarum. *c. 26. de Decimis* cujus verba finalia sunt: *mandamus, quatenus omnes, qui ratione personarum, aut etiam prædiorum decimas Ecclesiis, & Clericis exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas appellatione remotâ compellas.*

VI. Jure Civili non admittitur appellatio 31
à sententia interlocutoria, nisi tale gravamen inferat, quod per appellationem à sententia definitiva ampliùs reparari non potest. *l. 7. C. Quorum appell. non recip. l. 36. C. h. t.* Et quamvis Jure Canonico olim licuerit, à quocunque gravamine, & sententia interlocutoria. *c. 1. de Dilat. c. 12. h. t.* hodie tamen etiam in foro Ecclesiastico Juris civilis dispositio servanda est: quia Trid. *Sess. 13. c. 1. & Sess. 24. c. 20. de Reform.* decernit, omnes causas ad forum Ecclesiasticum spectantes in prima instantia corum Episcopo loci cognoscen-

das, nec appellationem admittendam esse, præterquam à sententia definitiva, vel definitivæ vim habente, aut cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat; quale gravamen secundùm declarationes Cardinalium *d. c.* 20. *n.* 6. censetur incarceratio, tortura, excommunicatio, aliæve pœnæ, quæ secum trahunt executionem.

32 VII. Appellatio non permittitur à sententia arbitri compromissarii, nempe à Partibus electi. *l.* 1. *C. de Recept. arbitr.* Secus est de sententia Arbitri juris, de quo ad præsens institutum ita statuitur in *c.* 11. *de Officio deleg. in* 6. *Ab arbitris, qui secundùm formam juris, ut de proposita contra Judicem suspicionis causa recognoscant, vel qui, cùm de revocatione ambigitur litterarum* (quibus scilicet facta est causæ alicujus delegatio) *Judicibus nequeuntibus in unam sententiam concordare, ad concertationem hujusmodi sopiendam à Partibus eliguntur, est, si gravaverunt, ad Sedem Apostolicam appellandum.*

33 VIII. Appellationi locus non est à correctione legitima Prælati, si videlicet correctio secundùm regulam & Canones fiat. *c.* 3. *&* 26. *h. t.* Trident. *d. Sess.* 13. *de Reform. c.* 1. Interim si Prælatus sive regularis, sive sæcularis modum, aut formam in corrigendo excedat, adeóque non secundùm regulam, vel statuta Ecclesiastica, sed indiscretè subditos puniat, appellari posse, traditur in *c.* 31. *h. t. c.* 13. *de Offic. ordin.* Eô tamen observatô, ut in tali appellatione à correctione, sive extrajudicialiter, sive in forma judicii facta, semper exprimatur causa, dicendo v. g. appello, quia modus in corrigendo excedit: regula, vel statuta nostra tam gravem pœnam non dictant &c. cum enim jus resistat, appellationi à correctione & disciplina Ecclesiastica, nisi in certo casu, oportet illum casum exprimere, aliàs appellationi deferendum non erit. Innocent. & Panormit. in *d. c.* 3. *h. t.*

34 IV. In Germania ex inveterata consuetudine appellatio denegatur in causis criminalibus capitalibus in peynlichen Sachen/ die Leibs-Straff auf sich tragen/ Gail. 1. *observ.* 1. *n.* 28. Quam consuetudinem approbat etiam *Ordinat. Cam. p.* 2. *tit.* 28. *&* *R. I. de Anno* 1530. §. *item* als allzeit 95. Tametsi de Jure communi vel maximè in causis criminalibus appellatio detur propter gravitatem, & irreparabilitatem damni. *l.* 1. *l.* 6. §. 3. *l.* 14. *l.* 20. *l.* 29. *C. h. t.* Exceptis criminalibus læsæ Majestatis, insignis latrocinii, falsæ monetæ, raptûs virginis, simoniæ, hæresis, &c. Mynsing. *l. cit.* & prolixè Fragos. *de Regim. Reip. Christi. p.* 1. *l.* 8. *disp.* 24. §. 8.

35 X. In *l.* 244. *ff. de V. S.* habetur appellari non posse à *pœna*, benè verò à *mulcta pecuniaria.* Unde harum distinctio in hoc notanda venit, quòd mulcta sit pœna duntaxat pecuniaria, cùm econtra pœna simpliciter dicta importet etiam pœnas corporales, à quibus appellare non licet, quatenus sunt taxatæ, ac Judicibus præscriptæ. Aliud est in mulcta pecuniaria, à qua datur appellatio, nisi subrogata sit in locum pœnæ corporalis; ut Mynsing. *cent.* 3. *observat.* 43. docet. Quòdsi Judex mulctam à lege taxatam excedat, tunc opus haud est appellatione, cùm sententia sit ipso jure nulla. *l.* 5. *C. Quando provoc. non est necesse.*

36 XI. Non rectè appellatur ab executione sententiæ, postquam hæc transivit in rem judicatam. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 5. *C. Quor. appellat. non recip.* quia si condemnatus habet causam provocandi, debuisse tempestivè provocare, priusquam sententia transivit in rem judicatam: per executionem enim non

non infertur novum gravamen, cùm condemnatus non possit injustè gravari per executionem sententiæ, si per ipsam sententiam gravatus non est. Excipitur casus, si fortè executor modum excedat, veluti si executionem inciperet in bonis immobilibus casu, quo adsunt mobilia, quæ cum minori damno condemnati distrahi possunt: vel si in causa, sive actione personali sententiam ante debitum tempus quatuor mensium executioni mandare vellet: hoc enim casu, & à tali executore modum excedente appellare posse, textus est in *d. l.* 5. *C. Quorum appell. non recip. & c.* 43. *h. t.*

§. VII.

37 *Forma* Appellationis consistit in tribus: nempe in *ordine, tempore, & modo debito.*

Quoad *ordinem* requiritur, ut appellatio fiat gradatim, nec sufficit ad superiorem appellâsse, nisi ille sit immediatus superior Judicis primæ instantiæ. Itaque à sententia Abbatis ad Episcopum appellandum erit, nec potest immediatè ad Archi-Episcopum provocari. *c.* 66. *de Appellat.*

38 Sunt tamen aliquod fallentiæ, in quibus ad mediatum superiorem rectè appellatur. Ita l. in omnibus causis Ecclesiasticis, non tantùm ab Archi-Episcopo, sed à quocunque Judice Ecclesiastico inferiore potest immediatè ad S. Pontificem appellari *c. ideo. c. si quis vestrum, causa* 2. *q.* 6. Hoc namque exigit eminentia Sedis Apostolicæ, ut ab ea omnes oppressi auxilium, & omnes injustè damnati restitutionem sumant. In foro autem sæculari contrarium observatur, nec potest immediatè à quovis Judice ad Principem appellari, sed ordo & gradus appellationis indistinctè observandi sunt juxta *l.* 21. *ff. h. t.*

39 II. Ab Officiali, sive Vicario generali Episcopi non ad ipsum Episcopum, sed ad Archi-Episcopum appellatur. *c. Romana h. t. in* 6. quia licèt Episcopus absolutè loquendo sit superior immediatus sui Vicarii, apud quem ipse Vicarius ex delicto vel contractu proprio conveniri debet, in quantum tamen Vicarius vices Episcopi agit, & locò Ordinarii inter partes sententiam dicit, non est inferior Episcopo, sed quasi Episcopus, in cujus tribunali sedet, cujus etiam personam, & officium in judicando repræsentat. Si ergo liceret appellare à tali Vicario ad Episcopum, esset appellatio ab eodem ad eundem, vel saltem ab eodem ad idem tribunal. Neque hoc novum aut insolidum est in Vicario, cùm idem etiam videamus in foro sæculari contingere: sic enim & quidem propter eandem rationem à Consilio Principis non ad ipsum Principem, sed ad Superiorem, v. g. Imperatorem appellatur. Et universim ab eo, cui quis mandavit jurisdictionem suam, v. g. à Judicibus, aut Præfectis, quos Abbates, Nobiles, aliive territorium habentes tribunalibus suis præficiunt, non ad ipsos mandantes, sed ad Superiorem illorum provocandum est, per *l.* 1. *§.* 1. *ff. Quis, & à quo appell.* Confer. quæ *in lib.* 1. *de Offic. deleg. n.* 31. diximus.

III. Pupilli, aliique fortunæ injuriâ mi- 40
serabiles possunt à quovis inferiore Judice immediatè ad Principem appellare, vel recurrere. *l. un. C. Quando Imperator inter pupillos & c.* Berlich. *p.* 1. *concluss. pract.* 35. *num.* 80.

IV. Ex speciali privilegio hæc juris com- 41
munis dispositio, & necessitas gradatim appellandi probabiliter remissa est Studiosis, quos Imperator in *auth. habita. C. Ne filius pro parte.* singulari beneficentiâ ab omni injuria defendere constituit, ita ut ipsi omissis quibuscunque Judicibus mediis ad ipsam Imperatoriam Majestatem

immediatè provocandi licentiam habeant teste Harprecht in Proceſſ. *tit. de Appellat. concluſ.* 74. cum pluribus aliis *ibid.* citatis.

42 V. Confeſtim appellare licet ad Superiorem, ſi Judex medius palam deneget juſtitiam arg. *Novel.* 117. *c.* 3. vel apertè ſit inhabilis, aut abſit, tam citò non rediturus, vel alio impedimento diuturno diſtringatur. *Ordin. Cam. p.* 2. *tit.* 29. Ayrer *in Proceſſ. hiſtor. p.* 1. *c.* 4. *n.* 13.

43 *Tempora* Appellationis dicuntur *fatalia*, eò quòd eorum prolapſio, veluti quædam mors, & interitus eſt appellationis. Ea verò quadruplicia ſunt, de quibus ſingulis ſeorſim.

44 *Primum* eſt tempus interponendæ appellationis; quod olim in propria cauſa erat biduum, in aliena verò triduum. *l.* 1. §. *biduum & §. fin. ff. Quando appell. ſit.* hodie de jure noviſſimo eſt 10. dierum. *auth. hodie C. h. t. c.* 32. *de Elect. c. concertationi. h. t. in* 6. Nec diſtinguitur inter appellationem ab interlocutoria, definitiva, aut extrajudiciali Mynſing. 3. *obſerv.* 11. Eſt autem decendium hoc regulariter continuum quoad progreſſum, adeò ut etiam currant dies feriati. *l.* 1. *C. de Feriis.* utile verò quoad initium, ut videlicet non currat ignoranti, veluti ſi contra eum, qui citra contumaciam abſens fuit, ſententia lata proponatur: huic enim decem illi dies à tempore demum ſcientiæ currere incipiunt. *d. l.* 1. §. *ult. ff. Quando appell. l.* 3. *C. Quomodo, & quando Judex.*

45 *Secundum* fatale ad petendos dimiſſorios libellos ſpectat, qui Apoſtoli Verweiß-Brieffe vulgò dicuntur, hique perhibentur varii generis; quando enim pars victrix provocationem admittit, conventionales; quando ad eum, qui appellatus, Judex cauſam dimittit, in ſpecie dimiſſorii; cùm verò is eidem planè non defert, refutatorii; ſi id in reverentiam tantùm & honorem ſuperioris faciat, reverentiales; & quos Notarius dat, teſtimoniales, Interpretes vocitant. Rosbach. *in Praxi civili. tit.* 74. Sunt autem Apoſtoli petendi infra 30. dies à tempore ſententiæ computandos. *l.* 24. *C. h. t.* Si tamen appellans ſententiæ notitiam habuerit; aliàs à die ſcientiæ delabi incipient, quam opinionem crebriùs receptam dicit Mynſing. 4. *obſerv.* 36. Scacc. *tr. de Appell. q.* 13. *art.* 9. *n.* 83. petendique inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè: Zum erſten/ andern/ und dritten/ fleiſſig/ fleiſſiger/ und am allerfleiſſigiſten. Rosbach. *l. cit. n.* 12. In Camera tamen petitio Apoſtolorum non eſt de ſubſtantia appellationis, ejúsque omiſſio eam non vitiat. *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 30. Gail. 1. *Obſerv.* 139. *in fin.*

46 *Tertium* fatale eſt tempus appellationis interpoſitæ præſentandæ, vel introducendæ coram Judice ad quem, quod Practici promiſcuè nunc appellationis introducendæ, nunc generali notatione proſequendæ appellant. Mynſing. 1. *obſerv.* 32. & 3. *obſerv.* 54. & 5. *obſerv.* 57. Eſt autem hoc jure civili varium pro diverſitate locorum, & Judicum. *l.* 2. & 5. *C. de Temporib. appell.* Jure Canonico verò Judici à quo planè eſt arbitrarium. *c.* 4. *h. t.* ubi ſimpliciter ſtatutum, ut interpoſita appellatione tempus aſſignetur ad eam proſequendam. Quod tempus ſi appellans non obſervaverit, & conſequenter Judici ad quem appellationem non præſentaverit, appellatio pro deſerta habetur, & ſententia executioni mandanda eſt. *c.* 26. & 33. *Eod.*

47 *Quartum* fatale eſt tempus proſequendæ appellationis, quod de Jure tam Canonico, quàm Civili annale, vel ex juſta cauſa biennale. *c.* 3. *h. t. in* 6. *Clem.* 3. *Eod. auth.*

auth. ei, qui & l. ult. §. 4. C. de Temporib. Appell. Tertius annus jure non datur, licèt nonnunquam restitutionis beneficio lapsis fatalibûs indulgeatur. arg. *c. 8. h. t. & d. l. ult. §. 4. C. de Temporib. appell.* Incipit autem & hoc tempus cursum suum à tempore interpositæ appellationis per *d. Clem. 4. h. t. c. 12. de Rescript. l. 2. & 3. C. de Temporib. appell.* Et hanc opinionem nullum habere contradictorem, asserit Scaccia *q. 15. n. 162.* Planè in Camera Imperiali propter multitudinem, & gravitatem causarum hæc peragendæ, & finiendæ appellationis tempora non considerantur, sed causæ semel introductæ perpetuantur. Berlich. *p. 1. conclus. pract. 35. num. 141.*

48 *Modus* appellandi ferme duplex est: *Primus:* vivâ voce, sive stante pede, ut ajunt; qui modus appellandi solùmmodò locum habet, quando à sententia definitiva, non verò quando ab interlocutoria, vel alio gravamine provocatur. *c. 1. h. t. in 6.* Imò etiam à definitiva non licet vivâ voce appellare, nisi id apud acta & in continenti fiat, id est, cùm Judex adhuc pro tribunali sedet: nam postquam Judex semel surrexit, & ad prandium, vel alios actus impertinentes divertit, non potest amplius oretenus appellari, sed libellô appellatoriô opus est, *l. 2. l. 5. §. fin. ff. h. t.* Et hic modus appellandi satis expeditus est, neque enim necesse est, specificare causam gravaminis, neque etiam opus est, appellationi nomen suum proprium, Judicis, vel adversarii inserere, nec ulla alia verborum solennitas requiritur, sed satis est, si condemnatus dicat: *Appello*, saltem de Jure Civili per *l. 2. ff. h. t.*

49 *Alter* modus appellandi, & communiter usitatus est per scripturam, sive libellum appellatorium Judici à quo porrectum; cujus forma contineat, & quis appellet, & à quo Judice, & adversus quem in qua causa, & ad quem superiorem appelletur. *l. 1. §. ult. l. 3. in pr. ff. h. t.* Wesenb. *ibid. n. 9. in fin.* Cur autem appelletur, sive causa gravaminis necessariò non exprimitur, quando à sententia definitiva appellatur, bene autem quando appellatur ab interlocutoria, vel alio gravamine: ante sententiam definitivam enim non auditur appellans, si simpliciter ad Superiorem provocet: neque etiam satis est, si promittat, se sufficienter causas gravaminis superiori indicaturum, sed necesse est, ut coram ipso Judice inferiore causam gravaminis proponat, & quidem talem, quæ si foret probata, deberet legitima reputari. *c. 59. h. t.* Quin neque satis est, oretenus causam gravaminis Judici à quo significâsse, sed sicut appellatio ab interlocutoria necessariò in scripto facienda est, ita etiam causam gravaminis in illa scriptura assignare, & exprimere oportet, alioquin si appellator hæc non observet, reputabitur non appellans, & ad priorem Judicem remittetur, in expensis legitimis condemnandus *c. 1. h. t. in 6.* Quòdsi in aliis, quæ in libello appellatorio desideravimus, peccetur, puta si nomen adversarii non exprimatur; non statim appellatio nulla, neque sententia in rem judicatam transisse censenda est, modò ex scriptura constet, revera in præsenti causa ad competentem superiorem Judicem appellatum esse, ut text. in *l. 3. ff. h. t.* & notat Hostiens. *in Summa eod. tit. num. 7.*

§. VIII.

50 *Finis* appellationis est, ut sententia injustè lata in melius reformetur, licèt ipsô factô comperiatur, nonnunquam bene latas sententias per appellationem in pejus reformari, ut ait Ulpian. *in l. 1. ff. h. t.*

§. IX.

51 *Effectus* præscriptionis sunt I. causam, in qua appellatur, cum suis accessoriis devolvit ad superiorem, eique potestatem, & jus tribuit in ea recognoscendi, & procedendi. *c.* 55. *h. t.* sic licèt Archi-Episcopus non habeat jus & jurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum, sed præcisè in ipsos Episcopos, nihilominus, quàm primùm ab Episcopo ad Archi-Episcopum tanquam immediatum ipsius superiorem appellatur: hòc ipsò quoque jurisdictionem in subditos Episcopi acquirit, & tanquam Judex ordinarius in illa causa procedere potest. *c.* 1. *de Officio Ordin. in* 6. Neque tantùm potest priorem sententiam confirmare, aut infirmare, justam pronuntiare, aut injustam, sed, si videbitur, potest omnino novam concipere, vel si causa plures articulos habeat, uno rejecto alterum confirmare, atque sic omni meliori modo priorem sententiam emendare arg: *c. Raynaldus de Testament.*

52 II. Appellatio interposita sive illa à Judice superiore recepta, sive approbata sit, sive non, Judicis à quo officium, & jurisdictionem suspendit, nec ab eo ulteriùs in causa procedi potest. *l.* 1. *ff. Nil innovari appell. interpos.* & si quid Judex appellatione non attentâ, attentet, vel ulteriùs in causa procedat, id ante omnia per Judicem superiorem revocari, & rescindi debet. Ampliùs: etiam ea, quæ ante appellationem interpositam, sed tamen intra 10. dies, quibus appellari poterat, à Judice primæ instantiæ innovata fuerunt, penitus rescin-
53 denda sunt. *c.* 7. *de Appell. in* 6. Sed tamen inficias non ierim, hunc effectum suspensivum appellationis non semper obtinere. Ita enim *primò* in iis casibus, quibus à jure prohibetur appellatio, si appellatio, sit manifestè frivola, ac propterea non nisi Apostoli refutatorii concessi, potest Judex ad ulteriora in causa, vel etiam ad executionem sententiæ procedere. *c.* 5. *c.* 7. *h. t. in* 6. *Secundò* omnia, quæ pendente causâ principali à Judice innovari, & injungi poterant, illa etiam post appellationem fieri queunt, ideóque non obstante appellatione potest Judex à quo appellantem compellere ad præstandam cautionem. *l.* 5. §. 1. *ff. Ut legatorum, seu fideicomm. non caveatur.* & si appellans fiat suspectus de fuga, capi, & incarcerari poterit. *Tertiò* singulariter de appellatione à sententia excommunicationis, vel aliarum censurarum statutum est in *c.* 53. §. 1. *h. t.* quòd effectum suspensivum non habeat, adeò ut non obstante tali appellatione Episcopus excommunicans excommunicatum publicè denuntiare, útque ab omnibus vitetur præcipere, imò etiam fructibus, & reddibus Ecclesiasticis eundem privare possit: quia excommunicatio secum trahit executionem, ut loquitur Pontifex in *d. c.* 53.

III. Appellatio reducit causam ad tem-54 pus litis contestationis arg. *l.* 13. *& ibi* DD. *C. de Procurat.* Quare quod fieri non potest in prima instantia post litem contestatam, illud quoque non potest fieri in causa appellationis, & sic exceptiones dilatoriæ ante litis contestationem opponendæ omissæ, in secunda instantia omitti non possunt. *d. l.* 13.

§. X.

Affinia appellationi sunt remedia, *Supplicatio* quæ ad retractandam sententiam intra biennium offertur, contra quam nulla appellatio propter Judicis excellentiam recipitur *l. si quis & auth. seq. C. de Precib. Imperatori Offer. Revisio actorum*, quæ est remedium extraordinarium, quo Revisores ad sententiam ejus Judicis, à quo appellari nequit, repetitâ diligenti acto-

rum

rum inſpectione, & conſideratione in melius reformari implorantur. Strauch *Diſſert. 27. aphoriſm. 28. Reductio ad arbitrium boni viri*, quæ eſt à laudo Arbitratoris ad Judicem competentem provocatio per *l. 32. §. cùm quidem. ff. de Recept. qui arbitr. Reſtitutio in integrum*, quæ datur Minoribus, Eccleſiis, & quandoque etiam Majoribus adverſus quamlibet ſententiam; de qua *in lib. 1. tit. 41.* Et *remedium nullitatis*, quo ſenrentia non tantùm per 10. dies, ſed per 30. annos, & quidem coram eodem Judice impugnatur, ut in *præcedenti Tit.* dictum.

Pars II.

De Recuſationibus.

SUMMARIA.

56. Quid ſit recuſatio. 57. Et quo jure competat? 58. Judicem quis recuſet. 59. 60. Et qualis Judex recuſari poſſit?
61. 62. 93. Quo modo proponenda ſit recuſatio?
64. Recuſationis finis. 65. Ejusdem effectus.

§. I.

56 *Definitur* recuſatio, quòd ſit Judicis ex cauſa ſuſpicionis, odii, vel amoris propoſita declinatio. Colligitur ex *c. quod ſuſpecti. 15. causâ. 3. q. 5.* & ex *6. ſuſpicionis. 39. de Officio deleg.*

§. II.

57 *Cauſa efficiens* recuſationis eſt vel remota, vel proxima.

Remota eſt jus naturale: quia cùm recuſatio reſpiciat recuſantis defenſionem, ſaltem hoc reſpectu à Jure naturali derivatur. *c. ſecundò. 41. h. t.* unde nec per Principem recuſandi Judicis facultas tolli poteſt. Natta *ad Clem. ſæpe de V. S. n. 282.* Quin verò recuſatio quoad tempus, modum, aliásque ſolennitates juris poſitivi ſit, extra dubitationis aleam eſt.

58 *Proxima* eſt recuſans: Poteſt autem Judicem recuſare is, cui ille adverſus, inimicus, & magis ſuſpectus eſt, quàm ut illi fortunas ſuas, & vitæ quandóque conditionem credere debeat. arg. *l. 16. C. de Judicis.*

§. III.

59 *Objectum* recuſationis eſt Judex recuſatus. Certum autem eſt, Judicem delegatum utroque Jure tam Canonico, quàm Civili recuſari poſſe, etſi ex Imperiali Numine, vel alio Culmine delegarus ſit. *c. ſuſpicionis. de Officio deleg. & l. apertiſſimi. C. de Judiciis.* Niſi Princeps expreſsè prohibuerit, delegatum, vel Commiſſarium recuſari: quippe eo caſu Princeps cenſetur juſtam cauſam habuiſſe, quæ ipſum permovit. *l. 1. in fin. ff. A quib. appell. non lic.* Gloſſa *in d. l. apertiſſimi.* Quod ad Judicem ordinarium attinet, idem de Jure Canonico conſtitutum eſt, ita ut recuſari poſſit, etiam quoad effectum ipſum removendi prorſus à cognitione. *d. c. ſuſpicionis. c. ſi quis contra. de Foro compet.*

60 An idem obtineat de Jure Civili? DD. in diverſas partes abeunt; Plerique contendunt, hoc jure ordinarium recuſari non poſſe, ſed ſubortâ ſuſpicione ei adjungendum Judicem alium: nempe Epiſcopum loci, vel aliàs virum bonum, & diſcretum per *l. fin. C. de jurisdict. Novel. 86. c. 2. auth. ſi verò C. de Judiciis.* Sed magis eſt, ut affirmantibus ſubſcribam: *primò* propter *l. 4. C. de Jurisdict.* in qua dicitur, quòd nemo poſſit litem conteſtatam ordinariæ ſedis examen declinare poſſit, ergo à contrario poteſt ante litem conteſtatam.

Secundò propter *l. 12. C. de Judiciis.* ubi quæ de recuſatione dicuntur, ad omnes Judices referri poſſunt, imò ratione textûs ad ordinarios magis, quàm delegatos. *Tertiò* propter *l. 16. C. Eod.* in qua, cùm Imperator dicat ſibi cordi eſſe, ut omnes lites

(in-

(indistinctè) sine suspicione procedant, cur non idem in judicio ordinario ei cordi esse statuamus? *Quartò* propter *l. 9. ff. de Liberali causa.* ubi Prætor potest recusari, qui est ordinarius libertatis Judex, ergo & quivis alius Judex ordinarius. Neque adversantur jura opposita: quia in illis non necessitas, sed consilium proponitur, ut qui Judicem non vult ut suspectum in totum recusare, ei adjungatur loci Episcopus, ne videlicet propter hujusmodi causas à patria propria recedere cogatur, ut loquitur *d. Novel.* 86. ergo si velit à propria patria recedere, & ipsum Principem appellare, omnino ipsum exinde Judicem recusare posse consequitur. Et hanc electionem ei manifestè tribuit *Novel.* 53. *c.* 3. *V. sancimus.*

§. IV.

61 *Forma* recusationis stat in modo eam proponendi, ut verò ritè proponatur, tria concurrant, necesse est.

Primum est, ut proponatur ante litis contestationem, imò ante omnes receptiones dilatorias. *c. cùm speciali b. t. l. apertissimi C. de Judiciis.* quia si opponatur nulla dilatoria exceptio, censetur Judex probari, & approbari, ut super ea pronuntiet. & sic inducitur consensus in Judicem, ut non possit postea recusari Gloss. & Interpp. in *c. exceptionem de Except.* Planè si causæ suspicionum, vel de novo emerserint vel tunc demum innotuerint (quâ in re stabitur juramento ipsius recusantis) eo casu recusatio Judicis in quacunque parte litis opponi poterit: quæ enim de novo emergunt, novo indigent auxiliô *l. de ætate §. ex causa. ff. de Venir. inspic.* Gail. 1. *obs.* 33. *n.* 11.

62 *Secundum* requisitum est causa legitima recusandi. *c.* 17. *& 35. de Offic. deleg. c.* 18. *de Judic. l.* 10. *ff. de Jurisdict.* Quam dicunt esse unicam, nimirum suspicionem; quæ tamen iterùm ex multis, & variis causis consurgit: quæ causæ, cùm Jure definitæ non sint, arbitrio Judicis æstimandæ, an justæ, vel injustæ? nisi enim causa suspicionis sit probabilis, vel si sit frivola, non admittitur. In genere autem traditum est, omnem illam causam, ex qua testis repellitur, sufficere quoque ad recusandum Judicem, Gloss. *in c. cùm canon. V. cùm fiat. de Offic. Deleg.*

Tertium est, ut causa suspicionis justa li-63 bello recusatorio inferatur, & probetur. Ubi tamen DD. inter se committunt Jus Canonicum, & Civile: ita ut Jure Canonico causa suspicionis in specie sit exprimenda, & probanda, sive Judex ordinarius sit, sive delegatus per *c.* 41. *& 61. h. t.* Jure verò Civili necessarium non sit in specie allegare, sed tantùm in genere; multò minùs eam probare, quia probationis vicem sustinet juramentum de calumnia. Gloss. *in l. apertissimi. V. recusare. C. de Judic.* Sed verius est, in hac parte nullum discrimen versari inter Jus Canonicum, & Civile, ac æquè de Jure Civili necessarium esse, causam suspicionis in libello exprimi, per textus in *l.* 9. *ff. de liberali causa l.* 16. *& l. ult. C. de Judic.*

§. V.

Finis recusationis est, ut Judex ob su-64 spicionem removeatur, ne aliàs sequatur absurdum, quòd in Judiciis detur acceptio personarum contra *c.* 12. *de R. I. in* 6.

§. VI.

Effectus est, quòd eò ipsò, quòd justa sit 65 suspicionis causa, recusati Judicis jurisdictio sit suspensa, ita ut nec de veritate causæ, nec, an legitima sit, cognoscere possit *c.* 49. *de Offic. Deleg.* ubi Gloss. *c.* 2. *h. t. in* 6. Nec obstat, quòd quicunque Judex possit cognoscere, an sua sit jurisdictio, & ita an

an exceptio concludens jurisdictionis defectum, vera sit, vel non. *l. si quis ex aliena ff. de Judic. l. 2. ff. Si quis in jus vocatus non jerit. c. 19. h. t.* Nam juxta distinctionem Bartoli in *l. quidam n. 7. ff. de Re jud.* vel exceptio respicit statum, seu personam Judicis; veluti si concludat eundem infamem, servum, vel aliàs minùs idoneum ob defectum scientiæ, vel integritatis: & tunc Judex de ea cognoscere nequit, aut tantùm concernit defectum jurisdictionis; veluti si dicatur, Judicem minorem esse, vel literas jurisdictionis fuisse subreptitias; quo casu Judex ipse de simili exceptione cognoscit. *d. l. si quis ex aliena c. 20. de Rescript.* Discriminis ratio in promptu est: quia primo casu persona Judicis directè fugillatur, unde meritò à causæ cognitione submovetur. *d. c. suspicionis.* In secundo verò de Judice agitur, quà talis est, nec ulla personæ injuria irrogatur, ideóque nihil impedit ipsius integritatem. Panorm. in *d. c. 20. de Rescript. num.* 10.

Pars III.

De Relationibus.

SUMMARIA.

66. Relatio quid sit? 67. A quo fiat?
68. Locum non habet in quæstionibus facti.
69. Relationis requisita. 70. Finis. 71. Effectus.

§. I.

66 *Definitur* Relatio, quòd sit Judicis ad Principem facta consultatio de jure causæ coram ipso disputatæ. Colligitur ex *l. eum quem ff. de Judic.*

§. II.

67 *Causa efficiens* relationis est Judex competens, qui ob difficultatem, obscuritatem, aut contrarietatem juris de causa dubitat.

§. III.

Materia, seu *objectum* relationis est dubium, aut quæstio juris, non facti: nam in quæstionibus facti prohibetur relatio: quia de iis in re præsenti melius constitui potest. *d. l. eum quem 79. ff. de Judic.* 68

§. IV.

Forma relationis desumitur à requisitis, quæ tria 69

Primum est, ut relatio causam omnibus utrinque allegationibus instructam complectatur, ut ad plenam informationem nihil desit. *l. 1. l. 3.* & ibi Gloss. *C. de Relat.*

Secundum, ut utraque pars litigans in relationem ipsis editam consentiat. *l. 2.* junctâ Gloss. *V. probantur C. Eod.* Quare ipsis partibus prius exemplum relationis edendum est, ut eam vel approbent, vel si quid minùs plenum, aut etiam falsum invenerint, id suppleant, vel redarguant. *d. l. 2. & 3. c. intimasti 68. de Appellationibus.*

Tertium est, ut relatio fiat ante sententiam definitivam. *d. l. 1. C. de Relat.* exceptis causis criminalibus, in quibus prius fertur sententia, & demum Princeps judicat, an eam sequi oporteat. *l. inter pœnas 6. §. 1. ff. de interdict. & releg.*

§. V.

Finis relationis est, ut ambiguitate juris per superiorem declaratâ Judex rectè quæstionem definire, & sententiam juris congruam ferre queat. Colligitur ex *d. c. 68. h. t.* 70

§. VI.

Effectus relationis est, ut causâ vel etiam consultatione pendente nihil debeat innovari, aut de causæ meritis inquiri; aliàs irritum erit, sed est exspectandum responsum, quod dicitur *remissio*, quâscilicet causa ad comittentem, seu consultaneum re- 71

mittitur. *c. licèt de Offic. Deleg.* Haunold. *tom. 5. de l. & l. tr. 4. c. 7. n. 1258.* Cæterùm usus relationum olim frequens fuerat, sed Justinianus deinde sustulit. *Novell. 125. c. 1.* & hodie quoque à foro Canonico pene recessit: quia ex praxi deprehensum, lites hac occasione sufflaminari.

TITULUS XXIX.

De Clericis Peregrinantibus.

Sicut, qui appellat ad S. Pontificem, eximit se à Jurisdictione Judicis à quo, ita & qui Romam peregrinationis ergo iter instituit, intelligitur ipsô factô ad S. Pontificem appellare, ideóque sicut pendente appellatione nihil est innovandum, ita nihil est immutandum circa res ejus, qui Romam profectus est. *c. un. h. t. & ibid.* P. Engl. cum aliis.

TITULUS XXX.

De confirmatione utili, vel inutili.

SUMMARIA.

1. Confirmationis homonymia. 2. Definitio. 3. Et divisio.
4. Confirmatio pertinet ad superiorem.
5. Actus confirmandus debet esse validus.
6. Confirmationis forma. 7. Finis. 8. Et ejusdem effectus.

Solet Judex superior frequenter sententiam Judicis, à quo appellatum est, confirmare, tanquam legitimè pronuntiatam; atque ideo hic *Titulus* subnectitur.

§. I.

1 *Confirmatio* in jure multifariam sumitur. Modò pro approbatione, aut renovatione; ut in *c. 1. de Locato.* modò pro titulo beneficii, quo electus confirmatur; ut *in c. 3. de Elect.* modò pro Sacramento Confirmationis; ut in *c. quanto de Consuet.* Propriè verò, & strictè accipitur, prout importat actum Superioris per viam legis, sive per aliam dispositionem corroborantis ea, quæ ab inferioribus geruntur, sive in, sive extra judicium. In quo sensu.

§. II.

Definitur confirmatio, quòd sit juris 2 priùs quæsiti corroboratio per legitimum Superiorem facta. Colligitur ex *c. inter dilectos §. caterùm de Fide Instrum.*

§. III.

Dividitur confirmatio in utilem, & inu- 3 tilem. Utilis dicitur illa, quæ valet & jus tribuit illi, cujus negotium est confirmatum. *c. penult. h. t.* Inutilis verò est illa, quæ non valet, sed continet aliquod vitium, puta subreptionis, vel obreptionis, cujus exemplum exstat in *c. ult. Ut lite pendente.*

§. IV.

Causa efficiens confirmationis est supe- 4 rior confirmans: ex sua quippe natura petit confirmatio, ut à Superiore fiat: neque ab inferiore fieri potest. *c. inferior dist. 21. c. inferior. de Majorit. & obed.* neque ab æquali, cùm par in parem non habeat imperium. *l. 4. ff. de Recept. qui arbitr.* Non obstat *c. studuisti. de Offic. delegati.* ubi Legatus confirmat sententiam delegati, qui tamen major est Legato per *c. sanè Eod. Et c. 1. de Treuga & pace.* ubi Episcopus confirmat sententiã alterius Episcopi: nam utrumque *cap.* accipiendum est confirmatione impropriè dicta, id est, pro approbatione.

§. V.

Materia, seu *objectum* confirmationis 5 est actus validus, ex quo jus quæsitum jam est. *d. c. inter de Fide instrum. c. illa Ne sede vac.* actûs invalidi non datur confirmatio. *c. 2. & 14. de Elect. c. cùm super de Causa possess. & propr. c. cùm dilecta h. t. &*

arg.

arg. c. dudum 31. de Decimis. ubi cùm Rex Ungariæ decimas Hospitali donâsset, & Clemens Pontifex confirmâsset, statuitur, hujusmodi confirmationem inutilem esse: quia cùm laici decimas obtinere, & per consequens donare nequeant, ideo illa donatio fuerat invalida, & consequenter incapax confirmationis. Nec contrarium evincunt textus in l. 38. *cum seq. ff. de adopt.* l. 1. 2. & 3. *C. de Confirm. tut.* c. 5. *de Elect.* quibus supponitur, actus à principio nullos posse confirmari, debent enim intelligi de confirmatione impropriè dicta, quæ potius est nova concessio.

§. VI.

6 *Forma* confirmationis posita est in modo confirmandi, qui duplex: I. enim confirmatio fieri potest *in forma communi*, seu *ordinaria*, quando scilicet Superior nullâ præcedente exactâ causæ cognitione actum ab inferiore gestum confirmat in eo statu, in quo ante fuit, juxta c. *examinata h. t.* II. fieri potest confirmatio, *in forma speciali*, seu *ex certa scientia*, nempe quando Superior actum gestum pensatis circumstantiis, & expensis omnibus qualitatibus confirmat. c. 2. & 8. *de Transact.* Censetur autem omnis confirmatio facta in forma communi, & ordinaria; nisi eidem apponatur aliqua nota specialis, quæ indicet, eam factam fuisse in forma speciali; qualis nota est, si totus tenor dispositionis, vel actûs, qui confirmatur, specificè inseratur in ipsa confirmatione; aut saltem illa clausula: *ex certa scientia*, vel alia æquipollens, v. g. *ex plenitudine potestatis*: vel *non obstante quacunque lege aut consuetudine in contrarium &c.* apponatur. c. 8. *h. t. Clem. un. de Probat.*

§. VII.

7 *Finis* confirmationis est, ut actui gesto robur, firmitatem, & auctoritatem conciliet.

§. VIII.

8 *Effectus* confirmationis alius est, si facta sit in forma communi, alius si facta sit in forma speciali. Confirmatio facta in forma communi nullum novum jus, vel valorem actui confirmato tribuit, sed ejusdem actûs naturam sequitur, & jus vetus confirmat. c. 1. & 2. *h. t.* Unde non innovat actum, seu de novo validum facit, si priùs erat invalidus. Confirmatio autem facta in forma speciali novum jus tribuit actui, hunc, si nullus sit, firmum reddit, & validum, atque omnem ejus defectum supplet, modò à confirmante suppleri possit. c. 1. *& ibi* Gloss. *de Transact.* Unde hæc non est propriè confirmatio, sed dispensatio, gratia, seu privilegium.

SOLI DEO

Qui diligit judicium & justitiam

Honor & Gloria.

Index Rerum, & Verborum.

Prior numerus librum, alter titulum, tertius numerum marginalem, quartus paginam denotat.

A.

Abbas.

ABbas eligi non potest, nisi expressè professus. I. 6. n. 32. p. 57. & seqq.

Invitis Religiosis non debet eligi ex alieno Monasterio. ibid. n. 36. p. 58.

Abbas ante benedictionem non consequitur potestatem Ordinis. ibid. n. 64. p. 71. nisi Episcopus sit contumax in benedicendo. n. 91. p. 70. & I. 10. n. 6. p. 88.

Abbas Sede vacante à Capitulo potest confirmari I. 6. n. 88. p. 69. & ab uno Monasterio in aliud transferri. I. 7. num. 5. p. 73.

Abbas Presbyter, & benedictus suis Regularibus minores Ordines conferre potest; imò & aliis cum speciali consensu Ordinarii loci, & litteris dimissoriis propriorum Prælatorum. I. 11. n. 7. p. 88.

Abbas an in Minoribus possit ordinare Novitium? ibid. n. 26. p. 96.

Abbates non exempti Religiosis suis literas dimissorias dare possunt, sed regulariter ad Episcopum Diœcesanum tantùm. I. 22. n. 6. p. 130. Exempti verò ad Episcopos quoscunque, & si jurisdictionem quasi Episcopalem habeant, suis subditis etiam sæcularibus. n. 7. p. 130.

Quam jurisdictionem habeat Abbas tum exemptus, tum non exemptus? I. 31. n. 14. p. 139. n. 16. p. 160. n. 17. p. 161.

Num Abbates & Prælati regulares præcedant Canonicos Ecclesiarum Cathedralium? I. 33. n. 12. p. 172.

An Abbas sine consensu Conventûs agere possit de bonis pertinentibus ad suum Monasterium? II. 1. n. 57. p. 227.

Abbatissa.

Quot annos ætatis & religionis habere debeat eligenda? I. 6. num. 30. p. 57. & tit. 14. n. 7. p. 105.

Eligi potest per accessum. I. 6. n. 70. p. 64. & in ejus electione non instituitur collatio zeli ad zelum, & meriti ad meritum. n. 72. p. 65.

Electa à majori parte etiam in discordia ante confirmationem suscipere potest administrationem bonorum. ibid. n. 92. p. 70.

Abbatissa num jurisdictionem Ecclesiasticam habeat? I. 31 n. 18. p. 161.

Abrogatio Legis.

Quid sit, à quo, & qualiter fieri debeat? I. 2. n. 28. p. 27.

An inferior possit abrogare legem propriam, si ea à superiore sit confirmata? ibid.

Lex posterior contraria abrogat priorem etsi de ea mentionem non faciat. n. 29. p. 28. Non tamen lex generalis abrogat legem particularem, aut juramento de non abrogando, vel clausulâ derogatoriâ legis contrariæ munitam. ibid.

An, & quatenus consuetudo abroget legem præsertim irritantem, aut reprobantem consuetudinem? I. 4. num. 19. p. 45. & quatenus lex posterior abroget consuetudinem? n. 20. p. 45.

Accretio, seu coalitio.

Quid sit, & quatenus tribuat dominium? II. 12. n. 93. p. 323. An per accretionem, aut alluvionem detur territorialis jurisdictio? ibid.

Alia

Acta judicialia.

An fidem faciant in alio judicio? II. 3. n. 78. p. 266. & II. 22. n. 40. p. 403.

Quid requiratur, ut iis fides habeatur? ibid. num. 8.

Actio.

Ex pacto nudo de jure Civili non datur actio. I. 35. n. 53. p. 186. imò nec de Jure Canon. n. 54. ibid. Quæ actio nascatur ex transactione? I. 36. n. 22. p. 193.

Actio quod metûs causa quando, quamdiu & ad quid detur? I. 40. n. 10. p. 207.

Actio de alienatione judicii mutandi causâ facta quid sit? I. 42. n. 1. p. 211. Cui, adversus quem, & ad quid detur? n. 3. 4. 8. 9. p. 212. Quæ agens hac actione probare debeat? n. 5. 6 7. ibid.

Quæ actio sit personalis, quæ realis, & an detur mixta? II. 1. n. 7. p. 219.

Quæ sit bonæ fidei, quæ stricti juris? n. 9. p. 219.

Actio realis institui potest in loco rei sitæ, II. 2. n. 25. p. 240. Non item actio personalis. n. 27. ibid. nisi sit actio in rem scripta. n. 28. ibid.

An actio realis contra Clericum moveri possit coram Judice Laico? n. 30. p. 240.

Num actio realis moveri possit in loco rei sitæ, si possessor rei ibi non degat? n. 31. p. 241.

An actio realis etiam in loco domicilii institui queat? n. 33. p. 242.

Quæ actiones in eodem libello cumulari possint, quæ non? II. 3. n. 17. usque 29. p. 254. & seqq.

In actione reali & personali, quæ causa exprimenda? n. 34. usq; 39. p. 257. & seqq.

Actionis nomen in libello non debet exprimi. n. 39. 40. 41. p. 258.

An statutum disponens de actione, seu conventione etiam de reconventione intelligendum sit? II. 4. n. 1. p. 271.

Actiones temporales lite contestatâ perpetuantur, & pœnales ad hæredes transeunt. II. 5. n. 19. p. 292.

Utrùm actiones rei persecutoriæ lite non contestatâ contra hæredes in solidum dentur? n. 20. p. 282.

Actio de dolo quando, & intra quod tempus competat? II. 14. n. 16. p. 338.

Actio de Jurejurando quænam, & cui detur? II. 24. n. 59. p. 429. Num etiam competat ex juramento judiciali? n. 72. p. 432.

Actiones civiles ordinariæ 30. criminales 20. annis præscribuntur. II. 26. n. 46. p. 457.

Actor. Agere.

Hodie in omni causa civili, non criminali, licet agere per alium. I. 28. n. 25. Actor quis dicatur, & sit in judiciis duplicibus? II. 1. n. 23. p. 222.

Quis agere possit in judicio? n. 25. p. 222. Num servus, aut homo proprius? n. 26. p. 223. Num pupillus? n. 27. ibid. Num minor? n. 28. & 29. ibid. Num furiosus & mente captus? n. 31. p. 224. Num prodigus? n. 32. p. ibid. Num filiusf.? n. 33. p. ibid. Num Religiosus? n. 34. & 35. p. 225. Maximè injuriatus? n. 36. p ibid. An & quomodo Prælatus Ecclesiasticus? n. 37. p. ibid. Num mulier. n. 38. p. 226. Num excommunicatus? n. 39. 40. p. ibid. Num deportatus, aut bannitus? n. 41. p. 227.

Ubi quisque agere & conveniri debeat? II. 2. per tot. p. 236. & seqq.

Actor post oblatum libellum cogitur litem prosequi. II. 3. n. 51. p. 260.

Actor reconventus non potest reum reconvenire. II. 4. n. 5. p. 271.

Actor contumax quibus pœnis coërceatur? II. 14. n. 29. p. 241.

Actor regulariter probare tenetur. II. 19,

n. 8. 9. 10. p. 363. & eo non probante reus absolvitur. n. 11. ibid.

Actus.

An actus interni & occulti cadant sub legem humanam? II. 2. n. 18.

Utrùm lex, quæ actum prohibet, censeatur irritare? n. 26.

Actus meræ facultatis non inducunt consuetudinem. I. 4. n. 4. p. 39. Nec præscriptionem. II. 26. n. 14. p. 449.

Actus voluntariæ jurisdictionis qui? I. 31. n. 3. p. 156. Hos quis exercere potest extra proprium territorium. n. 4. ibid. In causa propria. n. 30. p. 163. & diebus festis. II. 9. n. 10. p. 299.

Adscriptitii.

Prohibentur ordinari. I. 18. n. 9. p. 122.

Advocatus.

Quid sit? I. 37. n. 1. p. 194.

An cogi possit ad suscipiendum patrocinium? n. 2.

Quinam prohibeantur advocare? n. 3. ibid. An minor? n. 4. ibid. An fœmina? n. 5. ibid. An mutus, surdus, aut cæcus? n. 6. ibid. An criminosus? n. 7. ibid. An excommunicatus, aut hæreticus? n. 8. p. 195. An infamis? n. 9. p. 195. An Judex, aut arbiter in causa, in qua judicârunt? num. 10. p. 195. An potentior? n. 11. ibid. An Clericus? n. 12. 13. ibid. An Religiosus? n. 14. & 15. ibid.

Advocatus non potest patrocinari causæ iniquæ. n. 17. p. 196. Bene autem causæ æquè probabili. n. 18. Imò & minùs probabili. n. 19. & 20. p. 196. 197.

Capita juramenti ab Advocato præstandi. n. 21. p. 197.

Advocati est tueri clientem. n. 22. p. 197.

Advocatus, qui per imperitiam, aut negligentiam perdit causam, tenetur ad restitutionem. n. 23. 24. 25. p. 197.

Nequit deserere causam susceptam. n. 26. p. 198.

Potest petere justum salarium. n. 27. p. 198.

Advocatus quomodo differat à Procuratore? I. 38. n. 1. p. 198.

An teneatur ad juramentum calumniæ? II. 7. n. 8. p. 288.

Ædificatio.

Ædificatum solo cedit. II. 12. num. 100. p. 324.

Quomodo succurratur domino materiæ? ibid.

Ætas.

Quæ requiratur in eligendis? I. 6. n. 30. p. 57. & tit. 14. n. 1. & seqq. 105. Quæ in ordinandis? I. 11. n. 30. p. 97. Probari potest testimonio parentum. II. 20. n. 13. p. 373.

Alienatio.

Non valet consuetudo, quâ Prælato bona Ecclesiastica liberè alienare liceat. I. 4. n. 14. p. 42.

Quid intelligatur nomine alienationis judicii mutandi causâ factâ, & quæ inde actio competat? I. 42. n. 1. p. 211.

Res litigiosa alienari non potest. II. 16. n. 5. p. 349.

In alienatione rei Ecclesiasticæ ex diuturnitate temporis præsumuntur intervenisse solennitates. II. 22. n. 27. p. 399.

Alluvio.

Quid sit, & quod jus tribuat? II. 12. n. 92. p. 322.

Altare.

Qualiter consecretur, & sacrum esse desinat? I. 15. n. 15. p. 113.

Alveus.

Derelictus eorum esse incipit, qui prope ripas prædia possident. II. 12. num. 95. p. 323.

Animal.

Animal mansuetum, aut cicuratum contrectans committit furtum. II. 12. n. 82. p. 319.

Ex noſtris animalibus nata nobis acquiruntur. ibid. n. 96. p. 324.

Antapocha.

Quid ſit, & quam fidem faciat? II. 22. n. 13. & 47. & ſeqq. p. 404.

Apocha, ſeu quittantia.

Quid ſit, & quantùm probet? ibid.

Apoſtoli.

Quid ſint, & quotuplices? II. 28. n. 45. p. 484. Quando, & quomodo peti debeant? ibid.

Appellatio.

Appellationis homonymia & definitio. II. 28. n. 1. 2. p. 475.

Quid ſit appellatio judicialis, quid extrajudicialis? n. 3. p. 476. Quid frivola, quid legitima? n. 4. p. 476.

Appellatio ex quo jure deſcendat, & num ſtatutô tolli queat? n. 5. 6. 7. p. 477.

Appellatio datur gravatis, n. 8. etiam excommunicato. n. 9. p. 477. etiam Judici, ſi contingat eundem condemnato ſuccedere. n. 10. ib. Item conſorti ejusdem litis, ita ut appellatio unius proſit etiam aliis. n. 11. ib. & non tantùm condemnato, ſed & non condemnato, ſi ejus interſit. n. 12. p. 478. Imò etiam Procuratori, & perſonis conjunctis. n. 13. Denegatur tamen ei, qui huic expreſsè, vel tacitè renuntiavit. n. 14. ib. Item verè, non fictè contumaci. n. 15. ib. & qui ſponte confeſſus eſt in judicio. n. 16. p. 479.

An Procurator teneatur appellare, & appellationem proſequi? I. 38. n. 29. p. 202.

Regulariter ab omni Judice appellare licet. II. 28. n. 17. 18. 19. 20. p. 479. 21. & 22. p. 480. Ita tamen, ut ab inferiore appelletur ad ſuperiorem. n. 23. & 24. p. ibid. & quidem in eodem ordine & foro. n. 25. ibid.

Ad quem appellandum ſit à Judice delegato, aut ſubdelegato? I. 29. n. 5. & 31.

Ordinariè in omnibus cauſis, & à quocunque gravamine appellare conceſſum eſt: II. 28. n. 26. p. 480. Non tamen in cauſis notoriis. ibid. à tribus ſententiis conformibus. n. 27. p. 481. in cauſis juramento deciſis. n. 28. ib. in poſſeſſoriis ſummariis. n. 29. ib. à ſententia lata in cauſa decimarum. n. 30. ib. à ſententia interlocutoria. n. 31. ib. à ſententia arbitri. n. 32. p. 482. & I. 43. n. 33. ib. à correctione legitima Prælati. n. 33. ib. in cauſis criminalibus capitalibus. n. 34. ib. à pœnis. n. 35. ib. & denique ab executione ſententiæ. n. 36. p. 482.

Appellatio fieri debet gradatim, & ad immediatum ſuperiorem. n. 37. p. 483. Poteſt tamen in cauſis Eccleſiaſticis à quocunque Judice Eccleſiaſtico ſtatim appellari ad S. Pontificem. n. 38. p. 483.

A Vicario generali non ad ipſum Epiſcopum, ſed Archi-Epiſcopum appellatur. n. 39. p. ibid. Pupilli aliique miſerabiles à quovis Judice immediatè ad S. Principem appellare queunt. n. 40. ib. Num etiam Studioſi? n. 41. p. ibid. aut ſi medius palam deneget juſtitiam, aut ſit inhabilis? n. 42. p. 484.

Fatalia appellationis, ſive tempora quid ſint? n. 43. p. ibid. Fatalia interponendæ appellationis ſunt 10. dies continui. n. 44. ib. Petendi Apoſtolos ſunt 30. dies. n. 45. ibid. introducendæ appellationis ſunt arbitraria. n. 46. ib. proſequendæ verò appellationis annus, aut ex juſta cauſa biennium. n. 47. p. 485.

Appellatio interponitur vel vivâ voce, & quando? n. 48. p. ibid. vel per Scripturam, & quomodo? n. 49. ibid.

An in inſtantia appellationis opus ſit novô libellô? II. 3. n. 16. p. 254. litis conteſtatione? II. 5. n. 11. p. 280. & juramento calumniæ? II. 7. n. 18. p. 288.

Num.

Num die Festo permissa sit appellatio? II. 9. n. 15. p. 300.
An in causa appellationis novi testes produci possint? II. 20. n. 58. p. 389.
Appellatio causam devolvit ad superiorem. II. 28. n. 51. p. 486. Suspendit ordinariè officium & jurisdictionem Judicis à quo. n. 52. & 53. Reducit causam ad tempus litis contestationis. n. 54. & excludit reconventionem, ita ut adversarius victor in prima instantia appellantē reconvenire nequeat. II. 4. n. 17. p. 274.
Appellatio quomodo differat à supplicatione, revisione, reductione ad arbitrium boni viri, & à remedio nullitatis. II. 28. n. 55. p. 486.

Arbiter.

Arbitri homonymia. I. 43. n. 1. p. 213. & definitio. n. 2. ibid.
Qualiter differat arbiter compromissarius ab arbitro juris, & ab arbitratore? n. 3. p. 213. 10. p. 214. 23. & 24. p. 208.
Quinam possint compromittere in arbitros, qui non? n. 5. & seq. p. 213.
Quinam possint eligi & assumi in arbitros, qui non? n. 9. & seqq. p. 214.
Quid juris, si plures arbitri electi dissentiant? n. 13. p. 214.
An sententia ferri possit uno illorum absente? n. 14. p. 214.
In quibus causis non possit compromitti in arbitros? n. 15. p. 215.
Quâ formâ, & modo fieri debeat compromissum ad arbitros? n. 16. p. 215.
Num, & quatenus obliget compromissum in arbitros? n. 19. & seqq. ibid.
Quæ contra eum, qui arbitrio non stat, actiones competant? n. 22. p. 215.
Ab arbitri sententia num possit appellari? n. 23. p. 208.
An à sententia arbitri detur reductio ad arbitrium boni viri? n. 24. ibid.
Quomodo finiatur compromissum, & arbitri potestas? n. 25. ibid.
Coram arbitro non potest fieri reconventio. II. 4. n. 23. p. 276.
An die Festo coram arbitro judicium agitari possit? II. 9. n. 16. p. 300.
Coram arbitro facta confessio habetur pro judiciali. II. 18. n. 17. p. 358.
Arbiter testes cogere non potest. II. 21. n. 2. p. 392.
Arbiter potest deferre jusjurandum necessarium. II. 24. n. 77. p. 433.

Archi-Diaconus.

Quis dicatur? I. 23. n. 1. p. 133.
Quod ejus officium & potestas? n. 2. ibid.
Quæ facere, & de quibus causis cognoscere nequeat? n. 3. ibid.
Ejusdem jurisdictio & potestas hodie potissimùm à consuetudine loci dependet. num. 4.
Archi-Diaconus num præcedat Abbates & Prælatos Regulares? I. 33. n. 12. p. 172.

Archi-Episcopus.

Non potest dispensare in statutis Concilii Provincialis. I. 2. n. 11. p. 29.
Archi-Episcopo competit usus pallii. I. 8. n. 3. p. 77.
Num in Ecclesia exempta suæ Provinciæ palliô uti possit? n. 6. p. 78.
Quæ possit, & quæ non possit Archi-Episcopus sine pallio? n. 12. & seqq. p. 79.
An Archi-Episcopus in iis, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ, suppleat negligentiam Episcopi? I. 10. n. 11. p. 89.
An in Germania propter negligentiam Capitularium, & moram eligendi Episcopum, fiat devolutio ad Archi-Episcopum, vel S. Pontificem? n. 8. p. 89.
Quam Jurisdictionem Archi-Episcopus habeat in suos suffraganeos, eorúmque subditos? I. 31. n. 12. p. 149. II. 28. n. 51. p. 486.

A Vicario generali Episcopi appellatur ad Archi-Episcopum. II. 28. n. 39. p. 483.

Archi-Presbyter.

Quid sit? I. 24. n. 1. p. 134.
Alius est Urbanus, alius ruralis. n. 2. ibid.
Quod utriusque munus & officium? n. 3.
Qualem habeant jurisdictionem? n. 3. 4. ib.

Archivum.

Quid sit? II. t. 22. n. 10. p. 396.
Quam fidem faciant scripturæ productæ ex archivo tum publico? n. 42. p. 403. tum ex privato? n. 43. & 44. p. 403. 404.

Arrestatio.

Quid sit? II. 17. n. 21. p. 353. & quando authoritate tam privatâ, quàm publicâ fieri possit? n. 22. p. 353.

Attestatio. vide *Testimonium.*

B.

Bannitus.

Bannitus nequit alium convenire. II. 1. n. 41. p. 227. imò nec reconvenire. II. 4. n. 6. p. 272.

Baptismus.

Est janua Sacramentorum. I. 16. num. 9. p. 117.
Baptizandus quomodo inungi debeat? I. 15. n. 8. p. 112.
Rebaptizans, & rebaptizatus fiunt irregulares. I. 16. n. 11. p. 117.
Quando debeat repeti baptismus sub conditione? n. 12. p. 117.
Quem baptizatum esse plenè probatur per unicum testem. II. 20. n. 60. p. 389.

Bellum.

Quæ conditiones requirantur ad bellum justum? I. 34. n. 4. p. 174.
Res & personæ in bello captæ cedunt capientibus. II. 12. n. 90. p. 322.

Benedictio.

Benedictio Abbatum est locò consecrationis. I. 6. n. 91. p. 70. & 94. p. 71.

Beneficium.

Rescripta ad beneficia sunt ambitiosa, & strictè interpretanda. I. 3. n. 10. p. 36.
Quando beneficia vacare incipiant factâ translatione? I. 7. n. 11. & 12. p. 75.
Quæ beneficia renuntiari possint? *vide Renuntiatio.*
Beneficia intra quantum tempus conferenda? I. 10. n. 3. p. 87.
Quale debeat esse beneficium, cujus titulô quis ordinatur? I. 11. n. 29. p. 97.
Beneficiis præficiendi quam habere debeant ætatem? I. 14. §. 1. p. 105 quas qualitates? §. 2. ib. quos ordines? §. 3. ibid.
An ad beneficium promoveri possit hæsitans de legitima ætate? n. 8. p. 105.
Beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda sunt. n. 16. & 17. p. 106. 107.
An Religiosus cogi possit à Prælato ad acceptandam Parochiam, vel aliud beneficium? n. 18. p. 107.
Num laborans impedimento occulto acceptare possit beneficium oblatum? n. 25. p. 109.
Beneficia conferenda sunt dignioribus. n. 26. p. 109.
Qui accipit beneficium parochiale, tenetur illud dimittere, nisi intra annum recipiat Sacerdotium. n. 31. p. 110.
Utrum suscipiens simplex beneficium animo non perseverandi in statu Clericali teneatur ad restitutionem fructuum? n. 35. p. 110.
In beneficiis Ecclesiasticis locum non habet missio in possessionem ex primo decreto. II. 5. n. 7. p. 345.
An beneficii sequestratio sit licita? II. 17. n. 10. p. 351.
Beneficia Ecclesiastica num præscribi possint? II. 26. n. 11. p. 484.

Bigamia, Bigamus.

Bigamus postulari nequit. I. 5. n. 7. p. 48.

Bigamia quid sit? I. 21. n. 1. p. p. 126. & quotuplex? n. 2. p. 126.

Quomodo contrahatur bigamia vera? n. 2. ibid. quomodo interpretativa? n. 3. p. 126. 127. quomodo similitudinaria? n. 4. p. 127.

An bigamus fiat is, qui ducit à se priùs corruptam? d. n. 3. p. 126.

An bigamiam similitudinariam contrahat etiam Clericus, si matrimonium defacto celebret? d. n. 4. p. 127.

Bigamia non oritur nisi ex matrimonio iterato, & consummato. n. 5. p. 127.

Bigamia in infidelitate contracta an noceat post conversionem? n. 6. p. 128.

Bigamia cur irregularitatem inducat? n. 7. ibid.

Quam pœnam incurrat bigamum ordinans, & bigamus ordinatus? ibid.

Cum bigamis quis dispenset? n. 8. p. 128.

Quatenus bigamia Clericum exuat privilegio clericali? n. 9. p. 129.

Bona fides. vide *Fides.*

C.

Cadaver.

An cadaver hominis mortui possit sequestrari? II. 17. n. 9. p. 351.

Calendarium.

An Gregorianum, vel Julianum attendi debeat in in feriis observandis? II. 9. n. 23. p. 302.

Calix.

Quomodo inungatur, & quando denuo consecrari debeat? I. 15. n. 16. p. 113.

Calix sacer præscribi non potest. II. 26. n. 7. p. 447.

Calumnia, vide *juramentum calumniæ*, *Canones*, vide *Jus Canonicum.*

Canonicatus; Canonicus.

Provisi de Canonicatu tenentur facere professionem fidei coram Episcopo, & in Capitulo. I. 1. n. 8. & seqq. p. 9.

Canonicatus quam ætatem requirat? I. 14. n. 6. p. 105. & quem ordinem? n. 33. p. 110.

Episcopus non potest dispensare cum illegitimis ad Canonicatus. n. 10. p. 105.

An ad restitutionem fructuum teneatur, qui Canonicatum accipit, cum intentione non manendi in statu Ecclesiastico? n. 35. p. 110.

Utrùm Canonici præcedant Abbates, & Prælatos Regulares? I. 33. n. 12. p. 172.

Capitulum.

An, & qualia statuta facere possit? I. 1. n. 8. p. 13.

Possitne sede vacante confirmare Abbatem I. 6. n. 18. p. 54. vel Abbatem, aut alium Beneficiatum inferiorem transferre, eique licentiam ad aliam Ecclesiam transeundi dare? I. 7. n. 5. p. 73.

Quando in collatione beneficiorum suppleat negligentiam Episcopi? I. 10. n. 7. p. 88.

Quibus sede vacante dare possit literas dimissorias? I. 22. n. 5. p. 130.

Sede vacante tenetur constituere Vicarium generalem. I. 28. n. 6. p. 138.

Captivitas.

Capti in bello hodie non fiunt servi. I. 18. n. 4. p. 121.

Valet testamentum durante captivitate factum. ibid.

Captivitas tribuit dominium rerum in bello justo captarum. I. 18. n. 4. p. 121. & II. 12. n. 90. p. 106.

Monasteria, & bona Ecclesiastica ab hoste recuperata, reddi debent antiquis Ordinibus, & possessoribus. ib. n. 91. p. 106.

Cardinalis.

Potest sancire leges, quæ obligent Ecclesiam sui tituli. I. 2. n. 7. p. 12.

Cardinalem transferre pertinet ad S. Pontificem. I. 7. n. 4. p. 73.

Ad Cardinalatum quæ ætas requiratur? I. 14. n. 2. p. 105.

Cardinali asserenti se legatum, fides danda est. I. 30. n. 5. p. 154.

Cardinales qualem habeant præcedentiam? I. 33. n. 4. p. 170.

Castratio.

An castratus propter conservandam vocem sit irregularis? I. 20. n. 5. p. 125.

Casus.

Casus fortuitus quid sit, & quatenus præstari debeat in contractu? I. 25. n. 58.

Casus fortuitus nocet domino. II. 12. numer. 127. p. 330.

An detur casus pro amico? II. 27. n. 31. p. 467.

Causa.

Causæ beneficiales, criminales, & matrimoniales sunt supra jurisdictionem Archi-Diaconi. I. 23. n. 3. p. 133.

An causæ temporales Clericorum inter se, aut contra Clericum Laico delegari possint? I. 29. n. 17. p. 147.

An delegari possint causæ mixti imperii? n. 21. p. 147. aut etiam meri imperii de jure Canonico? n. 22. 23. p. 148.

Quæ dicatur causa propria, & num quis in propria causa judex esse possit? I. 31. n. 25. & seqq. p. 162. & seqq.

In quibus causis liceat transigere? I. 36. n. 12. & seqq p. 191. postulare? I. 37. n. 17. & seqq p. 196. Procuratorem constituere? I. 38. n. 25. p. 200. & in arbitros compromittere? I. 43. n. 15. p. 215.

Quæ causæ possint tractari summariè? II. 1. n. 12. 13. p. 220.

In causis spiritualibus solus Judex Ecclesiasticus adeundus est. n. 44. p. 227.

Causa possessoria rei spiritualis an possit tractari per Judicem Laicum? n. 45. p. 227.

Causæ Clericorum tam criminales, quàm Civiles pertinent ad judicem Ecclesiasticum. n 46. 47. p. 228.

Causæ merè temporales laicorum spectant ad forum sæculare. n. 49. p. 229. quandoque tamen trahuntur ad forum Ecclesiasticum. n. 50. & seqq. p. 230.

Causæ mixti fori quæ? n. 56. & seqq. p. 231. & an causa dotis sit mixti fori? n. 59. p. 232.

Quis sit judex competens causarum feudalium? n. 60. & seqq. ibid.

Causæ connexæ non sunt dividendæ. n. 68. p. 233. sive illa connexitas seu continentia veniat à personis. n. 69. 70. 71. ib. sive à conditione actionum. n. 72. p. 234.

In quibus causis opus sit libellô? II. 3. n. 7. p. 253. & seqq. citatione? n. 85. p. 267. litis contestatione? II. 5. n. 10. p. 280. juramentô calumniæ? n. 13.

In quibus causis locus sit reconventioni? II. 4. n. 10. p. 373. & seqq. juramento voluntario? II. 24. n. 50. & seqq. p. 427. judiciali? n. 69. p. 432. necessario? n. 73. & seqq. p. 432. vel suramento in litem? n. 102. seqq. p. 438 denique appellationi? II. 28. n. 26. & seqq. 480.

Censura.

Quatenus à censuris, aliisve pœnis spiritualibus excuset ignorantia? I. 2. n. 25. p. 23.

Censurati non possunt eligere. I. 6. n. 12. p. 53. Neque eligi. n. 45. p. 60. Neque ordinari. I. 11. n. 15. p. 94.

Chirographum.

Quid sit? II. 22. n. 13. p. 396. & quam fidem faciat? n. 47. & seqq. p. 404.

Chrisma.

Quid sit? I. 15. n. 17. p. 114.

An sit de substantia & necessitate Sacramenmenti Confirmationis? n. 18. p. 114.

Citatio.

Quid sit? II. 3. n. 60. p. 262. Alia est simplex, alia peremptoria. n. 61. alia realis, alia verbalis, eáque privata, vel publica. n. 62. & seqq.

Quando citatio realis, n. 63. 262. quando edictalis adhiberi possit? n. 65. ibid.

Semel citatus per edictum, quamvis postea deprehendatur illum esse in certo loco, non debet ampliùs citari. n. 66. p. 263.

Citatio est juris naturalis, & ne quidem à supremo Principe omitti potest. n. 67. & II. 1. n. 18. & 19. 221.

Citare potest Judex ordinarius, & delegatus. n. 68. p. 263. Hic tamen tenetur ordinariè rescriptum delegationis citato transmittere. n. 69. 70. ibid.

Per quem? n. 71. p. 264. Ubi? 72. 73. 74. Quando? 75. p. 265. & quomodo citatio insinuari debeat? 76. ibid.

Qualiter citari debeat debitor, aut reus, qui est extra territorium citantis? n. 73. & 74. p. 265. & II. 2. n. 39. p. 243. & 61. p. 246.

Creditur nuntio asserenti, se citationem legitimè executum esse n. 77. p. 266.

Quinam citari possint? n. 78. p. ibid. & seqq. quinam debeant? n. 83. p. 267.

An impetratio veniæ adhuc hodie sit necessaria? n. 82. ibid.

Utrùm is, qui in judicio aliàs præsens est, nihilominus citari debeat? n. 84. ibid.

Citatio fieri debet ad omnes actus, qui requirunt causæ cognitionem. n. 85. & 86. ibid.

An citatio specialis fieri debeat ad quemvis actum, vel an generalis sufficiat? n. 87. p 268.

Citatio fieri debet ex mandato Judicis. n. 88. ibid. & ad instantiam partis. n. 89. ibid.

Quomodo Universitas, aut plures litis consortes citandi? n 91. p. 269.

An cum citatione libellus actoris sit transmittendus? n. 92. ibid.

Locus, ad quem quis citatur, debet esse idoneus, honestus, & tutus. n. 93. ibid

Utrùm valeat citatio termino non adjecto? n. 94. p. ibid. & quantus esse debeat? n. 95. II. 8. n. 2. p. 293.

Relatio de executione citationis est de substantia. n. 96. p. 270.

Citationis finis. n. 97. & effectus n. 98. p. 270.

Num citatio fieri possit die feriato? II. 9. n. 11. & 12. p. 299. vel ad diem feriatum? n. 13. p. 300.

Citatio una non sufficit, ut in bona alterius missio fieri possit. II. 14. n. 25. p. 340.

Sine speciali citatione utriusque partis nulla sententia valet. II. 27. n. 47. p. 471.

Clementina.

Earum origo, & authoritas. Proëm. n. 3. 4. p. 12.

Clericus.

Si Clericus conveniat reum laicum, causa juxta leges civiles decidenda est. Proëm. sub n. 8. p. 3.

An Clerici obligentur legibus sæcularibus? I. 2. n. 11. p. 14.

Quæ sint privilegia, quæ onera Clericorum? I. 11. n. 43. p. 101.

Clerici peregrini sine dimissoriis ordinari prohibentur. I. 22. pr. p. 129. nec ad sacra publicè admitti debent. num. 12. p. 132.

Clericus an possit agere Advocatum? I. 37. n. 12. p. 105.

Clericus in omni causa conveniri debet coram Judice Ecclesiastico. II. 1. n. 46. p. 228. & II. 2. n. 89. p. 251.

Nec ad judicem sæcularem trahi potest, ñ

Præ-

Prælatus in administranda justitia sit negligens. I. 1. n. 47. & 48. p. 12. 13. Excipiuntur causæ feudales, modò merè civiles sint. n. 62. p. 16.

An Clericus possit conveniri coram Judice sæculari, in cujus territorio res controversa sita est? II. 2. n. 30. p. 240.

Num prorogare jurisdictionem in judicem alienum? n. 67. p. 247. An renuntiate privilegio fori, & quænam ejus sit pœna, si renuntiet? n. 89. p. 251.

Possitne Clericus coram Judice sæculari reconveniri? II. 4. n. 8. p. 272. & seqq.

Utrùm Clerici juramentum calumniæ personaliter præstare teneantur? II. 7. n. 9. p. 288.

Clericus in quibus causis possit esse testis? II. 20 n. 29. p. 377. & coram quo Judice juramentum testis deponere debeat? n. 40. p. 382.

De Clericis peregrinantibus. II. 29.

Coadjutor.

Datur Prælato seni, aut infirmo. I. 9. n 7. p. 83. quandoque etiam negligenti. I. 10. n. 5. p. 88.

Cognitio, vide *Ordo cognitionum.*

Commixtio.

Quid, & quando faciat communionem? II. 12. n. 103. p. 326.

Compromissum.

Electionis quid sit? I. 6. n. 75. p. 66. Quorum consensus ad id requiratur? ibid. In quos? n. 75. & quo modo faciendum? n. 77. ib. An compromissarii dati ad eligendum possint postulare? n. 78. aut aliquem ex se ipsis eligere? n. 79. p. 66. Qualiter finiatur? n. 80. p. 67.

Compromissum in arbitros quid sit? I. 43. n. 4. p. 213. Quinam possint compromittere? n. 5. & seqq. ib. In quos possit compromitti? num. 9. & seqq. p. 214. In quibus causis liceat compromittere? n. 15. p. 215. Quo modo in arbitros compromittatur? n. 16. ib. Quæ sit vis, & effectus compromissi? n. 19. & seqq. ibid.

Conatus.

An in crimine pœnâ ordinariâ puniatur? I. 2. sub n. 17. p. 18.

Conclusio in causa.

Quid sit? II. 27. n. 1. p. 461.

Alia est expressa, alia tacita. n. 2. Alia pura, alia eventualis. n. 3. ibid.

In causa concludere debet pars utraque n. 6. p. 462. sive de sententia definitiva, sive de interlocutoria sermo sit. n. 5. ibid. Et si alterutra detrectet, à judice cogitur. n. 7. ibid.

Conclusio in causa est necessaria in omni processu ordinario. n. 9. p. 462.

Quomodo. n. 10. & cur fiat? n. 11. p. 247.

Effectus conclusionis in causa, & quando post eam probatio recipiatur? n. 12. & seqq. p. 463.

Conditio.

Alia est de præsenti, alia de præterito, alia de futuro: & hæc de futuro, vel contingente, vel necessario: vel impossibili. I. 35. n. 50. p. 185. Quid operetur contractui, aut pacto adjecta? ibid.

Confessio.

Quid sit? II. 18. n. 1. p. 354.

Alia est discreta, alia indiscreta. n. 2. ibid. alia simplex, alia qualificata. n. 3. alia expressa, alia tacita. n. 4. alia judicialis, alia extrajudicialis. n. 5. ibid.

Confessio Pupilli, aut Minoris an præjudicet confitenti? n. 6. p. 355.

An confitenti noceat confessio facta ex errore juris, vel facti? n. 7. ibid.

Confessio Advocati, aut Procuratoris qualiter noceat domino? ibid.

Non valet confessio metu ex torta. n. 9. ib.

Non creditur confitenti pro se, imò nec con-

contra se, si confessio præjudicet Reip. n. 10. p. 356.
Pro confessione elicienda adversario porrigi solent positiones seu articuli. n. 11. ibid. Non tamen cogitur respondere ad impertinentes. n. 15. p. 357.
Confessio fieri debet de facto præterito. n. 12. p. 356. possibili secundùm naturam n. 13. p. 357. & secundùm jus. n. 14. ib. & de quo quæstio movetur. n. 15. ibid.
Incidenter de se confessus crimen quomodo puniendus sit? n. 16. p 357.
Confessio coram Judice incompetente facta non est judicialis, sed extrajudicialis. n. 17. p. 358.
An confessio judicialis necessariò fieri debeat coram judice pro tribunali sedente? n. 18. ibid.
Confessio in judicio facta, juris ordine circa alia non servato, an sit judicialis? n. 19. ibid.
Confessio judicialis absente adversario saltem de jure Can. valet. n. 20. p. 359. sed revocari potest. n. 21. ibid.
Confessio extrajudicialis non præsumitur deliberata, nisi causa debendi in ea exprimatur. n. 22. ibid.
Confessionis judicialis quinam effectus? n. 24. & seqq. p. 360. An requirat sententiam? d. n. 24.
Confessio extrajudicialis quantùm probet in causis civilibus? n. 29. p. 360. Quid operetur facta in articulo mortis, vel in ultima voluntate? n. 30. ibid. Quid in causis criminalibus? n. 31. p. 361. ibid.
Confessio confitenti præjudicat, non etiam aliis in ea nominatis. n. 32. p. ibid.
An confessio qualificata noceat confitenti, ita ut ab adversario acceptari possit quoad substantiam, & repudiari quoad qualitatem? n. 33. ibid.
Confessus de se crimen non debet interrogari de sociis, nec ei credendum est. II. 20. n. 26. & 27. p. 376. 377.

Confirmatio Electionis.

Intra quod tempus petenda? I. 6. n. 86. p. 68. à quo, & an à Capitulo sede vacante? n. 87. 88. p. 69. & quo modo, ac quando facienda sit? n. 89. ib. Quid juris tribuat? n. 92. & 93. p. 70. 71.

Confirmationis Sacramentum.

Sine hoc illicitè recipiuntur ordines. I. 11. n. 12. p. 93.
Ejus minister est Episcopus, & ex commissione etiam simplex Sacerdos. I. 15. n. 9. p. 112. Num hæsitans, an fuerit confirmatus denuo sub conditione confirmari possit? n. 10. Utrùm chrisma sit de substantia hujus Sacramenti? n. 18. p. 114. Si in confirmatione oleum fuerit adhibitum, qualiter hic defectus suppleri debeat? ibid.

Confirmatio utilis, & inutilis.

Quid nominis? II. 30. n. 1. p. 490. Quid rei? n. 2. & 3. ib.
Debet fieri à Superiore. n. 4. & de actu valido. n. 5. p. 490.
Quando fiat in forma communi, quando in speciali? n. 6. p. 491. & cum quo effectu? n. 8.

Confusio.

Quid, & quando ex ea oriatur communio? II. 12. n. 102. p. 325.

Conjectura, vide *Præsumptio.*

Conscientia.

An Judex teneatur judicare secundùm conscientiam, vel secundùm allegata & probata? II. 19. n. 35. & seqq. p. 368.

Consecratio.

Ab electo quando petenda? I. 6. n. 90. p. 70. Perficit matrimonium spirituale inter Ecclesiam, & Episcopum electum, eique potestatem Ordinis tribuit. n. 94. p. 71. Debet fieri die dominicâ. I. 11. n. 36. p. 99.

An,

An, qui Sabbatho fuit ordinatus Presbyter, sequenti statim Dominicâ possit consecrari Episcopus? n. 39. p. 100.
Qua parte, & oleo in consecratione inungatur S. Pontifex? I. 15. n. 4. p. 111. Episcopus? n. 5. ibid. Sacerdos? n. 6. Imperator, & Reges? n. 7. ibid. Ecclesia? n. 15. p. 113. Altare? n. 15. ib. & Calix? n. 16. ib.
Quando consecratio Ecclesiæ, Altaris, vel Calicis iterari debeat? d. n. 14. 15. 16. p. 113.
Ecclesiam consecratam esse, unus testis plenè probat. II. 20. 60. p. 389.

Consortes litis.

Sine mandato agere possunt. I. 38. n. 26. p. 201.
Debent conveniri coram eodem Judice. II. 1. n. 69. 70. & 71. p. 233. & singulorum nomina tam in libello. II. 3. n. 32. p. 257. quàm in citatione exprimenda sunt. n. 91. p. 269.
Consors ejusdem litis appellare potest, ita ut appellatio unius prosit etiam aliis. II. 28. n. 11. p. 477.

Constitutio, seu Lex.

Constitutio quid? I. 2. n. 1. 2. 3. 4. p. 11.
Alia est Ecclesiastica, alia civilis: alia generalis, alia particularis: alia præceptiva, alia purè pœnalis, alia mixta: alia favorabilis, alia odiosa. n. 5. p. 11.
Constitutiones Ecclesiasticas generales ferunt S. Pontifex & Concilia generalia, n. 6. p. 12. Particulares verò Cardinales, Episcopi, aliique Prælati, Concilia particularia, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium. n. 7. & 8. p. 12. 13.
Constitutiones seu leges civiles generales in Imperio edit Imperator; particulares alii Principes inferiores & communitates. n. 9. p. 14.
An Legislator teneatur suâ lege? n. 10. p. 14.
An Clerici legibus sæcularibus? n. 11. ibid.
An Laici legibus Ecclesiasticis? n. 12. p. 15.
An legibus obstringantur destituti usu rationis? n. 13. p. 15.
Quando pueri incipiant obligari legibus maximè pœnalibus? n. 14. p. 15.
Num peregrini obligentur statutis suæ patriæ, aut loci transitûs? n. 15. p. 16.
An Religiosos tum exemptos, tum non exemptos obligent statuta diœcesana? n. 16. p. 17.
Quæ lege præcipi, prohiberi, puniri, aut permitti possint? n. 17. p. 18.
An actus interni, & occulti cadant sub legem? n. 18. p. 19.
Lex non obligat nisi publicè promulgata. n. 19. p. 20.
Ubi leges præsertim Pontificiæ promulgandæ, & an statim post promulgationem obligent? n. 20. p. 20.
An valor legis dependeat ab acceptatione populi? n. 21. p. 21.
Leges necessariò ordinantur ad bonum commune. n. 22. p. 22.
Lex tam civilis, quàm canonica obligat in conscientia, nisi sit fundata in præsumptione facti, aut purè pœnalis. n. 23. p. 22.
An lex civilis, cui pœna temporalis adjecta est, obliget in conscientia? ibid.
Ad incurrendam pœnam legis regulariter requiritur sententia. n. 24. p. 23.
Utrùm, & quatenus ignorantia legis excuset tum à culpa, tum à pœna præsertim spirituali? n. 25. p. 23.
Si lex actum prohibeat, censetur irritare. n. 26. p. 25.
Vide in V. *Abrogatio, Derogatio, Dispensatio, Interpretatio, Lex civilis.*

Consuetudo.

Consuetudinis homonymia. I. 4. n. 1. p. 38.

p. 38. Definitio. n. 2. & divisio. n. 3. p. 39.
Actus quibus consuetudo introducitur, debent esse facti animo eam introducendi. 14. p. 39. Voluntarii, non ex metu, aut errore facti. ib. Notorii ac publici. n. 6. p. 40. frequentes. n. 7. ib. uniformes. n. 8. ib. & diuturni. n. 9. p. 41.
Non valet consuetudo contraria juri Divino vel naturali, item Ecclesiæ, Religioni aut bono publico. n. 10. p. 41. & seqq.
Ad consuetudinem stabiliendam requiritur saltem generalis Legislatoris consensus. n. 17. p. 42.
Consuetudo obligat instar legis. n 18. p 43.
Consuetudo secundùm legem eandem interpretatur; consuetudo præter legem jus novum constituit: consuetudo contra legem eandem tollit etiam circa Sacramentalia, & tametsi lex sit pœnalis, irritans, aut improbans consuetudinem. n. 19. p. 44.
An & quomodo consuetudo probari debeat? ibid. p. 45.
Quatenus per legem posteriorem consuetudo tollatur, & abrogetur? n. 20. p. 45.
Judex tenetur judicare secundùm consuetudinem loci. n. 18. p. 43. & tit. 32. n. 28. & II. 27. n. 45. p. 471.
Consuetudo imprægnavit pacta nuda, ut pariant actionem. I. 35. sub n. 54. p. 186.
An consuetudine tolli possit juramentum calumniæ? II. 7. n. 7. p. 287.
Consuetudine Germaniæ appellatio denegatur in causis capitalibus. II. 28. n. 34. p. 482.
Contestatio litis, vid. *Litis contestatio.*
Contractus.
Quid sit? I. 35. n. 11. p. 177.
Alius est contractus verus, alius est quasi contractus. n 12. p. 178. Alius nominatus, alius innominatus, in quo etiam de Jure Can. pœnitere licet. n. 13. 14. 15. ib. Alius est realis, alius verbalis, alius literalis, alius consensualis. n. 16. Alius unilateralis, alius bilateralis. n. 17. Alius bonæ fidei, alius stricti juris. n. 18. p. 179. Alius denique onerosus, alius lucrosus. n. 19. ibid.
Contractus penè omnes sunt juris gentium n. 20. p. 179.
Quinam possint contrahere, qui non? n. 21. ib. & seqq. Quæ res & facta in contractum deduci possint, quæ non? n. 34. p. 183. & seqq Vide *Pactum.*
Contractus ineuntur vel purè. n. 48. p. 185. vel in diem. n 49. vel sub conditione. n. 50. vel sub modo. n. 51. p. 186. & quo effectu? ibid. & ob quem finem? n. 52.
Contractus præter obligationem civilem parit actionem. n. 53. p. 186.
Quando in contractu præstetur dolus? n. 55. p. 187. Quando, & quæ culpa? n. 56. 57. Quando casus fortuitus? n. 58. p. 188.
Valeátne contractus metu initus de jure naturæ? I. 40. n. 5. & seqq. p. 206. An de jure positivo? n. 8. & seqq.
In loco contractûs, vel quo quis se soluturum promisit, quis conveniri potest. II. 24. n. 34. & seqq. 422. Modò ibi reperiatur. n. 34. p. 422. 38. & seqq.
Contractus dolo initus, tam bonæ fidei, quàm stricti juris, an valeat? II. 14. n. 10. p. 337. & seqq.
Contumacia.
Quid sit? II. 14 n 20. 21. p. 339. ibid.
Quid sit contumacia vera, quid ficta? n. 22.
Verè, non fictè contumaci appellatio denegatur. ibid. & II. 28. n. 15. p. 478.

Con-

Contumax esse potest tam actor, quàm reus. II. 14. n. 23. ibid.
Contumax delinquit in Judicem, adversarium, judicium, & jus publicum. n. 24.
Ut quis tanquam contumax puniri possit, oportet, ut ter, aut semel peremptoriè sit citatus. n. 25. ut sine justa causa Judici citanti non obtemperet. n. 26. & ut pars præsens absentis contumaciam accuset. n. 27. p. 441.
Quibus pœnis reus. num. 28. quibus actor contumax castigetur? n. 29.
An contumacia & dolus Procuratoris noceat principali? I. 38. num. 31. p. 202. II. 7. n. 30. p. 292. & tit. 14. n. 30. & seqq. p. 342.

Copia.

Qualis sit scriptura? II. 22. n. 18. p. 397.
Copia instrumenti an fidem faciat? n. 54. p. 406. Et quid dicendum de copiis à Notario publico collationatis? n. 55. p. 407.

Corpore vitiati.

Alii sunt debilitati, alii notabiliter deformes, alii mutilati. I. 20. n. 2. p. 123. & hi omnes sunt inhabiles ad Ordines. n. 3. & 4. p. 124.
An absternius, vel is, qui ob defectum v. g. manûs Sacerdos ordinari nequit, saltem possit ordinari Diaconus? d. n. 3. p. 124.
An ordinari possit ille, qui in uno tantùm oculo videt? d. n. 4.
Mutilans se ipsum, aut mutilationem sine justa causa procurans, fit irregularis. n. 5. p. 125.
Corpore vitiatus post susceptos Ordines quando, & à quo ministerio prohiberi debeat? n. 6. p. 125.
Cum corpore vitiatis quis possit dispensare? n. 7. p. 126.

Correctio juris.

Est vitanda. I. 2. sub n. 29. & passim p. 28.

Crimen Criminosus.

Conatus criminis non punitur pœnâ ordinariâ exceptis quibusdam criminibus. I. 2. n. 17. p. 18.
Criminosus non potest postulari. I. 5. n. 7. p. 48. minùs eligi. I. 6. n. 44. p. 59. neque ordinari. I. 11. 19. p. 95. neque beneficiis quibuscunque præfici. I. 14. n. 21. p. 108.
Qualis criminis conscientia renuntiationi justam causam præbeat? I. 9. n. 14. p. 85.
De quibus criminibus transigere liceat, de quibus non? I. 36. n. 16. p. 192.
Ob crimen læsæ Majestatis, aliúdve Clericus non potest puniri per Judicem Laicum. II. 1. n. 46. p. 228.
Crimina mixti fori quæ? II. 1. n. 57. p. 231.
Quatenus in loco commissi criminis criminosus conveniri & puniri possit? II. 2. §. 4. per tot. p. 244.
An Ministris justitiæ liceat persequi criminosum in aliud territorium fugientem? II. 3. n. 73. p. 265.
Criminosus crimen confessus nihil probat adversus complices. II. 18. n. 32. p. 361. neque adversus eos testis esse potest. II. 20. num. 25. p. 376. Sed ánne de his interrogari potest? ibid. num. 26. & 27. p. 376. & 377.
Quæ probatio criminis requiratur ad condemnationem? II. 19. n. 2. p. 362.

Culpa.

Quid sit? I. 35. n. 56. p. 187.
Alia est lata, alia levis, alia levissima. ibid.
Culpa qualis in contractu præstanda? n. 57. p. 187.
De qua culpa suo clienti teneatur Advocatus? I. 38. n. 25. p. 200. Procurator suo principali? I. 38. n. 32. p. 202. Sequester victori? II. 17. n. 19. p. 353.

Lata culpa in contractibus dolo æquiparatur, non in delictis. II. 14. n. 19. p. 339.

Cumulatio actionum.

Quid sit, & in quibus actionibus locum habeat? II. 3. à n. 17. usque 29. p. 254. & seq.

Curator.

An possit constituere Procuratorem? I. 38. n. 13. p. 199. An compromittere in arbitros? I. 43. n. 7. p. 213. Qualiter teneatur jurare de calumnia? II. 7. n. 11. p. 289.

Nequit esse testis contra suum clientem... II. 20. n. 21. p. 375.

Utrùm possit deferre jusjurandum voluntarium in rebus sui clientis? II. 24. n. 45. p. 425. 426. An jurare in litem? n. 99. p. 438.

Custos.

Quis dicatur? I. 27. n. 1. p. 136. Quod ejus officium? n. 2.

D.

Decanus, vide *Archi-Presbyter.*

Decimæ.

Quomodo super decimis transigi possit? I. 36. n. 13. p. 192.

Causæ decimarum ad Judicem Ecclesiasticum spectant. II. 1. n. 44. p. 227. Nisi de pura puta possessione litigetur. n. 45. ibid.

Decimæ à Laicis præscribi non possunt. II. 26. n. 12. p. 448. & 27. p. 452. Imò neque à Clericis, nisi cum titulo, aut tempore immemoriali. n. 34. p. 454.

A sententia lata in causa decimarum non appellatur. II. 28. n. 30. p. 481.

Declarationes Cardinalium.

An obligent, & ut obligent, quæ requisita habere debeant? I. 2. n. 7. p. 12.

Decretales.

Decretalium Gregorii IX. & Bonifacii VIII. origo, dispositio, & authoritas. Proœm. n. 3. 4. & 11. p. 1. 2. 4.

Decretum.

Decretum Gratiani quid, & qualem authoritatem juris habeat? Proœm. n. 3. 4. p. 1. 2.

Decretum primum, quo quis in possessionem mittitur, quid sit? II. 15. num. 3. p. 344. Quis illud possit interponere? n. 4. ibid. Contra quem? n. 5. p. 345. In quibus causis? n. 6. 7. ibid. Quomodo? n. 8. cum seqq. ibid. Et quo effectu interponatur? n. 13. p. 346. Quid sit hujusmodi decretum secundum? n. 15. & seq. ibid.

Deformis.

Quis dicatur? I. 20. n. 2. p. 123. Cur ab Ordinibus excludatur? n. 4. p. 124.

Delegatus.

Nomine delegati quis intelligatur I. 29. n. 6. p. 144.

Delegare, sive Judicem delegatum dare qui possint? n. 7. 8. p. 144. & 145. Delegatus an rectè subdeleget? n. 9. p. 145. & seqq.

Quis, qualis? n. 15. p. 146. & seqq. & qualiter delegandus? n. 24. p. 148.

Quæ negotia, & causæ delegari possint? n. 18. 19. 20. p. 147. An & causæ mixti imperii, ac executio? n. 21. An causæ meri imperii? n. 22. 23. p. 148.

Delegati officium & potestas quæ? 26. p. 149. & seqq.

Ad quem appellandum sit à Judice delegato, aut subdelegato? n. 5. & 31. p. 150. Quid si Delegatus sit cum clausula: *appellatione remota?* II. 28. n. 21. p. 480.

Delegatus quibus modis suspendatur, aut finiatur? n. 32. p. 151. & seq.

Delegatus citans, ut citati comparere teneantur, ordinariè debet rescriptum delegationis unà cum citatione submittere, I. 3. n. 69. & 70. p. 47.

Coram Judice delegato an mutua petitio moveri possit, præsertim, si utriusque consensu sit impetratus? II. 4. n. 22. & 23. p. 275. 276.
Delegatus potest cogere testem ad ferendum testimonium. II. 21. n. 2. p. 392. Potest deferre juramentum necessarium. II. 24. n. 77. p. 433. & juramentum in litem. n. 95. p. 437. Potest ordinariè recusari tanquam suspectus. II. 28. n. 59. Vide *Jurisdictio delegata.*

Delictum.

In delictis conatus regulariter non punitur pœnâ ordinariâ. I. 2. n. 17. p. 18.
In delictis non datur restitutio. I. 41. n. 13. p. 209.
Delicta mixti fori quæ? II. 1. n. 57. p. 231.
Quatenus ex delicto forum detur? II. 2. §. 4. per tot. p. 244.
In delictis lata culpa non æquiparatur dolo, ut in contractibus. II. 14. n. 19. p. 339.
Condemnatus ex delicto sit infamis. II. 27. n. 57. p. 474.

Denuntiatio.

Læso infra dimidium datur denuntiatio Evangelica. II. 14. n. 11. p. 337.

Deportatus.

Non potest agere in judicio. II. 1. n. 41. p. 227. Huic æquiparatur Bannitus. ibid.

Depositum.

Non admittit compensationem, aut reconventionem. II. 4. n. 14. p. 274.
Qualiter differat à sequestratione? II. 17. n. 2. p. 349.
An si quis ratione doli condemnetur in actione depositi, sit infamis? II. 27. n. 57. p. 474.
Derelictio alvei. vide *Alveus. Pro derelicta.*
Quæ res dicatur haberi pro derelicta, & ut talis cedat occupanti? II. 12. n. 88. p. 321.

Derogatio.

Quid sit, & quomodo differat ab abrogatione? I. 2. n. 30. p. 29.

Devolutio.

Devolutionis jure beneficia quando conferantur? I. 10. n. 3. & 4. p. 87. 88.
Devolutio ad quem fiat? n. 8. & 9. p. 88. 89.

Dies.

Alius est certus, alius incertus, & quid juris, si contractui adjiciatur? I. 35. n. 49. p. 185.
Quid sit diem cedere, quid diem venire? ibid.
Dies termini an computentur in termino: II. 8. n. 20. 22. p. 296. 297.
Die feriato quales actus concessi, quales prohibiti? 9. n. 9. & seqq. p. 299.

Dilatio.

Quid sit? II. 8. n. 1. p. 293.
Citatoria, qualis & quanta concedatur reo? n. 2. p. 293.
Deliberatoria datur reo non actori. n. 3. 4. p. 294.
Probatoria datur actori & reo. n. 5. p. 294.
Executoria quæ dicatur, & quando indulgeatur? n. 6. p. 294.
Recensentur aliæ dilationum species. n. 7. p. 294.
Omnis dilatio conceditur vel à lege, vel à judice. n. 8. ib.
A lege data non potest per judicem abbreviari, aut prorogari. n. 9. ib.
Hodie dilationes à Judice dandæ sunt ferme arbitrariæ. n. 10. ib.
Dilationes etiam in causis spiritualibus concedendæ sunt. n. 11. p. 295.
Quot dilationes probatoriæ dentur in causis civilibus? n. 12. p. 295. quot in criminalibus? n. 13. ib.
Quomodo dilatio per Judicem detur? n. 14. & 15. p. 295. 296. & ob quem finem n. 16. p. 296.
Concessa uni parti prodest etiam alteri. n. 17. ibid. Excusat à pœna & mora. n. 18. ib.

ibid. Elapsa perimit actum, qui in assignato termino fieri debuit. n. 19. ibid.
Utrùm dato termino dilationis imputetur dies, à quâ incipit? n. 20. ibidem.
An in terminum dilationis etiam veniant dies feriati, qui interea occurrunt? n. 21. p. 297.
Num postremus dies termini computetur in termino? n. 22. ibid.
Dilationes quomodo differant à feriis II. 9. pr. p. 297.

Dimissoriæ seu *Dimissoriales.*

Quid sint? I. 22. n. 1. p. 129.
Dare dimissoriales potest S. Pontifex. n. 2. ib. Episcopus. n. 3. p. 130. Officialis, seu Vicarius generalis Episcopi. n. 4. Capitulum sede vacante n. 5. Abbas exemptus, & non exemptus. n. 6. & 7.
A quo dimissus vi dimissorialium ordinari possit? n. 8. p. 131. & quos ordines recipere queat? n. 9. ibid.
Quænam in literis dimissoriis exprimi debeant? n. 10. p. 131.
Literæ dimissoriales sunt gratis concedendæ. ibid.
Episcopus alienus non potest cum dimisso dispensare in interstitiis. n. 11. p. 132.
Dimissoriales non exspirant morte concedentis. n. 12. p. 132.
Quando sine iis ab alieno Episcopo Ordines conferri possint? I. 11. n. 28. p. 97.
Quæ sit pœna Ordinantis alienum subditum sine licentia? ibid.

Dispensatio.

Quid sit? I. 2. n. 31. p. 29. Cui competat? ibid.
S. Pontifex potest dispensare in jure Can. ibid. & procem. n. 7. p. 3. An etiam Episcopus, & quando? d. n. 31. p. 29.
Cum quibus dispensari possit, & an quis possit dispensare secum ipso? n. 32. p. 30.
An S. Pontifex possit dispensare in jure Divino? n. 33. p. 30.
Dispensatio debet fieri cum cognitione causæ. n. 34. p. 30.
Dispensationem, aliásve gratias potest alius pro alio sine mandato impetrare. I. 3. n. 5. p. 32.
Quis cum ordinandis dispensare possit in interstitiis? I. 11. n. 39. p. 100. & I. 22. n. 11. p. 132. In defectu natalium? I. 14. n. 10. & I. 18. n. 11. p. 122. In vitio corporis? I. 20. n. 7. p. 126. In bigamia? I. 21. n. 8. p. 128.
Episcopus facultatem dispensandi, quæ ei ex officio competit, potest delegare alii. I. 29. n. 20. p. 147.
Quæ facultas dispensandi competat Legato? I. 30. n. 12. p. 155.
Quis possit dispensare in juramento? II. 24. n. 41. p. 425.

Doctor.

Graduatus in Theologia, vel Jure Can. an examen ordinandorum subire debeat? I. 12. n. 3. p. 102.
An cogi possit ad dicendum testimonium? II. 21. n. 7. p. 392.

Documentum, vide Instrumentum.

Dolus.

Quid sit? II. 14. n. 1. p. 336.
Alius est bonus, alius malus. n. 2. p. 336. Alius formalis, alius materialis. num. 3. Alius substantialis, alius accidentalis. n. 4. Alius dans causam contractui, alius incidens. n. 5. ibid.
Dolus variis in negotiis admittitur. n. 7. p. 337.
Dolus bonus relinquit contractum omni jure validum. n. 10. p. 337.
Dolus malus materialis non irritat contractum, facit tamen locum restitutioni ex *l. 2. C. de Rescind. vend.* n. 11. ibid.

Do-

Dolus substantialis reddit contractum omni jure nullum. n. 11. ibid.
Dolus accidentalis nullum contractum irritat de jure naturæ. n. 13. ibid.
Dolus accidentalis incidens omnem contractum relinquit validum, etiam de jure positivo. n. 14. p. ibid. An etiam dolus dans causam contractui bonæ fidei? n. 15. p. 338.
Quando detur actio, quando exceptio doli? n. 16. 17. 18. ibid.
Dolo in contractibus æquiparatur culpa lata. n. 19. p. 339.
Dolus in omni contractu præstandus est. I. 35. n. 55. p. 187.

Domesticus.

Domesticus testis quinam dicatur, & quatenus admittatur? II. 20. n. 16. p. 374.

Domicilium.

Ratione domicilii communis ubi quis conveniri possit? II. 2. n. 1. & 2. p. 237.
Ubi quis domicilium originis? n. 4. 5. 6. p. 237. 238. Et an ibi forum sortiatur? n. 7. 238.
Quomodo alicubi domicilium habitationis? n. 8. & seqq. ibid. Ibique forum constituatur? n. 20. 21. p. 239.
Num quasi domicilium forum tribuat? n. 22. & 23. ibid.
An in loco domicilii institui possit actio realis, si res ibi sita non sit? n. 33. p. 241.
Quatenus ratione domicilii quis ordinari valeat? I. 11. n. 22. & seqq. p. 95.

Dominium.

Quid sit? II. 12. n. 71. & seqq. p. 318. Quotuplex? n. 74. & seqq. p. ibid. Et ex quo jure originem sortiatur? n. 80. p. 319.
Modi acquirendi dominium alii sunt naturales, alii civiles. n. 81. ibid.
Naturales sunt Venatio. n. 82. & seqq. ibid. Inventio. n. 86. & seqq. p. 320.
Captivitas, seu occupatio bellica. n. 90. & seqq. p. 322 Alluvio. n. 92. p. 323. Accretio. n. 93. ibid. Insulæ productio. n. 94. p. ibid. Alvei derelictio. n. 95. ibid. Fœtura animalium. n. 96. p. 324. Perceptio fructuum. n. 97. ibid. Plantatio. n. 98. ibid. Satio. n. 99. ibid. Inædificatio. n. 100. ibid. Specificatio. n. 101. p. 325. Confusio. n. 102. ibid. Permixtio. n. 103. p. 326. Intextura. n. 104. ib. Scriptura. n. 105. ib. Pictura. n. 106. ibid. traditio. n. 107. ibid. & seqq.
Quinam sint modi acquirendi civiles? n. 112. p. 327.
Sola Natura rationalis dominium habere potest. n. 113. p. 327.
An amentes & parvuli ante usum rationis dominii sint capaces? n. 114. p. 328.
Sitne capax dominii homo in peccato mortali existens? n. 115. p. 328.
Num duo ejusdem rei dominium simultaneum in solidum habere possint? n. 116. & seq. ibid.
Quarum rerum dominium detur? n. 118. ibid.
An homo possit habere dominium in alium hominem? n. 119. ibid.
An homo sit dominus vitæ, ac membrorum suorum? n. 120. ibid.
Sitne homo dominus famæ, & honoris? n. 121. & seqq. p. 329.
Dominii forma. n. 123. ibid. Finis. n. 124. ibid. effectus. n. 125. & seqq.

Dos.

Promissio dotis est pactum legitimum. I. 35. n. 6. p. 176.
Dotis causa an sit mixti fori? II. 1. n. 59. p. 232.
Maritus an sit dominus dotis? II. 12. n. 74. p. 318.
Valet alienatio fundi dotalis juramentô velata II. 24. n. 18. p. 418.

Prædium dotale an præscribi possit? II. 26. n. 23. p. 451.

Dubium.

In dubio, an quis confirmatus sit, num sub conditione confirmari possit? I. 15. n. 10. p. 112.

An ægroto in dubio, num vivat, sub conditione Sacramentum extremæ unctionis conferendum sit? n. 12. p. 113.

Quando subsit prudens dubium, ut Baptismus, Confirmatio, aut Ordo iteretur sub conditione? I. 16. n. 12. p. 117.

Dubitans an possit præscribere? II. 26. n. 38. p. 455.

Duplicatio.

Quid sit? II. 25. n. 30. p. 446.

E.

Ecclesia.

Quid requiratur ad legitimam translationem Ecclesiæ de loco ad locum? I. 7. n. 13. p. 76.

Ecclesiæ facta pollicitatio, seu promissio an obliget ante acceptationem? I. 35. n. 4. p. 176.

Ecclesia læsa num in integrum restituenda? I. 41. n. 8. 208.

Ecclesia quomodo in consecratione inungatur, & quando denuo consecrari debeat? I. 15. n. 14. p. 113.

Ecclesiam consecratam esse probatur per unicum testem. II. 20. n. 60. p. 389.

Contra Ecclesiam Romanam non præscribitur nisi 100. annis, contra inferiorem non nisi 40. II. 26. n. 15. p. 449.

Electio.

Electionis homonymia. I. 6. n. 1. p. 51. Definitio. n. 2. ibid.

Quinam habeant jus eligendi? Vide *Eligentes.*

Quinam possint eligi? Vide *Eligibiles.*

Electionis tractatum instituere haud licet Prælato in extremis agente. n. 51. p. 61. Imò nec eo mortuo, antequam sit sepultus. n. 52. p. 61.

Dies & locus futuræ electionis à quo assignetur? n. 53. p. 61. Et qua ratione absentibus notificetur? n. 54. p. 62.

Ipsâ die electionis celebratur Sacrum de S. Spiritu, sub quo Electores S. Synaxi reficiuntur. n. 55. p. 62. Reproducitur proclama, & denuo citantur, qui electioni interesse volunt, factâque relatione, in contumaciam absentium decernitur. n. 56. p. 62. Aliquis nomine totius Capituli protestatur de non admittendis inhabilibus. n. 58. p. 62. Et nonnunquam Electores à censuris absolvuntur. n. 59. ibid.

Modus eligendi est triplex: per scrutinium, compromissum, & inspirationem, vel quasi. n. 60. p. 63.

Electionis per scrutinium quæ ratio? n. 61. p. 63. & seqq.

Qui, & quot scrutatores in electione constituendi sint? n. 53. p. 63.

Vota eligentium ordinatè n. 65. p. 63. secretè, ac sigillatim. n. 67. ib. & diligenter scrutanda. n. 68. p. 64. atque à scrutatoribus, Notario, vel testibus in scripturam redigenda sunt. n. 69. p. 64.

An, & quomodo vota infirmorum præsentium, qui ad locum electionis accedere nequeunt, scrutanda sint? n. 66. p. 63.

Vota eligentium num possint, ac debeant in se ipsis dari? n. 68. p. 64.

Quando, à quo, & quomodo scrutinium publicari debeat? n. 70. p. 64.

Post publicationem scrutinii Electores non ampliùs possunt variare, & probabilius nec per accessum eligere. ibid. & n. 92.

Quæ votorum collatio publicato scrutinio facienda sit? n. 71. p. 65. Et in quibus electionibus collatio zeli ad zelum, & me-

meriti ad meritum omittatur? n. 72. p. 65.
Quid sit, & quomodo factâ collatione fiat electio communis, seu capitularis? n. 73. ibid.
Quo in loco, & quo tempore celebrari debeat electio per scrutinium? n. 62. p. 63. & 74. p. 65.
Electionis per compromissum quæ ratio? n. 75. p. 66. Quorum consensus ad compromissum desideretur? ibid. Quales, & quot possint esse compromissarii? n. 76. ibid. Quot, & qui modi compromittendi? n. 77. ibid.
An compromissarii dati ad eligendum possint postulare? n. 78. p. 66. An possint eligere unum ex se ipsis, & an aliquis se ipsum? n. 79. p. 66. Quando eorum potestas exspiret? n. 80. p. 67.
Electio quando fiat per inspirationem, vel quasi? n. 81. p. 67.
Intra quod tempus electio electo præsentanda? n. 82. p. 67. Quo modo electioni præsentatæ assensum præstare oporteat? n. 83. p. 67. Et intra quod tempus? n. 84. & 85. p. 68.
Electionis confirmatio quando petenda? n. 68. p. 68. A quo, & an à Capitulo sede vacante conferri possit? n. 87. p. 69. Quomodo ac quando fieri debeat? n. 89. p. 69.
Ante confirmationem an, & quando possit electus administrare? n. 92. p. 70.
Intra quod tempus ab electo consecratio petenda? n. 90. p. 70.
Quid juris electo tribuat electio publicata? n. 92. p. 70. Quid electio confirmata? n. 93. p. 71. Quid electio consecratione consummata? n. 94. p. 71.

Eligentes.

Eligendi jus pertinet ad Capitulares. I. 6. n. 3. p. 51. Nonnunquam etiam ad extraneos Clericos. n. 4. ibid. Non tamen ad Laicos, nisi ex privilegio Pontificis ad id habilitentur. n. 5. p. 52.
Num Religioso, vel Canonico ad Prælaturam alterius Ecclesiæ translato in Ecclesia, à qua translatus est, votum activum reservari possit? d. n. 4. p. 51.
Nemo seipsum. n. 6. p. 52. Vel successorem sibi eligere potest. n. 7. p. 52.
Ex Capitularibus voto quoque carent aliqui, uti impuberes. n. 8. ibid. Sacris Ordinibus non initiati. n. 9. ibid. Nondum professi. n. 10. p. 53. Mendicantes transeuntes ad Ordinem non mendicantium. n. 11. ibid. Censurati. n. 12. ibid. Non item irregulares. n. 13. Religiosi proprietarii. n. 14. Qui postulant Minorem 27. Annis ad Episcopatum &c. n. 15. p. 53. Qui tribus mensibus negligunt eligere novum Prælatum. n. 16. ibid. Qui eligunt per abusum sæcularis potestatis. n. 17. p. 54. & seqq. Qui non observant formam electionis. n. 21. p. 54. Denique qui indignum promovent. num. 22. ibid.
Ad quem transeat eligendi potestas, si eâ Capitulares ob negligentiam, aut culpam suam exciderunt? n. 16 p. 53. 21. p. 51. & I. 10. n. 7. 9. p. 82. 83.
Ad electionem omnes vocandi sunt. n. 23. p. 55. qui debent. n. 24. ibid. volunt. n. 25. p. 56. & possunt commodè interesse. n. 26. p. 56. Valet tamen consuetudo, ut absentes omnino non vocentur. d. n. 26. ibid.
Contemptus potest, si vult, electionem etiam jam confirmatam irritare. d. n. 23. p. 55.
Utrùm præsentes adveniente termino præfixo non exspectatis aliis ad electionem possint procedere? ibid.
Abiens legitimè non impeditur eligere, & vo-

tum dare potest non quidem scriptô, sed per Procuratorem. n. 27. p. 56.
Quot eligentium vota requirantur, ut electio sit rata? n. 71. p. 65.
Possintne Compromissarii unum ex se ipsis eligere, vel aliquis se ipsum? num. 79. p. 66.

Eligibiles.

Eligibiles non sunt illegitimi. n. 28. p. 56. Qui sunt de genere maculato circa fidem. num. 29. p. 57. Illiterati. n. 57. p. 58. Neophyti. num. 38. p. 58. Ambitiosi. num. 39. p. 59. Simoniaci. n. 40. ibid. Qui absque dispensatione Papæ tempore electionis habent plures dignitates, vel beneficia curata. n. 41. p. 59. Qui electioni de se per abusum sæcularis potestatis factæ consensit. n. 42. ibid. intrusi. n. 43. ibid. Infames infamiâ tam facti, quàm juris. n. 44. ibid. Innodati censuris Ecclesiasticis. n. 45. p. 60. Omnes irregulares. n. 46. p. 60. Et qui semel est electus, ac ob vitium personæ repulsus. n. 47. p. 60. Confer. *ex Lib. I. tit.* 14.
In eligendo quæ ætas? n. 30. p. 57. Qualis Ordo? num. 31. p. 57. Quæ scientia requiratur? n. 37. p. 58.
In Abbatem eligi non potest, qui antea eundem Ordinem professus non est, n. 32. & 33. p. 57. & quidem expresse. num. 34. p. 88. Nisi Pontifex dispenset. n. 35. ibid. Neque quis eligi debet, qui non est de gremio Monasterii, seu Ecclesiæ vacantis. n. 36. p. 58.
Ex eligibilibus sub gravi peccato eligendus est, non tantùm dignus, sed dignior. n. 48. p. 60. Valet tamen electio digni omisso digniore. n. 49. p. 61. Quis dignior dicatur? n. 50. ibid.

Epikia.

Quid sit, & quando ei locus? I. 2. n. 27. p. 25.

Episcopus.

Potest ferre statuta pro sua Diœcesi. I. 2. n. 8. p. 13. & in legibus synodalibus dispensare, non tamen in statutis Concilii Provincialis. n. 31. p. 29.
Quibus casibus Episcopus possit dispensare in Jure Canonico? ibid.
Episcopus ad aliam Ecclesiam debet postulari, & postulatio à S. Pontifice admitti. I. 5. 7. p. 48. & I. 7. n. 4. p. 73.
An Episcopus unius Ecclesiæ habens privilegium Pontificium transeundi ad aliam Ecclesiam debeat postulari, vel eligi? I. 5. n. 8. p. 48.
In Episcopo quæ ætas, quis ordo, & quæ scientia requiratur? I. 6. num. 30. 31. p. 57. & 37. p. 58 I. 14. n. 2. 22. p. 108. & n. 28. p. 109.
Ex quibus causis Episcopo liceat renuntiare Episcopatui? I. 9. n. 14. p. 85.
Negligentiam Episcopi in collatione beneficiorum admissam quis suppleat? I. 10. num. 7. p. 83. Et num Archi-Episcopus suppleat ejusdem negligentiam in his, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ? n. 11. p. 84.
An Episcopatus sit Ordo distinctus à Sacerdotio? I. 11. n. 4. p. 91.
Episcopus consecratus est minister ordinarius Confirmationis. I. 15. n. 9. & Ordinis I. 11. n. 6. p. 91. Ordines autem licitè conferre non potest, nisi subditis. n. 20. p. 95. nempe ratione originis. num. 21. ratione domicilii. n. 22. 23. p. 95. 96. aut ratione beneficii. n. 24. p. 96. & seqq Exceptis quibusdam casibus. n. 28. p. 97.
An etiam Episcopus, qui Episcopatui renuntiavit, Ordines conferre possit? I. 13. p 104. Episcopus qualiter inugatur? I. 15. n. 5. p. 111.
Episcopus cum illegitimis potest dispensa-

re

re ad beneficia simplicia. I. 14. n. 10. p. 105. & ad Ordines minores. I. 18. n. 11. p. 122. An etiam cum corpore vitiatis. I. 20. n. 7. p. 126. aut cum bigamis? I. 21. n. 8. p. 128.
Episcopus alienus non potest cum dimisso dispensare in interstitiis. I. 22. n. 11. p. 132.
Episcopus an teneatur assumere Vicarium seu Officialem? I. 28. n. 5. p. 137.
Episcopus habet jurisdictionem ordinariam in omnes Diœcesis suæ subditos. I. 31. n. 13. p. 159. Sed an etiam in Religiosos extra Monasteria delinquentes? n. 14. ib. Et an quoque in causa suæ Ecclesiæ possit esse judex? n. 29 p. 163.
A Vicario generali Episcopi non ad Episcopum, sed Archi-Episcopum appellatur, I. 28. n. 18. p. 140. II. 28. n. 39. p. 483.

Error.

Actus ex errore facti non inducunt consuetudinem. I. 4. n. 5. p. 33.
Error an, & quatenus contractum vitiet? I. 36. n. 59. p. 188.
Error communis quando jus faciat? I. 32. n. 10. p. 66.
Errorem libelli quatenus corrigere liceat? II. 3. n. 59. p. 261.
Errore plùs petens non incurrit pœnas plùs petentium. II. 11. n. 2. p. 304.
An confitenti noceat confessio facta ex errore juris vel facti? II. 18. n. 7. p. 355.
Error juris an, & quam præscriptionem impediat? II. 26. n. 36. & 37. p. 454. 455.

Eucharistia.

Quæ sit ejus materia? I. 16. n. 7. p. 116. Et quanta hujus cum forma debeat esse conjunctio? n. 8. ibid.
Examen Ordinandorum, vide *Scrutinium.*

Exceptio.

Quid sit? II. 25. n. 1. 2. 3. p. 440. 441.
An prohibitâ exceptione censeatur prohibita defensio, & econtra? n. 2. ibid.
Alia est exceptio juris, alia facti. n. 4. ib. Alia realis, alia personalis. n. 5. ibid. Alia dilatoria, alia peremptoria. n. 6. p. 442. Alia nominata, alia innominata. n. 7. p. 442.
An exceptio sit juris naturalis, vel positivi n. 8 ibid.
Exceptio cui detur? n. 10. p. 226. & contra quem? n. 11. p. 443.
Exceptio non prodest, nisi allegetur, n. 13. p. ibid.
Quando opponi debeant exceptiones dilatoriæ? n. 14. & seqq. ib. Quando peremptoriæ? n. 22 & seqq. p. 444.
Licet plures exceptiones simul opponere. n. 25. p. 445.
Reus tenetur probare exceptionem suam n. 27. ibid. Si tamen probare non possit, non ideo præsumitur confessus. n. 28. ibid.
Exceptio probata excludit actionem. n. 29. ibid.
Exceptioni opponitur replicatio, replicationi duplicatio, huic triplicatio, &c. n. 30. p. 446.
Quando, & cui competat exceptio quod metûs causâ? I. 40. n. 10. p. 207. Exceptio doli? II. 14. n. 16. p. 388 Exceptio non numeratæ pecuniæ? II. 22. n. 8 p. 405 Exceptio juratoria? II. 24. n. 60. p. 429. n. 72. p. 432. Exceptio rei judicatæ? II 27. n. 54. p. 473.
Exceptio sive dilatoria, sive peremptoria, num inducat litis contestationem? II. 5. n. 13. p. 281.
Quando opponendæ sint exceptiones contra testes? II 20. n. 47. p 385. Quando exceptio recusatoria Judicis respecti? II. 28. n. 61. p. 488.

Excommunicatio, Excommunicatus.

Excommunicatio nunc incurratur ab illo,

qui ex metu communicat cum excommunicato? Proëm. n. 3. & 4. p. 1.
Ab excommunicatione, & aliis censuris an excuset ignorantia? I. 2. n. 25. p. 2.
Excommunicatus non potest impetrare rescriptum. I. 3. n. 5. p. 32.
Excommunicatus an possit eligere? I. 6. n. 12. p. 53. num eligi? n. 45. p. 60. I. 14. n. 20. p. 108.
Episcopus excommunicatus validè, sed illicitè ordinat. I. 11. n. 6. p. 91. Similiter excommunicatus illicitè ordinatur. n. 15. p. 94.
Num excommunicare possit Archi-Diaconus? I. 23. n. 3. p. 133. Num Archi-Presbyter vel Parochus? I. 24. n. 4. p. 134. Num Episcopus? I. 31. n. 13. p. 159. Num Abbates? n. 16. & 17. p. 160. 161.
Excommunicatus non potest constituere Procuratorem. I. 38. n. 12. p. 199. Nec ab alio Procurator constitui. n. 20. p. 200. Nec testis esse. II. 20. n. 21. p. 373.
An Universitas, cujus Majores, Rectores, vel jurati excommunicati sunt, ad agendum Syndicum constituere possit? I. 39. n. 2. p. 202.
Excommunicatus num per se ipsum possit alium convenire, vel reconvenire? II. 1. n. 39. p. 226. & tit. 3. n. 6. 253.
Excommunicato num liceat excipere? II. 25. n. 10. p. 442. Num appellare? II. 28. n. 9. p. 477.
Quando, & quomodo exceptio excommunicationis opponi possit, vel debeat? II. 25. n. 18. p. 443. 444.

Executio.

An nudam executionem judicati alteri mandare liceat? I. 29. n. 21. p. 147.
Executio fit nobili officio Judicis, non mercenario. I. 32. n. 15. p. 167.
Executio à quo Judice, quando, & quomodo fieri debeat? II. 27. n. 58. p. 474.
Ab executione sententiæ num detur appellatio? II. 28. n. 36. p. 482.

Exemplum, vide *Copia.*

Exemptio, Exemptus.

Religiosi exempti an teneantur statutis diœcesanis? I. 2. n. 16. p. 17.
Prælati exempti à quo confirmentur? I. 6. n. 87. p. 69. A quo transferantur? I. 7. n. 5. p. 73.
Quis eorum suppleat negligentiam? I. 10. n. 12. p. 90.
Abbates exempti an, & quatenus suis subditis tum regularibus, tum sæcularibus literas dimissorias dare possint? I. 22. n. 7. p. 130.
Legatus in exemptos Provinciæ suæ jurisdictionem habet. I. 30. n. 10. p. 155.
Abbates exempti quam jurisdictionem obtineant? I. 31. n. 16. p. 160.
In causa exemptionis non licet compromittere in arbitros. I. 43. n. 15. p. 215.
Exempti an possint prorogare forum alienum? II. 2. n. 70. p. 248.

Expensa.

In expensas litis condemnantur temerarii litigatores. II. 27. n. 40. p. 469.

Expositus.

Ubi sortiatur domicilium originis? I. 11. n. 12. p. 95. An pro legitimo, vel illegitimo habendus sit? I. 17. n. 8. p. 119.

Extravagantes.

Unde dictæ sint, & quæ eorum authoritas? Proœm. n. 3. & 4. p. 1. 2.

Extrema Unctio.

Quibus, & à quo conferatur? I. 15. n. 11. p. 112.
An licitè perungatur ægrotans, si de ejus vitæ periculo probabile judicium ferri nequeat? n. 12. p. 16.
An ægroto, in dubio num vivat, sub conditione conferenda sit? n. 13. p. 113.

F.

Factum.

Quæ facti sunt Judex supplere nequit. I. 32. n. 16. p. 167.
Factum Procuratoris an Domino prosit vel noceat? I. 38. p. 202.
Quando contra Laicum de mero facto agitur, Judex Ecclesiasticus & Sæcularis cognoscere potest II. 1 n. 45. p. 127.
Facta, quæ in pactum deducuntur, debent esse propria, possibilia & honesta. I. 35. n. 44. p. 184.

Fama.

Fama in ordinando spectanda. I. 2. n. 19. p. 95. in præficiendo requiritur. I. 14. n. 23. p. 108.
Homo an sit Dominus Famæ & honoris? II. 12. n. 121. p. 329.

Fera.

Fera à venatore vulnerata, an capientis sit, an verò vulnerantis? II. 12.
Fera irretita, an illius sit, qui eam eximit? d. n. ib.

Feriæ.

Feriæ quid sint? II. 9. n. 3. p. 298. quis eas constituat? n. 5. ib.
Die feriato prohibentur actus judiciales. n. 9. p. 299. non tamen actus voluntariæ jurisdictionis, n. 10. ib. non citatio. n. 12. 13. p. 299. & 300. non examen testium. n. 14. p. 300. non appellatio. n. 15. ib. bene autem arbitrium. n. 16. ibid. & executio sententiæ. n. 17. ibid.
In feriis sacris prohibentur quoque opera servilia. n. 18. p. 301. non liberalia. n. 19. ibid. aut naturalia. n. 20. ibid.
Feriarum tempus quod & quantum sit? n. 21. p. 301.
Quas Ferias observare oporteat, num judicis vel Partium? n. 22. 23. p. 301. & 302.
Finis Feriarum. n. 24. ibid
Die feriato facti actus judiciales sunt invalidi. n. 25. p. 302. nisi necessitas vel pietas, vel renuntiatio intercedat. n. 26. seqq. ibid.

Feudum.

Feudi Dominus Judex competens est, cùm de Feudo contentio oritur inter Pares curiæ, II. 1. n. 61 p. 232.

Fictio.

Fictio juris, quomodo differat à præsumptione? II. 24. n. 23. p. 413.
Contra fictionem Juris non admittitur probatio. ib. p. 414.

Fides.

Fides quid sit? I. n. 1. p. 7.
Fidei causa efficiens est ipse DEUS. ibid. n. 2. p. 7.
Fides in eligendo præcipuè consideranda. I. 6. n. 28. p. 56. in præficiendo requiritur. I. 14. n. 23. p. 108.
Infideles non baptizati, an compellendi sint ad fidem Catholicam? n. 3. ibid.
Fidei requisita. n. 5. p. 8.
Infideles non possunt cogi ad suscipiendam fidem Catholicam. n. 3. p. 7.
Credenda est SSS. Trinitas, & quidquid à DEO revelatur per Scripturam, traditiones, aut definitiones Ecclesiæ. n. 4. p. 8.
Fides Catholica debet esse una, firma, certa, & obscura. n. 5. p. 8.
Est fundamentum, ac basis totius spei, ac salutis n. 6. ibid.
Professio externa fidei quando sit necessaria de jure Divino? n. 7. ib. Aut de jure humano? n. 8 p. 9.
An provisus de beneficio curato, vel Canonicatu fructus lucretur, si per ignorantiam omittat professionem fidei? n. 9. p. 9.
An scienter omittens teneatur restituere

fructus ante omnem sententiam? n. 10. ibid.

Qualiter Superiores Regularium, & promovendi ad doctorales gradus fidem profiteri teneantur? n. 11. p. 10.

Fidei adversantur Judaismus, Paganismus, & hæresis. n. 12. p. 10.

Filius, Filiusfam.

Filii qui appellentur à Papa? I. 3. n. 7. p. 34.

Filius cur patri in beneficio succedere non possit? I. 14. n. 11. & 12. p. 106.

Filii Presbyterorum cur arceantur à SS. Ordinibus? I. 17. n. 9. p. 119.

An filiusfam paciscì & contrahere possit? I. 35. n. 25. p. 180. An possit constituere procuratorem? I. 38. n. 10. p. 199. An recipere arbitrium? I. 43. n. 9. p. 214. An agere in judicio? II. 1. n. 33. p. 224. An deferre juramentum voluntarium? II. 24. n. 45. p. 426.

An Pater filium, & filius patrem judicem habere possit? I. 31. n. 24. p. 162.

Filius an possit sine venia Patrem in jus vocare? II. 3. num. 80. & 82. p. 266. & 267.

Fiscus.

Causæ fiscales quæ sint, & coram quo Judice agitandæ? II. 2. n. 86. p. 250.

Qualiter fisco edenda sint instrumenta? II. 19. n. 17. p. 364.

Res fisci quo tempore præscribantur? II. 26. n. 17. p. 450.

Fœmina.

Fœmina jure Divino est incapax Ordinum. I. 11. n. 8. p. 92 & potestatis clavium. I. 31. n. 18. p. 161.

Fœmina prohibetur esse Judex. I. 32. n. 9. p. 66.

Pro aliis intercedere I. 35. n. 28. p. 182. Postulare I. 37. n. 5. p. 194. Procurare in judicio I. 38. n. 16. p. 200. Compromittere, aut arbitrium recipere. I. 43. n. 7. & 10. p. 213. 214. Accusare. II. 1. n. 38. p. 226.

Fœmina an possit esse testis in causis criminalibus? II. 20. n. 30. p. 378. An in ultimis voluntatibus? ibid.

In fœminis præsumitur loquacitas, &c. II. 23. n. 9. p. 411.

Forum.

Fora tribuunt domicilium. II. 2. §. 1. p. 237. Res sita §. 2. p. 240. Contractus §. 2. p. 242. Delictum. §. 4. p. 244. Prorogatio §. 5. p. 247. & privilegium. §. 6. p. 250.

Propter denegatam justitiam in foro Ecclesiastico non recurritur ad sæculare. II. 1. n. 47. p. 228.

Causa sæcularis quando trahatur ad forum Ecclesiasticum? ibid. n. 50. p. 230. & seq.

Fratres.

Qui appellentur à Papa? I. 3. n. 7. p. 34. Num ita appellentur Episcopi ante confirmationem? I. 6. numer. 92. p. 70.

Fructus.

Fructus quotuplices? II. 12. n. 63. p. 315.

Quosnam fructus restituere teneatur bonæ Fidei possessor. ibid.

Num b. f. possessor ex consumptione fructuum factus locupletior respectu lucri ad restitutionem teneatur? num. 64. p. 316.

Malæ fidei possessor omnes fructus tenetur restituere. n. 65. ibid.

Furiosus.

Non potest esse Judex I. 29. n. 15. p. 146. & I. 32. n. 4. p. 165. Non potest paciscì. I. 35. n. 21. p. 180. I. 43. n. 10. p. 214. Non potest agere in judicio. II. 1. n. 31. p. 224. Per se non est habilis ad acquirendam possessionem II.

12. n. 43. p. 312. Arcetur à dicendo testimonio. II. 20. n. 3. p. 371.

Furtum.

Animal mansuetum contrectans furtum committit. II. 12. n. 82. p. 319.

Res furtivæ refugiunt præscriptionem ordinariam. II. 26. n. 24. p. 451.

G.

Genus.

An in pactum deduci possit? I. 35. n. 38. p. 183.

Gratia.

Gratiam seu rescriptum gratiæ alius pro pro alio sine mandato impetrare potest. I. 3. n. 5. p. 32.

Gratia non exspirat morte concedentis. I. 22. n. 12. p. 166.

H.

Hæres.

Quando teneatur ad damna ex delicto defuncti? II. 5. n. 20. p. 282.

Possessio hæreditatis non transit in hæredem, nisi naturaliter comprehensa. II. 12. n. 28. p. 309.

Contra hæredem quantùm probet confessio defuncti in articulo mortis? II. 18. n. 30. p. 306.

Obligatio juramenti promissorii quatenus transeat in jurantis hæredes? 24. n. 31. p. 421.

Hæres potest recusare juramentum judiciale sibi delatum. n. 68. p. 431. & in eum transit potestas jurandi in litem. n. 100. p. 438.

Exceptio realis proficit etiam hæredi, non verò personalis. II. 25. n. 5. p. 441.

An, & quomodo hæredi mala fides auctoris noceat, & bona prosit ad præscribendum? II. 26. n. 40. p. 456.

Hæresis. Hæreticus.

Hæreticus tenetur jure Canonico. Procem. n. 6. p. 2. Sed an etiam Canonibus statuentibus impedimenta dirimentia? n. 9. p. 4.

Hæresis repugnat fidei Catholicæ. I. 1. n. 12. p. 10.

Hæreticus non potest impetrare rescriptum I. 3. n. 5. p. 32.

Quatenus eligi, & ad beneficia admitti nequeant ex hæreticis descendentes? I. 6. n 29. p. 57. & tit. 14. n. 13. p. 106.

Episcopus hæreticus num validè ordinet? I. 11. n. 6. p. 91.

Hæreticus an possit esse Judex? I. 32. n. 11. p. 66. An Advocatus? I. 37. num. 8. p. 195. An testis contra Catholicum? II. 24. n. 20. p. 316.

Homo proprius.

An possit ordinari? I. 18. n. 9. p. 122. An agere in judicio? II. 1. n. 26. p. 223.

Homicidium.

Qui fatetur, se occidisse ad sui defensionem, tenetur id probare. II. 18. num. 33. p. 361.

I.

Jejunium.

Præceptum jejunii non obligat cum periculo mortis aut gravis infirmitatis. Procem. n. 14. p. 5.

Die jejunii infantibus, & perpetuò amentibus licet carnes porrigere. I. 3. n. 13. p. 15.

An Episcopus, aut Parochus dispensare possit in jejuniis, aut festis? ibid. n. 31. p. 29.

Ignorantia.

Allegans ignorantiam juris tenetur eam probare. Procem. n. 14. in fin. p. 5. & I. 2. n. 25. p 24.

An, & quatenus excuset ignorantia tum à culpa, tum à pœna præsertim spirituali? d. n. 25. p. 24.

Nulla ignorantia impedit irritationem actûs. ibid in fin.
Confessio facta ex ignorantia juris vel facti an noceat confitenti? II. 18. n 7. p. 355.
Ignorantia juris an, & quam præscriptionem impediat? II. 26. n 36. & 37. p. 454. & 455.

Illegitimus.

An à Principe sæculari legitimari possit ad Ordines & beneficia? I. 3. n. 4. p. 32. & I. 17. n. 10. p. 119.
Illegitimus debet postulari. I. 5. n. 7. p. 48. & nonnisi ex dispensatione Pontificia ad Prælaturas assumi potest. I. 6. n. 28. p. 56.
Illegitimi alii dicuntur naturales, seu nothi, ac bastardi. I. 17. n. 4. p. 118. alii spurii n. 5. ibid. alii sacrilegii. n. 6. ibid. alii incestuosi, nefarii, aut adulterini. n. 6. p. 118.
An susceptí ex vero matrimonio, sed parentibus eo sacrilege ob emissum solenne votum castitatis utentibus, illegitimi sint. d. n. 6. p. 118.
In dubio quis legitimus præsumi debet, non illegitimus. n. 8. p. 119.
Expositi an pro illegitimis habendi sint? ib.
Illegitimi repelluntur ab Ordinibus. n. 9. p. 119. & beneficiis Ecclesiasticis. n. 12. p. 120. I. 14. n. 10.
Quis possit cum illegitimis dispensare ad Ordines, aut beneficia? d. n. 10. & I. 17. n. 10. p. 119.
Quid juris si de facto contingat illegitimum promoveri? ibid. n. 13. p. 120.
Imbreviatura, vide *Protocollum. Immissio*, vide *Missio Immunitas.*
Non valet consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam. I 4. n. 13. p. 42.

Impedimentum.

Canones de impedimentis matrimonii non obligant infideles. Procem. n. 6. p. 2. Bene autem hæreticos, ibid. n 9. p. 4.
Non valet matrimonium contractum cum ignorantia impedimenti dirimentis. I. 2. n. 25. p. 23.
Consuetudine introduci & tolli possunt impedimenta dirimentia matrimonii. I. 4. n 19. p. 44.
In impedimentis matrimonii num possit dispensare Legatus de Latere? I. 30. n. 12.

Imperator.

Potest cum consensu Statuum condere leges universales. I. 2. n. 9. p. 14.
Quomodo inungatur? I. 15. p. 111.
An teneatur ad observandum ordinem judiciarium? II. 1. n. 17. p. 221.

Imperium.

Mixtum delegari potest. I. 29. n. 21. p. 147. An etiam Imperium merum saltem de Jure Can. n. 22. & 23. p. 148.

Implantatio.

Quatenus dominium plantæ tribuat? 12. n. 98. p. 324.

Inædificatio, vide *Ædificatio.*
Indicium, vide *Præsumptio.*

Indictio.

Indictio, Römer Zinß-Zahl/ quid sit, & quomodo computetur? II. 22. n. 30. p. 400.

Infamis.

Non potest eligi, & beneficiis præfici. I. 6. n. 44. p. 59. & I. 14. n. 21. p. 108. Nec ordinari. I. 11. n. 19. p. 95.
Non potest esse Judex. I. 29. n. 15. p. 146. & I. 32. n. 11. p. 166. nec Advocatus. I. 37. n. 9. p. 195.
Nec Procurator I. 38. n. 21. p. 200. Neque testis. II. 20. n. 9. p. 372.
Tutor, depositarius, socius & mandatarius ob dolum condemnati redduntur infames. II. 27. n. 57. p. 474.

Infans.

Non obligatur legibus, ideóque in die je-

junii

junii ei carnes porrigi possunt. I. 2. n. 15. p. 16.
Illicitè ordinatur, & ordinatus ad cœlibatum non adstringitur. I. 11. n. 13. p. 93.
Infans non potest constitui Judex. I. 32. n. 4. p. 65. Non potest paciſci. I. 35. n. 21. p. 179. Non potest agere in judicio. II. 1. n. 27. p. 223. Sua confessione sibi non præjudicat. II. 18. n. 6. Nequit esse testis. II. 20. n. 3. p. 371.
Infans authoritate tutoris possidere potest. II. 12. n. 44. p. 312. Estque dominii capax. n. 114. p. 328.

Infidelis.

Non potest cogi ad suscipiendam fidem Catholicam. I. 1. n. 3. p. 7.
Non tenetur legibus Ecclesiasticis. Procem. n. 6. p. 2. & I. 2. n. 12. p. 10.
Bigamia ab infideli contracta an ei noceat post conversionem? I. 21. n. 6. p. 228.
Infidelis non potest esse testis contra fidelem. II. 20. n. 24. p. 376.

Inimicus.

Inimicus capitalis repellitur à testificando. II. 20. n. 22. p. 375.
Inimicus capitalis quis sit? ibid.
In integrum restitutio, vide *Restitutio in integrum.*

Injuria.

An Judex injuria affectus ipse cognoscere possit? I. 31. n. 27. p. 163.
Possitne Religiosus injuratus Prælato non consentiente injuriarum actionem intentare? II. 1. n. 225.
Injuriarum actio annô præscribitur. II. 26. n. 46. p. 457.

Inspiratio, vel quasi.

Per inspirationem, vel quasi quando fiat electio? I. 6. n. 81. p. 67.

Instrumentum.

Quid sit? II. 12. 1. 2. 3. p. 394. & 395.
Dividitur in publicum & privatum. n. 4. ibid.
Recensentur species instrumenti publici. n. 5. & seqq. ibid.
Enumerantur species instrumenti privati. n. 12. & seqq. p. 396.
Sitne instrumentum publicum, vel privatum, quod ab ipso principali, & à tribus testibus subscriptum est? n. 17. ib.
Quid sit instrumentum authenticum, seu originale, quid exemplum, seu transumptum? n. 18. p. 397.
Notarius non conficiat instrumentum, nisi interfuerit negotio gesto. n. 20. p. ib. ad id sit rogatus. n. 21. ibid. & ipsemet scribat, aut saltem subscribat. n. 22. p. 398.
Instrumentum fieri potest de negotio tam judiciali, quàm extrajudiciali. n. 24. p. ibid. modò sit licitum. n. 28. p. 399.
In instrumento qualiter factum, & res gesta enarranda sit, ut fidem faciat? n. 26. & 27. p. 398. & 399.
Instrumenti à Notario confecti requisita quæ? n. 30. p. 400. Quæ aliorum instrumentorum publicorum? n. 31. p. 401. Quæ instrumenti privati? n. 32. p. ibid.
Instrumentum quando produci debeat? n. 33. & an totum edi debeat, vel tantùm in ea parte, circa quam lis versatur? n. 34. p. 401.
Instrumenta publica plenè probant; ut instrumentum à Notario confectum. n. 36. p. 402. Scripturæ sigillo publico, & authentico munitæ. n. 37. 38. 39. p. 403. junctô. n. 7. Acta judicialia. n. 40. p. ibid. juncto. n. 8. Scripturæ privatæ à judice publicatæ n. 41. ibid. Scripturæ ex Archivo publico prolatæ. n. 42. ib. juncto n. 10. An etiam Scripturæ, quæ in Archivo privato Monasterii, aut civita-

vitatis asservantur? n 43. & 44. p 403. & 404. An libri censuales? n. 45. p. 404. An libri & scripturæ officialium publicorum? n. 46. p. 404.
Instrumenta privata regulariter plenè probant contra scribentem. n. 47. & 48. ibid. Non pro scribente, vel ejus hærede. n. 49. p. 405.
Quam fidem faciant epistolæ, sive literæ missivæ? n. 50. ibid. Libri rationum? n. 51. p. 406.
Libri mercatorum? n. 52. p. 190. Registra, & annotationes? n. 53. ibid.
Exemplo regulariter non creditur, nisi producatur originale. n. 54. ibid. At quid dicendum de exemplis, ac copiis à Notario collationatis? n. 55. p 407.
Instrumenta ex quibus causis impugnari possint? n. 56. & seqq. ibid.
An in defectu probationem pars parti contra se instrumenta edere teneatur? II. 19. n. 17. p. 364.
Possintne instrumenta noviter reperta post conclusionem in causa produci? II. 27. n. 15. p. 463.

Insula.

In flumine producta quibus acquiratur? II. 12. n. 94. p. 323.

Interdictum.

Utilius est interdicto possessorio uti, quàm judicio petitorio. II. 1 n. 8. p. 219.
An cumulari possit interdictum retinendæ possessionis cum judicio petitorio? II. 3. n. 22. p. 255.
Interdictum rei an admittat reconventionem? II. 4. n. 16. p. 274.
Interdicta alia sunt adipiscendæ possessionis, alia recuperandæ, alia retinendæ, & quænam illa? II. 12. n. 60. p. 314.
Si duo agant interdicto retinendæ possessionis, cui adjudicanda sit possessio? ib. n. 61. p. 315.
Interdictum unde vi quid sit? II. 13. n. 2. p. 330. Cui detur? n. 14. & seqq. p. 334. Contra quem detur? n. 7 & 9. p. 332. & 333. Ad quid detur? n. 10. 11. 15. & seqq. p. 333. & 334.

Interdictus.

An possit eligere? I. 6. n. 12. p. 53. an eligi? n. 45. p. 60.

Interpretatio.

Quid sit interpretatio authentica, & à quo fiat? I. 2. n. 27. p. 25.
Quid usualis, & quæ ejus vis? ibid & I. 4. n. 19. p 44.
Doctrinalis alia est declarativa, alia extensiva, alia restrictiva, & quando huic locus? d n. 27. p. 25.

Interruptio præscriptionis.

Alia est naturalis, alia civilis. II. 26. n. 55. p. 459.
Modi interruptionis qui? ibid.
An litis contestatio non tantùm præscriptionem longi temporis, sed etiam triennalem interrumpat? n. 56. p. 459.

Interstitia.

Quomodo in Ordinibus observanda? I. 11. n. 39. p. 100.
Quis in his dispensare possit? ibid. Num etiam Episcopus alienus cum dimissis? I. 22. n. 11. p. 132.

Inventio.

Quid sit? 12. n. 86. p. 320.
Quænam res per inventionem acquirantur? n. 87. & seqq. p. 321.
Cujus sit thesaurus inventus? n. 89. p. ib.

Invocatio Divini Nominis.

An sit de substantia instrumenti? II. 22. n. 30. p. 400.

Judex.

Quæ sit differentia inter Judicem datum, seu pedaneum, delegatum, & mandatarium? I. 29. n. 5. & 6. p 144.
Judex ordinarius delegat. n. 8. p. 154. An etiam

etiam delegatus? n. 9. & seqq. An saltem possit dare judicem? n. 27. & 28. p. 149.
Quæ sententia prævaleat, si plures Judices inter se dissentiant? n. 29. p. 149.
Judex num aliquando quis in sua causa esse possit? I. 31. n. 25. p. 162. & seqq.
Judicis officium quid? I. 32. n. 1. p. 165. Quod nobile, quod mercenarium? n. 2.
Judex quis dari possit, quis non? n. 4. & seqq. & I. 29. n. 15. 16. & 17. p. 146.
Judex existimatus, qui verè Judex non est, num validè judicet? I. 32. num. 10. pag. 166.
Judex per imperitiam malè judicans litem facit suam, n. 12. p. 166.
Judex an debeat supplere, omissa à partibus, vel advocatis: n. 16. p. 167.
Judex debet esse vir bonus. n. 19. p. 160. & personam non accipere. n. 20. p. 168. & seqq.
Judex an sequi possit opinionem minùs probabilem? n. 31. p. 168. & II. 27. n. 29. 30. p. 467. Aut ex æquè probabilibus eligere, quam vult? n. 22. & II. 27. n. 31. & seqq. p. 467. 468.
Judex non accipiat munera. n 15. An neque sportulas? n. 26.
Judex tenetur judicare secundùm leges, non secundùm suum arbitrium. n. 28.
Judex an possit cogere litigantes ad transactionem? I. 36. n. 8. p. 190.
De causis spiritualibus judicat solus Judex Ecclesiasticus. II. 1. n. 44 p. 227. Nisi de mero facto, vel possessione juris spiritualis quæratur. n. 45. ibid.
Num Judex sæcularis cognoscere possit de causis merè temporalibus inter Clericos, præsertim si Ecclesiasticus negligens sit? n. 46. 47. & 48. p. 228.
Judex Ecclesiasticus an possit judicare causas temporales laicorum? n. 50. p. 230. & seq.
Quid sit Judex competens in causis feudalibus tum Clericorum, tum Laicorum? n. 60. p. 232. & seqq.
Num Judex possit esse sequester in causa, in qua judicaturus est? II. 17. n. 5. p. 350.
Utrùm secundùm allegata & probata, an verò secundùm conscientiam judicare teneatur? II. 19 n. 35. & seqq. p. 368.
An Judex partes cogere possit ad concludendum in causa? II. 27. n. 7. p. 462.
Judex nonnisi competens sententiam ferre potest. ibid. n. 26. p. 466.
Judex sententiam à se latam an revocare valeat? n. 51. p. 472.
A quo Judice. II. 28. n. 17. p. 479. & seqq. & ad quem Judicem appellari possit? n. 23. & seqq. p. 480. item n. 38. & seqq. p. 483.
Judex ordinarius num recusari possit tanquam suspectus? ibid. n. 59. p. 487.

Vide *Delegatus, Jurisdictio delegata, Jurisdictio ordinaria.*

Judicium.

Judicii homonymia. II. 1. n. 1. p. 217. & definitio. n. 2. p. 218.
Aliud est ordinarium, aliud extraordinarium. n. 3. p. 218. Aliud Ecclesiasticum, aliud sæculare. n. 4. Aliud Spirituale, aliud temporale. n. 5. Aliud universale, aliud generale, aliud reale. n. 7. p. 219. Aliud petitorium, aliud possessorium. n. 8. Aliud duplex, aliud simplex. n. 10. ib. Aliud ordinarium, aliud summarium. n. 11. 12. p. 220. Aliud civile, aliud criminale. n. 14. ibid.
Cujus juris sit judicium? n. 16. p. 221. Quinam illud constituant? num. 22. pag. 222.

Qui possint agere vel conveniri in judicio? n. 25. p. 222. & seqq. Vide *Actor*.
Judicii quæ materia? n. 43. p. 227. & seqq. Quæ forma? num. 75. p. 234. Quis finis? n. 76. p. 235. Qui effectus? n. 77. & seqq. Qui modi finiendi? n. 80. p. 236. & seqq.
Judicium intra quod tempus terminandum? n. 82. & 83. p. 236.

Juramentum, seu Jusjurandum.

Quid nominis? II. 24. n. 1. p. 414. Quid rei? n. 2. & quotuplex? n. 3. 4. 5. pagin. 414. & 415.
Juramentum est omni jure licitum. n. 6. ibid.
In jurante requiritur usus rationis. n. 7. ibid. & intentio jurandi. n. 8. p. 416. faciendi, quod jurat. n. 9. & se obligandi, n. 10. ibid.
Quod juramento asseritur, suo modo debet esse certum juranti. num. 11. pagin. 417.
Quod juratò promittitur, debet esse honestum, & licitum. n. 17. p. 417.
Temerarium, & invalidum est juramentum de facienda re aliqua merè indifferente. n. 13. ibid.
Qui jurat se omissurum aliquid supererogatorium, seu se facturum aliquid contra consilia Evangelica, peccat, non tamen obligatur juramentô. num. 14. ibid.
Improbum, nec obligatorium est juramentum, quoties id, quod juratum est, sine peccato fieri, aut omitti non potest. n. 15. ibid.
Non stringit juramentum, quod in præjudicium tertii redundat. num. 16. p. 418
Juramentum factum contra Jus Publicum non obligat. n. 17. 18. ib.
Ad juramentum requiritur invocatio saltem tacita Divini nominis. n. 19. ibid.
An verba: DEUS scit, vel videt ita esse, coram DEO loquor, &c. juramentum importent? n. 20. p. 419.
Qui dicendum de hac formula: in conscientia mea: vel per conscientiam meam? n. 21. ib.
Contineátne juramentum hæc formula: Auf mein Ayd / n. 22. ibid.
Num fidei interpositio pro juramento haberi possit? n. 25. p. 420.
In juramento requiritur veritas. num. 25. p. 420. justitia. n. 26. p. 421. & judicium. n. 27. ibid.
Quo ritu jurandum sit? n. 28. ibid.
Juramenti finis. n. 29. ibid.
Juramentum quatenus obliget? n. 30. 31. ibid.
An juramento vestiatur pactum nudum? n. 33. p. 422. Et quatenus firmentur contractus, quibus accedit? n. 35. 34 35. p. 422. & 423.
Obligatio juramenti evacuatur mutatione materiæ. 36. & 37. p. 423. condonatione. n. 38. p. 424. commutatione. n. 39. ibid. irritatione. n. 40. p. 424. & dispensatione. n. 41. p. 425.

Juramentum calumniæ.

Quid sit? II. 7. n. 1. p. 286.
Dividitur in speciale, & generale. n. 2. ibid.
Post juramentum calumniæ generale potest exigi speciale. n. 3. ibid.
Utrumque est jure positivo introductum. n. 4. p. 287.
Potest à partibus tacitè, non expressè remitti. n. 5. 6. ib.
Statuto vel consuetudine abrogari potest, ita ut non ampliùs exigatur. num. 7. ibid.

De

De calumnia jurare debent priùs actor, deinde reus, postea eorum Advocati, Procuratores, &c. n. 8. p. 288. & n. 21. p. 290.
Clerici in causa propria hoc juramentum personaliter præstare coguntur, non item in causa Ecclesiæ. n. 9. p. 288.
Per quos in causa Collegii, aut Universitatis juretur de calumnia? n. 10. ibid.
Qualiter juret, qui alieno nomine judicium subit? n 11. p. 289.
Quinam sint immunes à præstatione hujus juramenti? n. 12. ibid.
Præstari debet in omnibus causis. n. 13. ibid. etiam criminalibus. n. 14. ibid. summariis. n. 11. p. 290. modicis. n. 16. ibid. & spiritualibus, n. 17. ib. & tam in prima, quàm in secunda instantia. n. 18. ibid.
Juramentum calumniæ quomodo & quando præstandum? n. 19. 20. 21. & 22. p. 290.
Hujus juramenti capita. n. 23. p. 291. & necessitas. n. 24. ibid.
Qui juramentum calumniæ præstitit, excusatur à præsumpta calumnia. n. 25. p. 291. non item ab expensis. num. 26. ibid.
Actor subterfugiens hoc juramentum causâ cadit, reus pro confesso habetur. n. 27. p. 292. Ante sententiam tamen purgationi locus est. n. 28. ibid.
An hæc pœna etiam locum habeat in recusante juramentum calumniæ speciale? n. 29. ibid. & in Procuratore, ita ut ipsius recusatio noceat principali? n. 30. & 31. p. 292. & 293.
Juramentum conventionale, vide *Juramentum voluntarium.*
Juramentum dandorum.
Et respondendorum quando sit præstandum? II. 18. n. 11. p. 356.
Juramentum in litem.
Quid nominis? II. 24. n. 91. p. 436. n. 92. ibid. Quotuplex? n 93. ibid. & unde ejus origo? n. 94. p. 437.
A quo? n. 95. ibid. Quibus? n. 96. & seqq. ib. In quibus causis? n. 102. cum seqq. p. 438. Et qualiter deferendum sit hoc juramentum? num. 107. & 108 pagin. 439.
Ejusdem Juramenti quis finis? n. 109. Qui effectus? n. 110. p. 440.
Juramentum judiciale.
Unde nominetur? II. 24 n. 62. p. 430. Quid sit? n. 63. ibid. Unde ejus origo? n. 64. ibid.
Quis? n. 65. Et an etiam actor, si nihil omninò probaverit, deferre possit? n. 66. ibid.
Cur deferri possit, & quando delatum præstandum sit? n. 67. & 68. p. 431.
In quibus causis? n. 69. p. 432. Quomodo? n 70. ibid. & cur deferatur? n. 71. ibid.
Hoc juramentum cedit pro probatione, & inde datur actio & exceptio; sed qualis? n. 72. ibid.
Juramentum malitiæ.
Quid sit? II. 7. n. 2. p. 286.
An exigi possit, postquam juratum est de calumnia? n. 3. ibid.
An pœna recusantis juramentum calumniæ habeat locum in recusante juramentum malitiæ? n. 29. p. 292.
Juramentum necessarium.
Quid sit? II. 24. n. 73. & 74. p. 432.
Aliud est suppletorium, aliud purgatorium. n. 76. p. 433.
Deferre potest omnis Judex. n. 77. ibid. Sed an etiam tunc, quando à neutra partium petitur? n. 78. ibid.
Deferri potest tam reo quàm actori n. 79. ibid Sed cui potiùs deferri debet. n. 80. ibid.

ibid. Et an is, cui delatum est, præstare teneatur? n. 81. p. 434.
In quibus causis deferri possit? n. 82. ibid. An in causis arduis? ibid. An in causis matrimonialibus? n. 83. ib. An in causis criminalibus? n. 84. p. 335.
Quæ requirantur, ut juramentum necessarium tum suppletorium, tum purgatorium deferri possit? num. 85. & seqq. ibid.
Hujus juramenti finis. n. 88. p. 436. & effectus. n. 89. 90. ibid.

Juramentum testium.

Quid, quo modo, & coram quo Judice testis jurare debeat? II. 20. num. 40. p. 382.
An omnes testes teneantur jurare? n. 41. p. 383.
Utrùm non sufficiat, si testes ex postfacto jurent, quòd ad omnia interrogata veritatem dixerint? n. 42. p. 383.
Num juramentum testibus consensu partium remitti possit? n. 43. ibid.

Juramentum voluntarium.

Unde dicatur voluntarium? l. 24. n. 42. p. 425. Quid sit? n. 43. ibid. Unde ejus origo? n. 44. ibid.
Quinam in specie deferre possint hoc juramentum? n. 45. p. 225. qui non? n. 46. p. 426.
Quibus possit deferri? n. 47. 48. p. 426. & 427. an delatum præstari, vel referri debeat? n. 49. p. 427.
Deferri potest in omnibus causis. n. 50. ib. An etiam in causa matrimonii? n. 51. ibid. An in causa criminali? n. 52. p. 428.
Quo modo deferatur, & præstetur hoc juramentum? n. 53. ibid.
An, & quousque juramentum voluntarium revocari possit? n. 57. ibid.
Ejusdem juramenti finis. n. 58. p. 429. & effectus. n. 59. & seqq. ibid.

Jurisdictio delegata.

Quid sit? l. 29. n. 1. p. 144.
Alia est specialis, alia universalis. n. 2. Alia delegata in specie, alia mandata, num. 3.
An, & quomodo differat delegata à mandata? n. 4. p. 144. & seqq.
Delegatur jurisdictio vel à jure, n. 7. vel ab homine, nempe à Judice ordinario. n. 8. p. 145. An etiam à Delegato? n. 9. & seqq.
Cui delegari possit jurisdictio? num. 15. p. 146. & cui delegari debeat à Sede Apostolica? n. 16. ibid.
An causa temporalis Clerici Judici Laico delegari queat? n. 17. p. 147.
Quænam causæ delegari possint? n. 18. 19. 20. Num etiam causæ mixti Imperii, & executio? n. 21. Num & causæ meri Imperii, saltem de Jure Canonico? n. 22. 23. p. 148.
Quomodo, & cum quibus clausulis jurisdictio delegari soleat? num. 24. pag. 148.
Quænam possit is, cui jurisdictio delegata est? n. 26. p. 149.
An possit dare Judicem? num. 27. & 28. pag. 149.
Quando pluribus delegata est jurisdictio, quorum sententia prævaleat? n. 29. p. 149.
Delegatus Pontificius est supra ordinarium, n. 30. p. 150.
Jurisdictio delegata exspirat delegantis revocatione. n. 32. p. 151. Ejusdem morte. n. 33. p. 152. & resignatione. n. 34. Item Delegati morte. n. 35. Amissione dignitatis. n. 36. Lapsu temporis. n. 37. Abusu rescripti delegatorii. 38. Recusatione

tione delegati tanquam suspecti. n. 39. & finitâ causâ. n. 40. p. 153.
Num jurisdictio delegata prorogari valeat? II. 2. n. 78. p. 249. Vide *delegatus Judex.*

Jurisdictio ordinaria.

Quid sit? I. 31. n. 1. p. 157.
Alia Ecclesiastica, alia sæcularis. n. 2. p. 157. Alia contentiosa, alia voluntaria, & quod discrimen inter utramque? n. 3. & 4. ib. Alia personalis. Alia realis. n 5. ibid. Alia separata, alia concurrens, alia communis. n. 6. ibid.
Qualiter jurisdictio ordinaria acquiratur? n. 7. p. 158.
Jurisdictio ordinaria Ecclesiastica competit S. Pontifici. n. 8. p. 158. Cardinalibus. n. 9. Legatis. n. 10. Patriarchis, & Primatibus. n. 11. Archi-Episcopis. n. 12. p. 159. Episcopis. n. 13. & 14. ibid. Episcopis. n 13. & 14. ibid. Episcopi Vicario generali. n. 15. p. 160. Abbatibus exemptis. n. 16. & non exemptis. n. 17. p. 161. Abbatissis. n. 18. Guardianis, Prioribus, & cæteris Superioribus Conventualibus, imò & Prioribus Claustralibus. n. 19. Parochis, & perpetuis Parochiarum Vicariis. n. 20. p. 162. Archi-Diaconis, Archi-Presbyteris, & Capitulis, remissivè. n. 21. ibid.
Quibus competat jurisdictio sæcularis? n. 122. p. 162. & num competere possit Clericis? n. 23.
Quibus personis, & de quibus causis jus dici possit ex jurisdictione ordinaria? n. 24. p. 162. & seqq.
Jurisdictio ordinaria conceditur vel cumulativè, vel privativè. n. 31. p. 136.
Ordinariæ jurisdictionis quis finis? n. 32. pag. 164. Qui effectus? num. 33. p. 164.
Jurisdictio ordinaria exspirat lapsu temporis, amotione, aut resignatione officii, & morte ordinarii. n. 34 p. 164. Non morte committentis. n. 35. p. 164.
Quomodo prorogari possit jurisdictio ordinaria? II. 2. n. 78. & seqq. p. 249. Vide *Judex.*
Jurisdictio prorogata, vide *Prorogatio.*

Jurisdictio voluntaria.

Quid sit, & quomodo differat à contentiosa? I. 31. n. 3. & 4. p. 157.
Potest extra territorium validè, & plerumque licitè exerceri. d. n 4. ibid Eámque quis in seipsum exercere valet. n. 30. p. 163. & I. 2. n. 32 p. 30.
In jurisdictione voluntaria num procedat prorogatio? II 2. n. 77. p. 249.
Actus voluntariæ jurisdictionis an die festo prohibeantur? II. 9. n. 10. p. 299.

Jus Canonicum.

Unde dictum? Proœm. n. 1. p. 1. Quid sit? Quibus libris constet? n. 3. & quinam ex his sint authentici? n. 4. p. 2.
Est jus humanum, largè tamen dicitur Divinum n. 5. p. 2.
Non obligat Judæos & gentiles, sed solos Christianos. num. 6. & I. 2. num. 12. pag. 15.
S. Pontificem obligat tantùm quoad vim directivam, potéstque is in eodem dispensare. Procem. n. 7. p. 3.
Laicos solùm obligat in rebus spiritualibus, in temporalibus nonnisi eos, qui in terris Ecclesiæ habitant. n. 8. p. 3.
In conflictu juris Canon. & Civilis quodnam sit servandum? ibid.
Hæreticos obligat etiam quoad impedimenta matrimonii. n. 9. p. 4.
Quæ sit materia Juris Canonici? n. 10. p. 4. Quæ forma? n. 11 ibid. Quis finis? n. 12. ibid.

An jus Can. obliget in conscientia? n. 13. p. 5. & sub discrimine vitæ ? n. 14. ibid.
Jus Can. à jure Civili interpretationem accipit, & econtra. n. 15. p. 6.

L.

Laicus.

An teneatur Jure Can. & legibus Ecclesiasticis? Procem. n. 8. p. 3 & l. 2. n. 12. pag. 15.
Laicus non potest esse Vicarius Episcopi. l. 28. n. 8. p. 138. Est incapax jurisdictionis contra Clericum. l. 9. n. 17. p. 147. Neque potest esse arbiter in causa spirituali. l. 43. n. 11. p 214.
In quibus casibus Laicus subjiciatur Judici Ecclesiastico? II. 1. num. 49. & seqq. p. 229.
An contra Laicum in delicto à Clerico commisso complicem Judex Ecclesiasticus procedere possit? n. 55. p. 231.
Laicus jura spiritualia nec possidere. II. 12. n. 49. p. 413. nec præscribere potest. II. 26. n. 12. p. 448.
Laicus regulariter testis esse nequit contra contra Clericum II. 20. n. 23. p. 376.
A Judice Laico non datur appellatio ad Ecclesiasticum, & econtra. II. 28. n. 25. p. 480.

Laudum, vide *Compromissum.*

Legatus.

Quis dicatur? l. 30. n. 1. p. 153.
Legatus alius est de latere, alius natus, alius missus. n. 2. p. 153.
Legatus missus cum potestate Legati de latere eam potestatem habet, quam Legatus Cardinalis. n. 3.
Legatos constituit S. Pontifex, & quare? n. 4. p. 154.
An Legatus recipiendus sit, antequam literas Apostolicas exhibeat? n. 5. p. 154.
Quænam committantur Legato? n. 6. & quo modo constituatur? n. 7.
Quod sit officium Legati? n. 8. p. 155. Quæ potestas Legati de latere? n. 9. p. 155. & seqq. Quæ Legati missi? n. 14. p. 156. Quæ Legati nati? n. 15.
Quibus modis finiatur officium Legati? n. 16. p. 156. & seqq.
Legatus qualia possit condere statuta? l. 2. n. 8. p. 13. An possit confirmare electos Episcopos, & Abbates exemptos? l. 6. n. 87. p. 69. An transferre ab una Ecclesia ad aliam? l. 7. n. 4. & 5. p. 73. Quis ab eo delegari debeat? l. 29. n. 16. p. 146.

Legitimatus, Legitimus.

Legitimatus à Principe sæculari non habilitatur ad Ordines & beneficia Ecclesiastica. l. 3. n. 4. p. 32.
In dubio quis legitimus præsumi debet. l. 17. n. 8. p. 119.
Anne ergo expositus pro legitimo habendus. ibid.
Præsumitur quis Legitimus, etsi mater asserat ex adulterio susceptum. II. 18. n. 32. p. 361. Vide *Illegitimus.*

Lex.

Si lex civilis de personis & rebus Ecclesiasticis disponit, est invalida. Procem. n. 8. p. 3. & l. 2. n. 11. p. 14.
Lex Ecclesiastica obligat quidem hæreticos, sed non infideles. Procem. n. 6. p. 2. & n. 9. p. 4. n. 12. p. 15.
An Leges civiles, quibus pœna temporalis adjecta est, obligent in conscientia? l. 2. n. 23. p. 22.
Judex debet judicare secundùm leges. l. 32. n. 28. p. 170. Sententia legibus sit conformis oportet. II. 27. n. 45. p. 471. Vide *Constitutio, Jus Canonicum.*

Libellus.

Libelli homonymia. II. 3. n. 1. p. 252. Definitio. n. 2.

Alius est civilis, alius criminalis. n. 3. ib. Alius summarius, alius articulatus. n. 4. p. 253.

A quo, n. 5. ibid. & cujus sumptibus libellus offeratur? n. 6. ibid.

Libelli oblatio est de substantia judicii. n. 7. ibid. Exceptis quibusdam causis, & casibus. n. 8. & seqq. ib.

Quæ causæ, seu actiones in eodem libello cumulari possint, quæ non? num. 17. p. 254. seqq.

In libello exprimi debent sequentia: nomen judicis. n. 30. p. 256. nomen actoris. n. 31. ib. nomen rei. n. 32. p. 257. causa petendi remota vel proxima pro diversitate actionis. n. 33. & seqq. Non verò nomen actionis. n. 39. 40. p. 258. Denique quid, quale, quantum petatur. n. 41. ib. Imò in libello criminali etiam delicti locus, annus & mensis apponi debet, omissâ tamen conclusione? n. 42. p. 259. & seqq.

De quibusdam clausulis salutaribus libelli. n. 45. ibid. & seqq.

Ob quem finem libellus offeratur? n. 50. p. 260. qui sint ejusdem effectus? n. 51. 52. 53.

Libellus non sit contrarius. n. 54. p. 260. Non obscurus. n. 55. Non incertus. n. 56. Non generalis. n. 57. p. 261. vel alternativus. n. 58.

Liceátne libellum mutare, vel emendare post litis contestationem? n. 59. p. 261.

Libri.

Quid sint, & quam fidem faciant libri censuales? II. 22. n. 11. p. 396. & n. 45. p. 404. Libri Parochiales, & Officialium publicorum? n. 46. ib. Libri rationum, & registra tutorum, curatorum, & similium? n. 15. p. 396. & n. 51. p. 406. Libri mercatorum? n. 16. p. 396. & 52. p. 406.

Licentiatus.

In materia favorabili habetur pro Doctore. II. 21. n. 7. p. 392.

Lis pendens.

Quid sit? II. 16. n. 1. p. 348.

Quibus modis inducatur? n. 2. ib.

Lite pendente nihil est innovandum, & ejus rei exempla. n. 3. & seqq. ibid.

Quibus modis cesset lis pendere? n. 7. p. 349.

Litis contestatio.

Quid nominis? II. 5. n. 1. p. 278. Quid rei? n. 2. ib. Alia est solennis, alia simplex. n. 3. ibid. Alia affirmativa, eáque vel absoluta, vel qualificata, vel implicita. n. 4. Alia generalis, alia specialis. n. 5. ib.

Quo jure introducta sit litis contestatio? n. 6. p. 279.

Litem contestatur actor cum reo vel per se, vel per alium. n. 7. ibid.

Ad litem contestandam an requiratur utriusque partis præsentia? n. 8. ibid.

Quomodo reus ad eam compellendus? n. 9. ibid.

Litis contestatio requiritur in omni processu. n. 10. p. 280. An etiam in secunda instantia? n. 11. ibid.

Ad litis contestationem quatuor desiderantur: petitio actoris. n. 12. ib. Contradictio rei. n. 13. p. 281. Animus litigandi. n. 14. ib. & ut petitio & contradictio fiat coram judice. n. 15. ibid.

Litis contestationis formula quænam in praxi receptior? n. 16. ibid.

Litis contestationis quis finis? n. 17. ibid. Qui effectus? n. 18. & seqq. p. 282.

Perpetuat jurisdictionem delegatam. I. 29. n. 33. p. 152. & d. n. 18. p. 282. Inducit pro-

prorogationem. II. 2. n. 74. p. 248. & d. n. 18. Post eam judex tanquam suspectus recusari nequit. II. 28. n. 61. p. 488. & d n. 18. Perpetuat actiones, easque ad hæredes, & contra hæredes transire facit. II. 5. n. 19. p. 282. Constituit in mala fide. n. 21. p. 283.

An actiones ex delicto rei persecutoriæ lite non contestata dentur contra hæredes? n. 20. p. 282.

An litis contestatio non tantùm præscriptionem longi temporis, sed etiam trienalem interrumpat. d. n. 21. p. 283. & II. 26. n. 56. p. 459.

Quænam ante, quæ post litem contestatam admittantur? II. 5. n. 22. cum seqq & passim. p. 283.

An, & quibus casibus ante litis contestationem testes recipi, & sententia ferri possint. II. 6. per tot. p. 284.

M.

Majoritas.

Quid sit? I. 33. n. 1. p. 170.

Causæ majoritatis sunt excellentia potestatis, seu jurisdictionis. n. 3. 4. 5. ib. præeminentia Ordinis. n. 6. 7. 8. p. 171. dignitas conferentis. n. 9. 10. ibid. & prioritas temporitas. n. 11.

De Majoritate Abbatum ante Canonicos Ecclesiarum Cathedralium. n. 12. p. 171. & Ordinum Religiosorum inter se. n. 13. ibid.

Quis sit judex competens in controversia majoritatis? n. 14. p. 172.

Majoritate conservatur unitas Ecclesiæ. n. 15. p. 173.

Ex ea oritur obedientia, quam minor majori debet n. 16. p. 173.

Mala Fides, vide *Fides.*

Mancipium, vide *Servus.*

Mandatum.

Sine mandato alius pro alio non potest impetrare rescriptum justitiæ, bene autem rescriptum gratiæ? I. 5. n. 5. p. 47.

Quinam procuratores sine mandato esse possit? 38. n. 26. p. 201.

An, & quale mandatum requiratur, ut quis alieno nomine possit renuntiare beneficio? I 9. n 8 transigere? I. 36. n. 7. p. 190. petere restitutionem in integrum? I. 41 n. 11 p. 209. contestari litem? II. 5. n. 7. p. 279. jurare de calumnia? II. 7. n. 11. p. 289. deferre juramentum voluntarium? II. 24. n. 49. p. 425.

Quænam culpa præstetur in mandato? I. 38. n. 32. p. 202.

Actio directa mandati infamat. II. 27. n. 57. p. 474.

Maritus.

Potest esse Procurator uxoris sine mandato. I. 38. n. 26. p. 201. Est dominus dotis. II. 12. n 74. Potest pro uxore appellare, non verò econtra. II. 28. n. 13. p. 478.

Matrimonium.

Quo pacto ignorantia impedimenti dirimentis illud dirimat? I. 2. n. 25. p. 23.

Causæ matrimoniales non subsunt jurisdictioni Archi-Diaconi, sed Episcopi. I. 23. n. 3. p. 133. eorúmque Vicarios pertinent. I. 28. n. 15. p. 140. & seqq. Coram judice autem sæculari nequaquam tractari debent. II. 1. n. 44. p. 227.

Super matrimonio non admittitur transactio. I. 36. n. 12. p. 191. Nec compromissum I. 43. n. 15. Nec delatio juramenti voluntarii. II. 24. n. 51. p. 427. judicialis. n. 69. p. 432. aut necessarii. n. 83. p. 434.

Matrimonium potest contrahi per Procuratorem I. 38. n. 24 p. 200.

Matrimonium & sponsalia metu contracta non valent. I. 40. n. 9. p. 207.

Ad dissolvendum matrimonium non sufficiunt

cient duo semiplenæ probationes. II. 19. n. 7. p. 363. Ad impediendum verò matrimonium testimonium unius testis. II. 20. n. 61. p. 389.
In causa matrimoniali testes idonei sunt Parentes, & consanguinei. II. 20. n. 18. p. 373. & n. 15. p. 374.
In causa matrimoniali admittuntur probationes post conclusionem in causa II. 27. n. 18. p. 464.
In dubio pro favore matrimonii judicandum est. n. 30. p. 467. & 34. p. 468.
Sententia lata in causa matrimoniali non transit in rem judicatam. n. 53. p. 473.
Mente captus, vide *Furiosus*.
Merum & mixtum Imperium, vide *Imperium*.
Metropolitanus, vide *Archi-Episcopus*.
Metus.
Metus gravis an excuset ab excommunicatione? Procem. n. 14. p. 5. Per actus metu extortos non indicitur consuetudo. I. 4. n. 5. p. 39.
Num per metum facta renuntiatio beneficii teneat? I. 9. n. 11. p. 84.
An per metum Ordinatus teneatur ad cœlibatum? II. 11. n. 11. p. 92.
Quid sit metus, & quomodo differat à vi? I. 40. n. 1. p. 204.
Metus alius venit ab intrinseco, alius ab extrinseco. n. 2. p. 205. Alius est gravis, alius levis. n. 3. ibid.
Quæ conditiones requirantur ad metum gravem? n. 4. p. 205.
Spectando jus naturæ metu etiam gravi, & injusto gesta valent. n. 5. p. 206.
Gesta ex metu ab intrinseco, aut ab extrinseco, sed justè incusso omni jure valent. n. 6. p. 206.
Gesta ex metu levi injusto jure quoque positivo subsistunt, nec hujus metûs ratio habetur. n. 7. p. 206.
Etiam gesta ex metu gravi injusto jure positivo tenent, sed irritari possunt. n. 8. ib.
Excipiuntur matrimonium, sponsalia, votum &c. n. 9. p. 207.
Ex metu gravi injusto datur metum passo exceptio, vel actio quod metûs causâ. n. 10. ibid.
Confessio ex metu facta quatenus noceat confitenti? II. 18. n. 9. p. 355.
Miles.
Quatenus prohibeatur contrahere? I. 35. n. 29. p. 182. esse Procurator? I. 38. n. 18. p. 200.
Ubi conveniendus? II. 2. n. 49. p. 244. & n. 93. p. 251.
Milites de re militari judicare possunt. II. 27. n. 27. p. 467.
Minor.
Possitne Clericus minorennis beneficio suo renuntiare, & læsus restitutionem in integrum petere? I. 9. n. 5. p. 81.
Minor an possit esse Judex? I. 29. n. 15. p. 146. & I. 32. n. 8. p. 166. An possit paciscí, & contrahere? I. 35. n. 23. p. 180.
An possit esse Advocatus? I. 37. n. 4. p. 194. An Procurator? I. 38. n. 17. p. 200. An possit compromittere? I. 43. n. 6. p. 213. An arbitrium recipere? ib. n. 10. p. 214. An possit in judicio stare? II. 1. n. 28. 29. 30. p. 223. An possit esse testis? II. 20. n. 3. p. 371. & n. 28 p. 377. An jurare? II. 24. n. 7. p. 415. An deferre juramentum voluntarium? ibid n. 46. p. 426.
Minor quando, & quibus casibus in integrum restituatur? I. 41. n. 5. 6. 7. p. 208. An contra seipsum consensu sibi præjudicet? II. 18. n. 6. p. 355. Quatenus liberetur ab onere probandi? II. 19. num. 4. p. 362.
Res minorum non præscribuntur præscriptione ordinaria. II. 26. n. 22. p. 451.

Missio in possessionem ex I. Decreto.

Definitur hæc missio. II. 15. n. 1. p. 444.

Approbatur utroque jure. n. 2. ibid.

A quo judice? n. 3. 4. ibid. & contra quem decernatur? n. 5. p. 345.

Habet locum in omnibus bonis, ac rebus n. 6. ib. Exceptis beneficiis Ecclesiasticis. n. 7. ibid.

Quomodo, & quando concedatur, ac fiat? n. 8. & seqq. ibid.

Ejus finis n. 12. p. 346. Effectus, & an missio veram possessionem tribuat? n. 13. ib.

Missio in possessionem ex II. Decreto.

Quid sit hæc missio? II. 15. n. 14. p. 346.

A quo Judice? n. 15. ibid. adversus quem? n. 16. p. 347. in quibus rebus? n. 17. ib. & quo modo decernatur? n. 18. ib.

Intra quod tempus hæc missio decernenda? d. n. 18. ib. Quid operetur? n. 19. p. 348.

Monachus, vide *Religiosus.*

Monasterium.

An intra clausuram Monasterii licitè admittantur infantes diversi sexûs? I. 2. n. 13 p. 15.

Quæ requirantur ad Monasterii translationem? I. 7. n. 13. p. 76.

In Monasteria an jurisdictionem habeat Archi-Diaconus? I. 23. n. 3. p. 135.

An Religiosi in causa sui Monasterii ferre possint testimonium? II. 20. n. 32. p. 378. & quid probent Scripturæ ex archivo Monasterii productæ? II. 22. n. 43. & 44. p. 403. & 404.

Mulier, vide *Fœmina.*

Mutilatio.

An, & quibus casibus reddat quem irregularem? I. 20. n. 2. & 5. p. 123. 125.

Quis super ea dispenset? ibid. n. 7. p. 126.

Mutua petitio.

Quid sit? II. 4. n. 1. p. 271.

Num in statuto veniat nomine conventionis, aut actionis? n. 2. ibid.

Mutua petitio omni jure recepta est. n. 3. ib.

A quibus, & contra quos institui possit? n. 4. & seqq. ibid.

Possitne contra Clericum moveri mutua petitio coram Judice sæculari? n. 8. & seqq. p. 272.

Mutua petitio regulariter in omnibus causis locum habet. n. 13. p. 274. Excipitur causa dispositi. n. 14. ibid. causa executiva. n. 15. causa spolii. n. 16. causa appellationis. n. 17. causa criminalis. n. 18. & causa, de qua Judex ex natura causæ cognoscere nequit. n. 19 p. 275.

Num mutua petitio seu reconventio in causis summariis procedat? n. 20. ibid.

Coram quo judice, & an etiam coram Judice utriusque partis consensu electo mutua petitio institui possit? n. 21. 22. & 23. p. 275. & 276. & quando, ac in quo actu judicii proponi debeat? n. 24. ibid.

Ob quem finem introducta sit? n. 25. ibid.

Effectus mutuæ petitionis est prorogatio jurisdictionis. n. 26. p. 277. & processus simultaneus. n. 27. modò in litis exordio proponatur. n. 28. ibid.

Mutus.

Non potest esse Judex. I. 32. n. 5. p. 165. Advocatus. I. 37. n. 6. neque testis. II. 20. n. 5. p. 372.

N.

Negatio.

An, & quomodo probari possit? II. 19. n. 22. & seqq. p. 366.

Negligentia.

Quid sit supplenda negligentia Prælatorum? I. 10. n. 1. p. 87.

A quo? n. 2. in quibus? n. 3. & quomodo committatur hæc negligentia? n. 4. p. 88.

Qualiter, & à quo negligentia hæc suppleatur? n. 5. p. 88. & seqq.

Negligentiam Judicis Laici suppletEcclesiasticus, non econtra II. 1. n. 47. 228. & 231. p. 230.

Mo

Neophytus.
Non debet eligi in Episcopum. I. 6. n. 38. p. 58. Nec aliis beneficiis præfici. I. 14. n. 23. p. 108.
Notarius.
Quis dicatur? II. 22. n. 19. p. 397.
Negotii, de quo conficit instrumentum, debet habere scientiam per se. n. 20. ib. Debet esse ad id rogatus, vel ab utraque, vel ab alterutra parte. n. 21. ibid. Idque ipsemet debet scribere, vel saltem subscribere. n. 22. 398. Vide *Instrumentum.*
Novitius.
Debet postulari, non eligi. I. 5. n. 7. p. 48.
Non potest eligere. I. 6. n. 10. p. 53.
Potest in Minoribus ordinari ab Abbate. I. 11. n. 26. p. 96.

O.

Obedientia.
Obedientia majoribus debita in quibus consistat? I. 33. n. 16. p. 173.
Debetur superiori, etiam cùm dubitatur de justo mandato. ibid.
Obligati ad ratiocinia.
Quinam obligentur ad ratiocinia? I. 19. n. 2. p. 123.
Quinam obligati ad ratiocinia ordinari nequeant? n. 3. p. 123.
Quid juris, si de facto ordinentur? n. 4. ib.
Officialis, vide *Vicarius.*
Officium Judicis.
Quid sit? I. 32. n. 1. p. 165. & quotuplex? n. 2. ibid.
Nemo nisi publicâ authoritate id consequi potest. n. 3. p. 165.
Quis officio Judicis fungi possit? n. 4. & seqq. p. 165.
Quæ pertineant ad officium Judicis tum nobile, tum mercenarium? n. 13. & seqq. p. 167.
Officium Judicis consistit in causæ cognitione, decisione, & executione. n. 17. p. 167.
Finis hujus officii. n. 18. p. 167.
Judicis officium exigit, ut non flectatur passionibus. n. 19. p. 168. ut non accipiat personas. n. 20. & seqq. ibid. ut abstineat à muneribus. n. 25. 26. p. 168. 169. & ne à veritate aut legibus recedat. n. 27. & 28. p. 180. Vide *Judex.*
Oleum sacrum.
Quotuplex? I. 15. n. 17. p. 114.
An oleum profanum sacrum fiat, si affundatur oleo sacro, præsertim in majori quantitate? n. 19. p. 114.
Ordinatio, seu *Ordo.*
Quid sit? I. 11. n. 1. p. 90.
Ordines cur alii majores, & sacri, alii minores, & non sacri dicantur? n. 2.
Num prima tonsura sit Ordo? n. 3. Num Episcopatus? n. 4. p. 91.
Author Ordinationis est Christus Dominus. n. 5. ibid.
Minister ordinarius est Episcopus consecratus, etiam excommunicatus, hæreticus, &c. n. 6. Extraordinarius etiam simplex Sacerdos. n. 7.
An etiam Episcopus, qui Episcopatui renuntiavit, Ordines conferre possit? I. 13. p. 104.
Abbas quibus Ordines minores conferre possit? d. n. 7. p. 91. An etiam Novitio? n. 26. p. 96.
Ad validam Ordinationem in ordinando requiritur sexus masculinus. n. 8. p. 92. Baptismus. n. 9. & consensus. n. 10.
In Sacris ex metu ordinatus an teneatur ad continentiam? n. 11. p. 92.
Ad licitam ordinationem necessarium est, ut Ordinandus sit confirmatus. n. 12. p. 93. Ut sit præditus usu rationis. n. 13. Ut habeat legitimam ætatem. n. 14. p. 94. Ut sit immunis à gravi peccato, & censura. n. 15. ib. Ut sit instructus competenti scientia. n. 16. ib. Ut habeat intentionem

ſerviendi Eccleſiæ. n. 17. ib. Ut ſit cœlebs. n. 18. p. 95. Ut non ſit criminoſus. n. 19. ibid. Ut ſit ſubditus Ordinantis, vel ratione originis. n. 20. 21. vel ratione domicilii. n. 22. 23. p. 95. 96. vel ratione beneficii. n. 24. p. 96. & ſeqq. Ut habeat titulum. n. 29. 30. p. 97. Ut ſit legitimus. I. 17. p. 118. Ut non ſit obligatus ad ratiocinia. I. 19. p. 122. Ut non ſit corpore vitiatus. I. 20. p. 123. Ut non ſit bigamus. I. 21. p. 126.

Ordinandorum ſcrutinium quale? I. 12. p. 102. Vide *Scrutinium.*

Quæ ſit Ordinationis materia? I. 11. n. 32. p. 98.

Et an phyſicus contactus ejusdem ſit de neceſſitate Sacramenti? n. 33. p. 98.

Quæ ordinationis forma? n. 34. p. 99.

Ordinationis qui modus, & locus? n. 35. ibid. Quod tempus? n. 36. 37. 38. p. 99. 100. Quæ interſtitia? n. 39. ibid. Quæ gradatio? n. 40 p. 301. Quis finis? n. 41. ib. Qui effectus? n 42. & 43. p. 101.

Character Ordinis quid ſit? d n. 42. p. 101.

Quæ ſint Ordinandorum privilegia, quæ onera? d. n. 43. p. 101.

Qualis Ordo requiratur in eligente? I. 6. n. 9. p. 52. in eligendo ad Epiſcopatum? ib. n. 31. p. 57. & in præficiendo aliis beneficiis? I. 14. §. 3. per tot. p. 109.

Ordo Cognitionum.

Quid ſit? II. 10. n. 1. p. 303.

Præſcribitur utroque jure. n. 2. ibid.

Idem Judex cognoſcit de cauſa principali, & incidente, niſi ſit ſpiritualis, & alterius fori. n. 3. 4. ibid.

Quæ regulæ in ordine cognitionum obſervandæ? n. 6. 7. 8. p. 303. & 304.

Finis, & effectus ordinis cognitionum. n. 9. 10. ibid.

Originale, vide *Inſtrumentum.*

P.

Pactum.

Quid ſit? I. 35. n. 12. p. 175. Quomodo differat à pollicitatione? n. 3. 4. ibid.

Aliud eſt pactum in ſpecie, aliud contractus. n. 5. p. 176.

Pactum in ſpecie iterum aliud eſt nudum, aliud non nudum, ſeu veſtitum, idque vel legitimum, vel contractui in continenti adjectum. n. 6. ibid. Aliud expreſſum, aliud tacitum. n. 7. p. 177. Aliud obligatorium, aliud liberatorium. n. 10. p. 177.

Pactum nudum an veſtiatur juramentô? II. 24. n. 32. p. 422.

Promiſſio præſenti & tacenti facta, an ſit pactum tacitum, & promittentem obliget? I. 35. n. 9. p. 177.

Quid, & quotuplex ſit contractus? n. 11. ibid. & ſeqq. Vide *Contractus.*

Quinam paciſci prohibeantur naturâ? n. 21. p. 179. Quinam lege poſitivâ? An pupillus? n. 22. An minor? n. 23. p. 180. An prodigus? n. 24. An filiusfamilias? n. 25. An ſervus? n. 26. p. 181. An religioſus? n. 27. An mutier? n. 28. p. 182. An miles? n. 29. An præſes provinciæ? n. 30.

Utrùm alteri paciſci liceat? n. 31. p. 182. idque ſaltem de Jure Can. n. 32. Et an non ex pacto alteri facto oriatur obligatio naturalis? n. 33. ibid.

In pacta deduci poſſunt res omnes. n. 34. p. 183. Excipiuntur res ſpirituales. n. 35. p. 183. Res, quæ in rerum natura non ſunt, nec eſſe poſſunt. n. 36. Res incertæ n. 38. Res alienæ. n. 39. & res, ſuper quibus paciſci ſpecialiter prohibetur. n. 40. p. 184.

Canone prohibitum eſt pactum de ſuccedendo in Prælatura. d. n. 40. p. 184. Lege pactum de hæreditate viventis. n. 41. Pactum, quo filia dote contenta renun-

nuntiat hæreditati paternæ. ibid. Et pactum de quota litis. n. 42.
Facta quæ in pacta deducuntur, debent esse propria, possibilia, & honesta. 44. p. 184. & seqq.
Pacta ineuntur vel purè. n. 48. p. 185. vel in diem n. 49. vel sub conditione. n. 50. aut sub modo n. 51. p. 186. Sed quo effectu? dd. n. & ob quem finem? n. 52. ib.
Neque de jure civili. n. 53. p. 186. neque de Jure Can. ex pacto nudo datur actio, bene verò de consuetudine Germaniæ. n. 54. ibid.

Pallium.

Quid sit? I. 8. n. 1. p. 77.
Pallium hodie confert solus S. Pontifex. n. 2. p. 77.
Quibus competat usus pallii? n. 3. p. 77.
Palliò quando, & quibus diebus uti liceat? n. 4. 5. ibid.
Pallii usus ubi concedatur, & an etiam in loco exempto? d. n. 4. & 6. p. 78. An etiam extra provinciam? n. 7. p. 78.
Pallium cohæret personæ, & loco. n. 8. p. 78.
Quando peti debeat? n. 9. p. 79.
Materia, & figura pallii quæ? n. 10. 11. p. 79.
Archi Episcopus quæ possit, quæ non sine pallio? n. 12. p. 9. & seqq.
Utrùm, si acceptum pallium perdat, licitè possit sine pallio actus Archi-Episcopales exercere? n. 18. p. 80.

Papa.

An possit dispensare in Jure Can. Procem. n. 7 p. 3. & I. 2. n. 31. p. 29. An etiam in Jure Divino? n. 33. p. 30. Vide *Dispensatio.*
An leges politicas ferre possit pro tota Ecclesia. ibid. n. 6. p. 12.
Papa potest concedere, ut Prælatus sibi successorem eligat. I. 6. n. 7. p. 52.
In electione Papæ non instituitur collatio zeli ad zelum, & meriti ad meritum. ibid. n. 72. p. 65.
Quæ ætas requiratur in Papa? ibid. n. 30. p. 57. & I. 14. n. 1. p. 105.
An possit renuntiare Papatui? I. 9. n. 4. p. 81. & 13. p. 83.
Papa solus potest indicere ferias sacras universales. II. 9. n. 5. p. 298.
In omnibus causis Ecclesiasticis immediatè ad Papam appellare licet. II. 28. n. 38. p. 483.

Parentes.

Sine venia impunè in jus non vocantur. II. 3. n. 80. & 82. p. 266. & 267. Nec contra eos à liberis interdictum unde vi intentari potest. II. 13. n. 9. p. 333.
An, & quando Parentes pro, vel contra liberos testes esse possint, & vicissim? II. 20. n. 13. p. 373. & 18. p. 375. II. 21. n. 4. p. 392.
Num parentes teneantur jurare de calumnia in causis liberorum? II. 7. n. 12. p. 289.

Parochus.

Quatenus teneatur ad externam professionem fidei? I. 1. n. 8. 9. 10. p. 9.
In jejuniis & festis quando dispensare possit? I. 2. sub n. 31. p. 29.
In Parocho quæ requiratur ætas? I. 14. n. 3. p. 105. Quis Ordo? ibid. n. 31. & 32. p. 110.
Qualem jurisdictionem habeat? I. 24. n. 4. p. 134. & I. 31. n. 20. p. 162.

Patriarcha.

An suis suffraganeis possit dare pallium? I. 8. n. 2. p. 77.
Quam in eos jurisdictionem habeat? I. 31. n. 11. p. 158.

Patronus.

An habeat jus eligendi in Ecclesia patronatûs? I. 6. n. 4. p. 51. An ejus consensus requiratur ad electionem? ibid. n. 20. p. 54. vel ad resignationem beneficii patronatûs? I. 9. n. 10. p. 83.
Patronus à libertis sine venia non debet in jus vocari. II. 3. n. 80. p. 266. Nec tene-

tur jurare de calumnia. II. 7. n. 12. p. 289.
Nec contra eum potest proponi interdictum unde vi. II. 13. n. 9. p. 333. Nec testimonium perhiberi. II. 20. n. 10. p. 373. & II. 21. n. 5. p. 392.

Pax.

Quid sit? I. 34. n. 7. p. 175.
Num Princeps pro pace obtinenda possit remittere damna subditis illata? n. 8.

Peregrini.

An obligentur statutis suæ patriæ, aut loci transitûs? I. 2. n. 15. p. 16.
Peregrini sine literis dimissoriis ordinari prohibentur. I. 11. n. 20. cum seqq. p. 95. & I. 22. p. 129.
Peregrinus de Ordine susceptо qualem fidem facere debeat? I. 22. n. 12. p. 132.
Peregrinatio ad S. Pontificem est similis appellationi. II. 29.

Permixtio, vide *Commixtio*,

Pictura.

An cedat tabulæ? II. 12. n. 106. p. 326.

Plùs petitio.

Quid sit? II. 11. n. 1. p. 304.
Quando actor censeatur plùs petere? n. 2. ib.
Materia plùs petitionis. n. 3. p. 305.
Plùs petitur 4. modis: n. 4. Re. n. 5. Loco. n. 6. Causâ. n. 7. & tempore. n. 8.
Pœnæ plùs petentium quæ? n. 9. 10. p. 305. & 306.
Quibus casibus cessent pœnæ plùs petentium? n. 11. & seqq. p. 306.

Pœna.

Conatus opere non secuto regulariter non ordinariâ, sed arbitrariâ pœnâ punitur. I. n. 17. p. 18.
Ad incurrendam pœnam legis requiritur sententia, nisi pœna latæ sententiæ consistat in nuda passione, aut sit pœna conditionalis. ibid. n. 24. p. 23.
An, & quatenus ignorantia excuset à censuris, aliisve pœnis spiritualibus? ibid. n. 25. p. 23.
Utrùm pœnâ ordinariâ puniri possit, qui incidenter crimen fatetur in judicio? II. 18. n. 16. p. 357.
Pœnæ non inferendæ, nisi crimen plenissimè probetur? II. 19. n. 6. p. 363. & 21. p. 366.
A pœna non datur appellatio, bene verò à mulcta. II. 28. n. 35. p. 482.

Pollicitatio.

Quomodo differat à pacto? I. 35. n. 3. p. 175.
An, & quando ante acceptationem inducat obligationem? ibid. n. 4. p. 176.

Positio.

Quid sint positiones, & quatenus reus ad eas respondere cogatur? II. 18. n. 11. p. 356.
An, & quomodo positiones impertinentes admittendæ? n. 15. p. 357.

Possessio, Possessor.

Possessio quid nominis? II. 12. n. 1. & 2. p. 307. Quid rei? n. 3. ibid.
An possessio sit juris, vel facti? n. 4. ib.
Quomodo differat à nuda detentione? n. 5. & seqq. ibid.
Possessio alia est propria, alia impropria. n. 8. ibid.
Alia naturalis, alia civilis. n. 9. p. 308. Naturalis quid? n. 10. & seqq. Civilis quid? n. 19. & seq. ibid.
Alia justa, alia injusta, n. 21. ib. Alia bonæ fidei, alia malæ fidei. n. 22. p. 309. Vide *Fides.*
Origo possessionis est à natura. n. 23. ib.
Ad acquirendam possessionem requiritur apprehensio vel vera, vel ficta. n. 24. ib.
Quando necessaria est apprehensio vera? n. 25. & seqq. p. 309. Quando ficta? n. 31. & seqq. p. 310.
Quomodo paretur quasi possessio rerum incorporalium? n. 40. p. 311.
Quot actus ad consequendam possessionem jurium requirantur? n. 41. ibid.

Qui-

Quinam possessionis accipiendæ capaces sint? n.42.p.312. An furiosus? n.43. An pupillus? n.44. An ebrius, aut dormiens? n.45. An ignorans? n.46. An communitas? n.47. ibid.
Res possessibilis debet esse corporalis. n.48. ib. in commercio. n 49. p.313. certa n.50. & vacua à possessione alterius. n.51. ib.
Possessionis forma quæ? n.52. p.313. Quis finis? n.53. Qui effectus, seu commoda? n.54. & seqq. ib.
Possessor quomodo resistere possit iniquo invasori? n. 54. ibid.
In pari causa melior est conditio possidentis? n. 55. ibid.
In judicio petitorio possessor præsumitur dominus. n.56. p.314.
In dubio an quis præsumatur possidere cum titulo, & an titulum edere cogatur? n.57. ibid.
Actore non probante possessor absolvitur. n.58. ibid.
Possessor immobilium liberatur ab onere satisdandi. n. 59. ib.
Quotuplicia sint interdicta, seu remedia possessoris? n. 60. ibid.
Quomodo procedendum, & quis præferatur in possessorio? n.61. p.315.
Qualis possessio requiratur ad præscriptionem? n. 62. ib. II. 26. n. 26. & seqq. 452.
Bonæ & malæ fidei possessor an, quos, & qualiter fructus acquirat? II. 12. n.63. 64. 65. p. 315. & 316.
Possessio temporis immemorialis quid operetur? n.66. p.316.
Quando & qualiter quis amittat possessionem rerum suarum tam mobilium. n.67. 68 p.316. & 317. quàm immobilium, n.69. ib. & incorporalium. n.70. ibid.
Bonæ fidei possessor post litem contestatam fit malæ fidei possessor. II. 5. n.21. p.383. & II. 26. n.56. p.359.
Dubitans pro bonæ fidei possessore non habetur. ibid. n.38. p.455.
Si de possessione rei spiritualis quæratur, num Judex sæcularis sit Judex competens? II. 1. n.45. p. 227.
Num causæ possessionis & proprietatis cumulari possint? II. 3. n.22. p.255.
Missus in possessionem ex primo decreto non possidet, sed tantùm detinet? II. 15. n. 13. p. 346.
An locus sit appellationi in judicio possessorio? II. 28. n. 29. p. 481.

Postulatio Prælatorum.

Postulationis homonymia. I. 5. n.1. p.46. Definitio. n. 2. & divisio. n. 3. ib.
Quinam postulare possint, & num is postulare possit, qui jus eligendi præscripsit. n.4. p.47.
Quot postulantium vota sint necessaria, ut postulatio admittatur? n. 5. p. 47.
Cujus sit postulationem admittere? n.6. p. 47.
Quinam debeant & possint postulari? n.7. p. 48.
An Episcopus habens licentiam à Papa transeundi ad aliam Ecclesiam debeat postulari, vel eligi? n.8. p. 48.
Postulatio quibus verbis fieri debeat? n. 9. p. 49.
Quomodo petenda sit admissio postulationis? n. 10. ibid.
Num postulantes variare possint post postulationem jam propositam? n. 11. p. 50.
Postulatio solennis admissa habet vim confirmationis. n. 12. p. 50.

Postulare, vide *Advocatus.*

Precedentia, vide *Majoritas.*

Præscriptio.

Quomodo differat ab usucapione? II. 26. n. 1. p. 446.
Quid sit? n. 2. ibid.
Alia est ordinaria, alia extraordinaria, alia

alia immemorialis. num. 3. pag. 446. & 447.
Quo jure sit introducta? n. 4. p. 447.
Quinam possint præscribere? n. 5. ibid.
Præscriptionem regulariter admittunt res omnes. n. 6. ibid. Excipiuntur res sacræ. n. 7. Res religiosæ. n. 8. Res sanctæ. n. 9. p. 448. Res publicæ. n. 10. Officia publica, & beneficia Ecclesiastica. n. 11. ib. Jura Ecclesiastica, & spiritualia respectu Laicorum. n. 12. ib. Liber homo. n. 13. ibid. Res meræ facultatis. n. 14. p. 449. Res Ecclesiarum. n. 15. ibid. Limites Parochiarum, & Episcopatuum. num. 16. p. 450. Res fisci. n. 17. ibid. Res & bona Principis. n. 18. 19. ibid. Res civitatis. n. 20. p. 451. Res pupillorum. n. 21. ib. Res minorum. n. 22. ibid. Res alienari prohibitæ. n. 23. Res furtivæ. n. 24. ib.
Primum requisitum præscriptionis est possessio civilis. n. 26. p. 452. Et ideo Laici non possunt præscribere jura spiritualia. n. 27. Duo non possunt præscribere eandem rem in solidum. n. 28. ibid. Præscriptionem complere potest, qui retenta possessione civili naturaliter possidere desiit. n. 29. ibid. Tantum præscribitur, quantum possessum est. n. 30. ibid.
Alterum requisitum Præscriptionis est titulus n. 31. p. 453. nempe verus, vel rationabiliter existimatus. n. 32. In præscriptione extraordinaria, & immemoriali titulus præsumitur. n. 33. nisi jus resistat præscribenti. n. 34. p. 454.
Tertium requisitum præscriptionis est bona fides. n. 35. ibid. An habeat bonam fidem, qui est in ignorantia juris? n. 36. 37. p. 454. & 455. An fides dubia ponat obicem præscriptioni? n. 38. ibid. An mala fides unius impediat bonam fidem respectu alterius? n. 39. ib. An & quomodo mala fides auctoris noceat, vel bona prosit successori? n. 40. p. 456. Quatenus possessor in ficta mala fide constituatur per litis contestationem? num. 58.
Quartum requisitum præscriptionis est tempus legitimum, & quod illud? n. 41. & seqq. p. 457. Quanto tempore præscribantur obligationes & actiones? num. 46. ibid. Item servitutes? n. 47. p. 458.
Ob quem finem introducta sit præscriptio? n. 48. ibid.
Præscriptio jus alienum perimit, ac dominium transfert etiam in foro conscientiæ. n. 49. ibid.
Præscriptio immemorialis impræscriptibile præscriptibile facit. n. 50. ibid. Habet vim privilegii principalis. n. 51. ib. Et non comprehenditur statuto generaliter excludente præscriptionem. n. 52. p. 459.
Quibus modis præscriptio dicatur non procedere? n. 53. dormire? n. 54. interrumpi? n. 55. cum seqq. aut rescindi? n. 56. ibid.

Præsumptio.

Quid nominis? II. 23. n. 1. & 2. p. 409. Quid rei? n. 3. ibid.
Alia est violenta, seu vehemens, alia probabilis, alia levis. n. 4. ibid. Alia hominis, alia juris. n. 5. p. 410. Et hæc alia juris tantùm, alia juris, & de jure n. 6. ibid.
Per quæ verba significetur præsumptio? n. 7. ibid.
Præsumptio versatur circa personas. n. 8. 9. ib. circa res. n. 10. p. 411. aut circa actiones? n. 11. ibid.
Forma. n. 12. p. ibid. Finis. n. 13. ib. Et effectus præsumptionis. n. 14. cum seqq. p. 411. & 412.
Præsumptio juris liberat ab onere proban-

di, idque transfert in adversarium. n. 16. p. 411. II. 19. n. 10. & 15. p. 363. & 364.
Præsumptio juris, & de jure regulariter non admittit probationem in contrarium. II. 18. n. 26. p. 306. II. 23. n. 17. 18. p. 412.
Præsumptio fortior elidit debiliorem. ibid. n. 19. ibid.
An ex nudis præsumptionibus in causa criminali sententia ferri, reúsve condemnari possit? n. 20 & seqq. p. 412.
In quo præsumptio differat à fictione. n. 24. p. 413.
Quando obligent leges in præsumptione fundatæ? I. 2. n. 23. p. 22.

Præventio.

Inducitur citatione. II. 3. n. 98. p. 270.

Primas, vide *Patriarcha.*

Primicerius.

Unde dicatur? I. 25. n. 1. p. 135. Quod ejus munus, & officium? n. 2. 3. p. 135.

Probatio.

Quid sit probatio? II. 19. n. 1. 2. p. 362. & quotuplex? n. 3. & 4. ibid.
Duæ probationes semiplenæ in causis civilibus faciunt plenam. n. 5. ibid. non item in criminalibus. n. 6. p. 362. & matrimonialibus, aut civilibus arduis. n. 7. ibid.
Onus probandi regulariter incumbit actori. n. 8. & seqq. ibid. Nonnunquam tamen etiam reo. n. 12. & seqq. ibid.
An in defectu probationum pars parti contra se instrumenta & rationes exhibere teneatur? n. 17. p. 364.
Quæ juris sunt, non probantur. n. 18. p. 365. Neque facta notoria. n. 19. ib. neque impertinentia. n. 20. p. 366. sed controversa eáque tam ctiminalia, quàm civilia. n. 21.
Num negationes, seu intentio negativa litigantis probari possit? n. 22. 23. 24. p. 366
Qualis debeat esse probatio, & quando fieri debeat? n. 25. & seqq. p. 367.
Finis probationis est Judici fidem facere. n. 29. ibid.
Quid operetur probati plena? n. 30. 31. 32. p. 367. & 368. Quid non plena? n. 33. p. 368. Et quanta fides cuilibet probationi habenda? n. 34. p. 368.
Utrùm Judex secundùm suam conscientiam, an verò secundùm allegata, & probata judicare teneatur? n. 35. & seqq. p. 368. Vide *Confessio, Instrumentum, Juramentum, Præsumptio, Testimonium.*

Procurator.

Qualiter differat ab Advocato? I. 38. n. 1. p. 198.
Quid sit? n. 2.
Alius est generalis, alius specialis. n. 3. Alius cum cum libera, alius sine libera. n. 4. Alius judicialis, alius extrajudicialis. n. 5. p. 199. Alius in rem propriam, alius in rem alienam n. 6. ibid.
An invitus cogi possit ad munus Procuratoris? n. 7. p. 199.
Quinam Procuratorem judicialem constituere possint? n. 8. p. 199. An pupillus, minor, & prodigus? n. 9. An filiusfamilias? n. 10. An servus? n. 11. An excommunicatus? n. 12. An tutor, & curator? n. 13. ib. An Prælati Ecclesiastici? n. 14. ibid.
Num Procurator possit substituere alium? n. 15. p. 200.
Quinam in judicio procurare possint? n. 16. p. 200. An fœminæ? ibid. An minores? n. 17. An milites? n. 18. An potentior? n. 19. An Bannitus, aut excommunicatus? n. 20. ib. An infamis? n. 21. An redemptores litium? n. 22. An servus, aut Religiosus? &c. n. 23.
Ad quæ negotia? n. 24. p. 200. & ad quas cau-

causas procuratores constituere liceat? n. 25. ibid.
Procurator sine mandato non admittitur exceptis marito, personis conjunctis, & consortibus litis. n. 26. p. 201.
An Clericus respectu suæ Ecclesiæ dici possit persona conjuncta? ibid.
De officio, obligatione, & potestate procuratoris. n. 27. p. 201. & seqq.
Procurator num patrocinium præstare teneatur in judicio appellationis? n. 29. p. 202. An possit transigere? I. 36. n. 7. p. 190. An petere restitutionem in integrum? I. 41. n. 11. p. 209. An compromittere? I. 43. n. 7. p. 213. An litem contestari? II. 5. n. 7. p. 279. An deferre juramentum voluntarium? II. 24. n. 45. p. 426. An in causa concludere? II. 27. n. 8. p. 462.
Procurator post litem contestatam fit dominus litis. I. 38. n. 30. p. 202.
An contumacia, dolus, & negligentia Procuratoris noceat principali? ibid. n. 31. II. 7. n. 30. p. 292. & tit. 14. n. 30. & seqq. p. 342.

Prodigus.

An possit paciscí? I. 35. n. 24. p. 180. An constituere Procuratorem? I. 38. n. 9. p. 199. An compromittere? I. 43. n. 6. p. 213. An in judicio stare? II. 1. n. 32. p. 224. An deferre juramentum? II. 24. n. 37. p. 426.

Professio fidei, vide *Fides Catholica.*

Proprietas, vide *Dominium.*

Prorogatio.

Ex Judice incompetente facit competentem. II. 2. n. 66. p. 247.
Quinam possint prorogare jurisdictionem alterius Judicis? n. 67. ibid. An Vasallus in causa feudali? n. 68. An Clericus? n. 69. p. 248. An exempti in causa exemptionis? n. 70. An studiosus? n. 71. ibid.
Ad prorogationem necessarius est saltem tacitus consensus partium. n. 72. ibid. & aditio Judicis incompetentis. num. 73. Quando revera Judex aditus censeatur? n. 74.
Cujus Judicis? n. 75. ibid. & quæ jurisdictio sit prorogabilis? n. 76. p. 249. An etiam voluntaria? n. 77. An delegata? n. 78. ibid.
Prorogatio fit quatuor modis. n. 79. ibid. de persona ad personam. n. 80. de re ad rem. n. 81. de loco ad locum. num. 82. p. 250. & de tempore ad tempus. n. 83. ibid.
Prorogatio ferme ab usu recessit. n. 84. ib.
Jurisdictio prorogatur reconventione. II. 4. n. 26. p. 277. & litis contestatione. II. 5. n. 18. p. 282.

Proscriptus, vide *Bannitus.*

Protestatio.

An valeat de lite non contestanda? II. n. 14. p. 281.

Protocollum.

Quæ sit ejus forma? II. 22. n. 8. p. 395.
Quid sit Protocollum Notarii? n. 18. p. 397.

Publicatio.

Qualiter fiat publicatio scrutinii? I. 6. n. 70. p. 64.
An post eam liceat mutare votum, & saltem eligere per accessum? ib. & n. 92. p. 70.
Quomodo fieri debeat publicatio attestationum? II. 20. n. 55. p. 388. Et quid operetur? n. 56. 57. 58. p. 388. & 389.

Pupillus.

An sine tutorum authoritate obligetur naturaliter? I. 35. n. 22. p. 179. Vide Minor.

Q.

Quæstio.

An idem Judex cognoscat de quæstione principali, & incidente? II. 10. n. 3. p. 303.

Quæstiones emergentes, & incidentes quo ordine tractandæ? n. 6. 7. 8. p. 303. & 304.

Quasi contractus.

Quid sit, & quæ ejus species? I. 35. n. 12. p. 177.

R.

Rasura.

Quando vitiet rescriptum? I. 3. n. 13. p. 38.

Quando instrumentum? II. 22. n. 59. p. 409.

Reconventio, vide *Mutua petitio.*

Recusatio.

Quid sit? II. 28. n. 56. p. 487.

Quo jure competat? n. 57. ib. & cui? n. 58. ibid.

Qualis Judex recusari possit tanquam suspectus? n. 59. ibid.

Num etiam ordinarius de jure civili? n. 60.

Quando & quomodo proponenda sit recusatio? 61. 62. 63. p. 488. Item ob quem finem? n. 64. ibid.

Quatenus suspendat jurisdictionem judicis recusati? n. 65. ibid.

Registra.

Quid sint? II. 22. n. 15. p. 396. Et quam fidem faciant? n. 51. 52. & 53. p. 406.

Relatio.

Quid sit? II. 28. n. 66. p. 489. A quo fiat? n. 67. ibid.

Locum non habet in quæstionibus facti. n. 68. ibid.

Relationis requisita. n. 69. ibid. Finis. n. 70. Effectus. n. 71. ibid. An hodie usitata? ibid.

Religiosus.

An constitutiones diœcesiales obligent Religiosos tum exemptos, tum non exemptos? I. 2. n. 16. p. 17.

Religiosus nequit consentire in sui electionem sine consensu sui Abbatis. I. 5. n. 3. 6. 8. p. 46. 47. 48. & I. 6. n. 84. p. 68.

Possitne Religioso ad aliud Monasterium translato in Monasterio professionis votum electivum reservari? I. 6. n. 4. p. 51.

Religiosi proprietarii biennio votô privantur. ibid. n. 14. p. 53.

Religiosus illegitimè natus per professionem habilitatur ad Ordines, non verò ad Prælaturas. ibid. n. 28. p. 56. & I. 17. n. 11. p. 119.

Religiosus à suo Abbate potest ordinari in minoribus. I. 11. n. 7. p. 91. An etiam Novitius? n. 6. p. 91.

Religiosi tenentur subire scrutinium ordinandorum. I. 12. n. 3. p. 102.

An Religioso conferri possit beneficium sæculare? I. 14. n. 16. 17. p. 106. & 107. Et utrùm cogi possit à Prælato ad acceptandam Parochiam? n. 18. p. 107.

Religiosus, seu Monachus an sit servus? I. 18. n. 7. p. 122. An retineat nobilitatem? ibid.

Religiosus, si carnaliter cum alia conjungatur per matrimonium, fit bigamus. I. 21. n. 4. p. 127. Quis cum tali dispensare possit? n. 8. p. 128.

Religiosus an possit esse Advocatus? I. 37. n. 14. p. 195. An Procurator? I. 38. n. 23. p. 200. An Syndicus? I. 39. n. 3. p. 207. An arbiter? I. 43. n. 11. p. 214. An testis præsertim in causa sui Monasterii? II. 20. n. 6. p. 372. n. 32. 33. p. 378. & 79.

Quibus Religiosis ante alios præcedentia competat? I. 33. n. 13. p. 172.

Religiosis permittitur exercitium curæ animarum per Vicarios amovibiles? I. 28. n. 32. p. 142.

Religiosus an & quibus casibus possit agere in judicio? II. 1. n. 34. & 35. p. 225. Specialiter an injuriatus Prælato non consentiente actionem injuriarum queat intentare? n. 37. ibid.

Renuntiatio beneficii.

Ejus homonymia. I. 9. n. 1. p. 80. Definitio. n. 2. ibid.

Alia est tacita, alia expressa, & quæ tacita dicatur? n 3. ibid. Alia pura, alia conditionalis. ibid. p 81.

Renuntiare potest quilibet beneficiatus etiam S. Pontifex n. 4. p. 81. An etiam Clericus minorennis? n. 5. ib. An irâ, infirmitate, aliáve passione affectus? n. 6. p. 82. An etiam invitus? n. 7. p. 82.

Renuntiatio etiam per Procuratorem fieri potest. n. 8 p. 83.

Coram quo fieri debeat renuntiatio? n. 9. p. 83.

Quæ beneficia per renuntiationem dimitti possint, quæ non? n. 10. p. 83.

Renuntiatio beneficii debet esse spontanea. n. 11. p. 84. expressa. n. 12. ib. cum consensu Superioris, exceptis quibusdam casibus. n. 13. ib. ac ex justa causa. n. 14. & 15. p. 85.

Quæ sint pœnæ renuntiationis sine consensu Superioris? d. n. 13. p. 84.

Quæ sint causæ legitimæ renuntiationis Episcopi? d. n. 14. p. 85. Et an eadem requirantur ad renuntiationem aliorum Beneficiatorum? d. n. 15. p. 86.

An, & quæ publicatio requiratur ad renuntiationem? n. 16. p. 86.

Quis sit finis? n. 17. Qui effectus renuntiationis? n. 18. p. 86.

Replicatio.

Quid sit? II. 25. n. 30. p. 446.

Res.

Quænam in pacta deduci non possint? I. 35. n. 35. & seqq. p. 183. Quænam præscribi nequeant? II. 26. n. 6. & seqq. p. 447.

Rescriptum.

Quid nominis? I. n. 1. p. 31. Quid rei? n. 2. ibid. & quotuplex? n. 3. ibid.

Quinam rescribere possint? num. 4. p. 32. Quinam rescriptum impetrare, & an alius pro alio? n. 5. ibid.

Quibus in rebus rescribatur? & an concedi valeat rescriptum moratorium? n. 6. p. 33.

Quo ordine & forma rescripta expediantur? n. 7. p. 34.

Rescriptorum vis & effectus. n. 8. p. 35.

An rescriptum faciat jus commune. ibid.

A quo tempore rescripta vim, effectúmque suum sortiantur? n. 9. p. 35.

Num per unum rescriptum derogetur alteri, aut simul, aut successivè dato? ibid. Rescripta quomodo interpretanda? n. 10. p 36.

Quomodo vitientur rescripta ob- aut sub-reptione? n. 11. p. 37. errore latinitatis? n. 12. p. 38. rasurâ? n. 13. & abusu? n. 14. ibid.

Rescriptum super re litigiosa impetratum censetur subreptitium. II. 16. n. 6. p. 349.

Resignatio, vide *Renuntiatio.*

Res judicata.

Super re judicata non admittitur transactio. I. 36. n. 11. p. 191. Nec compromissum in arbitros. I. 43. n. 15. p. 215.

Sententia post decem dies transit in rem judicatam, & habetur pro veritate II. 27. n. 52. Exceptis quibusdam casibus. n. 53. p. 486.

Restitutio in integrum.

Quid sit? I. 41. n. 1. p. 207. Cur dicatur remedium extraordinarium? n. 2. Et à quo Judice concedi queat? n. 3. ibid.

Restitutio in integrum quibus detur? n. 4. p. 208. An minori? n. 5. 6. 7. An Ecclesiæ? n. 8. An, & cui Reip.? n. 9. An majoribus? n. 10. p. 209.

Quibus casibus minori denegetur? d. n. 6. p. 208 Et an minor, Doctor Juris, lætus restituatur? d. n. 7. An & læsus in renuntiatione beneficii? I. 9. n. 5.

Per

Per quemnam sit petenda hæc restitutio? n. 11. p. 209.
In quibus causis, vel negotiis admittatur? n. 12. p. 209 An in delictis? n. 13. An contra confessionem propriam? n. 14. An contra actum nullum de jure? n. 15. An contra datam libertatem? n. 16. An in matrimonio? n. 17. An in sponsalibus? n. 18. An contra professionem Religionis? n. 19. An contra læsionem minimam, vel fortuitam? n. 20. p. 210.
Coram quo Judice, & intra quod tempus peti debeat? n. 21. 22 p. 210.
Restitutio non conceditur nisi causâ cognitâ. n. 23. p. 211.
Finis restitutionis in integrum. n. 24. p. 211.
Restitutio in integrum suspendit sententiam. n. 25. p. 211. eâque obtentâ redintegratur pristinum jus. n. 26.

Restitutio spoliatorum.

Quid sit? II. 13. n. 1. p. 330. Quæ sint ejus species? n. 2. ibid.
An injustè spoliatus restituatur etiam contra Judicem spoliantem? n. 3. ibid.
Hæc restitutio datur possessori spoliato. n. 4. p. 331. An etiam detentatori? n. 5. An prædoni notorio? n. 6. ibid.
Datur contra spoliantem. n. 7. p. 332. An etiam contra tertium possessorem rei spoliatæ? n. 8. ibid. An contra parentes, patronos, & Dominum directum? n. 9. p. 333.
Quorum nomine competat hæc restitutio? n. 10. ib. An etiam pro recuperanda possessione rerum mobilium? n. 11. ibid.
Quæ probanda sint, ut indulgeatur? n. 12. ibid. Et num etiam titulum possidendi probare necesse sit? n. 13. p. 334.
Restitutio spoliatorum sitne favorabilis, vel odiosa? n. 14. ibid.
Spoliatus est ante omnia restituendus. n. 15. ibid. Excipiuntur tamen aliqui casus notabiles. n. 16. 17. 18. 39. p. 334. & 335.
Spoliato unà cum re etiam fructus sunt restituendi. n. 20. ibid. Imò etiam æstimatio rei spoliatæ? n. 21. p. 336.

Revisio actorum.

Quid sit? II. 28. n. 55. p. 486.

Reus.

Quis sit, & quis esse possit? II. 1. n. 24. p. 222. & 223. Quot modis forum fortiatur? II. 2. per tot.
Quomodo contumax coërcendus? II. 14. n. 28. p. 141.
An & quatenus actore non probante reus sit absolvendus? II. 19. n. 11. & 13. p. 363.
Quando probatio incumbat reo? ibid. n. 12. & seqq. Et an instrumenta sua edere cogatur? n. 17. p. 364.

Rubrica.

Quando habeat vim juris? I. 2. n. 20. p. 20.

S.

Sacerdos.

Quomodo inungatur? I. 15. n. 6. p. 111.
Abstemius non potest ordinari Sacerdos, potest tamen ordinari Diaconus. I. 20. n. 3. p. 124.
An Sacerdos ordinari possit, qui uno tantùm oculo videt? n. 4. p. 124.
Sacerdos crimina in confessione relata manifestare non debet. II. 20. n. 34. p. 379.

Sacramentum.

Quid sit? I. 16. n. 1. p. 115.
Aliud est iterabile, aliud initerabile. n. 2. ibid. Aliud mortuorum, aliud vivorum n. 3. ibid.
Sacramenta omnia instituit Christus. n. 4. p. 116.
Quis sit minister Sacramentorum? n. 5. Quod subjectum? n. 6. Quæ singulorum materia? n. 7. Quæ forma, & quanta ejus

ejus cum materia debeat esse conjunctio? n. 8. Quis finis? n. 9. p. 117. Quis effectus? n. 10 p. 117.

Baptismus, Confirmatio, & Ordo impunè non iterantur. n. 11. p. 117. Nisi prudenter dubitetur, an validè collati sint. n. 12. ibid.

Vide *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Matrimonium, Ordo, Pœnitentia,*

Extrema Unctio, vide *Unctio.*

Sacrista.

Quis? I. 26. n. 1. p. 136. Quod ejus officium? n. 2. p. 136.

Satio.

Sata cedunt solo. II. 12. n. 99. p. 324.

Scriptura.

Non est de Substantia legis. I. 2. n. 19. p. 20. Requiritur ad rescriptum. I. 3. n. 2. p. 31.

Vota eligentium in scripturam redigenda sunt I. 6. n. 69. p. 64.

An scriptura sit necessaria, ut quis legitimè Vicarius Episcopi constituatur? I. 28. n. 14. p. 139.

Quomodo per traditionem scripturæ acquiratur possessio? II. 12. n. 34. p. 310.

Scriptura utrùm cedat chartæ? ibid. n. 8.

Scripturæ utrùm cedat charta? ib. & n. 105. p. 326.

De Scriptura publica, & *privata* vide *Instrumentum.*

Scrutinium.

Electionis per scrutinium quæ ratio? I. 6. n. 6. & seqq. vide *Electio.*

Quid sit scrutinium ordinandorum? I. 12. n. 1. p. 102. Ad quem spectet? n. 2. An etiam Religiosi, & Doctores Theologiæ, vel Jurium teneantur subire scrutinium? n. 3. ibid. Quæ in eodem examinanda? n. 4. p. 103.

An ordinandus in scrutinio impedimentum occultum prodere teneatur? n. 5. p. 103.

Qualiter & quando? n. 6. ibid. & cur fiat hoc scrutinium? n 7. ibid.

In scrutinio dignus repertus ad Ordines admittendus est, indignus rejiciendus, n. 8. p. 103.

Quam pœnam incurrat, qui scrutinium subterfugit, & furtivè ordinandis se ingessit? n. 9. p. 103.

Quale scrutinium fieri debeat in ipsa ordinatione? n. 10. p. 104.

Secretum.

Quæ quis novit sub secreto Sacramentali, nullo unquam eventu manifestare licet. II. 20. n. 34. p. 379.

Secretum commissum testis à Judice de eo interrogatus patefacere non tenetur. d n. 44. ibid.

Secretum nudum Judici legitimè interroganti à teste celari nequit, ibid.

Sententia.

Sententiæ etymologia. II. 27. n. 21. p. 465. Definitio. n. 22. ibid.

Alia est definitiva, alia interlocutoria, eáque vel simplex, vel mixta. num. 23. ibid. est condemnatoria, aut declaratoria. n. 25. p. 466.

Sententia ferenda est à Judice competente. n. 26. ibid. prudente, jurisque perito. n. 27. ibid. & à passionibus alieno. n. 28. p. 467.

An Judex in ferenda sententia possit sequi sententiam minùs probabilem, maximè in causa favorabili? n. 29. 30. ibid.

An saltem æquè probabilem, & quando? n. 31. 32. 33. & 34. p. 467. & 468.

Sententia nulla est, quam non ipse Judex concipit, ac proprio ore promulgat. n. 35. p. 469.

Quid juris, si plures Judices diversas sententias tulerint? I. 34. n. 13. p. 214.

In quem ferenda sit sententia, an in principalem, vel ejus Procuratorem? II. 28. n. 36.

n. 36. p. 482. n. 37. 38. p. 483. De quibus rebus, & quando de expensis ferri debeat? n. 39. 40. ibid.

Sententia saltem æquivalenter debet esse absolutoria, vel condemnatoria. n. 41. ibid. Libello conformis. n. 42. p. 484. certa, prout natura actionis patitur. n. 43. ib. absoluta, non conditionalis. n. 44. Juri, legibus, statutis, aut consuetudini congrua. n. 45. ib. & I. 4. n. 18. An etiam privilegio? n. 46. p. 484. An valeat sententia contra, aut etiam pro absente non citato lata? n. 47. ib. An lata pro minore? II. 1. n. 30. p. 224.

An sententia in scriptis publicanda? n. 48. p. 485. & quo loco, ac tempore? n. 49. ibid. Item an causa exprimenda? n. 53. p. 486.

Finis sententiæ quis? n. 50. p. 485. Effectus qui? n. 51. & seqq. p. 486.

Sententia semel dicta an rescindi ac mutari possit? d. n. 51. ibid. Quando transeat in rem judicatam? n. 52. ibid. Quando non? n. 53. ibid.

Sententia parit actionem aut exemptionem rei judicatæ, n. 54. ibid. facit jus inter partes, non tamen tertio regulariter præjudicat. n. 55. 56. p. 486. & 487. Interdum etiam infamat condemnatum. n. 57. p. 487.

A quo, & quo modo facienda sit executio sententiæ? n. 58. ibid.

Sententia impugnatur vel ex capite iniquitatis, vel nullitatis, & intra quod tempus? n. 59. ibid. Vide *Appellatio.*

Sequestratio.

Quid sit? II. 17. n. 1. p. 349. Quomodo differat à depositio? n. 2. ibid.

Alia est voluntaria, alia necessaria. n. 3. p. 35. Illa fit à partibus, hæc à Judice n. 4. ibid.

Num Judex possit esse sequester in causa, in qua judicaturus est? n. 5. An quis cogi possit esse sequester? n. 6. 7. ibid.

Quæres, & an personæ liberæ sequestrari possint? n. 8. p. 350. Num quoque cadaver hominis mortui, ut pignus quoddam sequestrari possit? n. 9. p. 351.

An licita sit sequestratio in causa beneficiali? n. 10. ibid.

Quæ requirantur ad sequestrationem præsertim judicialem seu necessariam? n. 11. ibid. & seqq.

Sequestrationis quis finis? n. 17. p. 352. Qui effectus? n. 18. 19. 20. An sequester rem sequestratam verè possideat? d. n. 18. p. 353.

Servitus.

Quid sit? I. 18. n. 1. p. 120. Quo jure sit introducta? n. 2. ibid. Quibus modis constituatur? n. 3. 4. 5. p. 120. & 121.

Servus.

Servorum nomine qui veniant? I. 18. n. 6. p. 121.

An & Monachi? n. 7. p. 131.

Quidquid acquirit servus acquirit Domino, & privatur comunione juris civilis. n. 8. p. 122.

Cur ordinari prohibeatur? n. 9. p. 122. & quid juris, si defacto ordinetur? n. 10. ibid.

Servus non potest esse Judex. I. 29. n. 15. p. 146. & I. 32. n. 10. p. 166. Paciscei I. 35. n. 26. p. 181. Dare Procuratorem. aut dari. I. 38. n. 11. p. 199. & 23. p. 200. Compromittere, aut arbitrium recipere. I. 43. n. 6. & 9. p. 213. 214. Stare in judicio. II. 1. n. 26. p. 223. Esse testis. II. 20. n. 6. p. 372. Deferre juramentum voluntarium. II. 24. n. 46. p. 426.

Sigillum.

Authenticum quid sit, & cujus authoritatis? II. 22. n. 7. p. 395. n. 37. & seqq. p. 402.

Si-

Simonia.

Quatenus obstet electioni? I. 6. n. 40. p. 59. I. 9. n. 14. p. 85.

Specificatio.

Quid sit? & qualiter fiat? II. 12. n. 101. p. 325. Res specificata ad quem pertineat? ibid. Quomodo succurratur specificatori, aut domino materiæ? n. 102. ib.

Spolium, spoliatus, spoliator, vide *Restitutio spoliatorum.*

Sportulæ.

An eas Judex licitè accipiat? I. 32. n. 26. p. 169.

Studiosus.

An forum sortiatur in loco delicti? II. 2. n. 51. p. 244. n. 91. p. 251. An possit prorogare jurisdictionem? ibid. n. 71. p. 248. An possit reconveniri coram Magistratu municipali? II. 4. n. 12. p. 373.

Supplicatio.

Quid, & quomodo differat ab appellatione? II. 28. n. 55. p. 486.

Syndicus.

Quid sit? I. 39. n. 1. p. 202. A quo constituatur? n. 2. Et quis, ac qualis constitui possit? n. 3. p. 203.

In quibus causis, quo modo, & ob quem finem constitui debeat? n. 4. p. 203.

Quæ sit potestas Syndici? n. 5. p. 204.

Quomodo differat à Procuratore, actore administratore, & œconomo Universitatis? n. 6. p. 204.

Qualiter finiatur officium Syndici, & an solus Abbas revocare possit? n. 7. p. 204.

T.

Taciturnitas.

Tacens quando habeatur pro consentiente? I. 35. n. 9. p. 177.

Taciti & expressi non semper idem judicium. II. 2. n. 35. p. 242.

Testamentum.

Super testamento num liceat transigere? I. 36. n. 14. & 15. p. 192.

In testamento solenni testis habilis non est impubes. II. 20. n. 4. p. 371. Nec fœmina. ibid. n. 30. p. 378.

Testimonium, Testis.

Quid sit testimonium? II. 20. n. 1. p. 371. Quid testis, & quis esse possit? n. 2. ib.

Quinam testimonium dicere prohibeantur propter infirmitatem, vel defectum judicii? n. 3. 4. ibid. Quinam ob vitium corporis? n. 5. p. 372. Quinam ob defectum statûs? n. 6. Quinam ob fidem, aut vitam reprobatam? n. 7. 8. 9. ibid. & n. 10. 11. 12. p. 373. Quinam pro certis personis? n. 13. ibid. n. 14. 15. 16. 17. p. 374. Quinam contra certas personas? n. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. p. 375. & 376. Quinam respectu certarum causarum? n. 28. 29. 30. 31. 32. 33. p. 377. 378.

An impubes factus pubes testificari possit de iis, quæ in impubertate vidit, vel audivit? d. n. 4. p. 371.

Quatenus, & quinam infames arceantur à testimonio dicendo? d. n. 9. p. 372.

In quibus casibus pro se invicem testificari possint parentes & liberi? d. num. 13. p. 373. Affines & consanguinei? d. n. 15. p. 374. sicut & domestici? n. 16. & subditi pro Principe? n. 17. p. 375.

An Laicus testificari possit contra Clericum? d. n. 23 p. 376. An socius criminis contra socium criminis? d. n. 25. & seqq. An fœmina? d. n. 30. p. 378. Num in causa communitatis ejusdem membrum? n. 32. & 33. p. 378. & 379.

An quis testificari possit de his, quæ sub secreto novit? n. 34. ibid.

Testes quando, & qualiter producendi, & citan-

citandi, si jurisdictioni Judicis non subsint? n. 35. p. 380.
Num fide dignus sit testis, qui non citatus à Judice, venit, & testimonium perhibet? n. 36. p. 381.
Quot testium productiones admitti possint? n. 37. p. 382.
Cujus sumptibus testium productio fiat? n. 38. ibid.
Testes ante litem contestatam regulariter non recipiuntur. n. 39. ibid. & II. 6. per tot.
De jure omnes testes ante depositionem jurare debent. n. 40. p. 382. An etiam personæ illustres & nobiles? num. 41. p. 383. An sufficiat testes ex postfacto jurare, quòd veritatem dixerint? n. 42. ibid. An hoc juramentum partium consensu remitti possit? n. 43. ibid.
Testes quo modo examinandi sint? n. 44. p. 384.
Testis deponere debet vivâ voce. n. 45. ib. Conformiter. n. 46. Clarè. n. 47. p. 384. & 385. Reddità ratione sui dicti. n. 48. ibid. & constanter. n. 54. p. 387.
An testi credatur, qui ideo non reddit rationem in sua depositione, quia de ea non est interrogatus? n. 49. p. 385.
Qualis causa scientiæ requiratur, & an testis semper vidisse debuerit id, de quo deponit? n. 50. ibid.
Qualem fidem faciat testis, qui tantùm de credulitate deponit? n. 51. p. 386.
Num & quando testis de auditu admittatur? n. 52. ibid. Et an non saltem præsumptionem tantam faciat, ut propterea actor ab onere probandi relevetur? n. 53. p. 387.
Quid juris, si testes varient, vacillent, ac sibi contradicant? n. 54. ibid.
Quomodo fiat publicatio attestationum? n. 55. p. 388. Et qui ejus publicationis effectus? n. 56. 57. 58. pag. 388. & 389.
Quibus casibus uni testi credatur? n. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. pag. 389. & 390.
Duo contestes ordinariè plenè probant. n. 68. 69. ibid. Non item plures singulares præsertim singularitate obstativa, aut diversificativâ. n. 70. & 71. p. 391.
Ad dicendum testimonium qui cogere? II. 21. n. 2. p. 391. Qui cogi? n. 3. & seqq. p. 392. Item in quibus causis? num. 10. pagin. 393. quibus mediis? num. 11. p. 394. & cur cogi possint? n. 12. ibid.

Thesaurus.

Quid sit? II. 12. n. 89. p. 321. Cui cedat inventus? ibid.

Tonsura.

An sit Ordo? I. 11. n. 3. p. 89. An fœmina ad eam dispensari possit? n. 8. ibid.

Traditio.

Per traditionem etiam fictam verum transfertur dominium. II. 12. n. 107. p. 326.
Quænam requirantur, ut per traditionem dominium transferatur? ibid. n. 108. & seqq. p. 327.

Transactio.

Quid nominis? I. 36. n. 1. p. 189. Quid rei? n. 2.
Quis transigere possit? n. 3. An Prælatus super rebus Ecclesiæ? n. 4. An oppidum, seu universitas super bonis communitatis? n. 5. An possessor majoratûs, vasallus, & hæres fideicommisso gravatus super bonis, quibus respectivè gaudent? n. 6. An Procurator? n. 7. p. 190. Et an quis invitus cogi possit ad transactionem? n. 8. ibid.
De quibus transigi possit? n. 9. p. 191. & seqq. De quibus non? n. 12. & seqq.
Quomodo fiat transactio? numer. 17. p. 192.

In dubio judicandum est pro transactione. n. 18. p. 193.
Transactio habet vim rei judicatæ. n. 19. p. 193. Finem imponit litibus. n. 20. 21. Quam pariat actionem? n. 22. ibid.
Quibus modis rescindatur transactio. n. 23. p. 193. An rescindi possit ob immodicam læsionem? ibid.

Translatio.

Ejus homonymia. I. 7. n. 1. p. 72. Definitio. n. 2. ibid.
Quo jure prohibeatur translatio Episcoporum? n. 3. p. 72.
Quis transferat Episcopos? n. 4. p. 73. Quis alios Prælatos & Beneficiatos? n. 5. p. 73.
Quis, & an etiam invitus transferri possit? n. 6. p. 74.
Ad translationem requiritur licentia Superioris. n. 7. p. 74. Justa causa, & quæ? n. 8. p. 75. útque fiat à minore ad majorem dignitatem. n. 9. p. 75.
Quæ sit pœna propriâ authoritate transeuntis ad aliam Ecclesiam? d. n. 7. p. 74.
Effectus translationis. n. 10. p. 75.
Quando incipiat vacare beneficium translati Episcopi? n. 11. p. 75. Aut alterius beneficiati? n. 12. ibid.
Quid requiratur ad translationem Ecclesiæ de loco ad locum? ibid.

Treuga.

Quid sit? I. 34. n. 1. p. 173.
Alia est conventionalis, alia Canonica. n. 2.
Quis possit treugam inire? n. 3.
Treuga etiam hosti servanda. n. 5. p. 174.
Ex quibus causis solvatur? n. 6. ibid.

Tutor, vide *Curator*.

V.

Vagus.

Quis sit, & ubi conveniri possit? II. 2. n. 24. p. 239.

Vasallus.

An possit transigere super re feudali? I. 36. n. 6. p. 189. An promittere? I. 48. n. 8. p. 213. An sine venia Dominum in jus vocare? II. 3. n. 81. p. 266. An à domino exigere juramentum calumniæ? II. 7. n. 12. p. 289. An contra dominum intentare interdictum unde vi? II. 13.
Vasallus, etsi Clericus sit, super feudo conveniri potest coram domino feudi II. 1. n. 62. p. 223.

Venatio.

Quid sit? II. 12. n. 82. p. 319.
Utrùm fera Bestia à Venatore vulnerata capientis sit, an verò vulnerantis? n. 83. p. 320.
Num fera, quæ in laqueum, rete, aut fiscum à me positum incidit, mea sit, an eximentis? n. 84. ibid.
Si quis hodie contra Principis prohibitionem venetur, an quod cæperit, suum faciat? n. 85. ibid.

Vicarius.

Vicarius Episcopi quid sit? I. 28. n. 1. p. 136.
Vicarius alius natus, alius datus. num. 2. p. 137. Alius generalis, alius foraneus. n. 3. ib. Generalis potest esse tantùm in spiritualibus. ibid.
Quis possit constituere Vicarium generalem? n. 4. p. 137. & seqq. An Episcopus teneatur assumere Vicarium? n. 5. An constituere teneatur Capitulum sede vacante? n. 6. p. 138. An Vicarium generalem creare possit Vicarius generalis? n. 7. p. 138.
Vicarius generalis Episcopi non potest esse Laicus. n. 8. p. 138. Nec Religiosus sine licentia sui Prælati. n. 9. Sed Clericus sæcularis probatæ doctrinæ. n. 10. p. 139. Et potest constitui unus, vel plures. n. 11. & 12. ib.

Vicarius constitui potest tam in spiritualibus, quàm in temporalibus. num. 13. p. 139.
Quomodo? n. 14. & quem in finem assumatur Vicarius? n. 15. p. 140.
Quod sit ejus officium, quæ potestas Vicarii? n. 16. p. 140. & seqq. Quæ ipsi debeatur præcedentia? n. 17. Ad quem appelletur à Vicario generali? n. 18. & II. 28. n. 39. In quibus debeat habere speciale mandatum? n. 19. 20. 21. 22. p. 140. An habeat jurisdictionem ordinariam? I. 31. n. 15. p. 160.
Quibus modis finiatur potestas Vicarii generalis? n. 23. p. 141. & seqq. An si Episcopus simpliciter constituat aliquem Vicarium generalem, prior eò ipsò sit revocatus? n. 28. p. 141.
Vicarius in Divinis alius est temporalis, alius perpetuus. n. 30. 31. p. 141. 142.
Episcopus nequit instituere Vicarium perpetuum in Parochia Monasterio pleno jure incorporata. n. 32. p. 142.
Cura animarum non in Rectore principali, sed penes Vicarium perpetuum residet. n. 33. p. 143.

Vidimus, vide *Copia.*

Vidua.

Oppressa habet forum privilegiatum II. 1. p. 52. p. 230. & II. 2. num. 94. p. 252.

Vis, vide *Metus.*

Unctio Sacra.

Quid sit? 15. n. 1. p. 111.
Quis possit ungere? n. 2. Quis ungi? n. 3. p. 111. & seqq.
Materia unctionis est sacrum oleum. n. 17. p. 114. Cui si profanum commixtum sit, fit sacrum. n. 19 p. 114.
Forma, & solennitates S. Unctionis quæ? n. 20. p. 115. Effectus qui? n. 21. ibid.
Vide *Confirmatio*, *Extrema Unctio.*

Usucapio, vide *Præscriptio.*

Usura.

Usurarum exercitium nulla consuetudine potest fieri licitum. I. 4. n. 11. p. 41.
Reddit usurarium ineligibilem. I. 6. n. 44. p. 59.
Est delictum mixti fori. II. 1. n. 57. p. 331.
Hæres usurarii tenetur ad restitutionem, lite etiam cum defuncto non contestatâ. II. 5. n. 20. p. 282.

Uxor.

Sequitur forum mariti. II. 2. num. 14. p. 238.
Non appellat pro marito, nisi de libertate agatur. II. 28. n. 13. p. 478.

Nota Lector.

In Lib. 1. Tit. 11. pag. 99. §. 6. num. 34. pro S. Ordine Subdiaconatûs desideratur forma ad traditionem libri epistolarum, quæ sonat, ut sequitur: *accipe librum epistolarum, & habeto potestatem legendi in Ecclesia Sancta DEI, tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.*

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vicarius confilium potest tam in spiritualibus, quam in temporalibus. num. 13. p. 139.

Quando? n. 14. & quem in finem adhibeatur Vicarius? n. 15. p. 140.

Quid in eius officium, quæ potestas Vicarii? n. 16. p. 140. & legg. Quæ ipsi debeatur procuratio? n. 17. Ad quem spectet & Vicario generali? n. 18. & ibi n. 19. In quibus debeat habere speciale mandatum? n. 19. 20. 21. 22. p. 140. An habeat jurisdictionem ordinariam? l. 3. n. 17. p. 160.

Quibusnam finiatur potestas Vicarii generalis? n. 23. p. 141. & legg. An liceat Episcopo simpliciter constituere aliquem Vicarium generalem, prior eo ipso ut revocetur? n. 28. p. 141.

Vicarius in Divinis alius est temporalis, alius perpetuus. n. 30. 31. p. 141. 142. Episcopus nequit illicuere Vicarium perpetuum in Parochia Monasterio pleno incorporata. n. 32. p. 142.

Cum animarum non in Rectore principali, sed penes Vicarium perpetuum residet. n. 33. p. 142.

Vidua, vide Copia.

Vidua.

Oppida habent forum privilegiatum II. 1. p. 52. p. 289. Sect. 2. num. 34. p. 272.

Vis, vide Metus.

Unctio Sacra

Quid sit? 17. n. 1. p. 141.

Quis possit ungere? n. 2. Quis ungendus? n. 3. p. 141. & legg.

Materia unctionis sit sacrum oleum. n. 17. p. 144. Cur in plerisque communicatur sit, sit rarum. n. 19. p. 144.

Forma, & solemnitates Unctionis quæ? n. 20. p. 145. Effectus quis? n. ibid.

Vide Confirmare, Extrema Unctio.

Usuræ, vide Restitutio.

Usura

Usurarum exactarum nulla consuetudine potest dari forum I. 4. n. 17. p. 41.

Reddit usurarium ineligibilem. I. 6. n. 44. p. 59.

Fit delictum mixti fori. II. 1. n. 17. p. 331.

Hæres usurarii tenetur ad restitutionem, sive etiam cum defuncto non contraxit. II. 7. n. 20. p. 383.

Usus.

Sequitur forum matris. II. 2. num. 14. p. 238.

Non appellat pro matre nisi de libertate agatur. II. 28. n. 13. p. 378.

Nota Lector.

In Lib. 1. Tit. 17. pag. 99. §. 6. num. 34. pro 5. Ordine Subdiaconatus delitera- tur forma ad traditionem libri epistolarum, quæ forma, ut legatur: accipe hoc librum epistolarum, & habeto potestatem legendi in Ecclesia Sancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

FINIS.

KÖNIG
JUS CANO:
TOM. I

Th
4758

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN